


Andover



CORPUS REFORMATORUM.

VOLUMEN XLIII.

IOANNIS CALVINI

OPERA QUAE SUPERSUNT OMNIA.

EDIDERUNT

GUILIELMUS BAUM EDUARDUS CUNITZ EDUARDUS REUSS

THEOLOGI ARGENTORATENSES.

VOLUMEN XV.

BRUNSVIGAE

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

(M. BRUHN.)

1876.

IOANNIS CALVINI

OPERA QUAE SUPERSUNT OMNIA.

AD FIDEM

EDITIONUM PRINCIPUM ET AUTHENTICARUM

EX PARTE ETIAM

CODICUM MANU SCRIPTORUM

ADDITIS PROLEGOMENIS LITERARIIS

ANNOTATIONIBUS CRITICIS, ANNALIBUS CALVINIANIS

INDICIBUSQUE NOVIS ET COPIOSISSIMIS

EDIDERUNT

GUILIELMUS BAUM EDUARDUS CUNITZ EDUARDUS REUSS

THEOLOGI ARGENTORATENSES.

VOLUMEN XV.

BRUNSVIGAE

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

(M. BRUHN.)

1876.

THESAURUS

EPISTOLICUS CALVINIANUS

SIVE

COLLECTIO AMPLISSIMA

EPISTOLARUM TAM AB IO. CALVINO QUAM AD EUM

SCRIPTARUM

QUAS MAXIMA EX PARTE E CODICIBUS MANUSCRIPTIS ERUTAS

ADDITISQUE PROLEGOMENIS LITERARIIS
ET ANNOTATIONIBUS CRITICIS ET HISTORICIS ILLUSTRATAS

EDIDERUNT

EDUARDUS CUNITZ ET EDUARDUS REUSS
THEOLOGI ARGENTORATENSES.

VOLUMEN VI.

THESAURI

EPISTOLICI CALVINIANI

TOMUS VI.

EPISTOLAE AD ANNOS 1554—1555 PERTINENTES.

MDLIV.

1891.

LASCUS HARDENBERGIO.

Agit de Westphali Farragine nuper edita eamque acriter perstringit.

(Edita est a T. de Hase in Bibl. Brem. Class. VI. p. 158, Gerdesio in Misc. T. II. 2. 697. et Kuypero T. II. 696.)

Accepi tuas literas 23. Decembris scriptas, unaque et Farraginem *Westphali* [1]) mendaciis et calumniis plenam, pro qua tibi interim magnam gratiam habeo, brevique ad illam respondebo [2]) per Dei gratiam, et quidquid huius erit ad te transmittam priusquam evulgetur. Facile est autem de spiritu *Westphali* [3]) iudicare, dum in consensionibus dissidia comminiscitur et nodos in scirpo quaerit. Christi spiritus dissidia componit et conciliat quae dissidere videntur: iste in consensione quaerit dissidia ut scindat ecclesiam suoque errori patrocinetur. Si nobis fuisset studium conferendi interpretationes eorum quos ille a suis partibus stare putat, facile istiusmodi farragines colligere possemus, et ostendere re ipsa, non mendacibus calumniis, ipsos non modo inter sese sed plerosque secum ipsos, et quidem non verbis sed plane sensu ipso dissentire. Ut si quaeratur alterutra doctrina ob dissensionem damnanda sit, multo magis ipsorum doctrina quam nostra condemnationi obnoxia futura esset, ut ne dicam interim nos multo graviores habere nodos in hac ipsorum doctrina, propter quos ea sane, si legitimum de illa ecclesiae iudicium habendum esset, tolerari inter pios haudquaquam deberet. Ego sane, si alia nunc essent tempora, et non tantum ecclesiae periculum ex istiusmodi libellis impenderet, gauderem tales ab istis libellos edi; nam hac tanta mendaciorum et calumniarum impudentia nihil dubitarem causam nostram apud pios omnes commendatum iri, nedum ut ipsis adiumento esset futura. [4]) Sed de hoc in responsione plura. — — — — — — Vale. Prima anni 1554.

1891. 1) *De Westphali libellis plura dedimus in Prolegg. Tomi IX. Operum. Vir doct. Moenckebergius in sua Apologia pro Westphalo* (*Westphal und Calvin. Hamb.* 1865. *p.* 13 *s.*) *autor est Westphalum Farraginem scripsisse, quia Lascus antea Bullingeri defensionem sententiae Zwinglianae cum sua ipsius praefatione, et Vermilius praelectiones suas de coena, Tur.* 1552. *ediderint. Scilicet pastor Hamburgensis aegre ferebat quod illa Zwingliana formula Anglis obtruderetur et hac de causa ipsorum Zwinglii sectatorum in diversa abeuntium opiniones inter se conferre statuit. Haec vero nobis parum facere videntur ad mutandum posterorum iudicium de tota illa tristi controversia.*

2) Responsio ad virulentam calumniisque ac mendaciis consarcinatam hominis furiosi Ioachimi Westphali epistolam quandam . . . . . quo magis appareat utrinam causam aequiorem habeant in hac controversia de Aug. Conf. Bas. 1560. (*Kuyper* I. 271.)

3) *Olim satis amice a Westphalo Lascus exceptus fuerat apud quem eum Aepinus introduxerat* (*Mönkeb. l. l. p.* 17). *Nunc autem Hamburgenses Lutheranizantes in Frisia contra Lascum stimulabant.*

4) Quum eadem in nostris quoque diebus ab eiusdem Westphali successoribus ludatur fabula, nos similem in modum cum Lascio nos consolamur. (*Haec Hasaeus l. l. Iam quid nos, iterum elapso saeculo integro et dimidio?!*)

1892.

GALLASIUS CALVINO.

Rogat ut aliquis pro tempore ipsius aegrotantis vices obeat.

(Ex autographo Cod. Genev. 112. fol. 188.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae fidelissimo pastori, patri et praeceptori observandissimo

Genevae.

S. Sic mihi hisce octo diebus epiphora molesta fuit, neque solum oculos, sed totum caput ita con-

troys foys en diverse forme dhome, visiblement se soit deigne apparoir iceluy Seigneur Iesus, a sondict humble serve, ne le congnoissant point iusque a ce que lacte estoit faict, et quil estoit disparu. Come quelque iour plaisant au Seigneur, il en escripra a souffisance de teles apparicions pour consolation des fideles. Et come ainsi soit aussi, que du commandement diceluy sien seigneur leternel fils de Dieu, ledict Iohan de *Leonnard* ait escript deus tables de la loy evangelique de grace, desprit et de vie, ausquelles sont cinq livres: le premier est de la Deite diceluy nostre saulveur Iesus Christ: le second quil est necessaire a chesque Chrestien avoir le sainct esprit et a quels signes lon congnoistra de lhavoir, et quel moyen pour le demander et obtenir. Le tiers livre est lexposition dicelle aulte revelation du seigneur lApocalipse. Le quatriesme est contre lescu de male foy de Nicolas *Greinler*. Et le cinquiesme et dernier est lexplanation de lAlcoran des Turqs. Imprimees nouvellement a Basilee.[2]) Et appres dudict commandement dudict seigneur il ait escript aussi sept aultres chappitres pour adiouster aus dictes deux tables. Le premier est de la iustification, et comme les fideles sont iustifies du seigneur. Le second quil est necessaire en toute adoration, oraison et action des graces au seigneur nostre Dieu sengenouiller a deux genoils. Le tiers quelle guerre soit licite et quelle illicite. Le quart de l'administration du sainct sacrement du baptesme. Le quint: les annotations sur le livre dAurille Augustin de lesprit et de la lettre. Le sixiesme la figure du regne d'Antichrist expliquee. Le septiesme la figure du Royaulme de Iesus Christ clairement exposee. Et ayant le dict moindre serve du Seigneur montre les susdicts livres a plusieurs ministres des eglises du seigneur nostre, entre les aultres, a aulcuns de ceste eglise de Geneve et a ceuls de Lausanne et de Neuf Chatel, et disant que le seigneur sest deigne de luy apparoire, et la dicte doctrine estant dicelui seigneur dictee par son sainct esprit. La plus part diceus mesmement les principauls soy sont moques de luy, et de la dicte saincte doctrine, disant nestre point vray que le seigneur luy soit apparu et luy contredisant come sil fust quelque songeur ou reveur. Et non seulement contents de cecy, mais daventaige par aulcuns diceus a este escript a daultres Eglises mal de la dicte saincte doctrine et de luy, scandalizant son frere prochain indeheuement, et que plus est maldisant de la dicte saincte et celeste doctrine, dictee de lesprit du Seigneur. Et pource aussi que iceuls ministres des dictes eglises et tous aultres qui tiennent semblable doctrine come euls font, nenseignent point encor le peuple de Dieu en toute icelle sincerite et purite de doctrine, come il est requis: apportant come enfans d'Aaron du feu estrange au tabernacle du Seigneur quest aultre doctrine quicelle des Apostres et des Prophetes, entremeslant la doctrine des fauls docteurs de leglise d'Antichrist, Augustin, Ambroise, Ierosme, Gregoire et tous aultres semblables quest doctrine de Satan, avec la saincte et pure doctrine desdicts Apostres et Prophetes, dictée de lesprit du Seigneur, faisant abomination devant le Throne de la Mageste eternele, et ainsi faisant forniquer le peuple du Seigneur, ne l'enseignant point en la seule purite de la dicte doctrine evangelique diceluy. Parquoy affin que chose dune si grande et tele importance soit veue, bien consideree et resolue, Esmeu le dict moindre serve du Seigneur du zele de la gloire de leternele Mageste de nostre bon Dieu: et pour le benefice des ames de luniversel son peuple, et come celuy qui desire plus gran bien ausdicts ministres et meilleur adresse et estat, quiceluy auquel ils sont priant pour eus le seigneur quil y plaise leur ouvrir les yeux a congnoistre ceste verite, et bien entendre la volonte diceluy bon Dieu. Il vous requiert donc, O genereus Princes, come sublime puissance par le seigneur nostre[3]) ordonnee: A vouloir faire congreguer tous les ministres au plus grand temple de la Cite, dimanche prochaine au matin a lheure de la predication, assembler toute leglise pour veoir et ouvyr la vraye dilucidation des sept conclusions quil mect icy au pie de ceste requeste: A estre conferees chrestiennement et vuidees. Et come saincts et vertueus Princes et conseilliers esleues du Seigneur sur le peuple quil vous a commys, Il vous requiert de la part du dict eternel fils de Dieu vivant et tout puissant, dy avoir meure consideration, mandant cecy au plus tost a entiere exequcion: affin quil en resulte gran Gloire au Seigneuer et benefice a son universel peuple. La grace et paix duquel soit avec vous sempiternelement, en toute consolacion au sainct esprit. Amen.

Sensuivent sept conclusions lesqueles propose le moindre serve du Seigneur Iohan de *Leonnard*, publiquement devant luniversel peuple de Dieu et de nostre Seigneur Iesus Christ a estre soubstenues, et par grace du Seigneur Iesus, il soy offre prest de faire veoir par certaine demonstracion quelles sont plaines de verite.

Premierement que tous ministres des eglises du Seigneur quon appelle evangeliques lesqueles meslent la doctrine de Satan d'Augustin, Hierome, Ambroise,

2) *Sur l'édition Bâloise de l'Alcoran v. N.* 435. *Quant à l'autre ouvrage nous avouons ne pas le connaître.*

3) Dieu *omis.* (?)

Gregoire et aultres semblables docteurs de leglise antichrestienne defendue du Seigneur avec la doctrine des Apostres et des Prophetes: ils enseignent mal le peuple et font forniquer leglise en abomination, devant le seigneur nostre Dieu: Car come enfans dAaron, contre la volonte du Seigneur, ils apportent du feu estrange au tabernacle de nostre Dieu, quest en son eglise, laquelle est et doibt estre tabernacle du sainct esprit.

Secondairement. Tous ministres dicelles eglises lesquels ne reprennent le peuple a eus commys, avec tous moyens et voyes possibles, premierement en esprit de benignite exortative, adduisant les passaiges de la saincte escripture a ce necessaires, et appres durement avec toute increpation: affin quil ait a reffrener la pompe et superfluite des vestimentes, specialement lornement des femmes. Et aussi qui nadmonestent point iceus chrestiens de leur cure quils soient contens dun sobre vivre, et non rechercher abus dabondance, et trop estiude des viandes: Ceus icy avec Aaron consentent quiceluy peuple de nouveau drece et adore le veau auree: et ne dissentent point que le peuple de Dieu retourne la menger la chair Egiptienne.

Tiercement: Quiceuls ministres enseignent mal loraison du Seigneur laissant ce que principalement se doibt demander du Pere celeste.

Quartement: Que les dicts ministres nentendent point toute la saincte escripture au vray et pur sens, avec lequel elle doibt estre entendue. Car ils ne demandent point iceluy vray sens en toute humilite au Seigneur. Et pour ce quils donnent encore aureilles au serpent seduisant, qui recherchent avoir aultre docteur que Christ Iesus fils de Dieu, ne cheminant point en toute sincerite de coeur, come est requis au devant de sa Mageste eternele.

Quintement: nous disons que les livres des Macabees et quattre espistres quon dict estre des Apostres et ne le sont point: une de Iaques, deus de Iohan la 2 me et 3eme et celle de Iude ces cinq ne debvoir point estre receus ne receues aus sainctes escriptures, car ils et elles ne sont point dictes du sainct esprit, mays du tout doibvent estre remous et remoues come contraires a la parole du Seigneur, mectant dubitation, et non ediffiant leglise de Dieu.

Sextement. Ie dys que le Seigneur Iesus Christ, par grace bonte et misericorde sienne, et non pour aulcuns mes merites, mais par sa seule seurabondante charite, est apparu a moy son moindre serve: et que iay ouvy au mont la voix du Seigneur nostre Dieu: et par troys foys visiblement avoir veu iceluy Seigneur Iesus en forme dhome corporale mais diverse ne le congnoissant point iusque a ce quil estoit dispareu.

Septiesmement et dernierement je dis: que les deus tables par moy escriptes de la loy evangelique, de grace desprit et de vie ausqueles sont cinq livres et aultres sept chappitres appres par moy escriptes, quelle est doctrine du Seigneur, dictee par sa misericorde a moy son moindre serve, par son sainct esprit.

Princes du Peuple du Seigneur.

Il vous plaira moy fere resolue responce sur la requeste que je vous ay faicte de la part de leternel fils de Dieu vivant et tout puissant. Considerant que ie ne vous demande rien pour moy, mays que ceste requeste seulement tend a lexaltacion de la Gloire de nostre bon Dieu et Pere celeste, par Iesus Christ nostre redempteur, et a salvation des ames de son universel peuple, et ou sy agit de la salvation ou damnation des ames, on y doibt aller bien considerement. Vous ne pouves rien perdre en cecy si non y gaigner beaucoup et veoir les grandes merveilles du seigneur. Le Roy Acab idolatre, a la seule requeste dhelie fict ce quil demanda. Et vous qui estes chrestiens seres vous moins zelateurs de vouloir veoir et entendre chose de si grande importance. Ie ne recherche pas la destruction des ministres come verres faisant ce que je vous requier: mays seulament que leternele verite de Dieu ait lieu et quils soyent emendes en myeuls quant ils verront laultre oeuvre que le Seigneur par sa grande charite et misericorde fera. Pour ce ie vous prie moy fere une resolue responce, car si vous ne la faictes le Seigneur . . . .[4]) en aultre part et seres despuys marris davoir refusees . . . . . . saincte honneste et raisonnable occasion, et iuste requeste. La grace et la paix du Seigneur soit avec vous. Amen.[5])

Moindre serve du Seigneur
Iohan de Leonnard.

1898.

VIRETUS CALVINO.

Orbae comitia instant quibus de missa abroganda per suffragia plebis decidendum erit. Comes Grandissonensis alio transfertur.

(Ex autographo Cod. Gen. 111a, fol. 105. Habet quoque Cod. 116, fol. 34, exemplar Bernense Epp. VI. 258 et Simlerus Vol. 81.)

4) *marge endommagee.*
5) *En marge:* 15 Janvier 1554.

Eximio Iesu Christi servo D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fratri et symmystae coniunctissimo

Genevae.

S. Exspecto Orbae adventum legatorum utriusque urbis, quos ad proximum dominicum diem adventuros nunciatum est, ut postero die habeantur comitia ad missam suffragiorum maiore numero ablegandam.[1]) Optima spes est de successu. Nostri multo plures sunt et optime omnes comparati. Adversarii conquirunt undecunque auxilia, sed non speratur morbus sanabilis: neque nos prorsum eorum latent doli. Urbs illa[2]) penes quam nunc est rerum summa et suprema potestas, cuius erat indicere comitiis diem, nullo id indicio nostris significavit, nimirum ut minus inveniantur parati. Satis fortasse habuit, id ipsum suis indicasse. Sed aliunde id nobis significatum est. Haec te nolui ignorare, ut tu cum ecclesia hanc totam causam, quae certe est magni momenti, Deo commendes. Salutant te *Robertus*,[3]) huius ecclesiae minister, et seniores omnes. *Comes*,[4]) Grandissonensis, iussu principum alio transfertur: scriptae sunt enim literae ad classem, ut eo inde evocato, alius ei substitueretur in cuius ipse locum vicissim succederet. Transfertur itaque in Romanum Monasterium,[5]) ut scilicet illam perdat ecclesiam uti Grandissonensem perdidit, nisi se alium praestet quam hactenus. Dominus suam ecclesiam repurget ab iis omnibus qui serio non student eius gloriae promovendae. Saluta amicos. Cupio cognoscere quis fuerit exitus causae Vandelinae.[6]) Vale optime. Orbae 17. Ianuarii 1554.

Tuus Petrus Viretus.

1899.

FARELLUS CALVINO.

De Genevensibus rebus iam securum Argentoratensia et Anglica magis cruciant, Polonica et Orbana erigunt.

(Ex apographo Cod. Paris. Dupuy 102 fol. 86.)

Eximio Christi servo Ioanni Calvino pastori ecclesiae Genevensis ut fidelissimo ita doctissimo pietatem et veritatem evangelicam fortiter tuenti ac quam latissime et purissime propaganti fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

Quum me *Budaeus* bene sperare iussisset, gratias egi Domino, sed nunc plenius abs te edoctus[1]) plenius ago, longeque magis amo quam prius eos qui istam cupiunt salvam ecclesiam, precorque quam clementissimum patrem ut aliis meliorem det mentem, et plus cordis istis qui nolunt omnia perire, Iudamque cogat in se ita subito agere ut omnibus sit exemplum, et qui sanabiles sunt tanto metu et terrore concutiantur, ut nihil magis studeant quam gloriae Dei servire, optima quaeque tueri et mala prorsus profligare.

Causa *Hieronymi* ita me affecerat, ut tantum non abalienarer ab illis quos videbam prodere Christum et inconcussam veritatem. Sed causa *Serveti*, et postrema purius tractata, facit ut merito illis iungar qui hic ludunt et apud se sapere volunt, vel qui eludunt potius, serio experiuntur, quid eis agendum fuisset. Mirum sane est tam corruptos mente inveniri: discent suo magno malo aliter serviendum esse Domino quam faciant. Magna est iniquitas studiose et cum consilio praevaricari, Deum ridere et ecclesiam subsannare.

Faciam quod scribis[2]) et ii quibus aperui, quamvis pauci sunt, tamen omnes probarunt. Habemus hic aliquot decrepitos ob verbum multa passos ac pulsos omnibus amissis, quibus pars impendetur ut foveri possint, pars Argentoratum mittetur. Nuper *Garnerus* et seniores literas huc miserunt,[3]) quas ad *Viretum* misi ut ad te mitteret, nam ad te scribuntur, et nobis datae. Putat turbatores ad nos scripsisse, sed fallitur quantum ego novi. Si cum pastoribus Germanis[4]) illi recte conveniret, arbitror ecclesiam pacatiorem futuram: nollem eos prodere veritatem, sed ita firme eam tueri ut non studio contradicendi aliis fieret, nec quae recte possunt intelligi prorsus damnarentur. Sensi pridem ex te desiderari quaedam in viro et literae quas scribit satis indicant non omnia satis composita: sed unius culpa aut vitio tota non est negligenda ecclesia, quam per te Dominus erexit. Se quia ego[5]) quasi

1898. 1) *N.* 1771. — *Legati Friburgenses non adfuerunt sed Solodurensibus et Basileensibus arbitrale iudicium deferri voluerunt.*
2) *Berna.*
3) *Louat.*
4) *Jo. Le Comte Grandissonii reformator* (*Ruchat* III. 182. IV. 422). *De iis ad quae hic alluditur alibi nihil legimus.*
5) *Romain-Moutier.*
6) *vide infra N.* 1903.

1899. 1) *Suspicamur eum alludere ad deperditam quandam epistolam.*
2) *circa pecuniam exsulibus destinatam* (*N.* 1885).
3) *deperditas.*
4) *Cum Marbachio et sociis videtur iam tunc novum dissidium de coena exorsum esse. Garnerius Zwinglianismi accusatus fuit coram conventu ecclesiastico, paulo ante Vermilii adventum* (*Schmidt p.* 170).
5) *Locus evidenter a librario corruptus.*

non pro viribus cures omnia in ea ecclesia, qui nunquam et nusquam cessas in aliis ecclesiis quin adsis pro gratia tibi a Deo data.

Blaurerus scripsit *Cantuariensem*, *Ioannam* reginam prius declaratam, et filios ducis *Nortumbriae*, et fratres *Suffordiae*[6]) ducis damnatos esse proditionis reos, concludendumque de coniugio *Mariae* semi-Hispanae cum *Philippo* prorsus Hispano, et huius gratia utramque *Mariam*, Anglicam et Hungaricam reginam Caletum venturam. In Polonia Barones aliquot profligato papismo evangelium excepisse, non ignorante Rege neque prohibente quamvis episcopi ad arma conentur induenda impellere.[7])

Arbitror te intelligere *Viretum* Orbae esse et exspectare adventum legatorum utriusque urbis ut profligetur papismus. Quam felix est qui suos cum fructu docere potest *Viretus*, et instare ut exterminetur apud eos Antichristus. Benedictus sit Dominus, qui si non nobis hoc dedit, tamen efficit, ut in amico et fratre id videamus. Faxit ut maiora et clariora cernamus. Vale bene cum piis omnibus, quum collegis tum aliis: ne praeteream *Normandium*, fratrem, *Budaeum*, *Trecanum*. Nostri te salutant optantque omnia in Domino fausta. Salutat te collega et *Dommartinus*. Neocomi 20. Ianuarii 1554.

1900.

VIRETUS CALVINO.

Negotium Orbanum in fumum abiit pro tempore.

(Sequitur in omnibus codicibus supra laudatis praecedentem Vireti.)

Eximio Iesu Christi servo Domini Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fratri et symmystae coniunctissimo

Genevae.

S. Indictus erat comitiorum Orbanorum dies mensis huius 21.[1]) Advenit ad praescriptum diem *Triboletus*[2]) et praefectus noster. Nullus venit legatus alius Berna. *Tillerus* autem electus fuerat. *Triboletus* venit e Carthusia. Friburgenses nulli advenerunt. Adversarii quibuscunque possunt modis subterfugiunt. Hostes nostri duabus suis legationibus eos interpellarunt. Revocatus est *Triboletus* literis senatus, ac iussus manere domi suae, donec aliud iuberetur. Haec res magno nobis fuit offendiculo. Nostri omnes parati erant et optime comparati. Nos magno numero eos superabamus. Vides Satanae artes. Hic iam commoratus sum totos duodecim dies. Rogarunt me fratres ne descenderem, quod meam praesentiam iudicent sibi nunc maxime necessariam. Ego hic sum et collega meus[3]) Bernae. Non diffidimus quin alius indicatur comitiorum dies.[4]) Sed veremur ne imparati opprimamur, nam multi coguntur ob sua negotia urbe abscedere. Dolis autem omnia nobiscum aguntur. Vides ergo quam necessariae sint nobis omnium ecclesiarum preces. Urgent Bernates. Alii quas possunt nectunt moras, metuimusque ne quid nascatur contentionis inter duas urbes. Dominus dirigat omnia in suam gloriam. Salutant te *Robertus* et pii omnes et se tuis precibus commendant. Vale. Orbae die 23. Ian. 1554.

Tuus Petrus Viretus.

6) *sic.*
7) *Iam a* 1551 *in comitiis Petricovii celebratis plures nobiles palam reformationis patroni exstiterunt: non defuere tamen edicta in contrarium tendentia* (*Salig A. C.* II. 583).
1900. 1) *Ruchat* VI. 71.
2) *N.* 1115 *not.* 11.
3) *Iac. Valier.*
4) *Bernates d.* 26. *Ian. Friburgensibus scripserunt rogantes ut secundum ius et conventionem procederent.*

1901.

CALVINUS FREDERICO PRINCIPI DANIAE.

Dedicatio secundae partis Commentarii in Acta Apostolorum.

(Ex editione principe. Genev. ex officina Ioannis Crispini. 1554, fol.)

Serenissimo Daniae et Norvegiae Regi designato Frederico excellentissimi Regis Christiani filio Ioannes Calvinus regalem spiritum sapientiae et fortitudinis a Domino precatur.[1])

Singulari Dei beneficio factum est,[2]) Rex inclyte, ut regnum Daniae, postquam gravibus procellis diu varieque iactatum fuerat, non modo citius

1901. 1) *Priorem partem eiusdem Commentarii patri Christiano dicaverat biennio antea* (*N.* 1607). *Patet eum dum haec scriberet nihildum rescivisse de Lasci et exsulum Anglorum in Dania receptione. Cf. dedicationem secundae editionis ad Cal. Aug.* 1560.
2) *Singulari oscitantia typothetae et correctoris factum est ut in impresso dedicatio inciperet a duabus literis* S *maiori et minori.*

hominum spe et iudicio solide pacatum fuerit, sed etiam rebus in optimum ordinem compositis statum suum hodie obtineat. Huius quoque felicitatis pretium auget, quod inter istos bellorum et discordiarum motus, quibus concuti vel aestuare videmus totum fere christianum orbem, laeta pace fruitur. Tanti refert divinitus terris praefici generosos ac cordatos principes, qui et sua virtute omnem vim iniustam compescant, et legitimam gubernandi formam domi sua prudentia et aequitate constituant. In utroque genere quum serenissimus Rex, Maiestatis tuae pater, excellat, non potuit melius vel prudentius sibi consulere Dania, quam eum sibi asciscendo Regem [3]) cui iam natura honorem iusque regium contulerat. Caeterum ne exstincta unius hominis vita, ut saepe fieri solet, tam insignis interciderет Dei benedictio, accessit fida diuturnitatis custos eius filii successio, qui ordinem patris auspiciis praeclare compositum continuet ac stabiliat. Interdum quidem contingit non solum dissimiles patribus esse filios, sed ubi potestatem sunt adepti, vel pravitate quadam, vel stulta aemulatione, vel aulicis contentionibus ac dissidiis, in violandis paternis legibus non minus sibi licentiae permittere, quam si alienissimos cupide incessererent. Regno autem Daniae hac in parte benigne prospexit Deus, quod tu Rex praestantissimus ad heroicum patris ingenium formatus et in castissima eius disciplina educatus, rationem de manu, quod aiunt, in manum ab ipso traditam amplexus, nihil potius ducas quam eius vestigiis insistere. Quanquam non successor modo destinatus es qui relictam a mortuo provinciam suscipias, sed etiam vivo et florenti tum eius iudicio assumptus tum Dei providentia datus adiutor, in cuius humeros pars oneris recumbat. Nec vero dubito quin hoc in praecipuis Dei donis, quibus splendide ornatus est, merito numeret datum sibi esse filium, non solum cuius fidei regnum suum secure commendet, sed ex cuius obsequiis tum alios iam capiat uberrimos fructus, tum levationis aliquid sentiat. Quum hoc sancto consensu nihil ad communem populi salutem aptius fingi queat, tuae quoque Maiestati privatim optabilis contigit testandae pietatis suae materia, quod sine invidia secundas ab optimo Rege partes agens, morigerum te illi et obsequentem, ut par est, praebendo non minus pretiosam apud omnes probos ex modestia laudem refers, quam vulgo dominandi gloria censetur.

Iam vero latius quam ad regnum Daniae patet huius boni fructus, quod spirituale Christi regnum altero vindice suffultum altiores istic magisque firmas radices aget. Quod strenue et magnifice in puro Dei cultu asserendo Christianus Rex nomini suo responderit, narrare nihil attinet. Hoc certe unum mihi videtur satis luculentum esse specimen, quod multi principes, quum videant foede corruptum ecclesiae statum, ideo tamen nullam correctionem attingunt, quia in vetusta quoque et tranquilla possessione quod metuunt ex novitate periculum eos ab officio retardat et impedit. Pater autem tuus, o Rex, inter ipsa primordia, rebus adhuc vel turbulentis vel dubiis, [4]) totus in hanc curam non minus intrepide quam pie incubuit ut pura apud Danos et a superstitionum faece purgata religio vigeret. Nunc te quoque, Rex nobilissime, pari eius puritatis retinendae ac tuendae studio flagrare omnes praedicant. Atque utinam ad hanc continuam divinae gratiae seriem vere attenti sint Dani. Videmus ut se multis regionibus hac nostra aetate Christus obtulerit: indigne exceptus alio transtulerit evangelii sui sedem. Quos ergo peculiari isto favore dignatus est, ut spem futurae et firmae apud eos stationis ostendat, eo ardentius eniti decet ut se illi totos addicant.

Ut autem ad me veniam: quum meos commentarios, quibus ante biennium Acta Apostolorum interpretari sum aggressus, in duos libros partitus forem, ut prior Maiestati patris tui, alter vero tuae dicatus faustis auspiciis in lucem exiret, haec mihi consilii ratio fuit, quod consentaneum fore putavi, vos in eius historiae narratione coniungere, quae prima ab ipsis usque natalibus ecclesiae christianae exordia, deinde progressus et incrementa complectitur, ut ipsa renascentis ecclesiae, quam Dominus vestro praesidio commisit, similitudo vos in recto officii cursu magis ac magis animaret. Nam etsi haec, non dico quae pridem in patre cognita et celebris fuit heroica plane fortitudo, sed ne tua quidem alacritas stimulis indiget, tamen in tam ardua operis mole, in hac communi ingenii humani debilitate, inter tot Satanae obstacula, quam non supervacua sit confirmatio, experientia magistra satis edoctus est ille, et tu, o Rex, quotidie discis, ut non sitis meis verbis monendi. Hoc vero confirmationis genus inprimis utile esse ac idoneum, sentiet tua Maiestas, in ecclesiae originem, qualis a Luca describitur, oculos convertere, in qua et admirabilis sub crucis ignominia Dei virtus, et indefessa sub ingenti molestiarum onere servorum Dei tolerantia refulget, et successus ipse mundi iudicio incredibilis uberrimum utriusque fructum profert.

Caeterum, ut reliqua omittam quae ex Lucae

3) *Pater Christianus* III. *a* 1542 *eum socium regni eligendum curavit, puerum adhuc octavo aetatis anno. Successit defuncto patri a.* 1559.

4) *Rege Frederico* I. *a.* 1534 *mortuo per totum et quod excurrit annum de successione disceptatum est inter ordines regni, aliis Christianum captivum, aliis Ioannem filium Friderici iuniorem praeferentibus, quorum illi evangelicam reformationem, hi catholicam traditionem defendebant.*

ipsius lectione petere satius est quod proprie regiae personae convenit unum attingam. Nempe quum reluctante totius mundi potentia, omnibus qui tunc rerum potiebantur ad opprimendum evangelium armatis, pauci homines, obscuri, inermes et contempti, solo veritatis et spiritus praesidio freti, in propaganda Christi fide tam strenue laboraverint, nihil refugerint laboris vel discriminum, contra omnes pugnas steterint infracti, donec tandem victores emergerent, nihil restare excusationis christianis regibus, quos Deus ad tuendum filii sui regnum gladio instruxit, nisi ad obeundum tam honorificum munus aeque saltem animosi sint ac constantes.

Porro quam fidelis ac dexter fuerim interpres, praedicare non est meum. Certe fructuosus in commune, ut spero, erit labor. Quod si gustum aliquem capere non gravabitur tua Maiestas, ei quoque munus hoc non ingratum fore confido. Dominus praestantissimum Regem patrem tuum et te una diutissime servet incolumes, prudentiae et fortitudinis spiritu vos gubernare pergat, omni benedictionum copia magis ac magis locupletet, ac sub vestro imperio ditionem semper tranquillam contineat. Genevae octavo Calendas Februarii 1554.

1902.

ERBIUS BULLINGERO.

De Serveto homine sibi omnino ignoto plura audire cupit.

(Excerptum ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 176, olim Epp. Tom. 37, fol. 181. — Simler Vol. 81.)

Doctissimo ac pietate celeberrimo D. Henrico Bullingero ecclesiastae Tigurino, domino et fratri suo.

— — — — — — — — — — — — — — — — —

Quod de *Serveto* quodam a Satana dementato scribis, de eius certe nomine vix nobis hactenus quidquam consistit, quo fit, ut de illius impiis dogmatibus plane nihil sciamus, cupimus tamen de iis a te certiores fieri. — — — — — — — — — — — — — — Richenvillae 8. Cal. Februarii Anno 1554.

Mathias Erbius.

1903.

CALVINUS VIRETO.

Quod Orbae nihil effici potuerit dolendum. Genevae solennis reconciliatio facta. Baldichonii cum Perrino disceptatio.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 66. Prima est inter eas quas Marcus Robertus Gilchrist ex Iulii Bonneti schedis anglice vertit et edidit Philadelphiae s. a. [1858 ?], ita ut sit continuatio editionis Edinburgensis. Tom. III. p. 15.)

Eximio Iesu Christi servo Petro Vireto, Lausannensis ecclesiae fido pastori, fratri et symmystae integerrimo.

S. Successum, cuius certa spes a nobis concepta erat, defuisse tuo labori [1]) valde dolendum est: Quia tamen remoram hanc non fore diuturnam probabile est, patienter feramus. Mercedem adeo iniquam tibi persolvi ab ea parte quae saltem aliquid solatii afferre debuerat, tibi minime novum est. Sufficiat coelesti agonothetae probari nostra certamina, qui non modo in dura militia, sed etiam parum honorifica nos exercet, ne ab hominibus plausum vel coronam petamus. In rebus nostris nihildum est compositum. Privatim [2]) reconciliatus fui *Perrino* et *Vendelio*. Proximo die lunae in arenam descendere necesse erit. [3]) Syndici creati sunt Amblardus *Corneus*, Petrus *Textor*, Claudius *Panneus*, Michael *Archarius*. [4]) In senatus lectione nihil est novatum. Ioanni *Baldichonio* [5]) accidit nova molestia. Nam in curiam biduo ante comitia vocatus, ut in gratiam cum *Perrino* rediret, eousque provectus est contentionis ardore, ut atroci contumelia non abstinuerit. Heri causa tumultuose agitata fuit. Quia in persona primi syndici laesa erat senatus dignitas, iussus est coram ducentis veniam petere, tamen absque ignominia. Quum *Perrino* daretur quidquid vellet facilem se praebuit. Porro hic [6]) ad te uxoris petendae causa proficiscitur: dicit cum sorore *Prae-*

1903. 1) *Orbae reformationem publice stabiliendi.*

2) *Cur privatim id factum fuisse dicat non assequimur, quum praesente senatu res transacta sit.*

3) *De tali lucta in Actis nihil.*

4) *Gallice: Corne s. Cornaz, Tissot, du Pan, de l'Arche (Anglus nomina* Textor *et* Micaire *effert). Quos quum Noster simpliciter nominatim recenseat, patet eum electionem probasse. Certe Corneus ab ipsius partibus stabat. Ipse vero senatus plane aliter sentiebat, de quo Bonivard, Pol. p.* 116: Une grande partie du conseil estroict questoit des gens de bien en fut demise, et mis en leur place des iouvenceaux parens ou allies de Perrin ou Wandel etc. et fut toutte la chose publique entre leurs mains, don Perrin sesleva et enfla plus que iamais.

5) Baudichon de la Maisonneufve haï mortellement de Perrin (*Bonivard p.* 126).

6) *tabellarius, non vero Perrinus quem Anglus hic inducit.*

votii[7]) de coniugio se egisse: quum ipsa consentiat, fratrem obstare. *Praevotio* iustam facti sui rationem constare arbitror. Ne tamen longius volitent querimoniae, operae pretium facturus es, si utrumque ad te accersas. Nam si piae feminae et probatae non erit utile coniugium, efficies ne hunc vana spes longius frustretur: sin vero vel res non erit integra, vel expedire videbitur aliquid confici, plurimum huc quoque valebit tua autoritas. Vale, optime et integerrime frater. Saluta D. *Bezam*, *Iacobum* et reliquos fratres, domi uxorem et filiolas. Dominus vos omnes tueatur et vestros labores benedicat. Genevae 8. idus Februar. 1554.

Ioannes Calvinus tuus.

1904.

ZERKINTES CALVINO.

Calvini libro contra Servetum edoctus huius placita detestari didicit: nihilominus in haereticos quosvis gladio animadverti multis de causis neque evangelio neque humanitati neque prudentiae consentaneum putat.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 106.)

Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae praesuli vigilantissimo et doctissimo, amico et fratri in Christo Iesu colendissimo.

Miratur B. *Textor* amicus incomparabilis, in his quas hic tabellarius mihi attulit literis, quod nesciam quae fuerit causa exurendi Genevae *Serveti*, quum ministri huius ecclesiae ea de re a vestro senatu consulti totam hanc causam evolverint. Quod ego quidem non ignoravi, sed neque exemplar habere disputationis Servetanae potui neque a quoquam referente audire quae essent hominis dogmata et scelera flammis coercenda, donec in tuum librum[1]) quem gratissimo dono misisti incidi eumque avidissime sed obiter tamen in turba negotiorum evolvi, magno quidem animi dolore, quod viderem hominem cognitione aliqua evangelii imbutum tam portentosis errorum labyrinthis concludi, saepeque gemens optavi ut aut nunquam vixisset aut resipuisset. Auxit hunc mihi cruciatum quod errores nefandos effraenata quadam maledicentia et a Christi spiritu aliena viderem conditos, ut monstrosius nihil unquam contigerit videre. Et quanquam valde me torsit sors hominis miseri et calamitosi, illaque cum evangelii qualicunque professione coniuncta impietas et vesana maledicendi petulantia, non oleum tamen et operam ea in re amisi. Disco enim orare Dominum ut me doceat cum timore et tremore adorare mysteria coelestia et ambulare sancte et non nimis curiose in conspectu eius.

Interea fateor tibi libenter me quoque esse ex eorum numero qui vel imperitia vel timiditate nimia gladii usum rarissimum cupiunt esse in coercendis fidei adversariis, sive proposito sive imperitia errantibus. Neque me tantopere movent loci scripturae quos illi adducunt ut gladii aciem a tractanda religionis causa arceant, quam stupenda exempla quae nostro tempore in plectendis Catabaptistis evenerunt. Vidi ego hic duci anum octogenariam cum filia, matre sex pupillorum, nihil alioquin promeritas quam quod Catabaptistarum tamen plausibili et populari doctrina abrepti * praedobaptismum negabant. Idque nullo quam suo malo: neque enim periculum erat ut duae mulierculae orbem nostrum falsa doctrina perderent. E multis uno hoc exemplo ero contentus, quod adeo me commovet ut verear ne non maneant magistratus intra eos cancellos quibus eos constringis, ut atrocissimos tantum fidei et religionis eversores ad supplicium rapiant. Si hoc obtineri posse speras non reluctor, sed vereor (sine causa fortassis) ne leves etiam errores pro capitalibus habeantur, nisi timore Domini polleant magistratus, et exacto iudicio discernant inter eos qui zelo, sed non secundum scientiam, agitantur, et qui dedita opera vexant pacatas Christi ecclesias dogmatum nova impietate; maloque hac parte et magistratus et me nimia clementia et timiditate ex imperitia uti, quam propensius deflectere ad rigorem gladii. Quod tibi quoque placere video, dum multa excipis a iure illo summo gladii et scelestissima tantum addicis. Neque haec pro *Serveto* dici existimes, homine impio et maledico, quem tamen alio supplicii genere vellem sublatum,[2]) sed quod verear mala exempla et proclives errores ad nimiam crudelitatem, a qua ego sic abhorreo ut malim meum sanguinem fundi quam cuiusquam non extreme meriti supplicio contaminari. Rogatus aliquando a senatore cur in iudiciis capitalibus non subscriberem sententiis de tollendis miseris Catabaptistis, respondi, ut ex eorum numero aliquem capitis accusaret qui

7) *Nomen occurrit N.* 1493 *etc.* 1685. *Galiffius duas gentes huius nominis distinguit, alteram Genevensem, alteram advenam ex Gallia. Qui hic nominatur ad hanc posteriorem pertinuisse videtur.*

1904. 1) *qui ergo m. Ianuario vel Februarii primis diebus prodiit, et quidem latine, non gallice ut volunt Moshemius* (*anderw. Versuch, p.* 237) *et Trechselius* (*p.* 264). *Cf. Prolegg. nostra* VIII. 33.

2) *Quod et ipsi Calvino in votis fuisse supra legisti N.* 1772. 1839. *Cf. Besae Vitam Calvini ed. Nickel. p.* 21.

coniugii leges foedasset, palam plebem ad defectionem sollicitasset et ea flagitia patrasset quae nonnulli fuco religionis tecte admisissent: simplicitatem et ignorantiam istam mihi venia, non morte dignam videri, et coertione* alia in his quam illis utendum: non sine discrimine ad supplicium omnes ducendos.

Est deinde alia ratio cur a caede abhorream istorum. Video paucos aliquot posse hoc modo tolli, totas civitates minime: ego vero cuperem tales esse leges capitales, quarum rigor non acueretur in paucos, obtunderetur a multitudine. Puto enim nullam esse hoc tempore vel principis vel reipublicae rigiditatem tam inflexibilem et immitem, quae tota agmina populorum a recepta quacunque religione deflectentia tentaret gladio exscindere, iuris et magistratus titulo, non armis et vi aperta. Nescire etiam homines possunt quae momenta resipiscentiae cuique erranti sint praefixa, tollique potest non exspectata poenitentia qui propediem non oneri sed ornamento ecclesiae erat futurus. Plerique enim eo sunt ingenio ut duci possint, trahi minime, vidimusque obriguisse quosdam ad supplicii mentionem, qui alioquin non erant omnino intractabiles.

Quod Basiliensium prudens senatus pervidens, sic se ea in re gessit ut nullus quod sciam ob religionis capita sui capitis poenas dederit. Aluerunt conclusos aliquamdiu miseros in loco opportuno quo aditus esset et ministris et aliis bonis viris qui humaniter eos ab errore revocarent. Nos etiam crudelitate exemplorum perculsi incipimus mitescere. Vides etiam quam acerbe et tantum non armis dimicatum sit, non de nucleo, sed testa religionis, in nostris clarissimis rebuspublicis. Caeremonias intelligo quarum quaeque suas tanta pertinacia tuetur ut parum absit quin foedera, pax, concordia et Christi sanguine obsignata communio ruant et Mars canat classicum potius quam altera alteri cedat aut saltem patiatur eam sua uti libertate. Ut quocunque me vertam obtundendi potius quam acuendi magistratuum gladii videantur.

Musculus, vir ornatissimus,[3]) narrat Augustae obstinatissimos Catabaptistas aliquando in carcerem coniectos tantum non exspuisse in ministros erroris monitores, canes, porcos, ventris animalia vocantes, et superbe colloquium recusantes: victos tandem mansuetudine et humanitate ministrorum, toto fere biennio calumnias et maledicentiam patienter ferentium, sic resipuisse ut unus illorum ecclesiae diaconus, alter alioquin bonus civis et quietus sit effectus. Ego capitali iudicio Catabaptistarum audivi unum ex ordine iudicum redeuntem a loco supplicii et spectaculo tristi dicentem: miserum illum tranquilliore animo cervicem lictori praebuisse quam se futurum timeret in lectulo morientem, quod suo suffragio illum condemnasset.

Sed quorsum haec? Ut intelligas, quod nullo monente facis, verum esse quod scribis, multos alioquin non pessimos homines vereri tamen ne vel minima ministrorum verbi astipulatione magistratuum irae nimis accendantur hac parte, quum sint in plectendis gravissimis et convictis sceleribus tardissimae. Addo papistis nos gratius facere nihil posse quam si illorum saevitiam detestati novam ipsi patiamur et domesticam repullulare carnificinam. Sunt haec quidem odiosa et propterea tibi privatim scripta, quem ego nihil cogitationum mearum latere volo. Neque ignoro multa contra posse obiici, quae est ingeniorum foecunditas: sed ego non descendam in arenam nisi urgente conscientia. Malo esse mutus dum per conscientiam licebit quam contentione et cuiusquam offensa erumpere. Saluta *Textorem* et fratres omnes mea mihi vita cariores. Bernae 10. Februarii 1554.

Tuus in Domino frater
Nicolaus Zerchintes.

Vellem libri tui priorem partem de iure gladii, quem magistratus sibi vendicare in coercendis haereticis possint, non tuo nomine sed senatus tui exstare, qui sui facti defensor esse poterat. Ego non video gratiam aliquam te inire posse apud sedati animi homines quod primus omnium ex professo fere hoc argumentum tractandum susceperis omnibus ferme invisum, quantum ex praeludio iudiciorum elicio.

3) *Cf. eius ep. ad Blaurerum infra N.* 1916.

1905.

VIRETUS CALVINO.

Ex Orbano negotio sibi molestia nascitur et invidia hominum. Libros contra Servetum accepit. Sulzerus monendus ut apud suos pro reformatione Orbae peragenda agat.

(Ex autographo Cod. Genev. 111a, fol. 107.)

Eximio Iesu Christi servo D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo fratri et symmystae plurimum observando

Genevae.

S. Mihi novum esse non debet ut scribis quod mihi nunc accidit ab iis apud quos non memini

unquam mihi fuisse causam dicendam nisi de bono opere. Bene habet quod alium habemus agonotheten. Recte *Farellus* qui optat [1]) sibi eadem posse apud suos exprobrare. Audio me unum peti a parte adversaria. Petit ut iureiurando dicere cogantur sigillatim omnes qui evangelium profitentur, num meis persuasionibus inducti sint ut suffragiis, peterent missam profligari, quod altera pars contra foederis leges admittere noluit. Brevi fore speramus ut lis iudicio decernatur, arbitris Basiliensibus nescio an et Solodorensibus. [2]) Commendemus Domino precibus bonam causam.

Heri redditi sunt mihi libri [3]) quos miseras, quorum nomine multam habeo gratiam. Curabo primo quoque tempore alterum mitti ad *Farellum*. Si quid scribas ad *Sultzerum*, admone ut causam Orbanam habeat apud suos commendatam, qui delecti erunt arbitri. Admonui *Borgonium* [4]) de causa scorti ex quo apud vos puerum substulit *Philibertus* qui de Mari [5]) cognominatur, ex quo totam audies historiam, et quid super ea re constitutum sit. Gratulor tibi novum filiae coniugium. [6]) Salutant te nostri omnes, nominatim uxor et filiolae. Plura non possum, quia iam vocor ad concionem. Vale. Lausannae 11. Febru. 1554.

Tuus Petrus Viretus.

1906.

CALVINUS BLAURERO.

Diuturnum silentium excusat. Statum ecclesiae Genevensis paucis describit. Plures suos labores recens editos transmittit.

(Autographon asservatur in bibliotheca civica Sangallensi MSS. T. 36 Epp. VII. fol. 296. Exstat quoque in bibl. civica Turicensi MSS. F. 43. olim Arch. Hotting. VIII. f. 464 et ap. Simlerum Vol. 81. Edidit sed mendose Pressel, Blaurer p. 579. Anglice Philad. III. 16.)

Eximio Iesu Christi servo, D. Ambrosio Blaurero, Biellensis ecclesiae fido pastori, symmystae et fratri mihi semper venerando.

S. Raro tu quidem ad me scribis, integerrime et semper ex animo colende frater. Nullam tamen epistolam abs te recipio, cuius memoria non unius anni silentium merito excuset. Sic enim omnes [1]) non modo suavissimum erga me amorem undique spirant: sed sincero testimonio totum cor tuum quodammodo effundunt, ut mihi videar semper oculis praesentem habere, qui ita scripsit. Quare non est, quod in hac parte de purgando officii neglectu sis sollicitus. Neque enim ignoro, quantopere me ames. Etsi autem nihil mihi gratius foret, quam quotidie aliquid abs te literarum recipere, mihi tamen hoc voto potior est tua commoditas, et mihi abunde sufficit, si meae pigritiae veniam apud te impetro.

De huius ecclesiae statu nihildum [2]) habeo certi quod scribam. His annis non cessarunt improbi novas subinde molestias nobis facessere. [3]) Tandem excommunicationem e medio tollere conati nihil extremae insaniae reliquum fecerunt. Utrinque magna contentione diu certatum est, quia in senatu et populo studia palam sic exarserant, ut periculum esset a tumultu. Quorundam artificio factum est, ut reconciliaremur. De re tamen nihil adhuc decretum. Perendie [4]) vel transigetur, vel exorietur nova pugna, cuius exitum Domino commendans statui ne minimum [5]) quidem deflectere. Neque vero tam sum ferreus, quin misere me excruciet ac dilaniet futura gregis dissipatio, si abire cogor. Sed quia nihil aliud nobis licet quam sub divinae providentiae fiducia officio nostro ad extremum usque defungi, pergendum est. Et tamen melior quam prius [6]) spes lucere iam nobis coepit.

Quaecunque hactenus edideram opuscula, praeter quatuor Gallicas conciones, [7]) quas *Baduellus* [8]) latinas fecit, uno volumine complexus fuerat unus ex nostris typographis. Catalogum igitur non mitto, quem inde petere licebit. Nuper editae sunt Gallicae conciones, viginti duae in psalmum octonarium, ut vocant. [9]) Scripturae interpretationes seorsim excusae sunt, sicuti nunc in lucem prodit quod adhuc in Acta Apostolorum deerat, [10]) cuius exemplar

---

1905. 1) *N.* 1899.
2) *Vide supra et Ruchat* VI. 71.
3) *Exemplaria duo libri contra Servetum scripti.*
4) *Franciscus Bourgoing V. D. M. in Chêne.*
5) *De la Mer? — Fuit gens Genevensis De la Mare; hi tamen catholicae fidei firmiter adhaerentes patria excesserunt.* (*Galiffe* I. 134.)
6) *Hinc discimus privignam Calvini Iuditham nupsisse, et quidem non semel, ut videtur.*

1906. 1) omnes *om. P.*
2) nihil iam *P*.... *Idem:* quod ad te scribam. –
3) *Beza in Vita ed. l. p.* 24: Pergebant rebus novandis intenti factiosi, et quamvis rursum 2. Febr. coram senatu solenni promisso sancita esset *ἀμνηστία*, tamen se ipsis quotidie deteriores evadebant, utrinque valde occupato Calvino, dum et illos pro suo more increpando ad meliorem frugem revocare et bonos adversus illorum improbitatem confirmare studeret.
4) *N.* 1903.
5) malui ne nimium *P.*
6) prior spes lucere nobis *P.*
7) *Vol.* VIII. *p.* 369. *Prolegg. p.* 24.
8) Budaeus *S.* Balduinus *P. et Anglus.*
9) Vingt-deux sermons sur le Ps. 119. Gen. 1554. 12.
10) *Dedicatio secundae partis scripta fuit VIII. Cal. Febr.* (*N.* 1901).

unum ad te mitto, sed ea quam praescribis lege, ut hic bonus vir pretium numeret. Idem in Serveticae impietatis refutatione feci, cuius tria exemplaria tibi feret. Addidi facetam *Bezae* nostri epistolam sub Passavantii nomine,[11]) quae multos tibi risus, ut spero, eliciet. Vale, ornatissime vir et fidelis Christi minister. Dominus te ac familiam regere spiritu suo et praesidio tueri omnique benedictione prosequi in finem usque pergat. Symmystae tuo salutem plurimam, et uxori. Collegae etiam mei et complures boni viri te plurimum salutant.

Genevae 3. idus Februarii 1554.

Ioannes Calvinus vere tuus.

1907.

MINISTRI TONONIENSES BERNENSIBUS.

Declaratio fidei circa articulum praedestinationis.

(Autographon W. Musculi exstat in Bibl. Bernensi MSS. hist. helv. III. 34, fol. 204. cum hac inscriptione: *Articuli Tononiensis classis in causa Hieronymi medici huc Bernam missi* 1554. 13. *Febr.* — Simler. Vol. 81.)[1])

I. *Lapsus Adae.*[2])

Deum ante creatum primum hominem aeterno certoque decreto constituisse quid de toto genere humano fieri vellet, ita ut eodem decreto non solum praescientia Dei ac permissio in lapsu Adami intercesserit, sed etiam arcana voluntas, sic tamen ut ad reatum hominis satis fuerit voluntaria ipsius transgressio velut aperta et proxima peccati causa.

II. *Electi et reprobi.*

Ab hoc eodem decreto pendere discrimen inter electos et reprobos, quo Deus destinavit ad gloriam suam alios saluti alios aeterno exitio.

III. *Electionis ac reprobationis causa voluntas Dei.*

Tametsi reprobi sint iustae Dei vindictae vasa, electi vero vasa misericordiae, causam tamen discriminis non aliam in Deo quaerendam esse quam meram eius voluntatem, quae summa est iustitiae regula.

IV. *Electio fidem praecedit.*

Quamvis electi fide percipiant electionis gratiam, non tamen pendere electionem a fide sed tempore et ordine priorem esse ipsam electionem.

V. *Non illuminari nisi electos.*

Quum initium et perseverantia fidei a gratuita Dei electione fluat, nullos lumine fidei nec perseverantia donari nisi quos Deus eligit: reprobos vero vel in sua caecitate permanere necessario, vel excidere a falsa specie fidei quam prae se ferunt, ac proinde nihil esse alia omnia vel etiam eorum opera quantumvis in speciem bona, quamvis alioqui electos nonnunquam superare videantur.

VI. *Deum non esse autorem mali.*

Etsi Dei voluntas summa et prima sit rerum omnium causa, et Deus diabolum et impios omnes suo arbitrio subiectos habeat, Deum tamen neque peccati causam vocari posse, neque mali autorem, neque ulli culpae obnoxium esse.

VII. *Peccata hominum gubernari a Deo.*

Etiamsi Deus vere peccato infensus sit et damnet quidquid iniustitiae est in hominibus quia illi displicet, non tamen nuda eius permissione tantum sed nutu quoque et arcano decreto gubernari singula hominum facta.

VIII. *Deum non inquinari iniustitia diaboli et reproborum.*

Quanquam diabolus et reprobi sint Dei organa et arcana eius iudicia exsequantur, Deum tamen incomprehensibili modo sic in illis et per illos operari, ut ex eorum vitio nihil labis contrahat, quia illorum malitia iuste recteque ad bonum finem utitur.

IX. *Hominem ex se non nisi peccare posse.*

Totum hominem nihil aliud suapte natura quam peccare posse, idque necessario, non tamen coacte, sed sponte et ultro, quia totus corruptus est.

X. *Fidem esse ex spiritu sancto.*

Quum autem constet humanum genus in tenebris tam alte demersum ut ne bene quidem cogitare possit, tamque a Deo aversum esse ut ad eum aspirare nequeat, inde sequitur, nullas illi prorsus superesse vires ad fidem concipiendam, sed eam oportere creari per spiritum sanctum hominemque de integro renovari.

---

11) Epistola magistri Benedicti Passavantii 1553. (*Baum*, I. 191.) *Presselius nomen Passavantii omisit.*

1907. 1) *De occasione huius scripti nihil alibi memoriae proditum reperimus. Est vero primum indicium recrudescentis de praedestinatione controversiae, quae maxime Bolseco agitante sub finem anni apertius et acrius erupit. Non solum Tononii ubi ille commorabatur, verum etiam Viviaci fautore Sampaulino adeoque Lausannae Calvinus suos habebat Antagonistas.*

2) *Rubricae margini adscriptae sunt.*

1907b.

BOLSECUS MINISTRIS BERNENSIBUS.

Perstringit Genevensium sententiam de aeterna praedestinatione et suam contrariam vindicat.

(Apographon asservatur in Bibliotheca Bernensi civica Cod. hist. helv. III. 34, fol. 209. Simlerus descripsit Vol. 81. Trechselius habet I. 283.)

Causam natae dissensionis inter ministros Genevenses et me, quam ex mea confessione et scriptura propria exponi vobis postulatis, patres ac fratres in Christo venerandi, hoc scripto patefacio. [1])

Asserunt ac defendunt ministri Genevenses, Deum voluisse ac in suo aeterno consilio decrevisse ut Adam peccaret, suoque peccato inficeret genus humanum: ut quidam ex eo postea nascerentur morti devoti, qui sua morte nomen Dei glorificarent.

His obiicio:

Deum nec autorem peccati esse, nec velle peccata fieri, teste spiritu sancto Psalm. 5, ipsumque simplicissimae ac perfectissimae esse naturae, cuius perfectioni nihil est tam contrarium quam velle aut decernere peccata fieri. Boni tamen Dei proprium esse ex peccatis hominum et malo bonum elicere, nimirum suam gloriam.

Assertio ministrorum Genevensium.

Deus non pari conditione omnes homines condidit, sed hos ad vitam, illos ad mortem: primamque ac potissimam quum vitae tum mortis hominum causam esse Dei decretum immutabile.

Obiectio.

Deus pari conditione omnes condidit, ut scilicet summum bonum intelligerent, intelligendo diligerent, diligendo adhaererent atque ipsius felicitate perpetuo fruerentur, Augustino teste.

Assertio ministrorum Genevensium.

Deus nihil praescit futurum nisi quatenus illud decrevit fieri. Ob hoc non dubitamus asserere quod ait Augustinus, voluntatem scilicet Dei esse necessitatem omnium quae fiunt.

Obiectio.

Deus futura peccata omnia praescit, quae tamen non decrevit aut voluit fieri nec, ut in Hieremia est, ascenderunt in cor Dei. Falso autem adscribitur Augustino paradoxum, ut ipsemet in libro Responsionum ad articulos sibi falso impositos exserit.

Assertio ministrorum Genevensium.

Ridiculum est dicere: Deum aliquid permittere nisi quod decrevit fieri.

Obiectio.

Deus pro sua tolerantia dissimulat et fert permulta quae adversus ipsius iussum ac voluntatem fiunt: libellum repudii, ingratitudinem Israhelitarum, neomenias quoque, Calendas et solemnitates Hebraeorum, denique peccata omnia: non quod ea velit aut decreverit fieri, sed qua est longanimitate, quod peccatores invitet ac exspectet ad poenitentiam, Paulo ac Petro testibus.

Assertio ministrorum Genevensium.

Deus pro suo libito et nutu hos eligit ab aeterno ad vitam, illos ad mortem reprobat, vitaeque illorum et horum mortis primaria ac remota causa est Dei voluntas aeterna et immutabile decretum, quanquam peccatum atque contumaciam impiorum ipsorum perditionis causam dicere possumus, sed secundariam et propinquam.

Obiectio.

Crudum, nec Dei verbo consentaneum esse quod aiunt ministri Genevenses. Nam Paulo teste ad Ephes. 1 cap., eligimur a Deo ab aeterno in Christo, per Christum et propter Christum. Reprobantur vero impii propter incredulitatem et Christi contemptionem. Quod idem Paulus ad Romanos docet: electas esse gentes propter fidem, contra reprobatos esse Iudaeos propter incredulitatem. Denique salutis electorum causam unicam esse Dei benevolentiam et misericordiam, perditionis vero impiorum solam causam assignat scriptura in propheta Hosea: Perditio tua Israhel, tantum ex me auxilium tuum. Porro, spiritu sancto autore, qui non acquiescit puro Dei verbo et manifestis scripturae sententiis, is superbus est et inscius etc. [2])

In genere haec sunt quae dissidium inter ministros Genevenses et me pepererunt. In quibus si quid a me perperam intellectum aut dictum con-

---

1907b. 1) *Quo tempore concinnatum sit non constat. Trechselius I. 197 sq. autor est, Bolsecum Angelum et Zebedaeum ex Calvini scriptis (nempe ex libro de aeterna Dei praedestinatione) quasdam propositiones excerpsisse quas erroneas et falsas esse perhibebant. Senatus eos ad ministros ablegavit qui de illis ad ipsum referrent. Sic fortassis Halleri relatio d. d. 24. Ian. 1555 hoc documentum simul respicit.*

2) *Hic in exemplari Bernensi verba quaedam deleta sunt:* Multa addi possent potissimum quod Deo autore ac impulsore . . . .

tra fidei analogiam est, humiliter postulo doceri et ab errore abduci per verbum Dei. Ita me Deus adiuvet. Ita praestate vos aequos iudices. Est ita.

Hierony. Bolsecus medicus ac theologus.

Articulo [3]) meae confessionis de Dei voluntate paucula quaedam adiici debere existimavi, quo magis satisfieret ministris Genevae: nimirum quod peccata committantur Deo volente, non quidem efficiente, praecipiente aut incitante, sed pro suo occulto, semper tamen iusto iudicio suam opem et gratiam auferente, sine qua non potest non committi ab homine peccatum. Hocque modo confiteor Deum velle peccata plecti peccatis pro sua iustitia et aequitate.

1907 c.

VIRETI

Propositiones de praedestinatione contra Hieronymum Carmelitam Empyricum.

(Ex eodem Codice Bernensi, ita quidem ut prior pars ex errore bibliopegi fol. 239 posterior fol. 192 legatur. In tergo scriptum est *Hieronymi medici facta*, qui titulus evidenter ad totum fasciculum pertinet qui continebat: *Varia causam Bolseci illustrantia annis incertis ex autographis descripta*, ut habet Simlerus Vol. 81. Cf. Nr. 1907.)

Nulla est cuiquam nisi in Christo proposita salus.

Nullus nisi per fidem ad Christum accessus patet.

Totum humanum genus sub incredulitate conclusum est et suapte natura a fide alienum.

Ergo suapte natura et viribus humanis nemo ad Christum fide accedere potest, ac in eo et per eum salutem consequi.

Hanc ob causam fidem vocat Paulus donum Dei.

Huius largiendae modum aperit quia ait, fidem ex auditione esse divini sermonis, nec omnes tamen credere, quod omnibus non sit revelatum Dei brachium.

Tantum igitur abest ut nostris viribus fidem possimus adipisci, qua oblatum Christum amplectamur, ut ne Dei quidem sermonem audire, sine peculiari eius beneficio quo ad fidem vocetur, cuiquam sit concessum. Nam quomodo audiet quisquam absque doctore? Quis vero doctor esse poterit ad hanc doctrinam idoneus nisi a Deo missus?

Idcirco, ut spiritus sancti consilio et auspiciis Paulus ad gentes missus est, ita aliquando quo proficisci statuerat ab eodem prohibitus est.

Itaque dubium non est quin Deus palam testetur se maiore prosequi benevolentia illos quos luce dignatur evangelici ministerii quam quibus hanc lucem non offert.

Hoc uno igitur iam distinguuntur exterae gentes omnes ab illo populo qui Dei esse censetur. Hinc illud est: Non fecit hunc in modum ulli nationi nec iudicia sua manifestavit eis. Item: Notus in Iudaea Deus. Et caetera eiusmodi quae Moses et Paulus praedicant de Iudaeorum praerogativis.

Interea tamen iis qui hoc non afficiuntur beneficio nulla relinquitur iusta querendi causa de Dei iudiciis, si alios quosdam hac in parte ipsis praefert. Nam ne hos quidem sui relinquit testimonii expertes, ipsos erudiens quum naturae lege tum publico magnae huius universitatis libro et magno volumine, cuius characteres sunt relucentis et expressae Dei imaginis simulacra, quaecunque ab eo condita sub sensus humanos cadunt.

Ergo ex his quae hactenus dicta sunt iam tres modos colligere possumus quibus se Deus hominibus patefacere solet, quorum quisque habet proprium librum quo nobis et Dei imaginem oculis subiiciat et de eius voluntate testificetur.

Primus intestinus est, cuius characteres naturae lege mentibus humanis insculpti sunt. Hic, ut omnibus communis est, ita solus sufficit ad reas peragendas sine ulla responsatione et tergiversatione coram Dei tribunali omnium conscientias.

Secundus est externus ille et aspectabilis de quo modo meminimus et de quo divinus psaltes primo loco Ps. xix concionatur. Hic rursus omnibus communis est.

At neuter horum abunde suppeditat quae ad veram Dei notitiam et salutem consequendam sunt necessaria. Etenim ut lex naturae magna ex parte obliterata est et mutila, ita caecioribus sunt homines oculis, et sensibus hebetioribus ac stupidioribus, quam ut cernere quod vident, et quod sentiunt ac palpant cognoscere et intelligere valeant.

Quam ob rem Paulus nil dubitavit gentes alienas ab Israelis republica, necdum cooptatas in Dei familiam evangelii beneficio, excludere a Dei foedere ac promissis, et ἀϑέους, sine Deo, appellare, nihil moratus philosophiae studia quibus quaedam institutae fuerunt.

Quis autem iure Deum arguat iniustitiae quod Iudaeam gentem prae caeteris amplioribus cumulaverit beneficiis? Haec enim praeter illos duos libros modo commemoratos tertium illum accepit, de quo, psalmo paulo ante citato, secundo loco memi-

---

3) *Haec in folio minori superioribus adglutinata sunt.*

nit David, hoc est, divina oracula, librum divinae legis et voluntatis testem et doctorem.

At ne hic quidem satis est, si non accedat aliud longe praestantius Dei beneficium, quo scilicet novis se cordibus et carneis legem suam inscripturum recepit, idque multo efficacius quam naturae lege: siquidem qui illius facti sunt libri consortes non omnes crediderunt, quia, etsi quid sit credendum tradit, non potest tamen ut credatur efficere.

Idcirco, etsi Paulus evangelium praedicat potentiam esse Dei ad salutem, non tamen hanc ipsius vim in quibusvis exserit, sed in credentibus duntaxat asserit. Huius rei causam ab Isaia repetit admirante credentium raritatem et percontante: Quis nostrae credidit praedicationi et brachium Domini cui patefactum est? Minime dubium est quin brachium Domini appellet arcanam illam vim spiritus, qua Deus hominum mentes suo numine afflatas intus docet et cordibus infigit quod foris in auribus insonat.

Solis autem hoc Domini brachium est revelatum quos pater tradidit filio. Quapropter Deus hos omnes se non solum divinitus docturum promisit, cordaque lapidea in carnea conversurum, ac legem suam visceribus inscripturum, sed etiam effecturum ut ambularent in mandatis suis, quorum corda hunc in modum immutata forent.

Ex quo efficitur ut certo affirmare possimus, primum, non omnibus dari corda carnea, ac proinde hoc promissum ex aequo ad omnes non pertinere. Deus enim nec mentiri nec fallere potest. Quare necesse est hoc ipsum praestari iis ipsis quibus promittitur. Praestatur autem solis electis et cum eo foederatis. Ergo ad illos solos pertinet.

Deinde, nullis humanis viribus, aut cuiusquam praestantioris naturae, sed Dei solius munere, eoque gratuito, cor cuiusquam e saxeo in carneum mollescere. Nam si Deus se effecturum promisit ut hi in suis ambulent mandatis quibus cor dederit novum, consequitur illos cor novum et carneum non accepisse qui ipsius non parent mandatis.

Deinde, si Deus ipse cor novum donat, hoc ipsum nemo habet a se ipso, aut suae naturae et voluntatis bonitate ad percipiendum hoc Dei beneficium se praeparare ac comparare potuit, quum eum res ipsa deficeret quae huius esse debuit praeparationis effectrix.

Cum his probe consentiunt Christi in hanc sententiam testimonia, quibus ad se venire testatur omnes qui docti a patre audiverint et ab ipso tracti fuerint, ac servaturum quoscunque sibi pater tradiderit, neminem vero nisi ab eodem tractum venire. Quam ob causam rogat, non pro mundo, sed pro iis quos ei dedit pater.

Ergo si ad Christum venit qui a patre doctus audivit et tractus et datus est, ii profecto nec audiverunt, nec docti, nec dati, nec tracti sunt a patre qui non venerunt.

Porro hic patris tractus, etsi violentus non est qui nolentem et resilientem cogat, est tamen efficax usque eo ut trahat neminem qui non ultro ac libere sequatur trahentem. Deinde, si tractus est, nulla praecessit tracti hominis voluntas. Quis enim trahitur si natura volebat (Libr. ad Bonif. I. cp. 19)? Idcirco Christus trahendi quam ducendi verbo uti maluit, ne si homo volens intelligeretur ducentem sequi, humanae voluntati tribueretur, quod solius est Dei gratiae.

Atqui nemo tamen venit nisi velit. Trahitur ergo miris modis ut velit, ab illo qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut nolentes credant, quod fieri non potest, sed ut volentes ex nolentibus fierent.

Huc facit quod alio loco scriptum est, hac dignitate ornatos et facultate instructos ut fierent Dei filii qui in Christum crederent, filii utique non humano sanguine procreati, aut ex carnis virique voluntate, sed ex Deo nati.

Quo autem pacto hunc in mundum gignantur et nascantur filii Dei, docetur Lydiae exemplo. Paulo enim tanquam agricola serente divinum sermonem Deus intus cor apparabat et excolebat, ut iactum a Paulo semen susciperet tanquam foecundus ager, in quo radices ageret et fructum proferret uberrimum. Testatur enim Lucas, cor ipsi a Deo apertum fuisse ut iis attenderet quae a Paulo dicebantur. [1])

Si eundem in modum caeteris omnibus cor Deus aperuisset aequa fuisset omnium sors. Nam ut nec solis lumen caecum illuminare, nec oculus quamlibet acutus et perspicax in tenebris sine luce cernere ac eam sibi ipsi afferre, ita neque mens humana divinae lucis radios, nisi ea se ipsam offerente, imo neque oblatam conspicere potest, nisi si eam qui offert idem caecos mentis oculos restituat. Quum itaque pari caecitate natura omnes laborent, qui fit ut non aut caeci pariter omnes permaneant aut pariter oculati fiant, et ex aequo illa coelesti luce fruantur?

Haec prima est causa quam humana ratio facilius cernere et apprehendere potest, quod non omnibus ex aequo eadem lucis copia affertur, ut ex discrimine liquido apparet quod inter gentes et Iudaeos paulo ante statuimus.

Altera haec est quod, quum natura caeci sint omnes, non pariter omnibus oculi aperiuntur restituunturque, nec pari lucis copia et efficacitate illuminantur: quare quemadmodum Iudaei a gentibus

---

1907 c. 1) *Hic finitur fol.* 239. *Sequentia in fol.* 192.

differebant praestantioribus illis donis quae prae caeteris a Deo acceperant, sic germani Dei filii ab eis differunt qui se germanos Dei filios mentiuntur (quia corpore in ecclesia versantes his admixti sunt) quod illi non tantum foris externo Dei ministerio, sed et intus spiritus sancti magisterio docentur, hi vero hominum duntaxat: quod ipsum tamen praestantissimum est etiam Dei donum.

Quod si gentes profanas, quas Deus non dignatur hoc tanto munere, nihil habere fatemur quod iuste queri possint, aut suae impietati praetendere, quanto minus his ulla relinquitur iusta occasio proterviendi et Deo insultandi, qui maioribus affecti beneficiis nullam possunt, extra se ipsos et naturae suae pravitatem, suae pertinaciae et damnationis causam reperire?

Iam vero longius progrediamur et inquiramus scriptura duce quae rursum huius sit tanti discriminis causa, quum ex aequo omnes excaecari ac deseri a Deo, nemo autem illuminari et assumi meruerit. Hic enim est princeps status totius controversiae.

Paulo ante demonstratum est cor Lydiae apertum esse, quod de aliis non dicitur. Atqui eadem, antequam hoc esset factum, mulier religiosa fuisse a Luca memoratur. Ergone hoc Dei beneficium sua pietate ante promeruerat? Si hoc verum est, non est gratuitum hoc Dei donum, ac proinde nec gratia nec donum, sed operis merces. Sed ut donemus, remunerari digna se mercede pietatem, a qua ille Dei timor et religio profecta erant quibus praedita fuit Lydia, nonne haec ipsa gratuita quoque dona Dei fuerant, quae nullis suis praecedentibus meritis comparavisse Lydiam certum est?

Quocirca, quum nulla in homine iusta queat causa inveniri qua sibi Deum demereri possit eiusque liberalitatem provocare, necesse est huius tanti beneficii causam in solo Deo quaerere.

Hic ergo credit quia ei brachium Domini revelatum est, ac proinde datum a patre ut crederet. Datum est autem ideo a patre quia ab eodem ad hoc ipsum electus et praedestinatus erat ante iacta mundi fundamenta, non quod crediturum Deus praevidisset, sed quod ut crederet ac sanctificaretur et daturus et effecturus erat.

Pendet igitur a divina electione fides, non autem ad fidem divina electio suspensa est, cuius arcanum nobis in Christo revelatur. Ex quo efficitur ut qui a Deo electus est idem et Christo credat, et fide Christo insitus in bonis operibus ambulet quae Deus in illo praeparavit. Ille vero idcirco non credit quia sibi ipsi relictus e naturae humanae sordibus emergere non potest, non quia Deus illi sit mali huius autor, et peccati a quo emanat, sed ipsi ingenita naturae vitiositas et pravitas, quam Deus non nisi iusto odio prosequi potest.

Quod si Deus non summo iure peraeque illum atque hunc prosequitur, quid hic conqueri potest qui se digna praemia reportat, aut ille gloriari qui a commerito Dei odio et supplicio gratis liberatus est? Non est enim volentis neque currentis, sed miserentis Dei.

Nec si dicere non licet: Non est Dei miserentis, sed volentis et currentis, nec dicere etiam licet: partim esse volentis ac currentis, partim Dei miserentis, quum posterius hoc pronunciatum alterum illud in se includat.

Neque, quum dicimus non esse volentis neque currentis, intelligimus illos a Deo reiici ac repudiari qui velint et currant. Quis enim hoc potest nisi quoad concessum sit a Deo? Sed hoc potius solius misericordiae Dei munus esse, sine cuius ope et proprio dono quisquam nec velle potest nec currere, ac proinde neque nostram voluntatem, neque nostra opera huius esse misericordiae causam, et allatae per eam salutis, sed solam Dei bonam voluntatem.

Huc pertinet quod paulo ante dixit: Iacobum dilexi, Esau autem odio habui, quum neuter adhuc quidquam boni aut mali egisset: addam et hoc: nec voluisset cogitassetque. Cur igitur alterum dilexit, alterum odio prosequutus est, quum aeque iustas in utrumque odii causas habuerit, dilectionis vero nullas? At praevidit in Iacobo futurum quod hanc conciliaret dilectionem, in fratre autem non praevidit? Sed enim, quum uterque natura pari esset conditione, quid aliud in Iacobo praevidere potuit quam in fratre quod merito diligeret, nisi quod ipsi Iacobo gratuita beneficentia, non autem fratri largiturus erat, nimirum ut palam fieret gratuitum esse Dei donum quidquid prae fratre a Deo Iacobus obtinuit, ut propositum Dei maneret quo hac benevolentia hunc, non autem illum Dominus prosequuturus erat.

At vero dubitari non debet quin eo pertineat Pauli disputatio, quae in alium accepta sensum sibi satis constare non potest. Totus enim in hoc est ut doceat non omnes germanos esse Dei filios qui de Abrahamo genus duxerint, sed quos ex eo numero in hunc sibi finem delegisset, ac proinde mirum non esse si plurimi, qui in ipsis videbantur nati et educati ecclesiae visceribus, ab evangelio magno cum omnium offendiculo resiliebant et abhorrebant.

Eandem ob causam toties electionis, propositi consilii ac decreti aeterni mentionem iniicit, quo Deus suos libro vitae inscripsit, qui in Christo eius interprete et vitae thesauro aperitur, et quae sit aeterna illa Dei electio declaratur. Enimvero nemo eligitur quia credit, aut electus est quia crediturus erat, sed credendo declaratur ex eorum esse numero

Tigurum petat, libere, ut spero, tibi exponet. Aiunt ipsum, sub Rege Eduardo fidelem strenuamque operam ab eo [2]) navatam esse, quum docendi munus obiret. Mihi non vacavit eum ut optassem excipere. Verum quod nunc officio meo defuit, in reditu sarcietur. Fratribus Anglis, qui istic habitant plurimam nomine meo salutem dices, simulque nunciabis, nullas de pecunia literas mihi fuisse redditas. Imo quid hoc esset negotii ad hunc usque diem me latuit. Absurde et inhumaniter egit Nicolai *Feraei* filius, quod istac transiens non eos saltem reddidit certiores. Nunc postquam admonitus sum, mihi curae erit, ut pecunia extemplo numeretur. Vale, optime et integerrime frater, cum D. *Beza* nostro, uxore, filiolis et amicis omnibus. Dominus vobis semper adsit, et vos gubernet. Genevae 7. calendas Martii 1554. [3])

Ioannes Calvinus tuus.

1910.

CALVINUS BULLINGERO.

Statum ecclesiae Genevensis depingit pro tempore quidem pacatum verum etiamnum fluctuantem et procellis obnubilatum.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Genev. p. 385, Laus. p. 289, Hanov. p. 323, Chouet p. 528, Amst. p. 241. Anglice legitur in edit. Philad. III. 19.)

Puderet me, eximie vir et colende frater, quod iam binis tuis literis [1]) nihil responderim, nisi quia fuit aliqua tacendi ratio. Nolebam enim nisi rebus compositis scribere, [2]) ne te certamina nostra perplexum atque anxium tenerent, quae molestia tibi cum optimis et fidelissimis nostris fratribus futura erat communis. Et subinde in tanta varietate agitati sumus, ut nullus dies nobis affulserit, qui non a crastino penderet. Tandem huc ventum est, ut inter se omnes reconciliarentur. Nam senatus palam in factiones divisus erat: sicque palam eruperant odia, ut improbi suis cervicibus sentirent instare Dei ultionem. Neque tamen bonis tantum fuit animi, ut statum ecclesiae, de quo tam acris erat dimicatio, componere studerent. Tantum datae sunt dexterae, iureiurando interposito, ne quis posthac malis causis faveret. Atque hoc quidem praeiudicio se pars adversa tacite damnavit. Verum plausibili pacis colore factum est, ut legitimus ordo, unicus pacis custos, neglectus fuerit, vel saltem posthabitus. Ego vocatus in curiam professus sum me omnibus ignoscere qui ex animo resipiscerent: me tamen unum duntaxat esse ex consistorio: centies igitur potius moriturum, quam ut mihi arrogarem quod totius ecclesiae commune erat. Hoc a nobis fuit animadversum, Satanam nihil magis cupere quam ut rebus dubiis et suspensis aliqua in posterum turbandi occasio suppetat. Nobis autem in animo est antevertere. Etsi autem minore forte vehementia quam prius tumultuabuntur hostes, brevi tamen rursus certandum erit. [3]) Vides apertius causam silentii, quod domesticum tegere dedecus optarem. Sic tamen habe: quamvis ubique varie iactetur ecclesia, Genevae tamen non secus atque in diluvio arcam Noah fluctuari. Hinc etiam collige quantopere mihi displiceat, clarissimum senatum vestrum fatigari quaestionibus. Quod tamen luculento documento nuper vobis testatum fuit, quum de spirituali ecclesiae gubernatione non fueritis consulti. Ego vero quid facerem, cui boni omnes ingemiscunt, remedium vero nequeunt afferre? Bene tamen habet quod nobis praesidet nauclerus, sub quo tuti a naufragio erimus: deinde quod non procul distamus a portu. Interim discenda est eorum conditio, quibus eadem navigatio subeunda est.

Serveticae impietatis refutatio prius tibi missa erit, ut spero, quam ad te literae meae perveniant. [4]) Libellus brevis est ac tumultuarie conscriptus. Praestabit tamen, quod continet scriptum esse quam nihil. Angliae motus iam istic notos esse arbitror: et interim dum in itinere adhuc erit epistola, forte aliquid certius erit allatum. Vale, ornatissime vir et mihi plurimum colende frater. Saluta diligenter meo nomine D. *Gualtherum*, generos et reliquos fratres. D. Marchio *Caraciolus*, *Budaeus* noster, et collegae mei te salvere optant. Dominus vos tueatur manu sua, et spiritu suo regat laboresque vestros benedicat, Amen. Genevae, 7. Calendas Martii. 1554.

Ioannes Calvinus tuus.

---

2) ipsum . . . . ab eo, *sic*.
3) *Versio anglica nescio qua de causa* 9. *Mart. exhibet.*
1910. 1) *deperditis.*
2) *Cf. N.* 1906 *Ruchat. VI.* 115. *Reg. du Conseil* 27. *Jan. in Annalibus nostris.*

3) *quod etiam evenit pridie Cal. Maias.* (*Reg. du C.*)
4) *Cf. N.* 1908.

1911.

CALVIN A UN SEIGNEUR DU PIÉMONT. [1])

Exhortation à la constance dans la foi évangélique.

(Bibl. de Genève. MS. 107, fol. 48 avec cette note de Jonvilliers: *Il escrivit cette lettre a un Signeur de Piemont.* Copies MS. 108, fol. 11 et 109, fol. 52. Imprimée dans les Lettres françaises I. 414, comp. Ruchat V. 544. Traduction anglaise III. 21.)

Monsieur, combien que ie vous suis incongneu de face, toutesfois estant asseure par gens dignes de foy que mes lettres seroient bien receues de vous, ie me suis enhardy de vous escrire, nayant aultre acces que celuy que me donne lauthorite du maistre auquel ie sers, lequel comme ie croy me suffira assez veu la reverence que vous luy portez a luy et a sa doctrine. Comme aussi cest bien raison que grans et petiz sassubiectissent a sa maieste, puis que le Pere celeste luy a donne tout empire souverain affin que tout genoul se ploye devant luy, et non seulement des creatures humaines, mais aussi des Anges. Vray est que cela est bien mal congneu au iourdhuy de la plus part. Nous voions que le nombre de ceux qui saccordent dobeir en verite a ce grand Roy, est bien petit. Mais iay entendu que Dieu par sa bonte infinie vous a touche le coeur, tellement que vous desirez destre Chrestien de faict et non pas de tiltre. Ie parle ainsi a cause que ce nom de Chrestiente volle bien en la bouche de tous, mais quant ce vient a shumilier soubz lEvangile qui est le Sceptre par lequel Iesus Christ veult regner sur nous, peu sen fault que chacun ne recule. En quoy on veoit que cest chose par trop commune de se couvrir du tiltre de Chrestien par hypocrisie, et par ce moien le profaner. Ainsi ce nest point une petite vertu ny vulgaire, dapprouver par effect que nous desirons estre disciples du filz de Dieu, affin aussi quil nous advoue pour siens. Et daultant plus estes vous oblige a recongnoistre la misericorde quil vous a faicte en vous amenant iusques la. Car ce nest pas de nostre mouvement propre que nous y venons, mais daultant quil luy plaist nous y attirer. Et affin que ceste bonte aict tant plus de lustre pour estre mieux congneue, il nous choisit et separe du milieu de ceux ausquelz aultrement nous sommes esgaux. Ainsi que tous les pauvres aveugles que nous voions errer nous soient aultant de mirouers de nostre miserable condition, pour magnifier celuy qui nous a retirez des horribles tenebres de mort.

Au reste, Monsieur, congnoissez quelle est la valleur de ce thresor infiny de la verite de Dieu, lequel vous a este commis, affin que vous en faciez bonne garde et fidelle. Car de ceux mesmes qui font profession de la pure doctrine de lEvangile, on voit que la plus part se contente den avoir quelque phantasie ou opinion volage. [2]) Voila pourquoy une grande partie de ceux ausquelz Dieu avoit donne quelque goust de sa grace, se desbordent au double, iusques a estre du tout abrutiz. Car Dieu ne veult point estre mocque, ne mesprise. Or voiant les corruptions qui regnent par tout et les assaultz que Sathan dresse au iourdhuy a ceux qui desirent de cheminer droictement, [3]) nous avons bien mestier de lever les yeux en hault pour demander force et constance, affin dy resister. Et ie croy que de vostre part vous en experimentez plus que ie ne vous en scaurois dire. Ientens des empeschemens qui vous destournent ou retardent de servir purement a Dieu. Sur tout pource que soubz la tyrannie de lAntechrist, si un homme veult vivre chrestiennement, il fault quil se dispose [4]) quant et quant a mourir. Si estce que nulle difficulte ne nous excuse, quant il est question de lhonneur de nostre Dieu. Et si Iesus Christ ne sest point espargne pour nostre salut, ce nest pas raison que nostre vie nous soit plus pretieuse que luy. Combien donques quil ny aict chose plus odieuse que destre congneu vray Chrestien, si nous fault-il pratiquer ceste lecon de S. Paul, de navoir point honte destre hayz ne vilipendez a ce tiltre. Et de faict si nous desirons destre eslevez en la gloire de nostre Seigneur Iesus Christ, il nous fault porter lopprobre de sa croix. Ainsi ie vous prie, selon que la necessite vous advertit, de vous aiguiser et solliciter a batailler constamment contre Sathan et le monde, desirant destre amorty quant a vous, pour estre plainement renouvelle en Dieu. Et pource quil fault congnoistre devant quaymer, ie vous prie aussi de vous exercer a lire les sainctes exhortations qui vous pourront aider a cela. Car la froidure quon voit en plusieurs procede de ceste nonchallance quil leur semble que cest assez davoir gouste en passant quelque mot de lEscriture, et ne tiennent compte dy profiter, comme il seroit besoing. Au contraire nous avons a pratiquer ce que dict

1911. 1) *On ne sait rien de précis sur les progrès de la réforme dans le Piémont, qui appartenait alors à la France.* Les Eglises des vallees de Piedmont à savoir d'Angrogne, Lucerne, S. Martin et autres, encore qu'elles n'eussent esté comprises en la cruauté exercee contre Cabrieres et Merindol, pour estre du ressort du parlement de Turin ne laisserent toutesfois d'estre rudement assaillies des l'an 1555. (*Hist. eccl.* I. 137.) *A Turin même une église fut fondée en* 1557 *par Alex. Guyotin* (*ibid.* III. 386.)

2) volante *Bt.*
3) directement *Bt.*
4) dresse *Bt.*

pisticis ac metaxysticis sacrificis esse purgatas, idque nomine et mandato principis nostri vere *Christophori:* qui sive spectes virtutem, sive eruditionem, sive pietatem, nulli principum Germanorum erit secundus. Nisi fortasse ei, in quo victo et capto heroicam magnanimitatem saeculis omnibus spectandam proposuit Dominus. Sic enim tu in libello, qui de Scandalis inscribitur, de *Ioanne Friderico,* Saxoniae duce ac olim electore (tacito tamen eius nomine) loqueris. Documenta pietatis suae satis luculenta princeps noster edidit. Solus ex omnibus Germaniae principibus confessionem suae fidei, eamque typis excusam, Tridentino illi conciliabulo ausus fuit exhibere.[2]) Viros propter evangelii confessionem exsulantes liberaliter excipit ac perhumane habet, imo magnis praemiis ad se invitat. Sub tali principe non possunt non felices esse ecclesiae. Est tamen quod non immerito pius quispiam adhuc desideret. Mittuntur adhuc ex aula pastores,[3]) et nonnunquam satis rudes ac ignari: non eliguntur veteri more, ab universa ecclesia: qui mos utinam iterum quasi postliminio revocaretur etiam apud nos. Nec ordinantur ministri impositione manuum ac precibus. Excommunicatio nulla apud nos adhuc est in usu. Adeo ut opus nobis sit Paulo, ut Titum admoneat, ut pergat ea quae desunt corrigere. Magnae existimationis est apud principem Ioannes *Brentius:*[4]) quod si his de rebus ad eum scriberes, non faceres rem tuo ministerio indignam et ecclesiis nostris, opinor, valde utilem. Tu quid hac in re faciendum sit, quaeso, diligenter tecum deliberes, et ad me perscribere proximis nundinis Francfordiensibus ne dedigneris. Quidquid enim alii sint facturi, ego certe quí se manifestis flagitiis ac sceleribus contaminant mox Satanae tradere incipiam: quia autem rem tantam ac viribus meis maiorem sum tentaturus, plane consilio mihi opus esse iudico. Quum ante triennium Antidotum tuum contra Acta Tridentina legerem, statim in ipsa praeliminari epistola deprehendi, te libelli cuiusdam abs te editi de necessitate reformandae ecclesiae[5]) mentionem facere, ac rogare lectorem ut eum quoque percurrere non gravetur. Ego vero quum hactenus studiose apud omnes bibliopolas quaesierim, nancisci tamen adhuc non potui: eum, quaeso, post semestre exactum, quum iterum tui mercatores Francfordiam sunt petituri, tuis typographis trade, quo ad oras nostras aliquando etiam appellat.

Vale bene ac feliciter, vir eruditissime, ac me amicis tuis, seu potius filiis vere γνησίοις (quantum ad doctrinam pietatis) accense: ego te patris loco habere colere venerarique nunquam desinam. Vale iterum. Nurtingae, quod est oppidum ducatus Wirtembergensis. Anno 1554. 27. Februarii, quo die ante annos tres fidus ille et eximius servus Christi Martinus *Bucerus* Cantabrigiae in Anglia mortuus est.

2) *Scil. ut Imperatorem sibi conciliaret. Confessio ista a Brentio fuit conscripta qui ipse Tridentum missus est.* (*Hartmann u. Jaeger* II. *c.* 22.)

3) *Hic quoque Brentio ministro usus est dux, qui ecclesiasticam constitutionem exaravit* (*l. l. c.* 24), *quae tamen demum a.* 1559 *perfecta prodiit. De nominatione ministrorum cf. Eisenlohr, gesch. Entw. der rechtl. Verhält. der ev. K. in Würtemberg p.* 81 *sq.*

4) *A.* 1552 *consiliarius et praepositus eccl. Stuttgardiensis factus.* (*Hartmann p.* 240.)

5) *Alias: Supplex exhortatio ad Caesarem* 1543. *Opp. T.* VI.

1918.

ALPHONSI LYNCURII TARRACONENSIS[1]) APOLOGIA PRO M. SERVETO.

(Ex codice Bibliothecae Antistitii Basileensis inscripto*:* Varia ecclesiastica Basil. Vol. I. In margine additur hanc Apologiam manu Curionis correctam esse.)

Egregiam tandem victoriam insignemque triumphum de prostrato adversario retulistis. En tandem iacet ille qui vobis adeo infestus et gravis in vestra dogmata et traditiones insultabat. Tantus hostis, velut alter Hector Troianus a Graecis tandem superatus, abiit in cineres et favillas. Erigite vobis trophaea, ut tam praeclari facinoris memoria nullo unquam tempore deleatur. Libros cudite et per orbem spargite ac dissipate, ut omnes ecclesiae consulatum vestrum agnoscant et de tam bene navata opera conservataque religione gratias agant. Vos nunc evangelicae fidei et christianae reipublicae contra omnia haereticorum monstra fortissimos protectores assertores et vindices merito omnes intelligent atque laudabunt. Sed iam operae pretium videtur universam rei seriem exponere, ut omnes

1918. 1) *De eo Sandii bibliotheca Anti-Trinit. p.* 40 *haec habet:* Alfonsus Lingurius Tarraconensis Hispanus: Libri quinque Declarationis Iesu Christi filii Dei, sive de unico Deo et unico filio eius. Huius libri meminerunt etiam ministri Sarmatiae et Transylvaniae, de falsa et vera unius Dei patris cognitione L. 1 c. 3 ubi: Alphonsus Tarrac. qui quinque libellis de uno Deo et unico eius filio contra communem et receptam doctrinam Aristarchorum docentium tyrannidem et superbiam egregie perstrinxit. — *Videtur eo tempore Basileae degisse, quia Curio hanc Apologiam correxisse dicitur. De Curione v. N.* 1884 *quem tamen Schmidtius in ZS. für hist. Theol.* 1860 *p.* 608 *defendere conatur.*

insignem vestri progressus aequitatem intelligant. Non hic privati odii et simultatis atque invidiae causas nominatim recensebo, quas omnibus satis notas esse existimo: sed hominis detentionem et processum quam brevissime et verissime potero enarrabo.

Michael *Servetus* Villanovanus Tarraconensis, medicae artis peritissimus, Lucam illum medicum, cuius plurima in evangelio laus est, imitatus, quum plurimum ingenio valeret, et de veritate religionis mundum tumultuari nec non plurimorum scriptis et voluminibus infarciri satis aegre conspiceret, animum suum ad sacras literas subinde transtulit, in eisque omne suum studium et ingenium collocavit.[2]) Quumque Lutheranos et Zwinglianos et Papistas de caeremoniis externis et ritibus atque primatu digladiari cognosceret, interea vero circa veri et summi Dei nec non Domini Iesu Christi filii eius unigeniti cognitionem et substantiam atque mysteria falso et impie convenire, aliquanto diligentius rem scrutari coepit, ac de vero Deo et eius filio ex scripturarum fonte omnia maturius considerare. Tandem ubi se aliquid quod universo christiano gregi profuturum esset assequutum putavit, librum de Erroribus trinitatis emisit,[3]) in quo sententiam de Deo et Dei filio libere explicavit, docens unum tantum simplicissimum Deum, neque trinum, neque trinomium, neque divisum, neque compositum, scilicet aeternum illum patrem et monarcham, rerum omnium autorem, per verbum et spiritum suum omnia dispensantem, nec non et unicum ipsius Dei filium, Iesum Christum illum ex virgine Davidica natum, neque alium filium Dei invisibilem ex scripturis ostendi: multa insuper alia tractans et affirmans quae recentibus scriptoribus, praesertim Genevensibus quos ille nominatim arguebat,[4]) quam maxime displicerent. Unde commoti illi atque irritati, nec talem spiritum diutius ferre valentes, odiis calumniis insidiis persequi non destiterunt. Quumque ille in gallicanis regionibus se plus nimio premi videret, nullumque sibi locum per aemulorum insidias relictum ubi securus degere posset, tandem secum in animo statuit in Italiam transire ibique reliquum suae vitae tempus transigere.[5]) Itaque collectis sarcinulis comparataque ex rebus et laboribus suis aliquanta pecunia itineri se infortunatus accinxit, et Genevam primum incognitus venit. Neque enim de malo illorum erga se animo dubitabat, sed evangelicae pietatis et mansuetudinis nonnulla spe confirmatus, et se non palam cognitum iri arbitratus, ut per Sedunenses in Italiam quam citissime[6]) emigraret, iter suum illac satis infeliciter instituerat. Genevae autem quum esset paenula et pileo tectus concionantem ministrum pedibus suis stans diligenter audivit. Verum a nonnullis cognitus et detectus eo ipso die comprehensus et carceri commendatus fuit. Res sic habet:

Accititius quidam minister aut ministri puer, imo, ut plerique aiunt, ipsius ecclesiastae coquus,[7]) magistratum adiit exponens adesse illic haeresiarcham *Servetum* qui sanctissimam trinitatem pernegaret et Cerberum tricipitem appellaret, in ipsam Genevam et eius ministros perpetuo contumeliosum, et pleraque alia de homine magistratui persuadens, viatoris sibi copiam fieri postulans ut confestim detineretur, ne ullo pacto elabi posset, se cum illo carceribus offerens donec utrique ius fieret. Sic enim illic nescio quo more receptum est ut quicunque peregrinus et advena illac transiens possit per quemvis alium de quovis facto etiam apud Indos patrato postulari et reus fieri, dummodo accusator se talioni subiiciens offerat se una cum accusato iudicium et censuram dicti magistratus se in carceribus subiturum, donec uterque vel alteruter sibi sponsorem inveniat de iuri stando vel iudicato parendo.

Nunc audite tragoediam. Probus minister vel coquus postulato reo confestim sponsorem adinvenit, pauper *Servetus* nullo reperto fideiussore in carceres male detruditur, illinc non exiturus donec de pelle sua nundinatio peragatur. Accusator personatus facto liber et securus evasit. Nunc qualis scenae introitus, dispicite. Quaeso vos, pii et nullo affectu polluti, si accusator in capitali causa debuit fideiussoribus liberari? si talioni obstrictus iure dimitti potuit, reo carceribus mancipato? Quid si *Michael* aequiores et rectos iudices nactus universalis concilii sententia absolvendus fuisset et accusator talionis poena feriendus, numquid et fideiussor ad capitalem poenam vocatus esset? numquid sponsor ad flammas deductus, alienum facinus suo corpore luiturus? Atqui naturae ratio, aequitas et iuris censura huic ordini refragantur. Constat enim pro accusatore capitali sponsorem seu fideiussorem recipiendum non esse, sed ipsum una cum reo postulato personaliter detinendum, donec de alterutrius crimine vel innocentia plene cognitum sit. Videtis igitur quale fuerit initium Servetani processus, quanta aequitatis et iustitiae observatio. Iam puto vos progressum reliquamque tragoediae

2) *De Serveti studiis biblicis fuse disseruit V. D. in Hilgenfeldii ZS. f. Theol.* 1875. I.

3) *De Restitutione christianismi hic nihil.*

4) *Hoc in libro de Trinitatis erroribus minime factum constat, verum demum in Epistolis ad Calvinum Restitutioni subiectis.*

5) *Vide Opp.* VIII. 749. 770.

6) *Trechselius* I. 228 *eum per totum mensem Genevae commoratum fuisse sine teste perhibet.*

7) *Nic. de la Fontaine, olim Fallesii domesticus, nunc Calvini* (*Tom.* VIII. 727).

partem animo revolvere atque prope colligere. Quis vero tali initio non parem exitum divinasset? Solent enim fere omnia quodam naturae vitio in deterius labi et (ut in proverbio est) quae malo inchoata sint principio bonum exitum sortiri non possunt.

Videte nunc quid feceritis, viri evangelici! Homunculum advenam et peregrinum, professioni vestrae evangelicae et christianae caritati confisum, tam foede et ignominiose traduxistis, tam dire et immaniter exstinxistis. Ad vos ultro fidentem, sine tumultu, sine seditione, sine iniuria profectum accusastis, dolo tenuistis, carceribus intrusum peregistis, et vivum tandem omni humanitate et misericordia prorsus exuti ardentibus flammis perussistis. O praeclarum facinus nullis saeculis abolendum! Haeccine est illa christiana caritas, haeccine evangelica vestra professio, quam universo orbi persuadere tantopere studebatis? Docuitne vos dominus et redemptor noster Iesus Christus sic in haereticorum causa procedere, qui haereticum ab ecclesia pellendum et loco ethnici habendum praemonuit? Haecne a Paulo, vase electionis, didicistis, qui haereticum hominem saepe monendum et vitandum praedicavit? Huncne morem vobis Ignatius, Irenaeus, Augustinus, et caeteri patres orthodoxi per manus tradiderunt, qui veram Dei ecclesiam pati non persequi solere dixerunt, et pro haereticis pie orandum, si forte per Dei gratiam et benignitatem ad mentem et poenitentiam reducantur? At saltem vos instruere debuit sapiens ille legisperitus Gamaliel ex principibus synagogae, qui a sanguine apostolorum novam doctrinam promulgantium iussit temperari et rem omnem Deo committi, quae si mala esset se ipsam dissolveret. Nonne vos scribis et Pharisaeis, si non mitiores, saltem minime deteriores aut crudeliores esse decebat? Sed quid egistis? Pauperculum virum ab omnibus destitutum, in manus vestras datum, cum omni prius ludibrio et ignominia traductum, flagranti incendio concremastis. Quid evangelio cum flammis? Existimastis forte illum in tanta sui animi angustia et horrore, et tantà mundi ignominia, opprobrio, saevitia et insultatione, a clementissimo Deo fuisse derelictum?

Absit! Expendamus causam mortis. Unum solum Deum esse dicebat, patrem illum Domini Iesu Christi a quo sunt omnia. Atque hoc filius ipse fatetur et Paulus diserte testatur. Vestrum trinitatis nomen irridebat. Merito: quum et nomen imaginarium et femineum sit, et vero Deo contumeliosum qui nec sancta nec dea trinitas appellatur, nec triplex, nec trinomius, nec divisus, nec compositus est, ut ex sacris literis discere potuistis. Unum solum unius altissimi Dei filium agnoscebat Iesum Christum, ex virgine natum, a Iudaeis crucifixum, humani generis redemptorem. Atqui hoc est totius christianae religionis fundamentum, neque quidquam aliud prophetae, apostoli et ecclesia sancta testantur. Quid igitur? quid aliud dicere possumus nisi illud ethnicum: *Omne in praecipiti vitium stetit?* [8]) O si tantum iracundiae aestum aliqua lenitatis temperie mitigare voluissetis, si calorem illum animis ebullientem temporis spatio refrigerari permisissetis, si tam ultrici libidini fraena non laxassetis, quam alieni nunc ab ea occidendi hominis saevitia sive sententia videremini! Num pauperculus ille verum Deum negabat quem unice tuebatur? num Dei filio seductorem Maumethem praeferebat, qui solum Iesum Christum crucifixum agnosceret, in corde et ore semper haberet, solum praedicaret, in eo solo spem et fiduciam omnem reponeret? Quod si diversam opinionem circa nomen illud trinitatis et verbi interpretationem sive declarationem a communi doctorum sententia a vobis quoque recepta et approbata conceperat, quam scriptura et rationibus se tueri posse et debere sperabat, eratne tam repente et praecipiti iudicio damnandus et horrendo flammarum supplicio, praesertim in evangelica et libera civitate, tam immaniter et ignominiose tradendus? Ubi patrum et procerum synodus convocata, qui de re tam ardua et seria mature dispicerent, omni odio et humanis affectibus, seu (ut vulgarius dicam) passionibus animi circumscriptis? Vos ipsi in unius animulae interitum et accusatores et scribae et iudices et exsequutores fuistis. Dicite, quaeso, quem illi carceribus incluso patronum aut defensorem decrevistis? quam illi libertatem impune loquendi et rationes suas proferendi fecistis? At dicetis: disputavit nullis vinculis alligatus, libere loquutus est, dixit quae voluit, omnia gesta fideliter excepta et aliis ecclesiis transmissa, reus mortis iudicatus est, bene habet, tragoedia legitime peracta est. Quasi vero causam suam libere dixerit qui continue carceribus detentus, nullius patroni aut confidentis suffragio adiutus, sub iudicibus suspectis, imo et capitali illum odio prosequentibus et gesta ut libuit conscribentibus, nullo pro captivo gestorum conscriptioni assistente vel intercedente, nullius amici seu defensoris patrocinio fultus, quocum animi sui affectus et rationes miserandus exponeret. Quid dicam? Breviter repeto: causam suam libere dixit qui eosdem et capitales inimicos et accusatores et scribas et iudices habuit et exsequutores? quis iam dubitet. sub colore et praetextu divini zeli et publicae vindictae privatam ultionem non fuisse peractam? Quae alia evangelica civitas vel ecclesia advenam et peregrinum virum, quamvis haeresiarcham, nihil tamen in ea civitate moventem, tanta perfidia detinuisset, tam praecipiti iudicio damnasset, tam diro

8) *Iuvenal. Sat.* I. 149.

et antichristiano supplicio affecisset? Habuit quidem civitas vestra, vidit et cognovit, plurimos isthac transeuntes, in Deum et veram religionem contumaces, impios, blasphemos et manifestos evangelii contemptores, imo et persequutores, quos tamen liberos, securos et inoffensos abire permisit. At vero hoc unum erat caput tantopere animis vestris infensum, oculis grave, auribus infestum, hoc unum caput erat tot laqueis et insidiis obsessum, tot telis expetitum, tot diris et imprecationibus devotum: sic tandem praeda in casses decidit, laqueos et insidias evitare non potuit: tandem suae audaciae et temeritatis poenas dedit. Gaude, Antoni, gaude et satiare! En caput et dextram hominis, qui in te moresque tuos stilum tam acriter strinxit, in tuos errores et vitia tam libere et licenter invectus! *Hoc Ithacus velit et magno mercentur Atridae!* [9])

Quod si pacatiore animo iustitiae leges consideremus, quanta mox iniustitia, quanta immanitas apparebit. Nemo enim sine dolo morte punitur. Quomodo autem doli is argui potest qui opinionem animo conceptam ut veram et evangelicam scripturis et rationibus tueri atque etiam mori pro ea paratus est? Neminem sane puto tam stupidi esse ingenii, tam hebeti consilio, tam communis sensus expertem, qui in animum suum inducere possit, hominem velle ultro falsitatem sibi cognitam cum suo dispendio manifeste tueri, et pro ea non modo temporalem sed etiam aeternam mortem oppetere. Quanquam enim permulti inveniuntur qui pro temporariis commodis veritati cognitae pro tempore refragentur aut falsitati faveant simulantes, nullus tamen unquam inventus est qui pro falsa opinione prudens sciensque mori voluerit, et animam suam ad aeternum interitum gratis et sponte deducere. Praeterea, quum scrutatores cordium nullo modo esse possimus, quae res soli Deo praecipua est, de aliena conscientia iudicare temere non debemus, nec alienam fidem in deteriorem partem accipere: sed boni animi simplicitas et caritas suadent ut male opinantem vel sentientem errore magis quam dolo peccare existimemus, et magis imprudentia labi quam se ipsum scienter prodere et mortis aeternae vinculis obligare. Fides enim et veritatis cognitio donum Dei est, nec omnibus omni tempore datur. Spiritus ergo omnia iudicat, ipse autem a nullo sed a se ipso iudicatur. Quare iniquissimum est errantes spiritus corporalibus poenis velle constringere, et homines imprudenter labentes atque falsa opinione deceptos ultimo supplicio adiudicare.

Nunc addamus exempla. Si Martini *Lutheri* spiritus, quum Deo placuit, in hoc excitatus fuit ut plerasque opiniones in religione christiana iam mille et trecentis abhinc annis publico omnium patrum consensu communiter catholiceque receptas, praesertim (ut interim alias prope infinitas omittam) de transmutatione et adoratione panis symbolici, de purgatorio, invocatione divorum, caelibatu, libero arbitrio et primatu romanae sedis, in dubium non modo revocaret, sed etiam editis voluminibus in totum convelleret atque rescinderet, et falsas esse multis populis persuaderet, nec tamen quispiam nunc invenitur ex iis qui evangelium profitentur, qui illum vel male egisse dicat, vel flammeis suppliciis dignum fuisse sentiat, qui ausus fuerit tot catholicas opiniones tot saeculis confirmatas suo spiritu rescindere, et universam ecclesiam novis dogmatibus conturbare et scismate manifesto antiquam aut saltem diutinam religionem proscindere: si uni, inquam, monacho Germano pacatis temporibus et florente Romana sede tantum licuit, cur *Serveto* Hispano, viro bene docto et in sacris literis diligenter versato atque exercitato, non licuit iam commotis temporibus et scismatibus superinductis, et novis quotidie hominum opinionibus, interpretationibus et decretis gliscentibus, unicam opinionem de hoc imaginario nomine trinitatis, de quo ne syllaba quidem in scripturis invenitur, ab ethnicis philosophis primum introductam, quam nec apostoli nec eorum discipuli unquam cogitarunt, in dubium revocare et scripturae autoritate manifestisque rationibus erroneam impiam et absurdam ostendere? Nullus spiritus contemnendus est sed omnia probanda, ut inquit Paulus, et quod bonum fuerit amplectendum. Quotidie Deus novos spiritus excitat ad revelationem veritatis et iudiciorum suorum, et usque ad finem saeculi iugiter excitabit, ne quisquam hominum sibi blandiri queat se unum super omnes illustratum, sibi uni omnem veritatem patefactam: quin imo omnis homo mendax, et conclusit Deus omnes sub peccato et mendacio ut omnium misereatur, et solus ipse verus et verax in sermonibus suis iustificetur.

Sed ut ad exempla redeam, annon Ulricus *Zwinglius*, vir pius et doctus, fervente et novo spiritu *Martini* opinionem de eucharistiae sacramento iam passim ab universa fere Germania receptam, approbatam et doctissimorum hominum suffragiis confirmatam nova scripturarum interpretatione dissolvit, probabilioremque demonstrare conatus est, licet *Martinus* verborum proprietati magis haereret, *Ulricus* autem scripturae tropum et figuram agnosceret. Quae controversia tanto hinc inde studio, tot aculeis inter ipsas evangelicae professionis ecclesias agitata est, et usque in hodiernum diem tot contentiosis et famosis libellis agitatur, ut nisi Deus optimus manum admoveat non sit spes tantam contentionem usque in diem iudicii consopitam* iri: adeo pertinax est quisque sui nominis et studii defensor. Verum *Lutherus* et *Zwinglius* summos

9) *Virg. Aen.* II. 104.

principes fautores et corporis sui protectores habuerunt, ut sine ullo persequutionis et suppliciorum metu possent quidquid vellent libere promulgare. Atque ita effectum est ut orbem suis voluminibus et doctrina compleverint, studiisque divisis multas ecclesias excitarint, quae licet se invicem scriptis, et parum modestis, arguant, lacessant haereseosque insimulent, nullum tamen earum membrum exustum est, aut flammarum antichristiano supplicio iudicatum.

At vero pauper *Servetus* advena et peregrinus omni amicorum et procerum suffragio destitutus, non habens ubi caput reclinare posset, sed ubique insidiis et persequutione vexatus, vix unum libellum de errore triadis potuit publicare, in quo demus et ipsum alicubi excidisse, nec omni prorsus errore vacasse, quod sane omni homini peculiare est, bono tamen zelo et divinae veritatis studio ferebatur, in qua promovenda, quamvis id quod maxime contendebat vivens assequi non potuerit, plura tamen dixit ex scripturae sententia, plurima revelavit adnotatione dignissima, quae hactenus passim occulta aut certe neglecta videbantur, denique bonam ille operam in hoc saltem navasse dicetur et a posteris laudabitur quod tepidos et dormientes spiritus ad unius veri et summi Dei nec non et filii eius unigeniti cognitionem diligentius perquirendam excitavit. Nempe recentes theologi, qui se evangelicos profitentur et verae doctrinae assertores praedicant, in religionis cauda duntaxat omne studium posuerunt, circa inferiora elementa strenue et diligenter elaborarunt, opiniones diu receptas de primatu romani pontificis, quem verum Antichristum esse testantur, de missa, purgatorio, sacramentis, confessione, poenitentia, satisfactione, ciborum delectu, divorum invocatione, imaginibus, votis monasticis, caelibatu, libero arbitrio et praedestinatione, de quibus necdum inter ipsos convenit, et aliis ecclesiae romanae caerimoniis fortiter oppugnantes, verum (ut dixi) circa caudam duntaxat laborarunt, solam papismi causam subvertere cupientes, caeterum caput ipsum penitus negligentes, circa veri Dei et filii eius unigeniti cognitionem nihil omnino studii operae et diligentiae posuerunt, sed cum ipsis papistis simpliciter transierunt falsum et erroneum illorum vadum, sequuti sophisticas et imaginarias illas de trinitate chimaeras unanimiter appprobantes, nec in tali philosophia papam et suos pro Antichristo habuerunt, sed adhuc spiritu sancto afflatos concesserunt. Quum vero de articulis caudae rogarentur, cur omnes receptas et catholicas opiniones tam strenue oppugnarent et convellerent, respondebant quidquid a papis et eorum scholasticis asseclis traditum aut receptum esset nihil habere veritatis, sed omnia falsa corrupta et depravata, nihilque a romana ecclesia, quam Antichristi sedem et Satanae synagogam appellant, boni sancti veri aut puri prodire posse, quum nullam sancti spiritus scintillam prorsus haberet, sed satanico spiritu in omnibus et per omnia manifestissime regeretur. Mox ubi ad caput ventum est et Deus spiritum Danielis excitavit qui seniorum errores et peccata corrigeret, qui veternum e mentibus excuteret, docens eos in cognitione veri Dei et filii eius Iesu Christi negligenter versatos, cum papistis graviter hallucinatos longeque de veritatis semita fuisse digressos, bone Deus, qui rumores, qui tumultus, quae incendia! Confestim haeresiarcham exclamarunt, in necem coniurarunt, insidias et laqueos tetenderunt, miris modis pauperculum persequentes, tandem in eorum manum delapsum vivum et clamantem Iesum Dei filium flammis ardentibus consumpserunt, asserentes papistas in hoc articulo bene sensisse et veritatem docuisse, seque cum illis in hac re probe convenire. En quam repentina vocis mutatio: Antichristi ecclesia de trinitate optime sentit, nec non et de haereticis comburendis. Quemadmodum igitur in trinitatis articulo unanimes convenerunt, sic etiam in flammarum supplicio haereticis adhibendo concordes fuerunt, nisi quod evangelici aliquanto mitiores, qui non haereticum ut papistae prius laqueo praefocant quam ignem admoveant, sed vivum flammis exstinguunt, Perilli et Phalaridis exemplum non modo aequantes sed longe etiam superantes.

Haec est illorum christiana pietas, evangelica caritas et religiosa professio. Domini Iesu Christi humilitatem, patientiam, benignitatem, longanimitatem et misericordiam scilicet imitantes satis potuit infallibilis veritas et magister optimus admonere et exclamare: Discite a me quia mitis sum et humilis corde. Discite quid est: misericordiam volo non sacrificium. Sinite zizania crescere usque in diem messis, ne forte et triticum eruatis. Si quis vos et ecclesiam audire noluerit, sit vobis tanquam ethnicus et publicanus. Haereticum hominem post admonitiones saepe factas evitate, tantum absit ut quemquam occidatis. Filius hominis non venit perdere quemquam sed salvare, et Deus optimus non vult mortem peccatoris sed magis ut convertatur et vivat. Diligite inimicos vestros, orate pro persequentibus vos eisque bene facite. Mihi vindictam* et ego retribuam. Si quis dixerit: diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est: qui enim fratrem suum quem vidit* non diligit, Deum quem non vidit* quomodo diligere potest? Caritas ex Deo est et omnis qui diligit ex Deo est: qui vero non diligit is Deum non novit. Hae sunt Christi voces, haec spiritus sancti oracula, quae cordibus vestris evangelicis infixa esse debuerant, non impiorum dogma et ritum in proximi perditionem amplecti, non cum antichristianis ad fidelium supplicia convenire.

Sed iam video cavillos vestros quibus supra scriptas sententias prave detorqueatis. At nihil proficitis. Piis enim et caritate praeditis spiritibus imponere non potestis, frustraque illis persuadere contenditis anne proximi vestri in Iesum Christum Dei filium baptizati et evangelicam fidem ex animo profitentis et corpus et animam, quantum in vobis fuit, perdere studuistis, pro cuius vita et salute Christus mori voluit. Si errore lapsum sciebatis corpus exstinguere non debuistis: si dolo peccantem, quod est ab omni verisimilitudine maxime alienum, longe minus pro causa fidei perdere debebatis corpus et animam interimentes, quia clementissimus Deus benignus patiens et longanimis est et multae misericordiae, nec vult mortem peccatoris sed ut ad poenitentiam revocetur. An scitis fidem esse donum Dei, et duodecim esse horas diei, et primo quoque temporis momento posse errantem corrigi, peccantem converti, caecum illustrari, infidelem reduci, haereticum revocari, publicanum iustificari et latronem glorificari. Haec sunt omnipotentis Dei admiranda opera et iudicia, cuius viae omnes misericordia plenae, et manus ad sublevandum minime abbreviata: quam vos tamen vestro praecipiti iudicio et ultrici consilio ausuque temerario et percurrere et perscindere voluistis, truculentorum et immanium iudicum exempla sequuti, qui reum aliqua privata ratione sibi ipsis invisum morti adiudicatum quanta possunt celeritate ad supplicium praecipitant, ne forte regis gratia superveniens reum ab eorum manibus liberet et saluti vitaeque restituat. Sed certe christianum erat, evangelicum erat, et religiosae professioni consentaneum, hominem peregrinum in manus vestras traditum humaniter admonere, scripturis evincere, ad unitatem in caritate reducere, perseverantem vel propellere vel durius agendo honesta custodia asservare, et pro illo Deum orare, si forte ad sanam mentem et poenitentiam reduci posset: quod sane magis sperandum fuit si et veritas et caritas a parte vestra stetisset.

Sic animae Domino lucrifiunt, sic verae religionis cultus augetur et ecclesiae sanctae unitas conservatur. Haec ex scripturis et interni spiritus testimonio adeo plana et aperta sunt, ut nisi pertinaci cavillatione et invicta malitia dissimulari non possint, et quidquid editis libellis, magis verborum pompa quadam quam veritatis simplicitate refertis, persuadere conati sitis et tantum facinus excusare, nihil tamen proficitis: quinimo piorum animos amplius offendistis, et tyrannorum opinionem de cremandis haereticis magis impie confirmastis.

Verum quianam aliter fecissetis? qui nunquam verum Deum nec verum Dei filium cognovistis, quos imaginarias quasdam relationes semper existimastis. Nonne bene praedixit Christus quod pii persequutionem paterentur et affligerentur ab iis qui nec patrem nec ipsum cognoscerent? Quis Dei spiritus vos unquam ad tam immane facinus perpulisset? Quando unquam persuadebitis vel posteris vel ecclesiae in evangelio renascenti vos christiane evangelice et religiose fecisse, quum legent vel audient vos tam atroci vindicta, impiorum armis succinctos, privatam causam re ipsa satagentes, hominem peregrinum, pietati vestrae confisum, ad vos sponte profectum, solum et indefensum, omni suffragio destitutum, vestro, id est capitalium inimicorum arbitrio ventilatum, lancinatum, cum immortali odio ignominia et ludibrio traductum, tam crudeliter et immaniter exstinxisse, corpus et animam, quantum in vobis fuit, occidere properantes? Audete negare, si potestis, vos ei non fuisse gravissimos inimicos, et eius scriptis nominatim non offensos, eius sanguinem non totis animis expetivisse, omne consilium et operam in tollendo adversario et gravissimis suppliciis afficiendo non adhibuisse, mortem eius et opprobrium ridentibus oculis non aspexisse, ad supplicium eunti illusoriis verbis non insultasse. Quid moeres? quid gemis? quid suspiras? Si opinio tua vera est, cur non laetus et gaudens abis? Tales erant perfidorum in Dei filium voces: Si filius Dei es, descende de cruce et credemus tibi. O christianam pietatem! o evangelicam caritatem! o praeclarum facinus pro tutela et quiete ecclesiae excogitatum! Quis tam ferreus et neronianus haec audiens non horrescat? Quis tam busiricus et adamantinus haec siccis oculis legat?

At deerat adhuc spectaculo naenia. Confestim editus est libellus [10]) omnem progressum et iudicium probans. Fuit nimirum illa oratio funebris quae exstincti cineres commendaret. Accendite flammas, o tyranni! Haereticos a vobis iudicatos scindite, laniate, torrete, cineres dispergite, pacem imperiis et sedibus vestris stabilite! Quid dubitatis? quid haeretis? quid cessatis? Perdite, mactate, devorate! Humano divinoque iure fas est. Evangelicos ecclesiastes et theologos luculentissimos laudatores habetis. Sic, sic Deo maximo rite litatur, sic evangelium recte propagatur, sic ecclesiae pax concordiaque conservatur: hostes scilicet haereticos ferro flammisque tollendo. Mortuus non luctatur. Nunc tandem cognoscent haeretici evangelio gladios et flammas non deesse: nunc tandem sapit ecclesia quae haereticos didicit de viventium terra delere et zizania de medio tritici eradicare. Nimium mitis Christus, stultus Gamaliel, fatui Paulus, Ignatius et Augustinus, qui haereticos dimitti et zizania succrescere voluerunt. Vos Gamaliele, Paulo, Ignatio

10) *Ex hoc loco colliges hanc diatriben post mensem Ianuarium a.* 1554 *scriptam fuisse. Quam hoc potissimum loco reponimus quia aliud indicium natalium non habemus.*

et Augustino, imo Christo ipso multo prudentiores doctiores, maiori spiritu et iudicio praediti, qui ecclesiae vestrae tam bene consulere didicistis. Vos igitur pacis et quietis evangelicae restitutores omnes ecclesiae unanimes imitentur: vos collaudent, celebrent, et erectis trophaeis ad sidera tollant. Dixi.

1919.

LASCUS MINISTRIS TURICENSIBUS.

Mittit iis relationem fatorum et peregrinationum eorum exsulum quorum dux ipse factus est quum in Anglia evangelici solum vertere coacti essent. Addit occasione libellorum Westphali recens editorum iteratam suam confessionem de coena.

(Ex autographo Arch. Turic. Scrin. C. Vol. VIII. fol. 277 edidit Gerdes. Misc. IV. 1. p. 481 et post eum Kuyper, Lasc. II. 697.)

Nihil dubito, fratres in Domino observandissimi, quin magno iam pridem desiderio teneamini audiendi de nobis aliquid, posteaquam Angliam dissipatis illic nostris ecclesiis reliquissemus. Sed et vos credere vicissim potestis, non minus etiam nobis fuisse toto hoc interea tempore ad vos scribendi desiderium, si id facere ullo modo potuissemus, non modo ut vestram pro nobis sollicitudinem levaremus, quam equidem summam esse pro vestra pietate non dubitamus, sed ut vestras preces etiam vestraque suspiria cum nostris tanto ardentius coniuncta habere, denique et instrui a vobis et confirmari praeterea in aerumnis ac certaminibus nostris potuissemus, quibus nos Dominus deus noster ad filii sui, quod spero, gloriam probare nonnihil exercereque voluit. Illi sit gloria in saecula. Amen.

Quia vero nobis id hactenus non licuit et nunc se nobis offerret qui nostras ad vos literas Argentinam usque perferre posset, neque dubitaremus facile illinc demum etiam perventuras ad vos esse, facere plane non potui quin vos pariter istic omnes per meas hasce literas, tumultuarie quidem ut tempus tulit sed interim ex animo diligenter atque officiose, ut fratres dilectissimos salutarem, simulque etiam vos de totius Danici itineris successu ac rationibus omnibus facerem certiores: ut pariter nobiscum iam demum etiam gratias Domino deo nostro agatis pro divina ipsius in nos benignitate et misericordia, qui neque in aerumnis neque in certaminibus nostris nobis defuit unquam, sed nobis potenter astitit virtutemque suam divinam in nostra tenuitate illustravit. Mitto autem vobis silvam itineris [1]) nostri, usque dum a rege Daniae dimitteremur, nec dicam propelleremur, in qua videbitis ad quem modum nobiscum egerint antagonistae nostri in doctrina de sacramentis, et facile intelligetis quod sit ipsorum ingenium, quae integritas, et quid ab illis sit piis omnibus exspectandum. Dominus illis ignoscat et largiatur per suam gratiam ut semel aliquando resipiscant. Reliquum nostri itineris nondum absolvi, neque absolvere possum, donec qui adhuc alibi sunt dispersi ad nos veniant. Martinus *Micronius* noster cum bona ecclesiae nostrae dissipatae parte est Wismariae in ducatu Megalopolitano: [2]) alii sunt Lubecae, [3]) alii Hamburgi, [4]) sed brevi huc venturi omnes. Ego autem non constitui an hic manere velim, sed exspectabo donec nostri omnes conveniant, qui forte hic meo amplius ministerio non egebunt. Adiungent enim sese huic ecclesiae, quae suos alioqui ministros habet, ita ut me liberum fore sperem.

Hamburgi pastor quidam Ioachimus *Westphalus* [5]) in nos omnes in genere scripsit libellum mendaciis et maledictis refertum, in quo interim nihil habetur quod non ab aliis dictum sit prius et quidem felicius etiam. Eum vobis quoque mitto, si forte vestrum aliquis istic ei respondere velit: nam mihi nunc revera non vacat. Vellem tamen illi, non tam propter ipsum quam propter alios qui ab ipso pendent, responderi. Emisit praeterea etiam Farraginem interpretationum super verbis coenae collectam ex scriptis *Carolostadii*, *Zuinglii*, *Oecolampadii*, *Petri Martyris*, *Buceri*, vestrae confessionis adversus *Lutherum*, *Bullingeri*, *Calvini*, et ex meo quoque ad extremum libello. Sed huic ego cogito respondere si Dominus gratiam dederit. Quid quod

---

1919. 1) *Hanc relationem non reperimus. Etiam Kuyperus periisse putat, attamen Utenhovium ea usum esse in narratione sua conscribenda. Exstat autem in Cod. Genev.* 113, *fol.* 124 *satis longa Micronii epistola d. d.* 16. *Febr.* 1554 *de eadem migratione. Utenhoviani libri titulus est:* Simplex et fidelis narratio de instituta ac demum dissipata Belgarum aliorumque peregrinorum in Anglia ecclesia ac potissimum de susceptis postea illius nomine itineribus. Bas. 1560. *Excerpta praebent Hospinianus in Hist. sacram.* II. 224 *et Salig. A. C.* II. 1092. — *De Utenhovii fide dubitant Pontoppidan, KG. v. Dänemark* III. 317. *Neue Beitr. v. alten u. neuen theol. Sachen* 1756. *S.* 596. 750. *Gittermann in Vaters khist. Arch.* 1825. II. 150. *Bartels, Lasco p.* 46 *sq. Mönckeberg, Westphal p.* 24.

2) *unde iam d.* 18. *Febr. eiecti fuerunt.* (*Utenhov. p.* 115. *Salig p.* 1099.)

3) *quibus idem evenit exeunte eodem mense.* (*Utenhov. p.* 156, *Salig p.* 1103.)

4) *non feliciore sorte usi, quum initio Martis Westphalus maxime de iis expellendis satageret.* (*Utenh. p.* 192. *Salig p.* 1104 *ss. Mönckeberg l. l. p.* 26 *et in ZS. für Hamb. Gesch.* II. 186.) *Hi omnes m. Dec. medio in iis terris appulerant unde iam exire sunt iussi.*

5) *Vide Prolegg. nostra ad Tom. IX. Operum p. x.*

et hic post meum abitum admisceri quaedam etiam coeperunt per quosdam, quae tamen facile, spero, corrigentur. Urgent Buceranam exhibitionem, quae ne ab ipso quidem *Bucero* intelligi potuit, nedum ut solidis ullis vel testimoniis vel rationibus comprobari possit. Sed de hoc postea plura. Tantae est molis videlicet tollere prodigiosam illam omnisque papisticae idololatriae parentem, imaginationem praesentiae corporis Christi in caeremonia ipsa et elementis coenae. Spero tamen brevi futurum ut ex animis piorum omnium tollatur omnino. Sunt rursum qui me a vobis dissentire putant, eo quod panem et vinum in coena signa coenae esse negem, quae vos symbola esse docetis corporis et sanguinis Christi: quasi vero non aliud sit coena ipsa, aliud vero corpus et sanguis Christi, ut etsi panis et vinum coenae signa non sint, symbola tamen corporis et sanguinis Christi esse nihilominus possint. Imo vero, quum ego doceo, distributionem ipsam ac participationem panis in coena esse signum coenae, simul quoque doceo, panem et vinum in coena esse symbola corporis et sanguinis Christi. Alioqui distributio ipsa panis ac poculi in coena signum esse non posset communionis nostrae cum Christo in corpore et sanguine ipsius, si panis et vinum symbola non essent corporis et sanguinis Christi. Sed amant venari ac serere dissidia [6]) ubi nulla sunt, quum ipsi sibi nusquam constent.

Plura iam non possum. Commendo me et dissipatam meam ecclesiam vestris precibus, et vos omnes pariter opto in Domino recte et feliciter valere. Aemdae Frisiorum 3. Martii 1554. [7])

Vester ex animo quantus est
Ioannes a Lasco m. pr.

1920.

CALVINUS ORBANIS.

Exhortatur eos ut firmiter adhaereant evangelio, quo certius in proxime instante publica deliberatione per maiora reformationem legitime stabilitam habeant.

(Ex gallico Beza versam edidit Genev. p. 149, Laus. p. 290, Hanov. p. 324, Chouet p. 201, Amst. p. 92. Authenticum textum non exstare eo magis dolemus quod hic minus felici calamo usus sit translator. Anglice legitur in Edit. Philad. III. 24.)

Ioannes Calvinus dilectissimis fratribus Orbae, qui puram evangelii praedicationem et Dei cultum sincerum cum regni Christi promotione exoptant. [1])

Caritas Dei patris, et gratia Domini nostri Iesu Christi, per spiritus sancti communicationem vobis semper adsit.

Quum praeter ordinariam sanae doctrinae auditionem, cui etiam lectio verbi potest accedere, non dubitem quin optimi fratres *Farellus* et *Viretus* strenue in illud incumbant, ut vos sanctis exhortationibus ad pietatis studium accendant, quas etiam a vobis prompto et propenso animo excipi confidam: volui tamen, dilectissimi fratres, hoc ad vos literarum dare, quo meum de vobis ac rebus vestris iudicium haberetis. Et sane non vulgari confirmatione nunc vobis opus est, ex quo turbae illae a Satana adversum vos excitatae sunt. Meum vero erga vos studium probatum iri facile mihi persuadeo, quum de recto affectu constiterit, ut opera mea apud vos inutilis futura non sit. Equidem non dubito, quin pro vestro illo intento desiderio ad purum Dei cultum inter vos solide restituendum, magno vobis moerori sit status ille vestrae urbis, dum nempe superstitio et impietas papismi, quae Dei cultum corrupit et nomen sacrum blasphemiis operit, sedem suam adhuc apud vos retinent. Interea magni vobis thesauri loco esse debet, quod Dominus dederit ut vos quidem iam nihil commune cum malo habeatis. Imo ut non modo a malo abstinere liceat, sed etiam exstet ordo aliquis ecclesiae inter vos, quo vos sub Domini iugo contineatis. Magnum omnino et incomparabile Dei beneficium, si in illorum conditionem oculos conieceritis, qui crudelissimae servitutis iugo miserabiliter premuntur. Superest tamen illa anxietas, quod non pauca in oculos vestros incurrunt, quae Dei gloriae adversantur. Praesertim quum omnia istic tam certo et ex voto comparata essent, ut nec aliter statueremus, quam vos plene tandem Antichristi sordibus perpurgatum ac semel liberatum iri: quare quod a tanta spe deiici contigit, non potuit non esse molestissimum. Infideles vero metu illo iam vacui, non desunt etiam occasioni, quin et triumphum sibi canant, et Deo insultent, quo vobis extremus dolor super dolorem accedat. Atqui novum videri non debet, quod Satan qui totus in eo est ut promotionem regni Christi impediat, suas illas

---

6) *De statu ecclesiarum Frisiae adeundus Bertram, hist. crit. Io. a Lasco, Aurich.* 1733. 4. *p.* 230 *ss. laudatus a Kuypero. Cf. Bartels p.* 51 *sq.*

7) *Gerdes habet* 6. *Martii.*

1920. 1) *De rebus Orbanorum cf. N.* 1771. 1898. 1900. 1965 *tum Ruchat* VI. 70 *seq. qui hanc epistolam attingit, et Pierrefleur Mém.* 284 *ss. Caeterum res demum d.* 30. *Iulii diremta est, quo die evangelici* 18 *votis catholicos superarunt, et his eiectis imaginibusque remotis bona ecclesiastica divisa sunt. Mireris Roberti Louati ministri hic nullam fieri mentionem quum tamen Farelli nomen laudetur.*

1923.

FARELLUS CALVINO.

Librum contra Servetum scriptum maximis effert laudibus. Praeterea quaedam habet de nuptiis Iudithae, de negotio Liberteti, de rebus Orbae gestis, de regina Angliae et Lasci exsilio.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 107.)

Eximio Iesu Christi servo Ioanni Calvino pastori ecclesiae Genevensis, fortissimo propugnatori pietatis, fratri et symmystae quam carissimo.
Genevae.

S. Quod optabam maxime tandem obtinui et tantum non raptus sum extra me. Magnas ago Christo gratias qui sua luce veritate rectitudine et aequitate ita [1]) instruxit, ut profundas tenebras, fucata mendacia, distortos et ambagibus plenos errores et omni iniquitate plenam [2]) impii et perditissimi *Serveti* quem haereticorum facile principem [3]) constat, tam aperte et palam omnibus feceris, ut posthac nocere nulli possit nisi qui studio perire velit. Erunt profecto plus quam ferreae frontis homines qui vel in tantillo perdito faverunt et qui iudicium improbarunt. Si eos non pudeat, sane opus erat te hanc Christo et ecclesiae navare operam ut non modo praesentes verum etiam posteri armentur in vere retinendo Christo, Deo vero veroque homine. Multum tibi omnes pii debent in Christo et propter Christum, qui sua dona servet augeat et perficiat in te et efficiat ut semper magis et magis omnium serviant aedificationi et Christi regno. Ego quod tibi debeam quum solvendo nunquam sim, plane vincor magnitudine tuorum officiorum: sed placet in aere tuo perpetuo esse.

Querebar in meis literis [4]) de ea quae tuum non audivit consilium. Parum est quod meum non magni fieret. Gratulabar *Iudith* [5]) meliorem mentem fuisse quam alteri. Tu, ubi nihil nisi sanctum et probum sentio de *Iudith*, aliquid subesse vereris. Ego ut pergat opto et quemadmodum semper habuisti sanctis obedientem iussis et semper bene audivit ita perseveret. Si altera consilium tuum sequuta fuisset idoneum nacta erat virum, quem nescio quando inveniet. Sane nihil desidero in sancta puella, cui gratulor et tibi eius gratia ac viro, ut *Nicolao* [6]) quoque. Collegam [7]) admonui ut scriberet. Spero eum facturum. Hic [8]) habet aliqua tecum conferre. Si idoneus inveniatur, prudens et pius, citra metum speramus successum favente Christo qui totum negotium dirigat. Collega, ut dicitur, non multo prudentior rediit quam accesserat. Summa: pacem volumus, bellum male coeptum: cuius priores progressus pessimum habuerunt exitum. Confertur omnibus iussis et mandatis Christi a quibus abstinendum veluti a tam iniquo bello. [9]) Sed sunt omnia in manu Domini qui opus suum perficiet.

Orbanum negotium [10]) videtur in meliore spe esse. Fieret facile, nisi tanta laboraremus invidia. Si vinctus vellet amicis et fratribus nuncium remittere, omnia bene haberent, nunc omnia perdit, dum salutem curat, idque cum fructu omnium: sed qui faventem habet Christum omnia facile potest contemnere.

Anglia fertur rursus missam amandasse. Hispanos bis mille caesos et reginam nubere viro primario inter Anglos: [11]) sed vix credo tam impiam sobolem posse ad meliora trahi. Quod scribit *Bullingerus* conari *a Lasco* utinam tandem perficiatur: nam audio a Dano male exceptos ex Anglia profugos pios idque ratione episco. [12]) qui verbo *Luteri* arrodunt. Deus omnia componat et tibi plus quietis et pacis largiatur, ut plenius incumbas sacris tractandis. Vale quam optime. Christus faxit ut diutius ac plenius ecclesiis servias. Omnes te salutant. Iube quaeso omnes salvos esse. Neocomi 8. Martii 1554.

Tuus totus Farellus.

1923. 1) *supple:* te.
2) *desideratur vocabulum.*
3) esse *sive* fuisse.
4) *quae quum non exstent, quae sequuntur nobis aenigmata sunt.*
5) *N.* 1905, *not.* 6.
6) *Vide an Nicolai de Fer filio nupserit Iuditha?*
7) *Libertetum. Etiam haec nos fugiunt.*
8) *tabellarius.*
9) *Haec omnia certissime et accuratissime descripta Farelli manum produnt logices legum minime curiosam.*
10) *Cf.* 1920.
11) *An de Lord Courteney earl of Devonshire loquitur?*
12) *Lege:* episcoporum, *scil. Paulus Noviomagus concionator aulicus, eiusque collega Henricus Buscoducensis qui auctores fuerunt ut Lascus solum vertere cogeretur. Qui tum patriam novam sibi et suis exsulibus quaerebat.*

1924.

GARNERIUS CALVINO FARELLO ET VIRETO.

Narrat quid nuper Marbachius senatus Argentoratensis orator coram concione circa sacramenta ab ipso postulaverit et quid ipse responderit.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 42.)

Reverendis in Christo patribus dominis Ioanni Calvino Guil. Farello et Petr. Vireto dominis suis plurimum colendis.

Dominis ac praeceptoribus suis in Christo venerandis Io. Calvino, Guillelmo Farello et P. Vireto, Ioannes Garnerius humilis discipulus S. P. D.

Paucis vobiscum agam, patres ac praeceptores venerandi. Obiter narrabo quae superiori Dominica (quae fuit 4 huius mensis Martii) facta sunt in nostra ecclesia. Illa die adfuit senatus in nostra concione una cum domino doctore *Hembarbachio*, [1]) primo et praecipuo concionatore huius civitatis. His habuit concionem latinam, quam ego gallice tandem interpretatus sum ecclesiae praesentibus illis. Haec in summa fuerunt tractata: primo quod Augustana confessio debeat ab omnibus recipi et iuxta illam per totam ipsorum ditionem doceri. Ad hoc respondi ipse in persona totius ecclesiae, me posse et velle illam confessionem recipere ad bonum sensum, modo bene intelligatur et interpretetur.* Deinde dt.[2]) quod magistratus velit nos omnes unum sentire et docere de sacramentis. Quid autem nos sentiamus aut doceamus de sacramentis (inquit ipse doctor *Hembarbaus*) paucis dicam: primo nos dicimus sacramenta esse signa gratiae, sigilla promissionum Dei et pignora remissionis peccatorum factae per Christum. Item quod sunt caeremoniae institutae a Christo in evangelio, quae consistunt in ipso usu contra quem sacramenta non sunt. Praeterea (inquit) nos negamus omnem transsubstantiationem contra papistas, et dicimus nullam mutationem fieri in symbolis, sed eadem perpetuo manere. Deinde negamus omnem localem exsistentiam corporis Christi. Interea docemus quod quicunque utitur hoc pane et vino in eucharistia iuxta institutionem Iesu Christi, quod his recipit verum corpus et sanguinem Christi. De modo autem quo recipimus, aut ipse Christus dat se nobis, non sumus multum anxii aut solliciti, nec volumus disputare de modo praesentiae: hoc nos ignoramus, praesertim quum humana ratio hoc non possit assequi. Nos dicimus cum virgine Maria: fiat mihi secundum verbum tuum, inhiantes illi verbo Domini: hoc est corpus meum, hic est calix novi testamenti etc. Ad haec ipse respondi, me libenter amplecti illa 4 epitheta sacramentorum, quod sint signa, sigilla, pignora et caeremoniae, deinde negare libenter transsubstantiationem et praesentiam localem imo etiam corporalem. Sed de modo quo datur aut recipitur Christus in eucharistia, in quo iacet tota controversia, quem vos ignorare dicitis et humanam rationem excedere ipse dico esse spiritualem et fieri per fidem in ipsum Christum et verbum eius. Praeterea Augustinus (aio) vocat illa sacramenta fidei, quum posita fide ponitur sacramentum, qua ablata aufertur et sacramentum. Sacramentum sine fide receptum nihil est, igitur fides omnia operatur etc. Multa alia complexus est quae ad aedificationem faciunt. Sed haec sunt praecipua, sicque finita est concio cum celebratione sacrae coenae dominicae, praesidentibus dominis doctoribus *Petro Martyre*, Hieronymo *Zanchio*, Ioh. *Hemanuele*,[3]) *Andernacho* et aliis multis. Quid autem futurum sit novit Dominus, ego indies exspecto responsum. Valete perpetuo feliciter et Dominum pro nobis orate. Brevi latius scribam, favente deo. Boni consulite omnia pariter styllo* et calamo. Nuncius est valde festivus.[4]) Argentinae 8. Martii 1554.[5])

1924. 1) *Marbachio.*
2) *dicebat.*
3) *Tremellio, qui hebraica Argentorati docebat, sed iam a.* 1555 *abiit. Qui tamen alibi Ioannes non vocatur.*
4) festinans?
5) *Nonnulla ad restaurationem ecclesiae gallicanae post abrogatum Interim et reditum Garnerii praebet Roehrich.* III. 102, *verum de hoc peculiari negotio nihil habet. Cf. etiam N.* 1899. *Similes conditiones Martyri propositae quum vocaretur.* (*Schmidt. p.* 140.)

1925.

SULZERUS BLAURERO.

Perplacet Calvini diatribe anti-Servetana. Genevae ex electione novorum syndicorum et reconciliatione adversariorum res melius procedunt.

(Excerptum ex autographo Cod. Sangall. 36 Epp. VII. fol. 301, Coll. c. Cod. Turicensi F. 43, Epp. VIII. fol. 775 v. Simler. Vol. 81.)

— — — — — — — — — — — — — —

Calvini scriptum [1]) admodum me refecit ut puta [2]) accuratum et sanctum quo etiam contentiosis videtur satis facere posse, nedum cordatis et vere piis, qui non possunt non statim tot evidentibus scripturae elenchis manus porrigere: utcunque caritas benigna et patiens in mitiorem pro ingenio sententiam inclinet, quae et ipsum Augustinum contra Manichaeos agentem caeterosque commovit ut lenius pronunciaret: ac victus tamen blasphe-

1925. 1) *de plectendis haereticis. S.*
2) *sic.* (utpote?)

miarum atrocitate atque obstinaci perversitate haereticorum coactus non potuit, non vim gladii ultoris implorare. Respondi super hoc negotio aliquot aliis meum qualecunque iudicium etiam ante *Calvini* scriptum requirentibus. — — — — — — — —
— — — — — — — — — — — — — — — —
— — De Geneva eadem a *Vireto* adeoque et bibliopolis Genevensibus accepi, qui putant *Calvinum* cum suis rem factam in manibus habere quod et syndici creati sint hoc anno viri lectissimi et sanctissimi,[3]) et qui hostes visi sint infestissimi in solidum ei reconciliati esse videantur. — — — —
— — — Basileae ix. Martii 1554.

Tuus Sulcerus.

3) *N.* 1908.

1926.

BEZA CALVINO.

Ex morbo convaluisse sibi gratulatur et acceptam refert amico de sua vice sollicitudinem, addit quaedam de variis vicinis ministris.

(Ex autographo Cod. Genev. 117, fol. 89, Coll. c. Cod. 119, fol. 17, Epp. Bern. VI. p. 1025 et Simleri Vol. 81. Edidit Baum I. 432.)

Eximio servo Dei et patri mihi observandissimo D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae fidelissimo pastori

Genevae.

Salutem et pacem a Domino. Quod de mea valetudine[1]) tantopere sis sollicitus, in eo agnosco veterem illam tuam erga me benevolentiam, de qua tibi magnam gratiam habeo et habebo dum vivam. Caeterum de hoc nostro morbo nihil te scire volueram, partim quod, etsi me valde affligebat, tamen sperabam, quod Dei beneficio tandem evenit, diuturnum non fore, partim quod ad caeteras tuas molestias novam istam accedere nolebam. Nunc igitur mihi plane videor Dei gratia convaluisse. Nam exiguas quasdam morbi reliquias brevi, ut spero, profligabo. Quod si dederit Dominus omnino constitui istuc proficisci, ut te, mi pater, coram adspiciam et complectar, cuius absentiam nullo modo perferre possem nisi mihi perspectum et exploratum esset Dei voluntate et consilio me a vobis esse corpore segregatum.

Quod autem ad res nostras pertinet, novi nihil habeo quod ad te scribam, nisi hoc unum, Franciscum illum *Martoraeum*,[2]) qui *Michaeli*[3]) apud Neocomenses successerat in pago S. Blasii[4]) diem suum obiisse. *Sampaulinus*[5]) illuc proficiscens hac iter fecit, nullo ex fratribus praeter unum D. *Viretum* salutato, quem ipsum etiam perfunctorie invisit. De Orbae negotio optime speramus. Caetera coram, ut spero. Bene vale, mi pater. Dominus Iesus tibi indies magis ac magis benedicat teque ecclesiae suae diu incolumem conservet. Lausannae vj Idus Martii.

Theodorus Beza
filius in Domino tibi addictissimus.

D. *Normandium*, *Stephanum* et caeteros amicos cupio ex me salutari.

1926. 1) *Vide infra eius ep. ad Bullingerum N.* 1934.
2) *N.* 1582.
3) *Muloto?*
4) *hic iterum scripsit:* successerat.
5) *N.* 1677. 1758. 1789.

1927.

WHITINGHAMUS [1]) CALVINO.

Epistolam Calvini olim Dryandro missam ut inde ad Melanchthonem perferretur nuper Argentorati reperit et iam Wittebergam missurus est.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 170.)

Illustrissimo ac optimo ecclesiae orthodoxae doctori D. Ioanni Calvino

Genevae.

Quum decimum iam diem Argentinae navigandi opportunitatem exspectarem, ac diligenter curioseque in illos homines inquirerem quorum de doctrina excellenti et multum et saepe ante audiveram, in-

1927. 1) *Guil. Whittingham, Guilelmi Esq. of Holmeside (Cheshire) filius, natus* 1524 *et Oxonii literis imbutus, post accessum Mariae reginae Francofurtum venit, postea Genevam, ubi Calvini sororem Catharinam duxit uxorem. Cum Knoxo amicissimo, Goodmano et quibusdam aliis biblia Genevensia anglice vertit, item complures psalmos metrice. Knoxi fuit successor in ministerio apud exsules Anglos Genevae degentes. Teste diario Senatus a.* 1560 *d.* 30. *Maii, quum in patriam reverteretur, literas publicas de officio bene praestito accepit. Postea praefationem scripsit in Goodmani libellum: Obedience to superior Power, in qua muliebre imperium detrectabat, unde Elisabethae reginae gratia excidit. Factus tamen est a.* 1563 *Decanus Durhami et obiit* 1579. (*M'Crie, Life of Knox. I.* 418. *Zurich Letters II.* 764.)

tellexi eorum plurimos, a quibus fere omnis omnium spes pendebat, peste iam pridem fuisse exstinctos. Inter quos Casparum *Heduonem*, * *Coelium Buceri* generum,[2]) *Kiberum*[3]) hebraicae linguae professorem, atque Franciscum *Dryandrum* numerant, ad quem tu paulo ante literas et ad D. *Philippum* miseras.[4]) Quarum quum ad meas pervenissent manus alterae ad *Melanthonem*,[5]) resignatae quidem illae et a liberorum tutoribus lectae, dubitabam primum utrum scilicet eas ad te remitterem, an recta ad ipsum per certum hominem perfererendas curarem. Hanc tandem dubitationem rei ipsius gravitas et quasi necessitas ex illarum lectione cognita et perspecta ademit, ut potius ad D. *Philippum* ex itinere quam ad te tam longe retro mittere omnino in animo haberem. Itaque studiose complicatas concinnatasque una cum meis ad eundem alicui his nundinis tuto et quam primum committam. Quod si vero quidquam vel levius in dignitatem tuam perpetratum, vel minus pro meo in te officio accurate elaboratum in hac parte videbitur, id tu omne inscientiae meae, vel si ita vis affectui quo in te propendeo sane mirifico, concedes: qui nihil a te profectum putem quod non unius solum hominis sed omnium aetatum atque hominum iudicio comprobatum iri meritissimo debeat. Vale, doctissime atque optime vir, meque ut facis amare perge,[6]) proprieque tuum esse tibi persuadeas. Argentinae 11. Martii.

Tuus humillimus demissimusque scholasticus
Guil. Whitinghamus.

Postridie has obsignaturo aderat *Thomas* cum alteris literis tuis ad *Melanthonem*.[7]) Quare mutato consilio priores illi despondi ut eadem opera omneis curaret perferri.

---

2) *Christophorus Soell duxerat Oecolampadii filiam Buceri privignam.* (*Roehrich, Mitth.* III.)
3) *nobis ignotum.*
4) *N.* 1676. 1684.
5) *quae, ut vides, per Dryandrum Wittenbergam mittendae hoc mortuo Argentorati remanserant.*
6) *Patet iam antea vel Genevae fuisse vel commercio epistolico saltem Calvino notum. Prius vero similius est quum se eius scholasticum dicat.*
7) *deperditis.*

1928.

CALVINUS VIRETO.

De negotio quodam Landronium concernente.

(Ex autographo Cod. Genev. 107ª, fol. 68.)

Eximio Christi servo Petro Vireto ecclesiae Lausannensis pastori, fratri et symmystae optimo.

S. Literas ad *Farellum* paraveram. Nunc quia nuncius a vobis huc iterum concedet, antequam Neocomum redeat, hoc tibi breviter scribendum duxi. Quod *Farellus* de Landronio[1]) concepit, mihi fieri aliter non posse videtur, quam si Bernates cuiuspiam probati hominis integritate confisi ipsum pro iure suo afferant municipio. Nunquam vero probabunt, nisi qui a vobis commendabitur. Verum quoniam ea res indiget consultatione, paratus essem a paschate venire ad *Farellum*, nisi una ratio obstaret, quod tantopere nostros congressus et suspectos et odiosos esse video. Tu igitur dispicies quid expediat: *Beza* autem noster sententiam tuam mihi exponet.[2]) Vale, optime et integerrime frater. Saluta familiam et amicos. Dominus vos omnes tueatur regat et benedicat perpetuo. Genevae 12. Martii 1554.

Ioannes Calvinus tuus.

1929.

LES MINISTRES DE GENÈVE AUX FRÈRES DE WESEL.[1])

Exhortations générales et conseils spéciaux au sujet des cérémonies.

(Copie Bibl. de Genève Vol. 197ª, f. 271. — Lettres fr. I. 418. Trad. angl. III. 29.)

1928. 1) *Oppidum est ad lacum Bielensem situm.*
2) *qui ergo Genevae exspectabatur.*

1929. 1) *Chassés de l'Angleterre par l'intolérante politique de la reine Marie, les membres de la Congrégation étrangère de Londres se dispersèrent dans les Pays-Bas et en Allemagne. Quelques-uns se retirèrent à Wesel, où d'autres réfugiés les avaient précédés, mais où l'intolérance luthérienne n'accueillit qu'à regret ces tristes victimes des révolutions religieuses de l'Europe. Sommés, trois ans après, par les magistrats du pays, de signer un formulaire consacrant le dogme de la présence réelle, ces bannis préférèrent les douleurs d'un nouvel exil à l'abjuration de leur foi. Quelques-uns se retirèrent à Francfort, dont le sénat les reçut humainement et obtint de celui de Wesel une tolérance précaire pour le petit nombre de réfugiés qui n'avaient point encore quitté cet asile.* (*Bonnet.*) *Wolters, Ref. Gesch. v. Wesel.* Bonn 1868.

La dilection de Dieu nostre pere et la grace de nostre Seigneur Iesus Christ soit tousjours sur vous par la communication du Saint Esprit.

Treschers freres, nous avons a louer Dieu de ce que aux troubles qui regnent auiourdhuy par tout le monde, il vous a donne quelque retraicte ou vous le puissiez servir et adorer en liberte. Et non seulement cela, mais aussi vous a donne le moyen de vous assembler en son nom, vous exercer a ouyr sa parolle, linvoquer dun commun accord, et faire confession pure de vostre foy. Ce nest pas une petite grace, attendu les horribles confusions quon voit par tout. Il reste que vous en faciez vostre proffit, et que vous soyez tant plus ardans a glorifier celuy qui vous a eslargi un tel don pour le faire fructifier. Quant a la forme duser des Sacremens, ce nest pas sans cause que vous en avez quelque doubte et scrupule. Car il ny a rien meilleur que de nous tenir a la pure simplicite que nous tenons du filz de Dieu, duquel lordonnance nous doibt estre pour reigle unique, comme aussi lusaige des Apostres y a este du tout conforme. Et de fait si tost quon en decline tant peu que ce soit, le meslinge quon y apporte du coste des hommes ne peut estre que corruption. Mais il nous semble que vostre condition est diverse de celle des Pasteurs du lieu et de tout le corps du peuple. Si les Pasteurs faysoyent leur debvoir, ilz mettroyent peine de retrancher les superfluitez qui ne servent rien a edifier, mesme plustost obscurcissent la clarte de lEvangile. Les gouverneurs aussi de leur coste y debvroyent bien avoir esgard. Cest doncques ung vice a condamner quant a eux, de ce qui nourrissent ces menuz fatras qui sont comme un residu des superstitions papales desquelles nous debvons tascher dexterminer la memoyre entant quen nous est. Mais pour autant que vous nestes quun membre particulier, non seulement vous povez licitement, mais aussi debvez supporter et souffrir telles infirmitez quil nest pas en vous de corriger. Nous nestimons pas que davoir des chandelles allumees en la Cene et du pain figuré, soyent choses indifferentes pour y consentir ny les approuver, mais trop bien pour saccommoder a lusaige qui en sera desia receu, quand nous navons pas lauthorite pour y remedier. Sil estoit question de recevoir yci telles ceremonies, nous serions contraintz et tenus selon le lieu auquel Dieu nous a constitues dy resister iusques au bout, et de maintenir constamment la purete dont lEglise qui nous est commise est desia en possession. Mais quand nous viendrions en quelque lieu ou il y auroit forme diverse, il ny a celuy de nous qui par despit dune chandelle ou dune chasuble se voulut separer du corps de lEglise, et par ce moien se priver de lusaige de la Cene. Il nous faut garder de scandalizer ceux qui sont encores detenus en telle infirmite, comme si vous les reiectiez par trop legiere occasion. Et puis ce nous seroit ung grand regret si lEglise francoise qui peut la estre dressee, estoit rompue par faulte de nous estre voulu accommoder a quelques ceremonies qui ne concernent point la substance de la foy. Car, comme nous avons dit, il est bien licite aux enfans de Dieu de sasubiectir a beaucoup de choses lesquelles ilz napprouvent pas. Or le tout est de scavoir iusqua ou telle liberte se doit estendre. Enquoy nous tenons[2]) cest article pour resolu quil nous faut accommoder les ungs aux autres en toutes les ceremonies qui nemportent point de preiudice a la confession de nostre foy, affin que lunite de lEglise ne se dissipe par nostre trop grande rigueur ou chagrin. Vray est que vous debvez tascher par tous bons moyens de retenir la plus grande sobriete quil vous sera possible. Parquoy il sera bon de requerir modestement ceux qui ont la puissance de ne vous point estraindre en tout et par tout a leurs facons de faire. Mais tant y a que nous ne vous conseillons pas de quicter la condition davoir Eglise Chrestienne en ce lieu la, par ce seul different des ceremonies. Le principal est que vous ne fleschissiez point en la confession de vostre foy, et que vous demouriez en vostre entier quant a la doctrine. Vray est quil vous faut fuyr contentions, et non seulement y garder modestie, mais aussi declairer que vostre intention nest pas damoindrir la vertu des Sacrements, mais plustot de magnifier les biens spirituelz que Dieu nous y eslargit. Mais quand vous confesseres quen la Cene nous sommes vrayement faitz participans du corps et du sang de Iesuchrist, et que noz ames en sont repeues, advisez bien dexclurre les erreurs dont possible aucuns pourroyent estre enveloppez par de la. Pour le moins ne desguisez pas ce que Dieu nous en a donne a cognoistre, quand vous en serez requis. Combien que desia lung de nos freres[3]) en avoit escrit a deux de vostre compaignie, toutesfois pource que nos treschers freres, les pasteurs et ministres de Lausanne, ont desire que nostre conseil fut adiouste a celuy quilz vous veulent donner,[4]) nous ny avons pas voulu espargner nostre peine, estans pretz de vous servir en choses plus grandes quand Dieu nous en donnera faculte. Lequel nous sup-

---

2) En quoy mintenons *Bt.*

3) *Ce ne peut guère être que Calvin.*

4) *Cette lettre ne paraît avoir été écrite qu'au mois d'Avril. Les pasteurs d'Emden furent également invités à donner leur adhésion. Leur lettre est datée du 6 juillet. Voyez Kuyper, Lasco p. 703 comp. p. 707, not. 10. Wolters p. 167. Goebel, Gesch. des chr. Lebens in der rhein. u. westphäl. Kirche p. 406.*

plions vous tenir en sa saincte garde, vous gouverner par son Esprit, et vous augmenter en tout bien, apres nous estre recommandez à vos bonnes prierez. De Geneve, ce 13 de mars 1554.

Soubzscripte voz treschiers freres en nostre Seigneur.

Les Ministres de leglise de Geneve.

1930.

LASCUS CALVINO.

Iam tandem ad scribendas literas se accingere potest quum post varios casus et tot discrimina rerum sedes ipsi fata quietas ostendisse videantur. Multum interea vexatus a Lutheranis fuit inter quos Westphalum notat, peculiari refutatione dignissimum.

(Ex autographo Cod. Paris. Dupuy 268, fol. 34.)

Viro sanctissimo et summa eruditione praedito D. Ioanni Calvino pastori ac doctori in ecclesia Genevensi vigilantissimo fratri et praeceptori observando.

Vix credas, vir sanctissime, quantopere cupiverim ab eo tempore quo Angliam reliqui[1]) ad te scribere. Ut enim certus sum magno tibi dolori fuisse ecclesiarum illic nostrarum dissipationem totiusque adeo religionis mutationem, ita non dubito magno tibi etiam solatio fuisse futurum, si a nobis aliquid interea literarum accepisses. Sed tu ipse facile intelligis ex iis locis in quibus interea versati sumus, nempe Norwegia et Dania, in istiusmodi praesertim dissipatione neminem nos habere potuisse, per quem certo aliquid tibi significare possemus. Ac ne nunc quidem facere id potuissem si non se mihi optimus hic frater et dominus noster commodum obtulisset.[2]) Non attinet autem multa de illo scribere, nam tibi notum esse credimus. Sed aegre hic illo alioqui carebimus in nova Gallicae ecclesiae plantatione quam hic apud Principem nostram[3]) impetravimus, etiamsi multos adversarios hac in parte haberemus.[4]) Quaenam vero ratio Danici nostri itineris fuerit, utque a Rege illo excepti dimissique simus, quae item praelia illic pro doctrina nostra sustinuerimus, haec omnia ex adiuncta his literis itineris nostri silva[5]) facile cognosces, etiamsi nondum sit prorsus absoluta. Non enim habentur ea adhuc quae post nostrum a Rege illo abitum sunt acta cum nostris illic ecclesiis, quae se eo nobiscum contulerant: quae etiam iustum volumen postulabunt. Fuit enim nostris res, et cum Lutheranis Capernaitis denuo et cum Anabaptistis:[6]) neque sine fructu, gratia sit Domino, etiamsi ea res crucem nostris propemodum conduplicarit. Atque insaniunt quidem Capernaitae omnes nostri temporis, sed nostra patientia illorum furias magis ac magis infamat, indiesque magis ac magis contemnuntur a piis omnibus, qui inter ipsos sunt, atque etiam ridentur. Erat inter illos omnes e primariis (si Deo placet) verbi ministris,[7]) qui quum a nostro quopiam ita urgeretur, ut quod responderet nihil haberet, tace, inquit, aut te venabulo hoc (iacebat enim non procul ab illo venabulum quoddam) transfigam. Quumque noster ille respondisset se (et quidem ab ipso vocatum) non ad pugnam sed ad christianum venisse colloquium, ut fidei suae rationem redderet, et pro scripturis ageret potius quam venabulis, quae doctorem ecclesiasticum non decerent, aut se malle in pace ab ipso discedere quam ita contendere: Tace, inquit ille, et abi: si non protinus venabulo hoc impeti velis. Atque ita noster ille pastorem reliquit, moxque demum civitate proscriptus est. Alibi rursum alius pastor, quum nostri quidam colloquium ipsius expeterent, centum myriadas daemonum illis imprecatus domo eos sua exegit, protinusque id egit, ut eis per magistratum civitate interdiceretur. Sic illi doctrinam suam fortiter satis tuentur ac propugnant. Colloqnia nulla admittunt legitima, sed nos ad academias suas ablegant, haud aliter quam papistae Lutetiam Lovaniumve aut Coloniam provocare solent: denique ita rem gerunt ut mihi Lutheropapistica tribunalia instituere velle videantur, planeque ego videam, verum esse quod ab *Erasmo* olim Roterodamo pluries me audisse memini: nempe fore, si Lutherani isti rerum potiantur, ut multo graviorem sub illis quam sub plerisque papistis tyrannidem sustinere cogamur. Sed sic est mundi ingenium. Nos Domino confidamus et nostram stationem ne deseramus. Invocemus nomen illius et promissionum eius memores, in quibus sane mentiri haudquaquam potest, nostra illi omnia certa fiducia permittamus.

1930. 1) *mense Sept.* 1553.
2) *Fortasse concionatorum aliquis, verum neque Perucellus qui Vesaliam se contulerat, neque Pollanus quem Calvino notissimum fuisse ignorare non poterat. Vide ad N.* 1653.
3) *Annam, Frisiae orientalis comitissam.*
4) *Inter alios Forstium et Lemsium ministros, praesertim hunc, Nordenae pastorem, qui iam antea contra Lascum disputaverat.*

5) *Cf. N.* 1919.
6) *Mennone Simonis Vismariae* (*Salig* II. 1099.).
7) *Nomen viri memoriae non proditum est. Similia vero narrantur de aliis; sic Henning Blockius Vismariae et Ioach. Westphalus Hamburgi Micronio dixisse feruntur, contra eiusmodi homines magistratus gladium stringere debuisse.* (*Salig* II. 1101. 1106.)

In hoc gravissime ab illis accusor quod negem panem et vinum coenae dominicae signa esse, sed institutam a Christo Domino illorum distributionem et participationem. Dicuntque hac doctrina praeripi omnem spem concordiae in re sacramentaria instituendae, eo quod non tantum id adimatur pani et vino coenae ut corpus et sanguinem Christi complectantur sed ne signa quidem coenae esse etiam dicantur. Alias quidem potuisse sperari aliquam concordiam dum panis et vinum symbola corporis et sanguinis Christi vocarentur, et concederetur haec symbola esse, non tantum significativa, sed etiam exhibitiva. Sed iam frustra cogitandum esse de concordia, dum illa signa etiam coenae esse negamus. Quasi vero panis et vinum in coena corporis et sanguinis Christi symbola esse non possint, si illa coenae ipsius signa esse negemus, imo vero quasi non eadem ipsa opera doceamus panem et vinum in coena esse signa corporis et sanguinis Christi, dum eorum participationem signum in coena esse docemus nostrae cum Christo Domino communionis in corpore et sanguine ipsius, nisi quod quemadmodum coenae mysterium non est substantia corporis Christi naturalis, sed nostra in corpore Christi cum ipso communio, ita signum quoque coenae esse non possit panis ipse aut vinum in coena, sed illorum participatio ut est a Christo Domino instituta. Sed isti non vident aliud esse coenam ipsam, aliud vero corpus Christi, ut etiamsi panem et vinum in coena signum coenae ipsius esse negemus, nihilominus tamen illa corporis et sanguinis Christi symbola cum catholica Christi ecclesia esse doceamus. Tantum hoc in prospectu habent: quod dum panem et vinum signa coenae esse negamus, sibi vident omnem occasionem constituendae suae illius unionis corporis Christi cum pane.[8]) Ut enim communio nostra cum Christo Domino in corpore ipsius non opus habet ulla reali, ut vocant, corporis ipsius per manum ministri exhibitione, quatenus quidem fide constat, ita neque in signo ipsius (nempe enim panis et poculi participatione) multo minus aut in ipso pane ac vino opus sit ulla omnino reali corporis Christi ac sanguinis inclusione aut eius exhibitione. Hoc vident (inquam) et proinde per me fieri clamant, ut omnis spes concordiae praeripiatur omnino.

Mitto tibi libellum pastoris Hamburgensis[9]), quem scio te sine nausea non esse lecturum, sed tamen vellem ut illi per virum aliquem responderetur, non tam propter ipsum quam propter alios qui ab illo pendere videntur. Scripsit et farraginem opinionum inter se, ut ipse fingit, dissidentium[10]) in qua ostendere conatur, nos inter nos non consentire. Profert autem multa ex libris *Zwinglii*, *Oecolampadii*, *Petri Martyris*, *Buceri*, Confessionis Tigurinae, *Bullingeri*, tuis et meo etiam ad extremum libello et ex iis omnibus colligit viginti quinque verborum coenae interpretationes, quas omnes dissentientes ac secum pugnantes facere conatur. Sed huic libello ego respondere institui, simul atque plusculum otii nactus fuero. Nunc enim aliis distringor, et libris etiam meis adhuc careo.

Rerum nostrarum faciem exponet omnem frater hic noster et dominus qui literas hasce ad te perfert. Habet vero sibi adiunctum iuvenem hinc oriundum *Christophorum* nomine pastoris hic unius filium quem tibi commendo. Cupit istic prosequi sua studia: itaque te oro ut illi hac in parte adiumento esse velis. Quod superest, me precibus tuis tuorumque omnium diligentissime commendo teque oro ut fratres et collegas tuos verbis meis salutare velis. Deus autem O. M. regat nos omnes spiritu sancto suo, ut quod illi placitum est semper sequi possimus. Amen. Emdae Frisiorum 13 Martii Anno 1554.

Tuus vere et ex animo quantus est
Ioannes a Lasco
manu propria.

8) arreptam?
9) *Westphali scil. qui inscribitur:* Recta fides de coena Domini *etc. Cf. Prolegg. nostra T.* IX. *p. x.*
10) *vide ibid.*

1931.

BULLINGERUS LASCO.

Queritur de Lutheranorum barbara duritie et hortatur ut Westphalo, nempe homini nomine et gente sua digno, respondeat, quod et Calvinum facturum sperat.

(Describimus ex Gabbemae Epp. cl. virorum Cent. I. N. 54. pag. 111. — Simler Vol. 81.)

Clarissimo viro, D. Ioanni a Lasco Baroni Polono, Emdae peregrinorum ecclesiae superintendenti fidelissimo et vigilantissimo, domino colendo et fratri carissimo. S. D.

— — — — — — — — — — — — — — — —

Quotidie experior Lutheranos, et iudicio sinceriore et caritate adeoque et humanitate vacuos, quod non sine dolore dico, accelerare sibi iustum Domini iudicium. Multis iam annis perpessi sumus et dissimulavimus ipsorum barbaram duritiem, quam neque tu, neque alii boni viri fuerant experti, qui iudicabant nos peccasse, qui vivo responderamus *Luthero*, nec im-

moderate tamen. Librum Ioachimi *Westphali* et re vera Westphali, hoc est, hominis crassi, accepi,[1] sed quia heri demum a Gallo[2]) omnia illa tua accepi, quum alioqui occupatissimus essem, non licuit quidpiam in illo legere. Farraginem eius nuper inspexi et quale sit hominis ingenium intellexi. Dominus ignoscat et huic, et reliquis ineptis plane Lutheranis et instruat mente puriore et meliore. Sat aliqui[3]) et plus quam satis in ecclesia litium erat, utcunque illi sopitam qualicunque modo non excitarent tragoediam. Sed reddent rationem iusto universorum iudici Deo. Oppugnamur valide a Papistis, Anabaptistis, ab Epicureismi . . . . . .[4]) sectatoribus, ab Arrianis in *Serveto* Hispano renatis, et a multis aliis haeresibus, quae et Christi carnem et meritum et resurrectionem vellicant. Accedunt iam et Lutherani. Sed non deerit purae veritati et nobis Deus noster sanctissimus, potentissimus, clementissimus. Probo in te quod instituis *Westphali* respondere Farragini. Perge modo, neque differas diu opus necessarium. Sic intelligent calumniatores et Zoili te non dissentire a nobis. Spero autem *Calvinum* nostrum ei libello responsurum, quem misisti de recta Fide in coena etc. *Westphali.* Forte respondebit illi aliquis ex nostris, praecipue vero *Bibliander* noster. Ego enim quum nondum legerim nihildum certi potui constituere et ad te scribere. Hoc autem scio, *Calvinum* cogitasse de responsione ad Farraginem: id quod nuper epistola mecum contulit.[5]) Ego vero iam illi scribo, te responsurum Farragini: satius esse . . . . . .[6]) ad hunc respondeat ipse quem modo misisti,[7]) neque quisquam nostrum vidit hucusque. Dominus Deus noster concedat nobis ut illud faciamus,[8]) maximam quod promovet gloriam eius, animarum nostrarum salutem et aedificationem ecclesiarum, tollat iurgia, contentiones, offendicula — — — — — — — — — — — — — — — Tiguri 17. Martii Anno 1554.

Tuus et piorum omnium ex animo totus
Henricus Bullingerus.

1931. 1) *Cf. N.* 1919.
2) *Fortassis eodem de quo N.* 1930, *not.* 2.
3) *lege:* alioqui.
4) *haec puncta a Gabbema apposita.*
5) *quae non exstat. Caeterum ipse Calvino persuadere conatus est ut Westphalum suam cramben sibi soli coquere sineret, postea vero sententiam mutavit.* (*Pestalozzi Bull.* 388.) *Bibliandrum aliquid scripsisse non vero simile est.*
6) *Sic editor. Supple:* ut.
7) *scil. ad illum alterum libellum de recta fide etc.*
8) facinus *Gabb.*

1932.

MOLINAEUS CALVINO.

Quid hucusque Tubingae egerit et quomodo a Lutheranis exceptus fuerit.

(Autographon in Cod. Genev. 110, fol. 197 difficillimum lectu utpote ex vetustate paene deletum. Asteriscis dubia notamus.)

Clarissimo et pientissimo viro D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis ministro
Genevae.

S. P. Praeclarissime ecclesiastes et doctor ecclesiae. Orationem ad te misissem,[1]) nisi D. *Garnerius*[2]) mihi scripsisset, se ad te per fidum nuncium misisse. Putabam tibi mense Ianuario amplissimas literas meas 28. Decemb. Augustae scriptas redditas,[3]) donec scivi latorem Raphaelem *Seylerum*[4]) a patre protophysico Augustano remoratum.

Papistae[5]) hic, quae tota fere schola est, omnium theologorum me excludere voluerunt,[6]) quod ita eos exagitavi et perpetuis lectionibus in Libr. I. C° cuius d. ori praefatio est * ut desistere coacti sint, nisi quod identidem cum sectariis (Lutheranos vocant) conspirarunt, praesertim post orationem illam fere impressam, missa contra me legatione in aulam ducis *Wirtembergici*, quaestum[7]) de nimio excessu meo, i. e. cierem * pericula, bellum contra Ducem a Caesare vel Papa. Ego enim publice reprehendi Vicegerentem commentario academiae qui promovebat autoritate apostolica, nec unquam passurus sum[8]) ut palam professus sum. Clamitabant me evertere privilegia universitatis. Sed non curabam. Quosdam scholares concitarunt: sed quod princeps mihi faveret siluerunt. Nolui adhuc . . . . . .* hoc

---

1932. 1) *Aditialem puta, quae prodiit sub titulo:* Solemnis oratio in Tubingensi universitate habita die Lunae IV. Cal. Martias a. 1554. *Tub.* 1554. 4.
2) *quocum videtur nuper quum Argentorati ageret familiaritatem contraxisse.*
3) *imo deperditas.*
4) *Fuit Raphael ille Gerionis filius, iure consultus postea assessor curiae Spirensis et variorum scriptorum autor.*
5) *Hinc autoris manus quae et inscriptionem addidit.*
6) *Deest vocabulum. Papistas vocat Lutheranos: Molinaei et collegarum dissidia minime tempori cesserunt quod non soli horum Lutheranismo, sed et ipsius immensae vanitati, ambitioni et αὐθαδείᾳ tribuendum. Exstat ep. Christophori ducis ad Fridericum comitem Palatinum d. d.* 5. *Aug.* 1561 *ubi dicit:* Es ist mir mit zweyen welschen in schola Tubingensi, dem Molinaeo und Gribaldo begegnet, dass ich ferner mein Lebtag keinen Welschen mehr daselbst zu einem professori zu gedulden habe, wunderbarliche, seltsame und unbeständige Koepf. (*Pfister, Hz. Christoph* 491.)
7) *lege:* questum.
8) *quid?*

forum, donec ministri palam declararent se nolle amplius alere schisma, sed omnes vestras admittere quas professus sum . . . .[9]), nec me unquam illas damnaturum, et contrarium dicentes esse schismaticos.

Ad querulas literas Ducis ad *Vergerium*[10]) et me missas acerrime et liberrime respondi, ita ut princeps (consilia mea expertus qui plus profui hebdomade quam omnes sui in 20 annis) timens ne alio migrarem (sunt enim ubi maiora stipendia habere possum et ubi ius canonicum combustum est et valde desideror), miserit,* inquam, magistro aulae me placatum, et iusserit mihi dare domum, vel unam professorum qui domos proprias habent, ex eis domibus academiae ut mihi cedant. Prudenter fecit: alioquin discederem. Sed est quod papistae et Lutherani timeant ne eorum factio damnum luculentum faciat quia mox omnes doctiores et insigniores auditores domi meae ut in collegio domestico recipiam. Timent ne in meam sententiam veniant, vel me discedere.* Vale integerrime. 21. Martis 1554.

Tuus ex animo
Carolus Molinaeus.

Mox[11]) ut hic * fixero sedem, vel mox ut domum habuero et instruxero, si quis typographus (nuper qui hic erat hac hebdomade obiit) ut sunt forsan quibus loca desunt, hic inveniet. Ipse locum habitandi dabo gratis, vel conditionem solvam. Omnes immunitates academiae (ut de corpore) habebit. Et nunquam deerit ei materia quoad vivam. Quin expensis meis vel communibus, ad eius electionem, semper excudi faciam quantum poterit excudere.[12])

1933.

TOSSANUS BLAURERO.

Semet ipsum et collegas vindicat a falso crimine haereseos a quibusdam malevolis eis inusto, simulque declarat unde isti rumores manarint.

(Ex autographo Cod. Sangall. 36. Epp. VII. Fol. 303. — Apographa praebent Cod. Turic. F. 43 olim VIII. fol. 682 v. et Simleri Vol. 81.)

Clarissimo viro domino Ambrosio Blaurero domino suo et fratri observandissimo.

S. Scripsi ad te nuper, quatuor illos fratres nostros hinc amice dimissos esse et abiisse. Faxit Dominus Deus ut illi alibi propagent regnum Christi et bene prospiciatur huic ecclesiae. Quod autem scribis quosdam vereri ne sint inter nos qui sectis et falsa doctrina sint infecti, respondeo coram Domino, illos nobis esse iniurios: sed est hic minister quidam ex nostris, capulo proximus, utpote propemodum septuagenarius,[1]) huc olim a. D. *Calvino* cum honestissimo testimonio Argentorato missus, quique apud nos interea ab annis circiter 14 pie et innocenter vixit et docuit. Is a doctore quodam Sorbonico, qui in hac ditione agebat privatim et in illius aedibus nescio quo pacto in disputationem pertractus et postea nulla fraterna admonitione praecedente, articulis quos vidisti conscriptis, statim ab eo apud fratres accusatus, tandemque me autore a superintendentibus ad reddendam fidei suae rationem in ius vocatus serioque iureiurando praestito ad singula interrogatus cum lacrymis iurans coram Domino Deo sibi fieri iniuriam, sic se testibus, viva voce et scripto purgavit, ut iudices eum ministris acquiescentibus absolverint. Sed interea tamen sparsi sunt per ecclesias articuli illi, velut certum aliquod specimen et testimonium doctrinae nostrae, quum tamen sciat Dominus Deus, nullum ex nobis esse, cui unquam in mentem venerit impia illa dogmata, aut alia quaecunque huiusmodi vel docere vel tueri, sed velle nos omnes, adiuvante Domino Deo ad extrema usque suspiria in sana doctrina permanere. Quod quum ita sit, te per Christum oro atque obtestor, colendissime *Blaurere*, ut *Farellum*, *Calvinum*, *Viretum*, eorumque collegas fratres mihi in Domino venerandos per literas admoneas ne quid sinistre de nobis suspicentur, sed nos quantumvis abjectos et miseros homunciones, fratres agnoscant, favoreque et precibus ut antea erga Dominum Deum adiuvent. Optime vale. Mombelgardiae 23. Martii.[2])

Tuus P. Tossanus.

(Sequuntur articuli de quibus Tossanus in epistola quam modo legisti. Exstant in Cod. Sangall. Epp. XII. f. 256 et in Cod. Turic. supra laudato f. 17. Inscriptio additur: *Articuli Mompelgardenses.*

Mysterium Trinitatis non fuit notum Patribus

---

9) *sententias?*

10) *qui et ipse tunc temporis apud Wirtembergenses munere fungebatur.*

11) *Haec in tergo, negligentissime scripta ut et superiora.*

12) *In margine primae paginae leguntur, vel etiam legi nequeunt, verba quaedam, integram phrasin non exhibentia quibus ad ep. quandam nuper Bullingero scriptam alludit.*

1933. 1) *Simlerus eum dicit fuisse Iacobum quendam V. D. M. in Bauan* (*Bavans?*) *laudatque in hunc finem ep. Georgii ducis ad Blaurerum d. d.* 19. *Aug.* 1555.

2) *Blaurerus manu propria adscripsit* 1554. *Alioquin eam fortasse potius ad a.* 1556 *retuleris quo quatuor pastores* (*ex vicis Blamont, Désandans, S. Julien et Valentigney*) *dimissi fuere propter eorum conatus ecclesias Mombelgardenses a Wirtenbergicis separatas Helveticis annectendi.* (*Vide suo loco.*)

antiquis, sed tantum in Novo Testamento fuit revelatum.

Nomen Trinitatis et tres Personae realiter distinctae in divinis, non possunt probari ex scripturis: nam si tres essent Personae, essent tres res et ex consequenti sequeretur tres esse Deos.

Mors quam promeruit Adam peccato suo, fuit solum incineratio, secundum quod scriptum est: cinis es et in cinerem reverteris. Perpetua tamen fuisset si Christus non venisset.

Non potest probari ex S. Scripturis, quod Iudas sit damnatus.

Foedus factum Abrahae fuit temporale, soli iudaico populo promissum et dicitur vetus Testamentum.

Foedus evangelicum differt re et substantia a foedere veteris Testamenti: itaque dicuntur duo esse Testamenta.

Promissio Dei facta Abrahae: Ego ero Deus tuus et seminis tui post te, tantum extendit se ad populum iudaicum et non ad fideles N. Testamenti.

Ex sententia: Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus fiet, concluditur parvulos fidelium non esse baptizandos donec crediderint.

Peccata spiritualia non possunt puniri per magistratum temporalem.

Peccatum nullum est in parvulis, nisi per imitationem.

Possumus esse perfecti in hac vita, si fuerimus regenerati.

Idem est peccatum in filiis fidelium et infidelium.

Peccatum originale non remittitur nisi per baptismum.

Interrogatus, quum crederet filios fidelium non esse baptizandos, quare suos filios et caeteros parvulos in ecclesia baptizaret, respondit: Ego sum solus et non possum ecclesiam reformare neque ordinem in ea ponere. Ideo alios sequor.

Quum praedicatur evangelium credunt qui volunt, et qui nolunt non credunt.

1934.

BULLINGERUS CALVINO.

Gratias ei agit de libro contra Servetum sibi misso et iudicium addit de obiter tantum inspecto. Commendat Leverum Anglum, et describit responsum collegii ministrorum ad quaestiones ipsis propositas de regno Angliae et Scotiae.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 164, olim Scrin. B. MSS. Anglic. N. 19, fol. 123. — Simler. Vol. 81. Edita est in Epp. Tigur. N. 352, p. 482. Anglice in Zurich Letters II. p. 743 et Knox's Works III. 219.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fideli domino meo et fratri colendo et caro.

Genff.

S. D. Maximas tibi, colende domine et frater carissime, gratias ago tum pro literis amicissimis, tum pro exemplo libri tui [1]) mihi dono dato. *Hallerus* cui tu miseras, illud intra octiduum demum misit. Unde nondum illud licuit perlegere. Tota enim hac septimana totus concionibus sacris fui occupatus. Obiter tamen inspexi ac reperi te nostram inseruisse epistolam non sine honorifica mentione nostrae ecclesiae. Pro qua re gratias tibi agimus. Nihil dubito quin omnia tractaris summa et integerrima fide. Unum metuo, ne liber parum sit gratus futurus multis simplicioribus et tamen tui et veritatis studiosissimis, propter brevitatem et ideo etiam propter obscuritatem gravitatemque argumenti. Et quidem stilus tuus, praesertim in hoc opere, videtur esse gravior. Nihilominus magnas tibi gratias debere omnes bonos fatemur, maximas vero eruditiores. Boni, sat scio, consulis hanc meam audaciam. Nam ex animo te diligo. Quid Scoto [2]) isti a te nobis commendato responderimus, hisce inclusi. Remittes quum per opportunitatem licuerit.

Commendo tuae pietati et humanitati hos Anglos duos, quorum alter D. Thomas *Leverus* [3]) coram rege concionabatur, alter vero nobilis privatus est. Ille vir est doctus et insigniter pius: hospitati sunt apud me circiter dies 14. Vehementer illorum oblectatus sum pietate. Decreverunt apud vos aliquandiu habitare. Oro itaque ut digneris illis, si potes hospites sanctos et commodos indicare. Quidquid in illos contuleris in me collatum putabo: imo conferes in Christum. Spero te libros meos De gratia Dei iustificante nos propter Christum per solam fidem etc. dudum accepisse. Nam miseram ad D. *Hallerum*. Vive et vale aeternum nostri semper memor in tuis precibus. Salvi sint omnes symmystae. Grave bellum paratur a Caesare contra Gallum: et Germani in multas dissecti partes poenas

---

1934. 1) *Contra Servetum.*

2) *Editores Epp. Tigur. anglice excusarum* II. 745 *de Christophoro Goodmano hoc dictum volunt, de quo supra N.* 1909. *Verum is Anglus fuit, non Scotus. Nos potius de Knoxo cogitarimus qui menses Februarium Martium et Aprilem in Helvetia transegit. Vide annott. ad Appendicem.*

3) Master of S. John's College in Cambridge and a great preacher in King Edward's days. (*Strype, Grindal.* 274. *Zurich Letters* II. 685. 752.) *Fuit postea* prebendary of Durham and master of Sherburn Hospital.

dant suae ingratitudinis. Tiguri 26. Martii anno 1554.

Bullingerus tuus.

Quaestiones IV. Scoti cuiusdam de Regno Scotiae et Angliae. [4])

I. Utrum filius regis patre rege mortuo iure nativitatis, utcunque propter pueritiam regnum administrare non possit, habendus sit pro legitimo magistratu, cui iure divino oporteat parere?

II. Utrum femina iure divino regno praesidere et hoc gubernare possit, adeoque marito suo ius regni tradere?

III. Utrum magistratui imperanti idololatriam et damnanti veram religionem obtemperandum sit? Et an proceres arces et oppida habentes [5]) armata manu istam vim [6]) a se et suis propulsare possint?

IV. Utri parti adhaerendum sit piis, si religiosi proceres bello resistant regi idololatrae?

Responsum Tigurinorum ad quaestiones illas. 1554.

I. Pro legitimo rege is mihi [7]) habendus videtur qui secundum leges patrias non iniquas ordinatus est. Sic autem ordinatum constat [8]) beatae memoriae Eduardum VI. Angliae regem. [9]) Hunc enim pater moriens designavit regem: [10]) receperunt illum regni ordines, id quod et coronatione testati sunt, et consiliariis instruxerunt, [11]) ut ei regno nihil sub hoc puero defuerit, quod in felicissimis alioqui regnis requiri solet. Legitimus ergo rex fuit et parendum est eius constitutionibus sanctis. [12])

II. Lex naturae et Dei [13]) feminam subesse et non dominari iubet: id quod clarum est in utriusque testamenti libris. Si vero legibus et ritibus regni permittentibus [14]) recipitur femina regina, [15]) quae per consiliarios moderetur regnum veluti Debora aliqua, periculosum erit piis si se obiiciant politicis legibus, maxime quum evangelium [16]) nulli suum ius praeripiat, nec per Philippum Candacem deturbant * aethiopico regno. Si impia sit quae praeest, et tyrannide consequuta sit imperium, habent pii exemplum et consolationem in Athalia. Iniustas Dominus dominationes per suos, quos ad hoc instruit facultatibus, [17]) deturbat. An vero haec tradere possit ius regni marito suo, commode respondebunt, qui leges et mores [18]) regni noverunt.

III. Non optemperandum esse regi aut magistratui [19]) damnanti veram religionem, mandanti idololatriam, sed obiiciendum periculo corpus facultates et vitam, docet historia Danielis et disertum Domini nostri verbum Matth. X. [20]) Sunt et innumera martyrum exempla in historia ecclesiastica. Eadem Eusebio teste Lib. IX. eccl. Hist. cap. 8. commemorat, Armenios pugnasse [21]) contra legitimum suum magistratum, imperatores romanos, mandantes [22]) idololatriam, nec improbatur ipsorum factum. Illi ipsi Armenii multos post annos propter impietatem regum suorum vitandam, [23]) defecerunt ad Iustinum principem caesis tyrannis. [24]) Id quod describitur apud Evagrium Eccl. hist. l. V. cap. 7. [25])

Quoniam [26]) vero saepe alia quaeruntur sub

---

4) *Autographon Bullingeri exstat in Arch. Turic. Epp. T.* 43, *fol.* 751 *et descriptum est ap. Simlerum Vol.* 81. *Aliud exemplar ibid. Tom.* 30, *fol.* 299 *v. Tertium manu Bullingeri iunioris scriptum ibidem, varie mutatum quod ipsa Responsi inscriptio declarat. In edit. Parkeriana responsiones quaestionibus singulis subiectae sunt. Variantes a nobis in marginem relegatae posteriorem recensionem referunt quae ab Anglis edita est. Rubricas recentior manus adiecit. Knoxus Genevae a.* 1557 *scripsit:* The first Blast of the Trumpet against the monstrous Regiment of Women. (*M'Crie, life of Knox.* I. 218.) *Hic autor addit:* This was probably one of the points on which he had conferred with the Swiss divines in 1554. *Idem p.* 220: Goodman adopted the sentiment and commended the publication of his colleague in his book on Obedience to superior Powers.

5) tenentes adhuc oppida et arces.

6) vim istam impiam.

7) *Agnosce Bullingerum autorem.*

8) Ita vero constat ordinatum esse.

9) Angliae regem *om.*

10) *add.* ac ita deposcebat ius regni quod aiunt esse haereditarium.

11) *add.* alioqui magnis Dei dotibus praeditum. Nec defuit ei regno quidquam quod *etc.*

12) legibus et constitutis. Sanctius ille regnum instituit quam tres prudentissimi et felicissimi huius regni reges qui ante ipsum regnarunt.

13) Lex Dei.

14) vel iubentibus *add.*

15) *add.* iure haereditario regni ita exigente, quae marito nubat, interim per Consiliarios moderetur imperii habenas, periculosum *etc.*

16) non videatur ius et regnorum leges politicas convellere aut abrogare, neque legamus Philippum iure evangelii deturbasse Candacem a regno aethiopico. Si Debora non sit sed impia magis *etc.*

17) *add.* ut olim Hierobaal et Machabaeos et Ioiadas, suo tempore.

18) ritus.

19) impia contra Deum et cultum eius legitimum mandanti, sed potius et corpus et vitam et fortunas in periculum obiiciendas esse *caett.*

20) *add.* et exemplum apostolorum Act. IV. et V. et multa martyrum exempla in ecclesiastica historia. Haec potestas est potestas tenebrarum, ut dicit in evangelio Dominus. Ac Eusebius *caett.*

21) arma sumpsisse.

22) cogere volentes ad.

23) regum persicorum.

24) Iustinum imperatorem caesis praesidibus impiis, quod commemorat Evagrius *etc.*

25) *add.* Nam et scriptura sancta iustam necessariamque defensionem non modo concedit sed mandat etiam magistratui.

26) *Haec iam plane aliter:* Caeterum quum sub assertionis et defensionis iustae et necessariae praetextu saepe quaerantur alia, et bonis se misceant pessimi, temporaque sint periculosissima, difficile est pronunciare de causis singularibus.

praetextu pietatis, et impii nebulones se bonis miscent, difficile est mihi pronunciare quid agant hic fideles. Circumstantiae fere quid agi conveniat indicant. Quae quum nobis perspectae non sint, stultum esset definire velle certum aliquid. Usus legitur Paulus Romanorum armis contra coniuratos Iudaeos, sed idem nullis usus legitur armis, sed patientia pugnasse.

IV. Caeterum cui parti adhaerendum sit, rebus in bellum usque protractis,[27] relinquimus piorum iudicio aestimandum, qui[28] in omnibus verbum Dei ob oculos habent, spiritus suggestioni obtemperant, et ex loco, tempore, occasione, personis rebus etc. capiunt consilium.[29]

Circumstantiae enim bene cognitae hic plurimum conferunt: quae quum nobis perspectae non sint, stultum esset iubere aut definire certi aliquid. Nam et Paulus . . . . legitur esse usus, et recte quidem usus, qui tamen alibi in eadem fere aut simili causa patientia tantum pugnasse, nullius armis usus legitur. Multis ergo hic precibus, multa sapientia opus est, ne quid praecipitanter aut affectibus pravis tentemus, quod in multorum bonorum detrimentum vergat. Interim vero mori praestat quam idololatriam recipere.

27) *His omissis simpliciter legitur:* Hoc relinquimus.

28) qui et totum negotium perspectum habent, et in omnibus verbum Dei respiciunt, nihil tentant adversum legibus Dei, spiritus sancti suggestionibus *caett.*

29) *add.* neque quidquam temere tentant, ideoque ex suis ipsorum quam alienis conscientiis certius iudicium petunt. Suademus tamen ante omnia ut tollantur causae, propter quas regnant hypocritae, scelera: ut, inquam, per veram poenitentiam redeamus cum Deo in gratiam, et huius auxilium et consilium imploremus. Hic est liberator unicus et verus, qui in libris Iudicum et Regum et in ecclesiasticis historiis nunquam defuit suae ecclesiae. Ad hunc attollamus oculos, exspectantes illius redemptionem. Abstineamus interim ab omni superstitione et idololatria facientes illud quod verbo suo nobis revelat.

1935.

CALVINUS BULLINGERO.

Commendat duos Anglos. Statum ecclesiae Genevensis pro tempore tranquillum describit. Regis Galliae bellica molimina denunciat. Librum Bullingeri recens editum laudat, Westphali diatriben aspernatur et seponit, Castalionis ψευδωνύμου impetum notat.

(Ex autographo Cod. Goth. 404, fol. 23. — Edidit Bretschneiderus p. 39.)

Ornatissimo viro et ecclesiae Tigurinae fido pastori D. Heinricho Bullingero fratri et symmystae colendissimo.

S. Duo[1]) isti fratres Angli iam sub mortem *Eduardi* Regis mare traiecerant. Tunc mihi commendationem attulerunt a Richardo nostro *Heillio*,[2]) cuius tibi nota est probitas. Ab eo tempore honeste se modesteque apud nos et Lausannae gesserunt: ut minime dubitem eos tibi commendare, praesertim quum nihil tibi negotii facturi sint, nisi una in re, quae tibi nec molesta nec laboriosa erit. Nempe ut eos fidis comitibus adiungas, quibuscum tuto in Italiam perveniant. Non quod hanc curam abs te suscipi postulent: sed quia sperant, si modo verbum feceris apud hospitem vel alium quempiam, sibi hoc valde profuturum.

Status noster, ut in rebus non ita bene compositis, satis nunc tranquillus est.[3]) Respexit Dominus gregem suum, quem sibi ex variis locis collegit. Nam mali omnia experti erant priusquam cesserint. Utinam eorum pravitatem tolerantia nostra et mansuetudo corrigat. Privatas certe iniurias, quae gravissimae erant, placide a me fuisse remissas, negare non poterunt. Ego vero non dubito, quin Dominus, quam meriti sunt, et quotidie provocare non desinunt, poenam paulisper suspendens, electis suis pepercerit. Nihildum enim correctionis in illa parte apparet. Perinde vero ac si de turbis nostris in Gallia nihil auditum foret, undique ad pascha celebrandum confluxit magna hominum multitudo. Et quanquam Rex custodias disposuit, quae transitus omnes obsideant, ac praefecti mandatum hoc sedulo exsequuntur, legatus[4]) etiam nequissimus proditor e vicina specula quascunque potest molitur insidias: omnes tamen metus vincit pietatis studium, ut per tot obstacula boni viri penetrent. In Gallia pro more saevitur. Nuper Rex per singulas provincias edixit, de iudicum torpore poenas se, ac si conscii forent, sumpturum, nisi acrius contra fidei nostrae professores inquirant. Interea nescio quid praesagii sit, quod totam rationem forensem mutat. Armat militem, ut novis fomentis Anglicos motus magis inflammet. Massiliae classem validam instruit: praecipuos vero belli nervos intendere videtur in Italiam, nisi eius cursum ex adversa parte reflectat Caesar. Copias etiam in gente vestra conficere dicitur. Denique perinde satagit, ac si terram coelo miscere in animo haberet. Sed quia pessimis consiliis regitur, contra puram vero doctrinam nihil de solita crudelitate ac superbia remittit, tot machinationum, quas velut adverso Deo

1935. 1) Quo *Br.*

2) *Hilles, s. Hillis.*

3) *Reconciliatione sub finem Ianuarii coram senatu sancita.*

4) *Quis hic fuerit vix a nobis aliquis quaerere sustinebit quum ipse Bullingerus ignorarit (cf. infra N. 1944). Cogitare posses de Ioanne de Fresse, episcopo Baionensi (N. 1810), aut D. de Marcheferrière (Ruchat V. 432). Caeterum hoc comma in codice a Beza cancellatum, imo fere deletum.*

aggreditur, non nisi tristem et infaustum exitum exspecto.

De concionibus [5]) habeo tibi magnas gratias, non modo quod librum miseris, sed quod illic amicam mei et honorificam mentionem factam esse video. Quod ab improbis calumniis ecclesias nostras purgasti, quibus eas discordiarum flabella vexare non cessant, recte factum. Caeterum quantum apud Regem Daniae profeceris, nescio. Nam te iam scire arbitror, quam inhumaniter ab illo acceptus nuper fuerit D. Ioannes *a Lasco*, cum exsulum turba quam secum trahebat. Iussus enim fuit violento edicto statim regni finibus hyeme asperrima excedere.

Quia *Bezae* nostro scripseras [6]) de quodam magistro *Westphalo*, tandem librum nactus sum. [7]) Porro scire ex te velim, an respondere expediat. [8]) Nam si ita censueris, tridui operam libenter in ea scriptione locabo. Furtim etiam nuper excusus est liber Basileae falsis nominibus, in quo disputant *Castalio* et N., [9]) non esse gladio coercendos haereticos. Utinam vel sero expergefiant illius ecclesiae pastores, ne longius serpat malum. Vale, ornatissime vir et mihi honorande frater. D. *Gualthero, Pellicano,* generis tuis et reliquis fratribus ac symmystis salutem plurimam dices meo nomine. D. Marchio *Vici*, Celsus noster *Martinengus, Budaeus,* [10]) symmystae mei et amici complures vos salutant omnes. Dominus te ac familiam perpetuo tueatur, regatque suo spiritu. Genevae 5. Calendas Aprilis 1554.

Ioannes Calvinus tuus.

5) *Haec non de concionibus hoc anno germanice editis accipienda (vom Gebrauch der zeitlichen Güter), sed de ll. IV. de gratia Dei iustificante, quos Regi Daniae dicaverat, contra Thamerum scriptos, ut Lutheranorum animum si fieri posset demulceret.*

6) *Non exstat.*

7) *scil. a Lasco missum N.* 1930.

8) *Cf. tamen N.* 1931 *ubi Bullingerus iam de consilio Calvini scribit, cum responso Bullingeri d. d.* 22. *April. Postea Noster ad Lascum:* Per me non stetit quominus illius reprimendae primo quoque die inita fuerit a nobis ratio. Bullingero aliud visum est. (*v. Proll. nostra T. IX. p.* 11. *Pestalozzi, p.* 388.) *Scribendo supersedit usque ad novam provocationem.*

9) *Ita Bretschneiderus qui addit:* Nomen a seriori manu ita deletum ut legi non possit. Puto *Bellius* scriptum fuisse. *Hic sane errat V. D.: nomen enim commentitium neque Beza neque alius quisquam delevisset et Bellium eundem fuisse ac Castalionem, certe reputari, nemo nescit. Prima litera luculenter apparet* C. *et in media voce distinguitur* l. *Lege ergo:* Coelius. — *Caeterum titulus libelli rarissimi hic esse dicitur:* Farrago Martini Bellii s. sententiae Martini Lutheri, Io. Brentii aliorumque multorum tam veterum quam recentiorum de haereticis an sint persequendi et omnino quomodo sit cum eis agendum. s. a. et l. 8°. *Sic certe titulum effert Cl. de Murr, de quo tamen inter viros doctos disceptatum est. v. Bayle, Mosheim A. Vers.* 236. *Baum* I. 201. *Maehly, Cast. p.* 38. 100. 131. *Altera editio teste eodem Murrio prodiit Magdeburgi per G. Rausch (Oporinum) A. D.* 1554 *m. Martio, cuius titulus simpliciter habet:* De haereticis . . . . . doctorum virorum tum veterum tum recentiorum sententiae. Liber hoc tam turbulento tempore pernecessarius et omnibus tum potissimum principibus et magistratibus utilissimus ad discendum quodnam sit eorum in re tam controversa tamque periculosa officium. — *Tertiam ipsi possidemus:* rec. Ioach. Cluten Megalopolitanus. Argent. typis Io. Caroli 1610 *quod exemplar olim ipsius Murrii fuit et Meusebachii. Habemus etiam versionem germanicam. Gallicae versionis titulum, olim Argentorati asservatae nunc deletae suppeditabit Baum.* I. 207. — *Iam dubium exoritur an illa Murrii princeps unquam exstiterit, quum ante m. Martium vix alia prodire potuerit. Senebier, autor dubiae fidei, editionem affert Bas.* 1555. 8. *impressam. Calvinum autem et Besam tam cito rescisse libelli cunas Basileae stetisse, non est quod mireris. Habebant ibi suos speculatores. Quoad alterum nomen in codice deletum forte cogitare posses de Boino quem ipse Calvinus cum Castellione consociat* Opp. IX. 568, *aut de Socino, quem Beza in Vita C. p.* 23 *profert. Huic postea a Cloppenburgio tributi sunt famosi illi Dialogi inter Calvinum et Vaticanum* 1554. (*Sand. Bibl. antitr. p.* 20.) *Ipsi Castalioni tribuebatur:* Basilii Montfortii refutatio eorum quae pro persecutione dici solent *quod hic eiuravit. Bellii nomen in illo priore opusculo praefationi ad Ducem Wirtembergensem subscriptum legitur.*

10) Budgus *Br.*

1936.

BEZA BULLINGERO.

Gratias agit de libro sibi misso et acriter in Bellium et Westphalum invehitur.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 166, fol. 120 coll. c. apogr. Cod. Genev. 119, fol. 179, Epp. Bern. VII. p. 139, Simler. Vol. 81. — Edidit Baum I. 433.)

Eximio Christi servo D. Henrico Bullingero ecclesiae Tigurinae fidelissimo pastori

Tiguri.

Salutem et pacem a Domino. Mi pater, vel ex eo intelligere potes quam parum commoda valetudine fuerim toto paene hoc mense Martio, quod de libro illo tuo [1]) quem ad me nuper misisti, pietatis certe et eruditionis pleno, nondum tibi gratias egerim. Neque vero ut id nunc pluribus faciam, sicuti cuperem inprimis, huius tabellarii festinatio permittit. Tantum dico, me hunc animum tibi totius ecclesiae nomine gratulari, neque dubitare quin omnibus piis hic tuus labor et utilis et iucundus inprimis sit futurus. Deus, inquam, te conservet, mi pater, et in ecclesiae suae aedificium eximiis suis donis cumulare te non desinat.

1936. 1) De gratia Dei iustificante ll. IV. *Cf. N.* 1908. 1935.

Puto te vidisse libellum hoc mense editum, De haereticis non puniendis, addita cuiusdam Martini *Bellii* praefatione et Basilii *Monfortii* refutatione. Additum est Magdeburgi nomen, sed hoc Magdeburgum, ni fallor, ad Rhenum situm est, ubi haec monstra iam diu delitescere sciebam.[2]) Quaeso, mi pater, si haec ferenda sunt quae impius iste in praefatione sua evomuit, [3]) quid nobis salvi superest in religione christiana? Doctrina de Christi officio, de Trinitate, de coena Domini, de baptismo, de iustificatione, de libero arbitrio, de statu animarum post hanc vitam, aut inutilis est, aut certe minime necessaria ad salutem: Iudaei etiam et Turcae in Deum credunt. Scriptura est instar Aristotelis Ethicorum, aut certe non multo uberior doctrina, verum multo incertior. Exspectanda alia revelatio. Nemo est pro haeretico damnandus. Nam omnes domino suo stant aut cadunt. Vides, mi pater, quorsum haec tendant, nimirum ut omni scripturae autoritate labefactata Pharisaismum induamus, et non modo papistis sed ipsis etiam Turcis ludibrio simus. Confer, quaeso, *Castalionis* epistolam, quam suis Bibliis [4]) praefixit, cum blasphema ista praefatione, et unum eundemque in utraque spiritum deprehendes. Constitui igitur respondere [5]), sed ita ut eos, quorum scripta collegerunt ut nos cum illis committerent, minime, ut spero, sim offensurus, ipsorum autem blasphemias non conviciis sed veritate redarguam.

Insulsam *Westphali* illius farraginem legi. [6]) Vis paucis dicam? Conatur quidem diabolus sopitam tragoediam excitare, sed precibus et modestia nobis pugnandum puto. Quod si quis illi respondendum putaverit magnum adhibendum iudicium erit, ne parva haec scintilla maius incendium excitet. Certe tam crassae sunt istius calumniae ut responsionis labore minime dignus videatur. [7]) Sed de his alias fortassis. Nam quidquid a me editum erit prius tecum communicare decrevi quam in publicum edatur, ne temere quidquam aggredi videar, aut tumultus ullos in ecclesia Domini excitare, quam utinam Dominus ab istis monstris repurget.

Caeterum aliud praeterea quod ad te scribam novi nihil habeo, nisi quod constans est apud nos rumor, Iezabelem illam anglicam [8]) crudelissimis caedibus totam Angliam implevisse. Si quid certius intellexeris, quidquid illud erit fac ut intelligamus. Serva, Domine, fideles servos tuos qui paucissimi sunt, aut, si ita decrevisti, illorum invicta patientia et constantia ecclesiam tuam confirma.

Bene vale, mi pater. Dominus Iesus tibi benedicere pergat teque indies magis ac magis confirmare. Salutant te vestramque ecclesiam mecum fratres omnes totius nostrae ecclesiae. Lausannae iv. Cal. Aprilis.

Eum qui tibi has literas reddit, hominem doctissimum et mihi amicissimum, rogo ut commendatissimum habeas.

Th. Beza
filius tibi in Domino addictissimus.

1937.

PACEUS CALVINO.

Exponit quis sit status rerum in Saxonia, ubi episcopi quatuor evangelicis negotia facessunt et variae controversiae ecclesias turbant. Omnia calamo et stilo detestabili.

(Ex autographo Cod. Genev. 113, fol. 95.)

Ioanni Calvino ecclesiae Gebennensis administro fidelissimo. S.

S. P. Doluimus vehementer etiam atque etiam quod virtus illa tua et excellentia singularis, tuorumque collegarum atque adeo ecclesiae totius vestrae pietas inciderit in hominem illum miserum, [1]) neminique, ut puto equidem, aut certe quam paucissimis sui similibus, forte Semissis Sardisque venalibus miserabilem. Qui dignissimi sitis in gaudio spiritus sancti perpetuo et incessabili tam nobis quam aliis ubique fratribus gnesiis enarrando scripturas sacras, consolando aedificando elaborare inservireque sine interpellatione ulla aut impedimento unquam aliquo. Sed et adversariorum alioqui plus satis est etiamnum apud papistas.

---

2) *Cf. quae adnotavimus ad praeced. Not.* 9. *Bellii praefatio in genere agit maxime de controversiis theologorum rei christianae obnoxiis, Montfortii refutatio speciatim contra Calvini theses scripta est. Basileam suboluisse, et quidem recte, ex Grataroli et Sulzeri literis, non ita difficile fuit.*

3) *scil. liberaliorem theologiam spirante quam illud saeculum ferebat.*

4) *latinis, a.* 1551 *editis e qua praefatione etiam Westphalus aliqua excerpsit. Sane Genevensem spiritum ibi frustra quaesieris.*

5) De haereticis a civili magistratu puniendis adv. Martini Bellii farraginem et novorum Academicorum sectam. Oliva R. Stephani 1554. 8. (*m. Augusto. cf. Baum.* I. 225).

6) *Tardius haec in Helvetiorum notitiam venisse videtur quum iam a.* 1552 *prodiisset. Lascus eam Bullingero misit ab Hardenbergio nuper acceptam. Caeterum plane a scopo aberrat Moenckebergii apologia pro Westphalo, neque ullam ingenii utriusque partis rationem habuisse videtur.*

7) *Cur ergo non tacuerunt?*

8) *Mariam reginam.*

1937. 1) *Servetum puta.*

Et ut de nostris tibi quoque ecclesiis scholisque et earum in omni summa statu universo nonnihil vel obiter significem: quatuor circa nos sunt, veluti ad quatuor plagas, episcopi pauperculi lues, quorumque vana sine viribus ira, sed tamen ut verendum est atque nunc sunt omnia plus quam vatiniani prorsusque irreconciliabiles. Halis Saxonicis qui habitat archiepiscopus *Parthenopolitanus* [2]) puer est, et cancellarium habet Melchiorem *Cling*, notum forte tibi ex scriptis editis. [3]) Capitulum, quod sic vocant, quale sit ex vicinis illis tuis omnibusque similibus aliis facile aestimaveris. *Sidonium* Merspurgensem [4]) nostrum hunc ordinarium universitatisque cancellarium et conservatorem more institutoque veteri vel ex comitiis puto vel ex scriptis magis adeo. Ad orientem ac meridiem *Iulius* [5]) est Numburgensis confirmatus, in Ceitz residens unus omnium callidissimus, germanusque nobilis atque italicatus, non sine clientala et nobilitatis admiratione aestimationeque magna. Rector Misnensis [6]) qui in Stolpen sub rege bohemico et praesidium habet et aestimationem suam opesque retinet attalicas. Cave autem praeter occasionem et facultatem quidquam his omnibus aut eius farinae similibus deesse putes. Quid tu vero censes operiri aut moliri aut cogitare maiores et maximos illos Comanos cum suis hierodulis 6000 electoresque papasque puppasque doctrinae ecclesiarum scholarum nostrarum hostes perpetuos et implacabiles? Etsi autem non minus heic etiam sit periculi a pseudadelphis quorum ut hydrae herculeae tanta est foecunditas, et ut aliorum quorumque pessimorum praesertim a morte *Lutheri* incredibilis paene fuit quasi repullulatio. Nec Osiandristae nec Stancaristae desunt, ut de Antinomis quorum maximus ubique est numerus et infinita fere copia, Libertinisque et Anabaptistis taceamus. Interimistas etiam, Adiaphoristasque atque adeo Infernales [7]) contraque Antadiaphoristas et consumatistas commenti sunt. Nec desunt asseclae *καὶ ἀποσχίσματα τῶν σχισμάτων* omnium, ut semper fere, vel turpissimis haeresiarchis. Sed gratiae Deo quod Servetis servilissimis propalam turcisantibus et iudaizantibus non ita apud nos ut pelopidis nec fama nec nomen fere vulgo uspiam hactenus, nisi quod sabbatharii ii tamen evanuerunt et explosi sunt penitus aut forte aliqua ex parte *Stancharus*, [8]) qui etiam dicitur obiisse suum diem proxime in finibus Poloniae circa Bosnaniam in arce nobilis nescio cuius sine discipulis et sectae propagatione. Osiandri autem phantasmata propria quia princeps ipse ita sectatur, altius radices egerunt, et habent suos hyperaspistas plures.

Sed ego fortasse molestius aut intempestivius sanctissima tua et praestantissima negotia his nostris interturbo aut etiam impedio: quod tamen pro mutuo erga nos amore in meliorem optimamque partem accipies, quae tua est humanitas pietasque adeo: neque in deterius quidquam omnino sed eo prorsus quo a me fit animo. Nam ut ego de publicisque ecclesiarum scholaeque vestrae rebus libenter ab hoc nostro *Aarone* audire quidem plurima et sciscitari soleo, ita vobis quoque non omnino ingratum esse putavi de nobis etiam quaedam resciscere certo, quum tui tuorumque tam honorificam creberrimamque semper fere praesente Philippo *Mel.*, *Camerario, Iona, Maiore* etc. mentionem faciamus. Neque tu gratius omnino aliquid nobis facere poteris quam si longiores etiam plenioresque omni semper occasione rescripseris. Itaque verbum iam non addam nisi ut quod facis facias nosque perpetuum redames. Vale. Datum ocyssime Lipsiae sub nundinas vernas 1554. [9])

Valent. Paceus
aeternum tibi deditissimus.

---

2) *Magdeburgensis. Is fuit Sigismundus Ioachimi electoris Brandeburgensis filius natu minimus, qui archiepiscopus creatus est* 1553 *anno aet.* 14, *et Halas solenniter intravit d.* 21. *Ian.* 1554. *Evangelicis favebat, quanquam ipse non statim ab initio eorum sacra publice amplexus. Administrator ei adiunctus fuit Io. Geo. comes a Mansfeld.*

3) *iuridicis.*

4) *Propric Mich. Helding Merseburgensem, a.* 1506 *Esslingae natum, antea Moguntini archiep. suffraganeum, ep. Sidonis i. p. Autor τοῦ Interim cum Agricola. Satis moderate dioecesin gubernabat suam et evangelium libere praedicari permisit. Obiit a.* 1561.

5) *Pflugius, qui et ipse edendi Interim collaborator fuit, inter Catholicos facile humanissimus et moderatissimus, imo si ex epistolis post mortem* (1564) *vulgatis iudicaveris ipse a puriore evangelio non alienus.*

6) *Nic. a Carlowitz episcopus Misnensis. Quo a.* 1555 *mortuo eius successor Io. ab Haugwitz a canonicis Wurzensibus electus ex castello Stolpen eiectus est a gente Carlovitia quae illud sibi proprium haereditario iure vindicabat. Novus episcopus, qui et ultimus fuit, Wurzenam se contulit.* (*Hering, Gesch. d. Ref. in Meissen p.* 147.)

7) *vox dubia.*

8) *Is a.* 1553 *propter opiniones suas munere suo academico Francofurti ad Viadrum abdicatus in Poloniam se recepit, sed iam d.* 25. *Nov.* 1554 *a Synodo Slomnicensi damnatus in Hungariam et Transylvaniam concessit. Unde fama mortis.* (*Salig* II. 965. 588. *H. Schmidt in Herzogii Encycl.* XIV. 779.)

9) *Pascha hoc anno incidit in* 25. *Martii. Nundinae Lipsienses ergo incipiebant Cal. Apr.*

1988.

CURIO BULLINGERO.

Certior factus Turici rumorem sparsum esse de quibusdam versibus pro Serveto a se compositis, fortiter remonstrat et tale facinus a se commissum negat.

(Ex autographo Cod Turic. F. 62, olim Epp. 27, fol. 187. — Simler. Vol. 81.)

Clarissimo Viro D. Heinrycho Bullingero, ecclesiae Tigurinae antistiti, domino et fratri colendissimo.

Coelius S. Curio per Christum Iesum S. D.
Tiguri.

Quamquam non sane libenter meis literis studia ista tua praeclara et de republica christiana salutares cogitationes interpello, tamen nunc tanta necessitas urget, ut nullo pacto aut omitti quod ago aut differri posse videatur. Quare ignosces mihi, optime frater et idem patrone colendissime, si nunc forsitan intempestive meis te literis accedo: ac si quid ex hoc sermone molestiae senseris non mihi qui neminem ne verbo quidem unquam quod sciam offendi, sed eos potius accusabis qui me ad haec scribenda coegerunt. Quam libere et sincere, adde etiam fortiter, non de vera religione modo, verum etiam de religionis ministris et antistitibus senserim et praedicaverim semper, testis est Italia illa nostra, testis est Gallia, testis etiam est Germania aliaeque remotiores gentes, ne in re perspicua unum aliquem testem producam: quamvis tu mihi optimus es testis. Neque nunc etiam aliter sentio aut facio quam antea semper. Quorsum haec, dices? Quorsum? ut intelligas, quod quidem te facere non dubito, qui de me secus aut sentiant aut loquantur, eos aut hallucinari, aut animi vitio quopiam id facere. Haudquaquam mirarer autem, si hoc facerent adversarii nostrae de religione sententiae, quos a me interdum perstrictos esse et verbis et scriptis fateor: verum quum audio me ab iis absentem carpi qui defendere potius debuissent, dicam, carissime frater, nec te diutius tenebo suspensum. Sermo incidit isthic [1]) inter quosdam de quibusdam versiculis a *Perna* bibliopola [2]) ex Italia, ut audio allatis, qui nescio quid de *Serveti* causa continerent, quumque etiam adesset vir doctrina et pietate clarus Rodolphus *Gualtherus*, mihi amicissimus, is illico sine prooemio: scio, inquit, qui eiusmodi versiculos spargit, vester haud dubie *Coelius*. [3]) Hoc quoniam ad meam existimationem pertinere amici quidam mei existimaverunt, idcirco mihi scribendum esse censuerunt. Quod ubi accepi mirari sane satis non potui quid hominem moverit ut isthuc * tam temere de me pronunciaret. Neque fortassis id semel sed saepius factitavit, nimirum ubicunque ea de re incidit sermo. Ita ego inscius et immeritus passim traducor, idque ab amicis, imo fratribus. Quis illi hoc persuasit? non equidem sobrii et cordati homines, sed aut aemuli mei et invidi, aut vana aliqua et fallax cogitatio. At ego contra sancte confirmo, testemque Deum facio, me ne syllabam quidem unam eorum versiculorum scripsisse, excogitasse, sparsisse, aut ut fierent spargerenturve autorem fuisse. Quod si unquam me autorem eorum esse *Gualtherus* evicerit, probaverit, ostenderit, nullum supplicii genus recuso. Interroga tu, mi frater, doctorem *Massarium* [4]) qui apud vos est atque ex Italia allatos esse comperies: me autem horum nunquam quidquam aut scivisse aut cogitasse. Nihil ego quid publice a summis, quid privatim ab aliis fiat agaturve moror, in meum scopum semper intentus. Unus Christus verus ac sempiternus Dei filius mea una cura est, mea solida et perfecta sapientia, via, veritas, vita, iustitia, sanctificatio et redemptio. Quod ad reliqua attinet, meas literulas curo: meo otio, quantum per publica academiae nostrae negotia licet, fruor: neminem aut facto aut dicto lacesso, omnibus prodesse, nocere nemini satago: quin potius lacessitus taceo, laesus fero; conniveo ne pax haec et sancta tranquillitas ullo animi motu mihi intercipiatur. Quamobrem te per nostram veterem amicitiam, per Christi caritatem oro atque obsecro, ut meam absentis causam suscipere, me a calumnia, si qua est, vindicare et asserere velis: itemque D. *Gualthero* dicere, eum non debuisse illud verbum de me et in me proferre. Novit enim caritatem non esse temerariam, non suspicari male, nihil per impotentiam animi agere. Viderit igitur ipse, quid egerit. Equidem feram, ut potero. Deum precabor, ut veritatis cuius ipse parens est, pro me suscipiat propugnationem. Ad te autem potius quam ad ipsum scribere hac de re volui, tum ne quum ad eum nunquam scripserim, scribendi initium haud satis laeto omine ab expostulatione facerem, tum etiam ut te isthic in hac mea causa patronum advocarem, quem mihi semper officio patronum, beneficio parentem, amore fratrem cognovi.

1988. 1) *Turici.*

2) *Basileensi. Quinam illi versus fuerint nescimus: Camilli Renati poema m. Septembre scriptum fuit.*

3) *Non mirum hunc protinus in suspicionem venisse. Satis male audiebat Castellionis, Cellarii et talium amicus. Vide Grataroli epistolas hac hyeme scriptas. Quod tam enixe hic se defendit, ex hoc non sequitur eum falso accusatum fuisse. Etiam Castellio se purgare conatus est, de cuius sententia tamen abunde constat, etiam si Bellium fuisse demonstrari peremptorie nequeat.*

4) *N.* 1914.

Accedit etiam autoritas ista tua, qua mihi obtrectantes non solum refutare, verum etiam cohibere possis: quod ego et feci antea pro vobis vestraque ecclesia, et sum deinceps facturus. Vale. Basileae 1554.[5])

1939.

INCERTUS INCERTO.

Apologia Calvini ab aliquo satis moderato viro scripta ad aliquem verbi divini ministrum, qui non ita pridem ex monachatu se ad evangelium converterat, et nunc contra antistitem Genevensem doctrinam Bolseci defenderat et Servetum immerito capite plexum scripserat.

(Exstat hoc documentum in Cod. Genev. 108, fol. 5, manu coaeva scriptum; charta in epistolae formam complicata sed absque inscriptione.)

Quum superioribus diebus aliquorum sermone intellexissemus te istic divini verbi semina pure tum iacere, tum quae iam olim iacta fuerant pure irrigare, non mediocriter quidem ut par erat delectati sumus, coelestique patri eam ob rem gratias egimus quod vicinos nostros[1]) eosdemque amicos non vulgares spirituali hac benedictione rursus inviseret, quibus fulgore suo iam aliquoties illuxisset. Atqui quum post aliquot * temporis intervallum a plerisque relatum nobis esset, te privatim ac publice *Calvini* nomen suggillare, dici non potest quam aegre id omnino tulerimus, non tam quidem privato viri illius nomine (quamvis et id quoque) quam publico totius ecclesiae, quae sane aculeatis istis morsibus non potest perversorum hominum, atheorum inquam et hypocritarum, sannis, non patere. Ut interim non dicam eiuscemodi dissidiis pietatem nonnunquam periclitari apud infirmiores, quorum tamen rationem habere christiana caritas suadet. Satis vero superque ab iis qui manifestos se profitentur adversarios, pia doctrina[2]) iam patiebatur incommodi, etiamsi ab illis qui se amicos praedicant, illi ipsi negotium non exhiberetur. Ea profecto vulnera, quae aut mortem aut diuturnum afferunt languorem, inimicorum censenda sunt, ab amicis infligi non possunt. Quis quaeso praeposterum illum zelum, quod monstri sit instar, non prorsus reiiciat, ubi quis verbis se favere venditat, re ipsa nocet? Istud demum est praevaricari et quodammodo cum hostibus colludere, non reipublicae consulere saluti. Simplicius sane ac purius est Christianorum ingenium quam ut temere tales fucos admittat.

Sed tamen priusquam aliud agam propius es mihi conveniendus. Iam quod *Calvinum*, ut multorum auditione accepi, quasi reum in ius subinde vocare soles, si respondeam, te nec ingenue nec humanitor agere, qui absentem crimineris teque legitima exceptione merito repellendum, quod extra suum forum homini litem intendas, quis id mecum iure non fateatur? Demus vero in nonnullis impegisse *Calvinum* et humani aliquid passum fuisse:[3]) an ideo tantae tibi tragoediae his in locis excitandae erant? an etiam de christianae modestiae gradu tibi decidendum? Quod si ea tibi dignus videtur contumelia *Calvinus*, at ei parcendum erat ecclesiae, in qua Dominus magnifice suas quotidie vires exserit, quamque tam praeclaris dotibus illustrat, ut in his ignorantiae ac superstitionum tenebris, quibus offusi plerique homines misere etiamnum caecutiunt, velut insignis quaedam lampas evangelico splendore orbi christiano, nedum ipsi Galliae, eminus praeluceat. Ut omittam quod innumeris Iesu Christi servis adversus tyrannicos insultus nullum iam tutius asylum possit offerri. Quod si forte quidam illic haud satis de te bene meriti sunt,[4]) an propterea haec invidia in universum corpus derivanda erat? Tu tamen istaec quam nihili pendas, res ipsa satis declarat.

Verum cupio abs te intelligere quid tu tandem in *Calvino* censeas improbandum. Moresne an doctrinam? an etiam utrumque? Iam si morum illius censorem agis, neque locus, neque tempus, nec denique consuetudo tam acidam eamque praeposteram reprehensionem admittunt. De loco et tempore iam nonnihil superius attigi, et postea forte aliquid dicendum erit. Quantum ad postremum attinet, quod hic agis maiorum institutis consentaneum non est. De apostolis et apostolicis viris loquor, qui dominici mandati memores, ubi quis lapsus esset, fraterna caritate hominem admonebant quo resipisceret. Quod si pertinaciorem offendissent quam ut pia exhortatione ad meliorem frugem se reciperet, praescriptum a Domino ordinem persequebantur non erumpebant protinus in convicia et contumelias. Ut taceam quod longe alia ratione cum pastoribus ac verbi ministris agebant pii illi patres, quippe qui spiritus edocti magisterio, ut non temere neque

5) *Vergente Martio aut ineunte Aprili scriptam fuisse demonstrat Bullingeri responsio N.* 1942.

1939. 1) *Bernenses?*

2) *de praedestinatione?*

3) *Apologeta noster non inter intimos Calvini quaerendus videtur.*

4) *Ergo is ad quem scribitur ipse non immerito de Genevensibus querebatur.*

cito quem in ordinem presbyterii admittebant, ita nisi legitimo iudicio adversus presbyterum recipiebant accusationem, tantum abest ut cuiquam illum condemnare indicta causa permitterent. Quod si doctrinam hominis aliqua in parte damnas, eodem quo prius te implicas vitio, ut qui hanc actionem usitato ecclesiae [*more*] non persequaris. Nam quis ex veteribus, qui modo probatae fidei fuerit, tale quidpiam unquam tentasse reperietur? Quem ex maiorum gentium doctoribus autorem hic habes? Legantur veteres historiae quae de rebus tractant ecclesiasticis. Ex illis perspicuum fiet, episcopum aut verbi ministrum errore pervicaci dementatum non privati alicuius arbitrio sed solemni multorum episcoporum sententia damnari solitum. Longe etiam moderatius ac modestia multo maiore usos esse constat graves illos viros, si quando more humano quis impegisset. Nec enim aut Cyprianum aut Lactantium aut ipsum Irenaeum aliosque sanctos homines atrocius exagitarunt, quod in nonnullis essent hallucinati. Ardentior quippe inter eos flagrabat caritas, quam ut in fratrum lapsibus tam morosos Aristarchos se praeberent.

Sed his recitandis rationibus frustra mihi videor immorari, praesertim quum tu novus hic nunc hospes a non ita multis diebus illinc[5]) adveneris ubi, si iustam accusandi causam habuisses, legitima tibi disceptatione cum homine experiri licebat. Quis enim nescit quam libera sit illis in locis veritatis asserendae facultas? Nec est quod causeris apud Genevates id forte liberum non esse, quando et apud alias ecclesias eam tibi rem agere volenti locus esse potuisset. Id quum non feceris, imo eorum more, qui suae causae non satis fidunt, in his angulis, apud imperitum vulgus quaevis maledicta consarcinare adeoque virum multis nominibus commendandum, et de re christiana optime meritum calumniose traducere tibi libuerit, in non levem nobis venias suspicionem necesse est, quasi longe alio zelo movearis, quam prae te feras, nempe improba vindictae cupiditate, quae suo quodam impetu te sic transversum rapit, ut a christiani viri officio permultum hic aberres. Cui vero id iam dubium fuerit? maxime quum tu, nescio quo animo, causam turbulenti illius *Hieronymi* defendendam susceperis, qui ab aliis quoque ecclesiis, nedum ab ea quam immerentem odiose lacessere te dicunt, sit explosus? Harum quidem si te Iesu Christi honor zelusque domus Domini vere ureret, tranquillitas turbanda non erat ut pessimis istis consultoribus, affectibus inquam tuis, indulgeres. Meminisses potius dicti illius vehementer tremendi, molam asinariam collo alicuius appendi eundemque in profundum maris demergi satius esse quam si vel unum ex infirmioribus scandalizaverit. At tu quantam scandalis fenestram aperueris vide: nisi tamen in totum tibi oculos ademerit livor. Nam quis istum in te morbum non subodoretur? praesertim quum tu vel minimam veneris occasionem tum ipsi *Calvino*, tum eius symmystis viris integerrimis detrahendi, ut quoquo modo privatas nescio quas iniurias ulciscaris. Quod si male feriati illius *Hieronymi* calculis Genevensis ecclesiae explosa tibi placet sententia, habes publicis literis contestatas in contrarium rationes. Has, si potes, vel absens scriptis contrariis everte, quando iam id praesens non audes. De iis sane, quos ais in tam periculoso errore versari, multum omnino mereberis, si tu homo acutus omnes ingenii nervos in eam refellendam doctrinam intenderis; alioquin si privatim, in umbra, sudore prope nullo, hostibus procul dissitis hoc certamen institueris, victoriam quidem retuleris facilem, at non perinde gloriosam ac tantum ducem deceret, nisi tamen astu etiam militari hic uti malis, ut hostem scilicet, quem aperto marte vincere non potes, cuniculis adoriare. Ecquis autem, cui vel mica sani iudicii fuerit, usitatas has esse monachorum artes plane non intelligat? quorum tu fermento si penitus, ut aliquando prae te ferebas, nuncium remisisses, non tam inconsulte, ne dicam improbe, hanc adornasses fabulam, quae sane, nisi ab homine ambitioso, et vindictae plus quam Christianum deceat cupido, agi non potest. Quod si quae Iesu Christi sunt tantum quaereres, omni, vel si graviter esses offensus, simultate ex animo sublata, ea quae ad pacem sunt Ierusalem tibi maxime placerent.

Sed longe alium tibi scopum proposuisti, qui minutias vel levissimas ineptissime consequaris quo *Calvinum* una cum eius collegis in multorum invidiam trahas, sanctumque eorum ministerium, quantum quidem in te est, enerves. Nam dum homo facetus illis coenas quasdam Apitianas ac, si superis placet, epularum lautitias obiicis, [6]) ad haec delicatos doctores per contemptum nominas, similibusque elogiis bonos viros insignis, annon manifeste prodis quonam spiritu agaris? Nempe eo quem mendacii patrem veritas pronunciavit. Quis enim apud eos homines vel paulisper versatus, illorum sobrietatem ac frugalem in omni re parcimoniam probe non novit? aut quis unquam ex ipsismet adversariis eos vel levi intemperantiae suspicione gravare ausus est? Praeterea quis nescit quum evangelium postremis his temporibus quasi postliminio rediret, quantas

5) *unde? non ex Gallia, sed ex ipsa Geneva, nam alibi cum Calvino disceptare libere non potuisset; vel saltem ex ditione quadam evangelica. Sed vide proxime sequentia.*

6) Quant à son vivre ordinaire il a esté tellement tempéré *etc.* (*Bèze, préf. de Josué p.* 29. 30). Cependant il n'a seu tant faire que Satan ne luy ait dressé toutes les calomnies *etc.* *Cp. Bolsec, Vie. ch.* 14.

plerique ex antesignanis, inter quos et *Calvinus*, pro nomine Iesu passi sint contumelias? quam variis animose sese periculis obiecerint? Eo certe, ut plurimum, res redibat ut persaepe praesentem intentarent omnia mortem. Et ut istaec ab aliquibus forsitan his in locis ignorentur, ipsa sane exsilia purioris religionis ergo perpessa * neminem latere possunt. Tantum abest ut delicatorum nomen, cuius tamen crebra mentione mire tibi places, illis ipsis exprobrari merito possit.

Minus etiam iis abs te obiici debeat, quod lato moeniorum ambitu circumvallati ab hostium furore sint immunes, adeoque extra omnem, ut dicitur, teli iactum umbratili perfruantur otio. Praesertim quum satis superque constet quam non uno belli genere intra tam superbas murorum exstructiones quotidie exerceantur. Et ut illis nihil iam aliud foris superesset negotii quam quod cum improbis plerisque hominibus domi subinde conflictantur, vel ex eo satis apparet eos quasi a gravioribus curis vacuos vix tantillum feriandi locum habere. Verum tu istaec aut malitiose dissimulas aut susque deque habes, tibique satis est modo ex proborum virorum vituperatione a nonnullis iisque partim rudibus et imperitis, partim de statu illius ecclesiae ac ministrorum verbi parum certis, et quibus ob id minimo negotio imponi possit, inanem plausum captes.

Atque ut tuum maledicentiae catalogum locupletiorem facias, Theodorum etiam *Bezam*,[7]) virum sine controversia et pium et eruditum, huic ipsi inserendum voluisti. Porro dum viros merito laudandos et qui pro virili negotium promovere evangelicum satagunt, nullumque ea causa laborem detrectant, una velut aspergine denigras, quid aliud ab iis qui Christi gloriae ex animo favent, pro mercede referre poteris, quam quod alii te malignum ac iniquum bonarum rerum aestimatorem dicent, alii nescio quid gravioris offensae illic, unde nuper prodiisti, perpetrasse suspicabuntur? Pauci certe omnino erunt, qui tam infelix argumentum te nactum esse non opinentur, quo vel sic aliquis esse videare, quum tamen praestitisset culpam, si quam in te admisisti, deprecari, adeoque intra tuam te continere cuticulam, interque ignotos ignobilem perpetuo iacere, quam quum male tibi forte conscius sis, insolentius exsultare atque etiam cum gravi infirmarum conscientiarum periculo, imo cum ecclesiae dispendio, quibusdam innotescere? Equidem, utut tuae se res habeant, te quacumque occasione schisma facere non aequum esse censeo. Quod si te fecisse negaveris, praesto erunt permulti qui te a *Calvini* adeoque ab ecclesiae Genevensis doctrina [8]) dissentire norunt. Quod ipsum neque tu dissimulandum voluisti. Atqui constat Genevensem ecclesiam nihil sentire, nihil sapere, nihil denique aliud docere quam quod eodem spiritu receperunt omnes ecclesiae quae ubique terrarum sinceram evangelii doctrinam amplectuntur, quarum profecto mirus est in praecipuis fidei capitibus consensus. Harum etiam pastoribus tam bene inter se convenit, quantum quidem inter homines potest, ut *Calvino* hac in parte vulnus infligere nequeas, quin alios quoque ecclesiastas, homines vere pios, quasi per eius latus saucies. Iam quum ab illis ecclesiis, in quibus pure doceri evangelium non ignoras, et a quibus si quid boni habes didicisti, apertam defectionem meditari videaris, imo etiam haud obscure in plerisque dissentias, nec romani item pontificis tyrannidi patrocineris, quas tandem partes tueberis? cuinam te coetui adiunges? An nescis Christianum esse posse neminem, nisi qui eam agnoscit ecclesiam, in qua vox evangelii sonet, ministerium evangelicum conspiciatur, sacrae preces communiter concipiantur, denique in qua ex ipsius domini instituto sacramenta rite administrentur? Nisi forte imaginariam quandam quasi Platonis ideam, aut ex Mori Utopia desumptam ecclesiam somnies, quae ipsa quum nominetur, nusquam tamen locorum appareat.

Haec quum ita sint, tuque praedicatoris munus hic assumas, quodnam de te specimen edis aut quod a probatis hominibus testimonium profers, quo in iis locis, in quibus nuper agebas, inculpate tum in moribus tum in doctrina te versatum fuisse intelligamus? Quid affers, cur viros et eruditione et sanctitate claros tibi tam atrociter proscindenti indubiam fidem habeamus? Scripturas, inquies. Quasi vero pseudoprophetae, teste Ieremia, non prophetarint mendacium in nomine Domini, aut quasi scripturis perperam detortis non sua commenta tueantur haeretici, et ipse Satan iisdem olim armis Dominum non sit adortus: quasi etiam qui per contentionem et invidiam, ut tradit Apostolus, Christum praedicabant, idem non praestiterint. Quorum plerosque similes, imo multo deteriores, utinam hodie magno suo malo non experiretur ecclesia, et ex iis potissimum qui occasione non bona illinc revertuntur unde haud ita diu te profectum aiunt. [9]) Ex quibus nonnulli velut canes ad vomitum redeunt, inque suam misere relabuntur Aegyptum, id est in coenum monasticum praecipites se rursus dedunt: alii, dum neque harum neque illarum partium esse volunt videri,

7) *Hunc speciatim impugnatum fuisse ab aliquo eo tempore alibi non legimus.*

8) *Vix de alia quam de praedestinatione cogitare possumus.*

9) *Haec monachum notare videntur, quod et confirmant sequentia.*

confusum nescio quod doctrinae cahos * ex partibus male cohaerentibus superbe comminiscuntur, idque, ut plurimum, reluctante ipsorum conscientia, quam tamen offusis nescio quibus fumis aut praestigiis sopire nonnunquam student: alii rursus quum nulli omnino se aggregent coetui, omnibus ecclesiis maledicunt, omnesque ex aequo subsannant.

Quorum e numero fuit infelix ille *Servetus* cuius blasphemiis quum pestilentius ac horrendum magis nihil esse possit, tu tamen capite plectendum non fuisse et privatim et publice multis audientibus asseruisti. Quo quidem nomine alius forte obiiceret, parum tibi fuisse *Hieronymi* illius damnatam sententiam tueri, nisi etiam *Serveti* palam haereseos convicti patrocinium quodammodo susciperes. Sed ego qui candide tecum agere institui, hac te invidia gravare nolo: praesertim quum et ab impiis illius dogmatibus abhorrere te putem. Quoniam vero de supplicio, quod de homine tum haeretico tum blasphemo magistratus Genevensis sumpsit, conquereris, et in hac parte Manichaeis et Donatistis suffragaris qui in ea fuerunt sententia, neminem religionis causa nec urgendum nec caedendum esse, sed quemlibet suo reliquendum arbitrio, id quam sit a veritate alienum, brevius ac fieri poterit declarabo. Daniel 3. exstat illustre exemplum regis Nabuchonosoris * qui edicto cavet ne quis dicat blasphemiam contra Deum Israel. Item Levitici 24° blasphemus interficitur. Rursus Deutero. 13. pseudopropheta et qui pios a vero dei cultu tentat abducere iubentur occidi: et ibidem 17. poena mortis in idololatram statuitur. Sed quid in tam exacta capitum citatione frustra me fatigo, quum in veteri testamento similia passim exstent exempla? In Numerorum libro mortis afficitur supplicio qui religionem sabbathi violarat. Praeterea qui autores fuerant tum erigendi tum colendi vituli gladio cadunt. Quid quod et Elias propheta tantus in numerosam pseudoprophetarum turbam ferrum stringit? Nonne et Ioiada sacerdos Athaliam interimit? Et ut his aliquando finem imponam, Iosias rex inter pios principes laudatissimus, sacerdotes excelsorum sacrilegos et pervicaces omnes ad unum internecione delevit. Quod si ex novo quoque testamento testimonia desideras, Petrus Ananiam et Saphiram ob hypocrisin et fictam religionem morte prosternit. Paulus Elimam magum rectas Domini vias pervertentem oculorum usu privat. Nec est quod dicas eos ad id gladio usos non fuisse. Quid enim refert an quis gladio perimatur an verbis, aliove quovis instrumento, aut etiam quo mortis genere cadat? Itaque quod Deus tunc per apostolos egit idem nunc per pium quoque magistratum agere censendus est. At si locum Pauli obieceris, ubi ait, haereticum hominem post unam aut alteram admonitionem devita, ad id quidem facilis est responsio. Nam attendendum est ad quem demum scribat Paulus. Nempe ad Titum, quem ut episcopum informat quonam pacto se gerere debeat in sui muneris functione erga deploratum haereticum. Quod si ad Sergium Paulum aut ad alium quemvis praesidem scripsisset apostolus, illum itidem de suo officio commonefecisset. Etsi autem corda magistratus immutare non potest, neque fidem, quae Dei donum est, animis inserere, tamen ad eius officium spectat blasphemias, pestilentem doctrinam impiamque professionem, quae ecclesiae bene constitutae pacem conturbat, legitimis poenis coercere, ne ea occasione christiana res aliquid detrimenti accipiat. Quod quum olim optime perpendissent pii illi imperatores Constantinus, Theodosius, Valentinianus, Martianus et alii quidam, edicta severissima in idololatras, apostatas, haereticos ac blasphemos promulgarunt. Quos ipsos principes tantum abest ut sancti illorum temporum episcopi eo nomine reprehendendos censerent, ut id potius recte sancteque fieri assererent. Cuius rei, ut alios non citem, testis est locupletissimus divus Augustinus, qui id ipsum et sensit et docuit. Quod multis locis videre licet, maxime in tractatu in Ioan. 11. item contra Petiliani literas lib. 2. cap. 53. et de vi coercendis haereticis ad Vincentium contra Donatistas epist. 48. Rursus in epist. ad Bonifacium comitem 50 et alibi saepe. Et haec quidem quae superius adduxi homini non prorsus contentioso satis esse possunt. Ex quibus ipsis vel clare liquet Genevensem magistratum haud iniuria haeretico *Serveto* poenam mortis irrogasse. In quo sane tantum abest ut ulla hic temeritate quidquam gestum sit aut cuiusquam affectibus aliquid datum, ut nisi prius consultis clarissimis ecclesiis non paucis, nihil hoc in negotio sit peractum.

Quod eo lubentius nunc refero, ne tu hoc deinceps nomine *Calvino* struere pergas calumniam, quem nos virum non idoli loco, quod impudenter fingis, nobis ereximus, qui unum Deum per Iesum Christum inconcussa fide colendum scimus. In hominibus vero piis eximia spiritus sancti dona, quibus eos abunde illustrare voluit optimus Deus, vel invito diabolo et laudamus et exosculamur. Tantisper autem *Calvinum* pro insigni Christi servo sanctoque evangelii ministro habituri sumus, dum in hoc pure docendi stadio currere non destiterit, sanaeque doctrinae fidem, ut coepit, probitate vitae nobis approbaverit. Porro eos omnes qui aliam doctrinam aliudve evangelium, quam quod gratis Dei accepimus, ad nos attulerint, etiamsi capite coelum illi attingant, ut anathemata exsecrabimur. Nihil hic superst nisi Deum nostrum ex animo precemur ut scandala, labes et maculas omnes ab ecclesia sua procul amoveat, tibi vero cum animum indat ut, quum eius bonitate dotes haud contemnendas sis assequutus, eos in ecclesiae suae usum

qua decet sinceritate conferas, omnique expurgato humanorum affectuum fermento ab eius corpore cuius caput est Christus ne desciscas: alioquin si, ut Petrus ille *Carolus* apostata (ad cuius mentionem non leviter tibi expavescendum est) una quidem manu colligas, altera dispergas, scito Deum viventem, qui non fallitur et in cuius manus incidere horrendum est, ecclesiae suae illatam quocunque praetextu iniuriam acriter ulturum. Quem ego etiam atque etiam supplex oro ut priusquam totus corruas tui misereatur, nec atrox in te suae severitatis exemplum edat. Vale. Datum Calendis Aprilibus 1554.

1940.

SLEIDANUS CALVINO.

Opus suum historicum absolvit; sunt tamen nonnulla de quibus accuratius edoceri cupit. Narrat quae nuperrime in Britannia, Germania et Argentorati evenerunt.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 49, mutilo et lacero.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis doctori fidelissimo amico plurimum colendo.

Genevae.

Sal. Pergratae fuerunt quas xv. calend. Martias ad me dedisti.[1]) Non multo post allatus etiam est tuus de *Serveto* liber ex quo necessaria meo instituto desumpsi.[2]) Rogo te, quum illud Valdense[3]) acceperis ab eo quem nominas tuis in literis, uti quam primum mittas. Absolvi totum opus et ad hoc usque tempus habeo confectum nisi quod passim nonnulla requiro, quae si essent ad manum darem vela ventis. Libri sunt xxv, titulus est de Religionis et Reipublicae statu Carolo quinto Caesare. *Garnerius* mihi dixit excudi librum apud vos de Martyribus nostri temporis.[4]) Cupio scire quid sit. Est sane argumentum magna commendatione dignum et quod avide exspecto. Equidem quantum omnino scire potui persequutiones etiam piorum hominum tracto inter alia. Facinus illud audacissimum et nefarium Franciscanorum Aurelianensium admissum, nisi fallor anno 1533, velim etiam exacte scire.[5]) Vide obsecro an in eo mihi gratificari possis, et ignosce quod tam libere tecum.

De statu Britanniae non dubito quin ad vos multa perferantur. Hic multi sunt Angli qui propter religionis mutationem e patria discesserunt. Sunt etiam aliis in locis, per agrum, ut audio, Clivensem, deinde Francofurti. *Lascus* cum suis non ita benevole receptus in Dania, dicitur esse apud Frisones.[6]) Oppresso tumultu et seditione, multi sunt affecti supplicio et xij quidem Febr. die *Ioanna* Suffolcia regina cum marito Gui[*lielmo Guil*]*fordo* Northhumbrii filio, quos nono post die sequutus est pater [*eius*] *Suffolcius* Henricus.[7]) De Thoma *Wieto*[8]) coniurationis duce nondum est auditum neque de Cobamo[9]) qui cum tribus etiam filiis detinetur. Martii die

1940. 1) *deperditae sunt.*

2) *Sleidanus de eo sciscitatus fuerat N.* 1881.

3) *Quod tamen demum anno sequenti prodiit:* Histoire memorable de la persecution et saccagement du peuple de Merindol et Cabrieres et autres circonvoisins appelles Vaudois. L'an M. DLV. 16. 136 *pp. Exemplar libelli nostrum periit illa nefasta nocte 24. Aug.* 1870.

4) *Editio princeps, testibus Le Long et Haag, fuit:* Le livre des Martyrs depuis Jean Huss jusqu'en 1554. Gen. 1554. 8. *Auctorem fuisse Io. Crispinum constat.* — *Ed.* II.: Recueil de plusieurs personnes qui ont constamment enduré la mort pour le nom du Seigneur depuis J. Wicleff jusqu'a cette presente annee 1555. 16. *Ed.* III. 1556 *et simul Baduelli versio latina. Plures aliae sequutae sunt. Ultima fuit, qua nos utimur Gen. Aubert* 1619 *fol.*

5) *Hoc Franciscanorum facinus illud ipsum est cuius relationem olim sub N.* 22 *edidimus, iam tum monentes eam diu post factum scriptam fuisse et quidem Sleidano rogante. Nesciebamus tamen tunc quo tempore hic sibi eam expetiverit. Iam mireris Sleidanum de hoc facinore edoceri voluisse, quum ipse tum temporis Aureliae adfuerit adeoque etiam in anno definiendo erraverit quum potius ad a.* 1534 *referendum fuisset, ut ipse bene refert lib.* IX. *p.* 509. *Cf. quae habet Io. Wier, celeb. ille superstitionum impugnator in l. de Praestigiis daemonum* V. *c.* 23, *p.* 525, *ed. Bas.* 1568 (*in recentt. edd. c.* 26)*:* Ficti exorcismi historiam aliam hic subiungere placuit. Est autem ea ut mihi notissima ita et certissima. Nam eo fere tempore Lutetia Aureliam veni. Hic tum familiariter utebar multis non obscuri nominis viris, potissimum medicis, Gerardo Fabro Cadurcano, Vitale Besumbaeo, Ioachimo quodam ex Provincia oriundo, Michaele Villanovano (*i. e. Serveto ut vult Mosh. N. Nachr. p.* 32) et reliquis. Ibi tunc temporis quoque cum Io. Sturmio, multiiugae eruditionis viro, simul degebat doctissimus ille Io. Sleidanus, qui institutae tragoediae narrationem ea fide et ordine explicat ut a me nihil debeat immutari. *Moshemius addit, Sturmium et Sleidanum a.* 1534 *Aureliae degisse, quorum hic ibi Iuris licentiatus creatus postea Franciscanorum fraudem, cuius testis ipse fuerat, enarrarit. In his vir summus nobis videtur errasse, Wierii verba nimis presse interpretatus. Sleidanus rem a Calvino per Besam scribente didicisse videtur. Beza a.* 1535 *Aureliam venerat, et ipse quoque narrationem qualis in Hist. eccl.* I. 17 *legitur concinnasse putandus est, item illam quam sub N.* 22 *exhibuimus.*

6) *N.* 1891.

7) *Nobilia illa capita, Ioanna Gray, William Guilford Dudley, Henry Gray Lord Suffolk, satis ex historia nota.*

8) *Sir Tho. Wyat seditione facta in Cantio d.* 11. *Febr. devictus et captus ultimus omnium periit supplicio. Cf. Zurich Letters* II. 513, *not.* 5. *Weber p.* 222 *ss. Sleidan.* III. 451.

9) *Geo. Brook Lord Cobham obiit demum* 1558.

quarto Regina leges promulgavit ecclesiasticas [10]) quibus inter alia poenam statuit sacerdotibus maritis, et adolescentulos erudiri iubet in scholis, quo modo sacrificis missantibus ministrare debeant ad aram: primatum quoque pontifici tacite restituit quando iusiurandum ab *Henrico* rege constitutum remittit, Comitium quod Londini [11]) semper haberi consuevit Oxoniam transtulit eoque deportari iussit [*Cantua*]*riensem*, *Londinensem* episcopum et *Latimerum* captivos, qui sane ma[*xi*]mo videntur esse in periculo. [12]) *Wintoniensis* [13]) plane triumphat. De filio Caesaris nihil adhuc audimus. Quum ille venerit accedet catastrophe. [14])

Saxoniae Dux *Ioannes Fredericus* mortem obiit Martii die tertio, [15]) cum ante ipsum xi die coniunx exspirasset. Prius tamen inter ipsum et *Augustum Mauritii* fratrem transactum fuit. *Albertus* [16]) denuo conscribit exercitum, idem facit *Henricus* Brunswicensis, episcoporum nomine: pass[*im*] etiam alii principes sese comparant, et plena sunt omnia motibus. Nam mirantur omnes unde tantum sit *Alberto* nervorum, praesertim [*quum*] sit omni prope ditione per episcopos exutus et proscriptus etiam a Camera. *Caesar* nihilominus imperii conventum indixit ad octavum Aprilis Augustae, verum non apparet qui possit esse deliberationi locus inter arma. Urget Germaniam fatale aliquod exitium et in deterius omnia prolabuntur. Prussiae quoque dux *Albertus* qui primus ordinem militum illorum mutavit, mortuus est. [17]) Erat ibi futurus haeres *Albertus* e fratre nepos, verum ille ante annum sustulit filium ex altera coniuge. Si contingat *Augustum* ducem mori sine liberis maribus, [18]) electoratus et Misnia redibunt ad *Ioannis Friderici* filios. Qui Francofurto veniunt dicunt ei sub finem Februarii natum esse filium, sed non supra triduum vixisse.

Quum huc usque veni scribendo, literae sunt allatae recentes admodum ex Anglia quibus nunciatur *Elisabetham*, *Henrici* regis filiam ex altera uxore, captam esse, [19]) *Wietum* vero damnatum capitis affirmare se omnia impulsore fecisse *Cortenaeo.* [20]) Is est *Poli* Cardinalis e fratre, nisi fallor, nepos, quem *Henricus* rex ante xiiij annos in carcerem condidit sublato patre, Marchione *Eccestriensi*, *Maria* vero potita rerum liberavit. Hunc inter et *Elisabetham* et *Wietum* et quosdam alios coniuratio fuisse facta dicitur. Hoc si verum est, facile divinare licet qui sit ipsorum futurus exitus. Iis e medio sublatis, aiunt regiae stirpis neminem superesse. *Polus* e Belgio dicitur in Galliam esse profectus, pacificandi causa: [21]) *Burgensis,* [22]) alter Cardinalis, haeret apud Caesarem. Galliae rex admodum se comparat, uti ferunt, ad bellum et habet, opinor, suspectam pontificis actionem. Etenim ut Caesaris filius rerum in Britannia potiatur, videt omnium rerum minime sibi ferendum esse. Quod si forte pax fieret, credibile est, filium tertium, recuperata nunc Anglia, denuo esse moliturum aliquid in Germania, sed vivit Dominus.

Doctor *Petrus Martyr* et *Zanchus* alternis hic docent theologica, simul etiam philosophica, donec idoneus aliquis inveniatur et excellens. *Martyrem* senatus noster retinuit libenti certe animo, propter doctrinam insignem et notam ipsius modestiam. Obiectum quidem erat repagulum, sed explorata hominis virtus illud refregit atque submovit. [23]) Per eum qui has defert *Percevallum* velim ut ample mihi rescribas: is nuper etiam ex Anglia venit. Vale, vir clarissime. Datum Argentorati 2. Aprilis 1554. D. *Roberto Stephani** multam ex me salutem dicito et D. Nicolao *Gallasio.*

Tui studiosissimus
Ioh. Sleid.

[*Ve*]lim scire autorem libelli: *Le livre des marchans.* [24]) Non erit [*ei*] fraudi: si vivit, non nominabitur.

Percevallus opinione diutius hic mansit. Per Flandriam aiunt *Polum* Cardinalem esse largitum

---

10) *Sleid.* III. 457. *Weber* 234.
11) *Urbs parti adversae suffragata fuerat.*
12) *Hugh Latimer, olim episcopus Worcestriensis, postea concionator Eduardi regis, cum Ridleyo Londinensi episcopo statim post accessionem Mariae in vincula coniectus tandem postridie Idus Oct.* 1555 *combustus est.* (*Strype, Cranm.* II. 98. *Weber* 272.)
13) *Gardiner, Cancellarius et persequutionum promotor* (*N.* 1872) *obiit* 12. *Nov.* 1555.
14) *Philippus Caroli V. filius Londinum intravit, splendide quidem ornatum verum etiam patibulis refertum quae ipsi quasi arcus triumphales erant. Die* 25. *Iul. Vintoniae nuptiae celebratae.*
15) *Sleid.* 454.
16) *Brandeburgensis, qui cum rege Henrico II. foedus ineundum parabat. Victus imo devictus fuit m. Iunio proelio Schweinfurtensi.* (*Ranke* V. 267 *ss. Sleid.* 460 *ss.*)
17) *Minime.*
18) *Inutilis cura. Plures suscepit ex quibus unus Christianus ei superstes fuit et successor.*
19) *Suspicionem incurrit, gratuitam puta, Wyatinae insurrectionis consciam fuisse.*
20) *Courteney earl of Devonshire ex familia regia Eboracensi ut et cardinalis Polus. Qui demum m. Octobre in Angliam venit Pontificis legatus, ut iam supra monuimus.*
21) *postquam nimirum diutius Bruxellis apud Imperatorem commoratus fuit.*
22) *Franc. de Mendoza, archiep. Burgensis in Hispania.*
23) *Scil. Marbachius et caeteri ministri ob rem sacramentariam eum repudiabant, ita ut demum d.* 30. *Dec. vocationem acceperit, d.* 22 *Ian. munus adierit* (*Schmidt, Verm.* 140) *Eadem fuit Zanchii conditio, quem iam Sturmius consul a.* 1553 *vocaverat. Anno* 1554 *Capitulo Thomano adscriptus est.* (*Idem in Stud. et Krit.* 1859 *p.* 633.)
24) *V. Herminj. III.* 142. 420. *L'auteur est inconnu.*

indulgentias ob recuperatam Angliam. Perscribitur etiam [*illum a*]trox dedisse Caesari consilium in [*L*]utheranos, id vero cuiusmodi [*sit, nondum*] nobis constat. Si forsan ad te pervenit, oro mittas, et qui[*dem* . . . .][25])

1941.

ZERKINTES CALVINO.

Redit ad suum argumentum et supplicia dissidentium et haereticorum non esse optimam viam ad compescendam ingeniorum luxuriem et exstirpandos errores, modeste docet, excepto tamen Serveto et similibus. Sed talia soli magistratui committenda esse et Calvinum et agendo et scribendo melius abstinuisse.

(Ex apographo Bibl. Paris. Dupuy Cod. 102, fol. 75.)

Literae tuae,[1]) *Calvine* frater in Domino venerande, ex omni parte fuere gratissimae. Securum enim reddunt de vulgato illo malo pervagante omnium eruditorum animos, ut vel levissima dissentiendi suspicione oborta, protinus omnem amicitiam discerpant ac perdant. Deinde scias literarum mearum eventum me praevidisse,[2]) et quam facile sit haec lubrica argumenta et impetere et defendere, neque finem ullum fore argutandi, quamdiu mens et ratio hominibus constabit, praesertim doctis et exercitatis, quibus cum ignavis et imperitis res est. Contraham itaque me, ne onus suscipiam viribus maius, neve molestus sim homini melioribus occupato, quem poenitet ad ullam responsionem adegisse. Unum hoc reticere non possum, vereri me, ne non sint fasces et secures magistratuum via et methodus compescendi ingeniorum luxuriem, ne quis a publice receptis dogmatibus ministrorum consensu firmatis vel latum unguem discedat. Exempla omnis vetustatis nos docent humano sanguine et cruore istas maculas non elui sed diffundi. Vidi ego quos poenituerit magistratui autores lanienae miserorum fuisse, optasseque superstites esse, quos suo consilio videbant sublatos, maluissentque centum habere adversarios quam unius morte inquietam conscientiam circumferre. His ego neque *Servetum* neque plane impios et blasphemos comprehendo, sed innumeros non pessimos alioquin homines qui possunt his laqueis capi, quos illis tendimus. Utinam nos ipsi evadamus istas pedicas, magistratu mutante animum et sententiam. Postremo ut tu occallueris ad omnes omnium rumores et iudicia, ego tamen doleo existimationem tuam et insignia Dei dona modis omnibus in te veneranda, ob argumentum anceps et lubricum, a quo abstinere et tibi et ecclesiae integrum fuit, periclitari. Dicoque (quod non aperte satis forte nuper) neque tibi neque senatui in *Serveti* causa apologia fuisse opus. Si tamen aliquam flagitabat res illa, non tibi sed senatui incubuisse hoc onus: indignumque fuisse *Servetum* cuius exsecranda mors plures secum trahat, vel venia, vel leviore castigatione dignos. Vale, nostramque amicitiam indesinenter, ut soles, fovendam tuendamque suscipe. Quod me quoque facturum esse re ipsa quam verbis malo constanter testari. Bernae 7. Aprilis 1554.

N. Zerchintes tuus.

1942.

BULLINGERUS CURIONI.

Affirmat eum sine causa de suspicione propter versus pro Serveto scriptos Turici exorta turbari. Nemo enim ibi de hac re quidquam rescivit, nedum de autore opinionem manifestavit.

(Ex autographo Cod. Basil. Epp. ad Curionem G. I. 66, fol. 73. — Simler. Vol. 81.)

Clarissimo viro D. Coelio Secundo Curioni doctissimo professori scholae Basiliensis domino colendo et fratri meo carissimo.

Basel.

S. D. Reddita est mihi, doctissime *Coeli*, epistola illa tua per D. Hieronymum *Massarium*, qua tantopere contendis ut te expurgem apud D. *Gualtherum*, et fratrem et affinem meum longe carissimum. Et quidem quum huius nihil unquam audivissem ab ipso, mirabar primum quum tuas legissem, nec potui interquiescere donec ipsi tuas communicassem fideliter literas. Mirabatur et ille nec aliud respondebat quam se nunquam illa vidisse carmina, neque novisse qua de re sint scripta: tantum abesse ut in te reiecerit autorem. Haec nolui ignorares

25) *Deesse videtur unum vocabulum.*

1941. 1) *deperditae, quibus ad N.* 1904 *respondebat.*

2) *Haec nobis minus perspicua sunt quum Calvini responso careamus. Etiam Bonnetus in suo schediasmate de Zerkinte* (*Bulletin* 1874. III.) *de his literis nihil habet.*

tranquilliorique esses animo. Vive et vale. Festinanter 9. Aprilis Anno 1554. [1])

1943.

LEVERUS BULLINGERO.

Narrat iter suum Turico Genevam, et quomodo ubique comiter exceptus fuerit scilicet commendatus Bullingeri literis. Tristia imo tristissima ex Anglia accepit.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 108, olim Tom. IV. P. 1, fol. 385. Legitur inter Epp. quas Cantabrigiae 1848 edidit Societas Parkeriana. N. 77, pag. 100. — Simlerus habet Vol. 81. Anglice exstat ap. eandem Soc. Tom. I. p. 153.)

Salutem plurimam in Christo Iesu. In nostro itinere prima nocte Lentzburgae pater *Gervasius* [1]) lectis tuis ad illum literis admirabilem pii animi benevolentiam in nos tanquam in carissimos effundere mihi videbatur. Nam vesperi e publico diversorio nos abducens in suis aedibus ad suavissimam quietem perduxit, atque summo mane per duas horas nobiscum proficiscens tam exacte nos docuit viarum notas atque piorum virorum nomina, ut ex istorum consiliis et illarum signis nos semper deinceps admoniti de via facile recta pervenimus* Bernam. Ibi intelleximus *Musculum*, *Hallerum* et alios doctos valde benevolos fuisse atque propensos nobis iuvandis effectos per tuas ad *Hallerum* literas. Nam plures pariter in unis aedibus congregati ad bonam coenam nos invitarunt. *Hallerus* praeterea trium dierum liberali hospitio nos gratis acceptos ducebat quotidie ad quaecunque videnda vel audienda desideravimus. Losannae quoque *Baesacus* [2]) et *Viretus* tam verbis quam factis ostendebant per tuas ad illos literas nos et commendatos et gratos fuisse. Tandem vero septimo die Aprilis venimus Genevam, ubi absente *Calvino*, [3]) ad quem dixi me tuas literas habere, statim recepit nos commensales vir pius et probus qui nunc intra hos paucos dies *Calvinum* reversurum exspectat. Intellexi igitur et agnosco paternam tuam erga me providentiam mihi et consorti meo non solum in domo tua hospitium longe gratissimum gratis exhibuisse, verum etiam in aliis locis apud alios gratiam et benignitatem longe supra nostram exspectationem nobis contulisse. Atque proinde, quod tibi secundum Deum acceptum fero, iamdiu est ex quo coepi cogitare me non tam exsulem e patria mea peregrinari quam concivem sanctorum in domestica Dei familia nunc versari.

Nullam itaque nunc sentio meam miseriam, sed curam paene incurabilem pro eis quos in patria mea suspicor gravissimis periculis iam esse immersos. Nam Anglus quidam Bernam transiens scripsit ad conterraneos suos in Geneva, quod principes Bernenses accepissent per literas ex aula regis Galliae ad eos missas, reginam Angliae occisam esse a plebe exasperata per eius perfidam crudelitatem. Alius tamen, qui a Londino decessit 13 die Martii, hodie hic mihi retulit quod in seditione per *Voyetum* [4]) concitata nulli sacrifici fuere suspensi, neque post captum *Voyetum* ulla multitudo morte fuit mulctata. Solos dixit ducem *Suffolciae* et filiam eius D. *Ioannam* atque maritum illius decollatos fuisse, et omnes constanter in professione verae religionis perseverasse. Atque praeterea asseverabat se pro certo audivisse, *Cranmerum* Cantuariensem episcopum, *Ridleum* Londinensem episcopum, *Latimerum* concionatorem celeberrimum et *Halesium* [5]) legis peritum pium, omnes hos pariter traductos a Londino ad Oxoniam fuisse, ut ibi a dominis doctoribus illius academiae condemnati haereseos igni comburerentur. Ex istis omnibus nihil aliud possum ego colligere nisi aut vivente regina gravissimam ecclesiae persequutionem, aut grassante irrequieta multitudine irrecuperabilem dissipationem regni in Anglia esse.

Verum enimvero cordis mei durities, qua neque istarum calamitatum commiseratione neque meorum commissorum poenitudine unquam possit in lacrymas resolvi, saepe solet mihi animum turbare, ingenium obtundere et memoriam confundere. Quare te obsecro, mi pater, in visceribus Christi Iesu, coelestem patrem mecum pro me invoces, ut ipse respiciens nostras miserias, Christi merita et suas miserationes, mihi condonet meam negligentiam et nequitiam, auferat cordis duritiem, et tribuat resipiscentiae atque sanctificationis spiritum. — — — — — — — —
Genevae 11 die Aprilis.

Filius tuus Thomas Leverus. [6])

1942. 1) *Vides eum satis habuisse de facto et suspicione ista loqui. De Curionis orthodoxia quam tamen hic tam splendide praedicabat nihil addit.*

1943. 1) *Schuler.* (*N.* 1833.)

2) *Beza.*

3) *Vide infra ipsum N.* 1947. *Ubi vero fuerit dicere non possumus.*

4) *Thomas Wyat. Vide Sleidanum N.* 1940.

5) *De eius martyrio Editores Epp. Turic. anglice versarum laudant Foxe, Acts and monuments* VI. 710.

6) *De hoc viro vide N.* 1934, *not.* 3. *Plures eius exstant epistolae in ed. Parkeriana. De anno constat ex mentione rerum anglicarum.*

1944.

BULLINGERUS CALVINO.

Rumores bellici ex Gallia. Helvetii mercenarii in varias regiones diducti. Curio negat se pro Serveto scripsisse. Westphalo non respondendum.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 74. — Simler Vol. 81.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae fido pastori domino et fratri meo colendissimo.

S. D. Dominus benedicat ecclesiae nostrae et coherceat Satanae conatus, ut agatis in pace et honestate, neque dissipetur locus ille qui tot recipit et recreat exsules. Miror de quo loquaris legato [1]) quum in tuis ad me literis scribis, et hunc observare veluti ex specula quadam venientes ad vos ex Gallia ad participationem coenae. Copias sane rex conscribit [2]) nunc apud confoederatos nostros. Magistratus noster constanter inhibet suis mercenariam illam militiam, nec ullum regi militem concedit. Sponte tamen sua plures currunt quam conveniat ipsis inquam currentibus. Et quidem Rhaetorum 4000 ducet in Italiam. Legio helvetica descendet in Picardiam. Cohortes aliquot intrabunt solitam illam Pedemontanam. Atqui rarum est quod helveticus exercitus in tot diducitur partes. Plerique et huic et regi malo ominantur. Dominus misereatur afflictissimi populi et regi oculos aperiat ut videat quid sit innoxium fundere sanctorum cruorem, et quantopere bonus princeps pro pace reparanda et conservanda laborare debeat.

Librum illum de non cohercendis haereticis non vidi: suspicor tamen illum esse quem aiunt D. Petrum *Pernam* secum attulisse ex Italia quum descenderet Francofordiam. [3]) Id quod moneo ne fortassis suspiceris autores esse libri qui non sunt. Delatus fuerat *Gualtherus* noster apud D. *Coelium* quod dixisset *Coelium* huiusmodi spargere venenatos libros. Unde is se multis apud nos purgavit, negans omnino se quidquam huius unquam edidisse. Neque D. *Gualtherus* id quod ille obiiciebat dixerat. Arbitror ergo in Italia esse venenata ingenia qui* huiusmodi exhalent foetores.

Ioachimo *Westphalo* non arbitror esse respondendum. [4]) Sed si tibi et aliis piis viris aliud videatur, fiat quod aedificationi maxime servit. Audio Lutheranos in nos ita petulanter imo truculenter invehere* ut nihil dubitem Deum iustum iniustissimos istorum furores coherciturum. Dominus det illis spiritum sapientiae et humanitatis. Vale in Christo, domine colendissime et frater carissime. Commenda me precibus fratrum: quos ordine et mihi et symmystis meis salutabis. Tiguri 22. Aprilis 1554.

Bullingerus tuus.

1944. 1) *N.* 1935.
2) *ibid.*
3) *Satis miranda confusio cum versibus N.* 1938 *notatis.*
4) *Cf. N.* 1931. *Sententiam eum mox mutasse disces ex literis m. Maio scriptis.*

1945.

FARELLUS VIRETO.

Gratulatur ei puerum natum. Tum obiter Molinaeum, Albertum Marchionem, reginam Mariam, Bezam, Bellium in scenam producit.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 166, olim Epp. Tom. 24, fol. 333. — Simler. Vol. 82.)

Christi servo admodum insigni D. Vireto pastori ecclesiae Lausannensis.

S. Dominus Iesus plene adsit famulae suae, teque cum ista non minus gaudere faciat, quam Abrahamum et Saram in partu Isaci. [1]) Recte facis quod in tempore non deseris, et quod per te hic sperabamus, efficiat Dominus, licet parum mihi sit spei. Nam qui mecum facere deberent, sibi et aliis sapiunt. Qui ansam praebuit aliis, ut ecclesias premerent in observatione rituum et verborum, melioribus prohibitis, pergit valde sua probans consilia: nescio quid tandem pariet. Faxit Christus, ut tu huc veniens efficias aliquid in gloriam Domini.

Lubens vidi initium orationis *Molinei*, [2]) et tibi gratiam habeo, quod miseris ad me. Germania vere omnes ad lacrymas promovere debet. Magnus est furor Domini, quod toties prostratum surgere rursus faciat potentius *Albertum*. [3]) Sed quis non conficiatur super sorte Angliae? Quis non cum Hieremia mortem pii regis et *Ehraletae* [4]) tam duram persequutionem, miseriamque piorum omnium defleat quam amarissime. Vide, o Domine Iesu, et qui pro tam cruentis parricidis, qui te quam crudelissimae morti tradiderunt, patrem exorasti, propitius esto tuis, et tolle pestes incurabiles.

1945. 1) *Vides Vireto puerum natum fuisse. Famula non filia sed uxor.*
2) *N.* 1932.
3) *Sleid. N.* 1940.
4) *sic etiam Simlerus legit.*

Bezam optarem maturare opus in impios haereticos.[5]) Sed currenti quid calcaribus opus? Ita amet patrem, ne desinat in omnibus colere Deum. Certam habet vocationem, quam pro incerta non mutet. Christus servo suo aderit, qui te inconsulto nihil aggredietur.

Placet tuum super vidua *Francisci* consilium. Agam cum fratribus. Plura non licet. Tantum ad *Calvinum* scribes, *Bullingerum* omnem spem praecidisse conventus et colloquii.[6]) Literis omnia transigi vult, et putat satis esse, et tutum magis. Maydeburgi et non Magdeburgi[7]) librum insanum Germani ebrii editum ait, et per se ipsum evaniturum, indignumque cui respondeatur. Ad concionem vocor. Saluta quaeso omnes. Neminem post tuas licuit convenire nisi collegam et D. *Dommartinum*, qui properanti ad lectum venerunt, et salutati te resalutant. Vale cum tuis omnibus. Neocomi 26. Aprilis 1554.

Farellus tuus.

1946.

MERULA CALVINO.

Profitetur se Calvini discipulum et admiratorem, ab illo et Ochino ad Christum conversum eosque invisere cupidissimum.

(Ex autographo Cod. Goth. 405, fol. 58.)

Domino Ioanni Calvino apud Genevenses verbi evangelici concionatori verissimo.

Genevae.

Domino Ioanni Calvino viro et eruditissimo et plane christiano Gaudentius Merula.[1]) S.

Servum turpissimum, *Calvine* optime, nunc demum esse me cognosco: quia servituti obnoxium esse me turpissimae video. Et si in ea perseverarem, omnium profecto quos terra sustineat hominum, et orchus includat noxiorum, infelicissimum me iudicarem: propterea quod merces obsequii huiusce mei tantum esset poena et dolor futurus. Turpis est et infelix qui corporeis voluptatibus obsequitur: longo tamen intervallo ille omnium turpissimus et meo quidem iudicio infelicissimus qui Christi nostri servatoris hostibus et subscribit et inhaeret. Sed qui Christi sunt hostes: Vitia, Sathanas, Maumethes, et illa purpurata meretrix sive Circe quae poculo divitiarum menteis hominum subvertit. Sed ut ante hoc fecit, avertet me Deus et a poculo illius venefico me servabit incolumem. Et sicut me dignatus est erripere* a caligine Babylonica, ita ut ne ad eam rursus redeam providentia sua daturum operam et iter praecisurum omnino confido. Nam iam evanescunt ex animo Christo adiutore omnium vitiorum illecebrae. Natura senes propemodum facit avaros et hac in aetate liberalem me Christus effecit et salarium hic pro tempore satis honestum, quia Christo libere servire non possum, nunc senex relinquo. Haec, o *Calvine* optime, signa esse ad salutem video satis efficacia. Deserendae carnium ollae, relinquenda Aegyptus est et destituenda Babylon. Hic enim non lector a compluribus (sunt enim etiam qui hic beneficium agnoscant Christi et qui quum et autoritate et clientelis possint mihi student unice) sed Archisynagogus appellor et quamquam plane sim ἄμουσος me tamen vocant legis interpretem. Iam diu ab eorum urbe me exegissent, vel in calamitates aliquas praecipitassent, si hora decima accessisset. Et ego iam diu ab iis liberam abeundi facultatem ad calendas sextiles petii et ubi coloniolam meam in patriam deduxero per totum septembris mensem a me te salutatum iri, nisi casus aliquis obstiterit, omnino confido. Nihil enim est quod cupiam magis quam te et Bernardinum *Ochinum*[2]) quem Mediolani concionantem audivi et videre, et si per negotia vestra licuerit alloqui. Tuis tu me libris, quorum particulam ad manus habeo, illuminas quotidie: ille autem mihi primus viam stravit ad Christum. Ambo igitur a me et honorandi et maxime exoptandi. Profecto tuis (absit adulatio) elucubrationibus ita omnes tenebras a pectore Christo tamen adiutore excussisti, ut nunc tandem mihi videar in meridiana luce versari.

Una me tamen res in hac aegyptia caligine constitutum maxime solatur, quod auditores aliquot ad veritatem et lucem evangelicam excitarim: nonnullos ex haeresi babylonica ita dubios reddidi ut sibi timere incipientes facillimo negotio reduci possint ad mentis sanitatem. Oppidulum est inter Ananes Gallos in Cispadano tractu sub ditione gallica. Illinc qui ad nos veniunt milites cuiusdam Antonii *Savii* admonitionibus bene instituti ad Christum redeunt. Haec tibi significasse placuit.

5) *Contra Bellium. N.* 1936.
6) *Quorsum haec spectent tu videas.*
7) *Hic nescio quem nodum in scirpo quaerere videtur et in ep. Bullingeri nomen in titulo libri Belliani Maydeburgum scriptum legisse, quasi aliam urbem designans.*
1946. 1) *De hoc viro vide Fabric. Bibl. lat. med. aet. Tom. V. Exstant eius ll.* III. *de antiquitate et origine Gallorum cisalp. Lugd.* 1538. *Memorabilium ll.* V. *ib.* 1556.

2) *De Ochino Mediolani concionante v. Trechsel* II. 22.

quia scio te ob haec omnia solide gavisurum. Hic nunciatum est *Montemalcinum* [3]) qui libere praedicabat evangelium cum octo coenobitis, quod Christum abiurare noluerint, Romae fuisse combustum. Sed ne haec mea tibi βαττολογία negotium facessat finem dicendi faciam, si te unum admonuero. Me videlicet esse tui quam quivis sit alius et studiosissimum et tuo nomini deditissimum. Quod si in tuorum non amicorum numero sed discipulorum me numeraris, hoc tempore mihi praestare poteris gratius nihil. Bene vale aetatis huius decus. Ex Augusta Taurinorum, V. Kal. Maias MDLIIII.

1947.

CALVINUS BULLINGERO.

Leverus cum socio bene Genevae locatus. Iudicium autoris de libello contra Servetum edito. Bullingeri scriptum de gratia iustificante laudatur. Westphalo quamvis indigno communi responso satisfaciendum. Quaestionum politicarum a Scoto propositarum dilucidatio.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 105, olim. Scrin. B. Epp. Tom. I. fol. 597. — Simler. Vol. 82. — Ediderunt Mosheim Nachr. p. 106 et Henry III. 86 et Angli ed. Philad. III. 35.)

Clarissimo viro et eximio Christi ministro D. Henricho Bullingero Tigurinae ecclesiae fido pastori et symmystae observando.

S. Literae tuae postremae [1]) mihi ab optimo fratre nostro D. Thoma *Levero* [2]) redditae fuerunt. Ego in tempore non adfui, ut mea opera adiutus commodum hospitium inveniret. Bene tamen accidit quod Dominus me absente hospitem illis obtulit quo non temere deligi alius potuit melior. Ipse quidem et eius comes sibi ex animi voto consultum esse praedicant. Et certe digni sunt ambo quos in hoc suo exsilio tum consilio iuvare tum solatio levare boni omnes studeant. Alter [3]) brevi Argentoratum proficiscetur ob certa negotia, sed ut statim ad nos redeat. *Thomas* ipse quiescet, quia inde paulo plus sentit levationis a suo moerore.

In libello meo [4]) semper hoc veritus sum ne quid obscuritatis afferret brevitas. Cavere tamen non potui: imo destinato fere animi proposito ob alias causas inductus sum ne caverem. Hoc enim mihi non praecipue solum sed fere unice agendum esse duxi ut detestabilis omnibus pateret *Serveti* impietas. Plena [5]) autem earum rerum de quibus dissero tractatio visa fuisset astute quaesita, quae splendore suo dogmata non adeo impia obrueret. In stylo illam quam dicis gravitatem non animadverto. Quin potius summam operam dedi, quoad licebat, ut spinosas *Serveti* argutias non magna molestia diductas et explicitas haberet etiam rudis lector. Neque tamen me latet, quum in scriptis meis omnibus concisus sim, me hic solito magis fuisse restrictum. Verum modo constet, sincera fide rectoque studio defensam a me fuisse sanam doctrinam, hoc unum mihi pluris est quam ut suscepti laboris poeniteat. Verum tu pro tuo in me amore, pro ingenii tui candore et aequitate humaniter iudicas. Alii me durius exagitant [6]) quod saevitiae et atrocitatis sim magister, quod mortuum hominem, qui manibus meis periit, calamo proscindam. Sunt etiam quidam non malevoli [7]) qui argumentum illud nunquam me attigisse cuperent, de haereticis puniendis. Dicunt enim alios omnes, ut invidiam fugerent, data opera tacuisse. Sed bene habet quod te habeo culpae socium, si qua tamen culpa est, quia mihi autor et hortator fuisti. Vide igitur ut te ad certamen compares.

Librum tuum de Gratia iustificante mihi pridem fuisse redditum, literis meis certior factus es. Porro labor ille, quem toti ecclesiae utilem fore spero non potest mihi non gratus esse. Utinam industriae tuae respondeat omnium lectorum dexteritas. Praefatio admonuit ut nobis id agendum esse cogitarem [8]) de quo prius ad te scripsi. [9]) Nam etsi libello boni [10]) illius *Wesphali* * nihil insulsius fingi potest, quia tamen videmus principum [11]) animos talibus calumniis corrumpi et nuper triste eius rei exemplum in rege Daniae apparuit, officii nostri esse

---

3) *Io. Mollius dictus de Montalcino (in agro Senensi) primo professor Brixiensis fuerat, deinde Mediolani, postea ab a.* 1533 *Paviensis, ord. S. Francisci Minorum* (*Salig. A. C.* II. 60, *Rabus. Mart., Gerdes Ital. ref. p.* 302) *Bononiae ep. ad Romanos ad mentem evangelii interpretatus a Campegio in vincula coniectus, Romamque citatus post disputationem dimissus est. Circa a.* 1540 *Neapoli concionatus a.* 1553 *Romae strangulatus et combustus est.*

1947. 1) *N.* 1934.

2) Zovero *Mosh.*

3) *Hugo.*

4) *Contra Servetum.*

5) Pura *M.*

6) *Basileenses, Bolsecus, Libertini.*

7) *Ex. gr. Zerkintes N.* 1941.

8) cogitaremus *M.*

9) *scil. contra Westphalum scribendum esse.*

10) *Sic sananda lectio. Codex praebet:* bonis. *Inde apographa tam MSS. quam impressa:* levis.

11) *S. male:* principium, *M. ex coniectura*: videntur animi.

videtur quibuscunque licebit [12]) modis occurrere. Porro minus forte haberet dignitatis refutatio ab uno quopiam privatim profecta. Rursum quam difficile sit ecclesiarum consensum impetrare video. Tu igitur pro tua prudentia dispice [13]) si qua se offeret non poenitenda ratio.

Responsum quod Scoto dedistis [14]) ego libenter inspexi. Mecum his de rebus colloquutus erat antequam ad vos veniret. Ego, ut in sermone familiari, libere exposueram quid sentirem: non ultra institit, ac ne in reditu quidem petiit quidquam a me perscribi. Summa porro verborum meorum cum scripto vestro congruebat. Nam et de haereditaria regnorum successione eodem fere modo disserui. In altero capite, an evangelium manu armata asserere liceat, nihil prorsus fuit dissidii. De muliebri imperio sic loquutus sum, quum a legitimo naturae ordine abhorreat, inter Dei vindictas numerandum esse. Et tamen hac quoque in parte extraordinariam interdum Dei gratiam fulgere, quia viris socordiam exprobrans feminas non virili modo sed heroico spiritu praeditas excitat: sicuti in Debora illustre cernitur exemplum. Verum quamvis nihil aliud quam mera confusio [15]) appareat, nihil me permittere testatus sum hominibus privatis quam ut gemant. Esse enim γυναικοκρατίαν male compositam tyrannidi similem, quae ferenda est donec divinitus tollatur. Si quis religionis causa exortus fuerit motus, pronunciavi nihil mihi videri melius vel tutius, quam quiescere quousque peculiaris vocatio affulgeat. Petendum igitur potius a Deo spiritum moderationis et prudentiae, qui in articulo succurrat, quam agitandas otiosas disputationes. Atque [16]) in hac parte tractanda fui copiosior, quia in rebus turbulentis quantum sibi licentiae optimi quique indulgeant non ignoro, dum tempestatibus abrepti in meridie caecutiunt. Benedictus sit Dominus qui non aliter linguas nostras gubernavit quam si ex composito [17]) res inter nos acta foret.

Status ecclesiae nostrae adhuc manet suspensus. Sed literas cogor abrumpere, quia ex quo nactus sum nuncios istos, quibus confidere ausus sum, aliis negotiis districtus scriptionem longius, ut optabam, protrahere non potui. Vale igitur, ornatissime vir et frater mihi in Domino vere colende. Saluta meo nomine diligenter D. *Gualtherum*, *Pellicanum* et reliquos symmystas. Salutant te vicissim collegae mei, D. Marchio *Vici* et alii complures amici. Dominus te et familiam tueatur et benedicat perpetuo. Genevae 3. Kal. Maii [18]) 1554.

Ioannes Calvinus tuus.

12) licet *S. H.*
13) *Nondum accepit ep. Bullingeri N.* 1944.
14) *Articulos illos epistolae Bullingeri N.* 1934 *subiunctos.*
15) mira consensio *M.*
16) Alias *M.*
17) proposito *M.*
18) *Non* 28. *April. ut habet ed. Philad.*

1948.

WAYDNERUS [1]) BULLINGERO.

Calvinum in damnando Serveto et vindicanda magistratus autoritate omnibus numeris laudandum ex scriptura docetur, admiranda sane multorum locorum exegesi.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 176, olim Scrin. B. Epp. Tom. 37, fol. 294. — Simler. Vol. 82.)

— — *Calvini* librum de *Serveti* blasphemiis et ob eas supplicio de eo sumpto, legi quidem, sed propter argumenta in plerisque locis ab ipso *Serveto* male detorta, item Tertulliani ac Irenaei, vetustissimorum autorum sententias, non ubique fideliter ab ipso productas, adsequi plane, quae mea tenuitas est, non potui, maxime destitutus autoribus, unde integrari illae, antecedentia etiam et consequentia videri ac perpendi poterant. Accedit, quod perspicua magis amem, quam intricata haec et difficilia: quae, Paulo etiam conquerente, quaestiones magis praebent, quam aedificationem Dei per fidem. Alioqui ego per gratiam Dei, ex evangelio Ioannis, Paulinis epistolis, et aliis canonicae scripturae libris didici et ab ineunte aetate hucusque firmiter credidi, Christum secundum alteram naturarum, nempe divinam, patri coaeternum, ab aeterno ab eo genitum cum eodem et spiritu sancto eiusdem substantiae seu essentiae, ὁμούσιον * sub tribus, non divisis, aio, sed distinctis personis, unum verum Deum per quem creata omnia quae in coelis sunt, et quae in terra, visibilia et invisibilia etc. in plenitudine temporis carnem, i. e. hominem factum, assumentem quod non erat, manentem quod erat, reconciliasse nos sua morte, iuxta carnem, patri ex indignationis et irae filiis denuo factos adoptionis ac gratiae filios etc. Hanc confessionem eripi mihi non patiar, si mille oppetendae mortes, tanto minus per blasphema deliria *Serveti*.

Quod autem scribis, hunc *Calvini* librum a male feriatis quibusdam sugillari etc. mihi verisimile vi-

1948. 1) *Pastor fuit Wormaciensis. Vide eius epistolam d. d. Worm.* 30. *Martii* 1555. *Nomen hic ex Simlero sumimus.*

detur, sugillatores eiusmodi esse vel ex grege Anabaptistarum aegre ferentium, somnia sua utcunque impia et prodigiosa reprehendi ac coerceri, vel deploratissimorum papistarum, ut Genevensi magistratui, inprimis autem *Calvino* apud simplices et rerum imperitos invidiam faciant, fictis hisce crocodilinis lacrymis, qui alias haud dubie intus et in animis suis ita affecti ut uno rogo crematos esse aut cremari posse cuperent universos de fide christiana orthodoxe sentientes, ut ille qui optaverat universo populo Romano unum iugulum, quod uno ictu amputari posset.

Celare te hic non possum, quid mihi cum hoc hominum genere acciderit. Venerat ad me aliquot ante menses parochus quidam ex agro Vangionum, de eucharistia alioqui orthodoxe sentiens, et ob id familiarior et carior mihi. Huic ex more de variis colloquenti mihi libellum hunc *Calvini* obtuli, hortatus, ut asportatum secum legeret, lectum deinde remitteret. Ille receptum in manus legit titulum, quo lecto mox indignatione quadam iterum proiecit ex manibus, Christus non iussit, inquiens, cremari sed vitari haereticos. Idem docet Paulus. Ego admirabundus de homine, cuius existimatio eatenus apud me irreprehensibilis, respondebam: Heus, bone frater, an oblitus quod apud Ioannem Christus diserte testatus est, de primo adventu suo (qui in humilitate factus) non venisse se ut iudicet, sed ut servet mundum? Apud Matthaeum: se non venisse, ut ministraretur sibi, sed ut ministraret? Apud Lucam: illum, qui petierat dicere fratri suo ut divideret secum haereditatem, amandavit a se ad iudicem ordinarium dicens: Quis me constituit iudicem aut divisorem super vos? Nec voluit mortis ferre sententiam, iuxta legem Mosis, adversus mulierem in adulterio deprehensam: quia non venerat iudicare sed servare. Coram Pilato quum accusaretur affectati regni: Regnum meum, inquit, non est hinc. Et quum adiiceret praeses: Ergo rex es tu? Respondit: Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium feram veritati. Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam etc. Quibus sane verbis clare significavit, cur et quam ob rem tunc venerat, docendi scil. et genus humanum quod perierat reconciliandi cum patre, non exercendae mundanae huius potestatis gratia. Quod post Esaiam Paulus propriissime explicat ad Philippenses: Qui quum esset in forma Dei, inquiens, non rapinam arbitratus est, ut esset aequalis Deo, sed inanivit semetipsum forma servi sumpta, etc. (Nosti, frater, locum.) Mirari ergo non debes, quod non comburi haereticum et incorrigibilem hominem iusserit, sed vitari, relegans a se ubique profani magistratus functionem, civili servientem politiae, eo ipso non tollens, sed confirmans eandem. Quod vel irrefragabiliter inde elicere licebit, quod paulo post apud eundem evangelistam dicenti Pilato: Mihi non loqueris? nescis, quod potestatem habeam crucifigendi te, et potestatem habeam absolvendi te? respondit: Non haberes potestatem adversus me ullam, nisi tibi datum esset e supernis. Quid hoc aliud, quaeso, frater, quam quod Paulus ad Romanos: Non est enim potestas nisi a Deo. Et quisquis potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Et caetera quae illic et praecedunt et sequuntur. Frustra infers ergo: Non iussisse comburi (ut nec Paulus) ergo comburendi non sunt, nec alia quam vitationis probro poena coercendi, praesertim in filium Dei tam atrociter blasphemi, cuiusmodi monstrum illud hominis, ex divina Christi natura, qua patri coaeternus, ideam Platonicam faciens. Porro, si quod christiani regis aut magistratus officium sit ignoras, ex Libris Regum petas licebit, item quinto libro Mosis. Praecipue et in primis illud, curare omni studio, diligentia, opera, ut a subditis Deus rite colatur, ut qui prophetarum funguntur munere, canonicam et vivificam scripturam, acceptam ex ore Dei, utpote utriusque testamenti libris, populo fideliter proponant, non excogitata a semetipsis somnia, ut coerceantur severiter, vel morte corporali, qui adferunt nova dogmata, blasphema in Deum et unigenitum eius. Proinde quae de rege scripta, de magistratu quolibet civili intelligas oportet, ut praeallegato loco scite explicat Paulus, potestatem gladium non gerere frustra, sed ministrum esse Dei, ultorem ad iram ei qui quod malum est fecerit etc. Nihil ergo peccavit meo iudicio, adiiciebam, christianus Genevensis magistratus, indigne ferens, Christum Dominum Deum ac redemptorem suum a spurcissimo nebulone illo tantis blasphemiis affici, quod eundem scripturis sacris antea convictum, et nihilominus in illis contumaciter haerentem igni adiudicaverit. Nihil etiam peccavit *Calvinus*, qui factum hoc legitimi magistratus pro gloria Christi zelantis publico scripto excusaverit. Non certe magis, quam peccavit Haelias Baaliticos sacerdotes, quum cunctaretur rex impius, ingulans vel manu sua. Ita increpitum a me hominem dimisi, de collusione cum Catabaptistis porro suspectiorem futurum mihi.

Haec ad te, *Bullingere*, verbosius pro simplici mediocritate mea, ut scias etiam apud nos multorum de *Calvini* libello hoc praepostera esse iudicia et (quod magis me urit) eorum qui parochi ecclesiastae et concionatores evangelici et esse et haberi volunt, unde ex animi sententia gaudeo, D. Theodorum *Bezam* in patrocinium *Calvini* parasse Apologeticum. — — — — —[2])

---

2) *Subscriptio hodie in autographo desideratur.*

1949.

LE FÈVRE A CALVIN.

Lettre écrite en vue de la prochaine exécution de la sentence qui le condamne au bûcher. [1])

(Autographe de la bibliothèque de Genève Cod. 109, f. 51.)

A Monsieur Maistre Iehan Calvin pasteur en leglise de nostre Seigneur

A Geneve.

La dilection de Dieu nostre pere et la grace de nostre Seigneur Iesus Christ par la communication de son sainct esprit soict habondante en vous eternellement.

Trescher et parfaict amy monsieur *Calvin*, Daultant quil ma este signifie en ses iours presens, Le retour du lieutenant du Roy *tignacq* et pareillement la briefve execution de ma sentence que iceluy *tignaq* a apôrte quant et soy de parys qui en bref de temps me fera aparoistre comme iespere Dautant plus ayie besoing de voz sainctes prieres et de toute leglise alaquelle ie me recommande en toute charite fraternelle comme aussy incessamment nuyct et iour Ie poursuy pour laugmentation dicelle en toute saincte et heureuse prosperite et benediction eternelle avec action de graces a nostre bon Dieu de tant de benefices receuz par luy et specialement de la saincte et heureuse assistence quil me faict, me soubstenant contre tant dassautz et divers que iusque icy ma faict perseverer en constance de foy par levangille de son filz Iesuschrist pour la cause duquel ie suys ycy atendans lissue bienheureuse comme iespere a la gloyre honneur et louange de son nom et edification de son eglise et singuliere consolation en la perseverance de foy pour le seul salut en nostre seigneur Iesuschrist et esperance de la vie eternelle par son moyen. La presente donc est pour vous faire scavoir que iespere aller faire la pentecouste au Royaume des cieux et aller aux nopces du filz de Dieu nostre Seigneur Iesuschrist qui prepare ce sainct et sacre banquet spirituel de lagneau immacule et boyre dedans la couppe de ce grant saulveur Iesuschrist. Le 12ᵉ iour du moys de may le samedy veille de pentecouste, sy plustot ne suys apelle de ce bon seigneur et maistre, auquel ie suys prest dobeyr a sa voyx quant il dyra venez les beneictz de mon pere posedez le royaume qui vous est apareille devant la fondation du monde, que tous ses enfans posederont et maintenant possedent par foy ce Royaume eternel ou ie iray devant mon souverain iuge pour avoir raison de ma cause que ce bon seigneur Iesuschrist mon advocat procurera et interpretera pour moy La prenant pour la sienne propre comme de faict elle est, parquoy mes acusateurs nauront nul accez ains seront reietz combien que grantz nonbre de malefices se vouldroyent produyre en avant, leur acordant que plus grant nonbre sy en a quilz ne seroyent* produyre, mais la quitance du fils de Dieu crucifie pour mes pechez me sufyra qui desia de long temps a eface loblige par son sang en la croyx. Parquoy il sera pour me garantir puys que sy charitablement il a paye et promys plaine absolution en la foy duquel ie le prie me faire perseverer iusque a la fin en confession de laquelle nous obtenons le salut eternel. Parquoy vous plaira tant plus songneusement me recommander a ce bon pere de misericorde et dieu de consolation quil luy plaise au non de son cher enfant Iesuschrist, me consoller au melleu* du tourment, me donnant force et constance avec plaine confiance de sa bonte paternelle me faisant passer en plaine victoyre pour triompher avec nostre chef et souverain seigneur Iesus Christ son filz auquel soict gloyre et empire es siecles des siecles a tout iamais ainsy soict il.

Vous remerciant tres humblement des graces de Dieu receuz par vous auquel ie vous recommande a sa saincte grace en toute saincte et heureuse benediction eternelle ensemble a tous voz compaignons lesquelz saluez en humilite et charite fraternelle et toute lassemblee qui semploye a prier ce bon Dieu pour moy. Des prisons de Lion de Bame ce iour de Lasention de nostre seigneur Iesuschrist et ce 3 de may 1554.

Vostre frere et amy en nostre Seigneur

Richard lefevre R. L. desiradieu.

O dieu quant viendray ie psal. 42.

Qui nous separera de la dilection de Dieu. Car toutes choses tournent en bien a ceux qui layment Rom. 8 et qui demoure en la doctrine de christ il a le pere et le filz. 2. Ieh.

1949. 1) *Voir les détails dans la note jointe au N.* 1438. *Calvini opera. Vol. XV.*

1950.

ALEXANDER[1]) CALVINO.

Occasione libri calviniani nuper perlecti agit de praedestinatione et scrupulos suos exponit.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 174.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis pastori vigilantissimo domino suo observandissimo detur

Geneve.

S. D. Quum his diebus perlegissem librum tuum de praedestinatione, virorum doctissime et praeceptor observandissime, tandem ut indies magis ac magis confirmarer in eadem doctrina perlegi libros Augustini qui eandem tractant materiam. Nempe librum de Praedestinatione et gratia, de Praedestinatione sanctorum, de Perseverantia, et de Correptione et gratia. In quibus quaedam inveni quae mihi iniiciunt scrupulum. Nam in fine libri tui scribis, reprobos, quum sint iustitia Dei vacui, nihil nosse aliud quam peccare. Augustinus vero in plerisque locis, potissime in libro de Correptione et gratia cap. 8, dicit reprobos ad tempus fidem habere quae per dilectionem operatur, fidem inquam qua christiane vivunt, quamvis perseverantiam non habeant. Si, inquit, quaeratur cur eis Deus perseverantiam non dederit, qui eam qua christiane viverent dilectionem dedit, me ignorare respondeo. Et mox in eodem capite: Mirandum est quidem, multumque mirandum, quod filiis suis Deus quibusdam, quos regeneravit in Christo, quibus fidem spem dilectionem dedit, non dat perseverantiam, quum filiis alienis tanta peccata dimittat atque impertita gratia sua sanat filios suos. Praeterea cap. 9 eiusdem libri dicit, tales filios iustitiam veram non fictam tenuisse, non simulasse, sed in ea non perseverasse. Et cap. 13 inquit: Credendum est quosdam de filiis perditionis, non accepto dono perseverandi usque in finem, in fide quae per dilectionem operatur incipere vivere, et aliquamdiu fideliter ac iuste vivere, et postea cadere, neque de hac vita priusquam hoc eis contingat auferri. Si reprobi veram fidem habent ad tempus quae per dilectionem operatur, si iustitiam habent veram non fictam, non simulatam, si regenerati sunt in Christo, si Deus illis fidem spem et caritatem dedit, in quibus inceperunt vivere et aliquamdiu fideliter et iuste vixerunt, videntur Deo placuisse, saltem spem, praesentem iustitiam et eorum opera Deo fuisse grata, quandoquidem in vera fide sunt facta: itaque reprobi videntur ad tempus posse facere opera quae Deo placeant, quamvis in eis non perseverent, sicut electi possunt perpetrare peccata quae Deo displiceant, quamvis in eis non permaneant.

Haec sunt quae scrupulum mihi iniiciunt. Quum autem de his contulissem cum D. *Eustacio*[2]) amico nostro, visum est illi bonum ut super his te consulerem, et quomodo interpretanda sint verba illa Augustini a te requirerem. Scio Augustinum eodem libro cap. 7 dicere, tales esse electos et iustos secundum iudicium hominum qui ignorant quid sint futuri, non autem secundum iudicium Dei qui eos novit non habere persereverantiam. Sed quis negabit opera illa, quae facta sunt ab his quos Deus regeneravit in Christo, quibus fidem spem et dilectionem dedit, eo tempore quo in fide quae per dilectionem operatur permanserunt, fuisse Deo grata? Quare, doctissime Domine, humillime te precor, si per otium liceat, ut unico verbo digneris nobis significare qualiter debeamus dicta illa Augustini intelligere. Interea orabimus Dominum ut dignetur te sanum et incolumem nobis et ecclesiae suae servare. Salutat te D. *Eustacius*, uxor illius et mea. Vale. Lausannae 6. Maii.[3])

Tuus ex animo discipulus et frater
in Christo Petrus Alexander.

Ea humanitas, quam erga me minimum tuum discipulum exhibuisti, hanc mihi excitavit fiduciam ut sine timore ausus fuerim has meas cogitationes forsitan ineptas tibi communicare. Spero te tamen

---

1950. 1) *Petrus Alexander Atrebas non Arelatensis, ut vult Schmidtius, olim capellanus reginae Mariae Caroli V. sororis, inde ab a.* 1547 *in Anglia degebat apud Cranmerum et Cantuariae ministerio fungebatur.* (*Schmidt Verm.* 78.) *A.* 1549 *in portum Itium (Caletum) missus Bucerum et Fagium ibi excepit exsules.* (*Roehrich* III. 104.) *Post Eduardi VI. obitum Britanniam relinquere coactus fuit et a.* 1554 *Argentoratum venit.*

2) *Eustachius du Quesnoy, s. Quercetanus, ex Insula Flandriae (Lille) oriundus, religionis causa Lausannam migravit. Fuit doctor medicinae et prof. philosophiae. Quo tempore Helvetiam adierit non bene constat. Ruchat.* IV. 486 *a.* 1551 *indicat, Gindros* 1548. *Cf. Haag.* IV. 479.

3) *De anno ipsi dubii haeremus. Ex documentis Argentoratensibus discimus Alexandrum m. Maio* 1554 *a magistratu vocatum fuisse, unde vero non liquet. Etiam quonam tempore Britannia excesserit memoriae proditum non est. Strype* (*Cranm.* III. 8. *Vol.* 2, *p.* 36) *eum inter ministros nominat qui Nonis Martiis* 1554: were cited by a citation to appear in Bow-Church London, before H. Harry LL. D. Vicar general for being married men. *Erat antea* Rector of All-hallows Lombard-Street. *Idem* p. 40: Some of the church then appeared not, being either fled or in prison, and those were pronounced contumacious viz. Peter Alexander and Bernard Ochin prebendaries etc. *Ochinus quidem iam ante finem anni* 1553 *Angliam reliquerat. Hoc ergo temporis intervallo Alexander in Helvetia commoratus esse potuit.*

pro tua bonitate hoc boni consulere. Iterum vale. Dominus Iesus adsit tibi in omnibus. Amen.

1951.

SACHINUS CALVINO.

Occasione arrepta eum salutat, statum rerum satis perplexum dolet, se cum Dominicano quodam rem habuisse refert.

(Ex autographo Cod. Genev. 113, fol. 107.)

D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis pastori vigilantissimo.

Quum boni isti viri hac iter facientes suae profectionis ad vos hodie nos fecissent certiores, nolui committere ut sine meis ad te literis hinc abirent, quo vel sic absens tecum colloquerer, quando praesenti nunc id minime licet. Quod ipsum tamen persaepe cupio idque eo lubentius quo res nostras perplexiores intueor [1]) quam ut his explicandis pares esse possimus. Itaque quum domestica nos hic deficiant praesidia, aliunde opem ambiamus necesse est. Nempe ab eo ad quem tum tu semper, tum postrema tua epistola, nos optime revocas. Illum ego ardentibus votis precor ut et promptiorem sibi plene obsequendi nobis animum impertiat et quae aspera sunt in plana tandem mutare dignetur. Tu vero, vir amicissime, precibus ac consilio (si quod iam rebus nostris accommodatius es nactus) nos iuves velim. Caeterum exemplar literarum, [2]) quas ad nebulonem quendam ex Dominicanorum grege nuper scripseram, ad te mittendum duxi, non quod aliquid in iis esse censeam quod acri tuo iudicio ulla ex parte satisfacere queat, aut etiam graviora tua studia merito debeat interpellare, sed ut animum erga te meum imo potius erga ipsam pietatis doctrinam, vel hoc argumento facerem testatum. Quem unum, uti confido, si spectaveris, quidquid hic fuerit facile boni consules. Vale, vir in Domino plurimum nobis observande. Ex Aneria nostra, [3]) Nonis Maiis 1554. Raptim, quoniam tabellariorum celer abitus longiorem moram non patiebatur. Frater meus etiam atque etiam te salutat. Quum has obsignare vellem D. *Textor*, qui hic apud nos est, rogavit suo nomine salutem tibi dicerem.

Tui perquam studiosus
Cl. D. Sac. [4])

1951. 1) *De statu evangelii in Sabaudia potius quam de Bolsecianis turbis cogitarimus.*
2) *an typis editarum? Parum probabile.*
3) *Anière in praefectura Tononiensi, prope Veigy ubi Falesius.*

4) *De nomine h. l. truncato non est quod ambigas. Cf. N.* 414. 727.

1952.

BEZA BULLINGERO.

De Martini Bellii libello, de cuius autoribus sciscitatur et contra quem ipse refutationem parat proxime absolvendam. Porro commendat iuvenes aliquot in Italiam proficiscentes et nunciat Dolae Paridem Panerium supplicio affectum.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 166, fol. 69 sine inscriptione. Exstat quoque Genevae Cod. 119, fol. 43 et 111b, fol. 21 et Turici ap. Simlerum Vol. 82. Edidit Baum I. 435.)

S. et pacem a Domino.

Mi pater, magnam tibi gratiam habeo, de postremis tuis ad me literis. [1]) Quod attinet ad libellum illum de non puniendis haereticis, non miror te non vidisse. [2]) Nam dici non potest quanto studio adhuc celatus fuerit ab ipsis architectis. Sed non dubito quin ad Rhenum [3]) sit confectus et editus. Farrago est mala fide [4]) collecta ex veteribus [5]) et recentioribus [6]) nonnullis, quos isti idcirco tantum citant ut eum qui respondere velit cum illis committant, deinde ut bonorum virorum autoritate simplicioribus imponant. Quin etiam eos non pudet *Calvinum* proferre [7]) quasi vel pro eorum opinione facientem, vel a se ipso dissentientem. Addita est praefatio [8]) et indocta et blasphema illius qui farraginem collegit in qua copiosius et apertius tractat

1952. 1) *deperditis.*
2) *Cf. Bullingeri ep. N.* 1944.
3) *Basileae.*
4) *in quo non omnino modum excedit Beza. Sic inter alios citatur Urbanus Rhegius qui magistratui civili ius vindicat in Anabaptistas gladio animadvertendi, sin minus religionis causa, tamen propter crimina, quibus vero, ut plurimum in talibus, religionis species induebatur.*
5) *Lactantio, Augustino, Chrysostomo, Hieronymo.*
6) *Luthero, Brentio, Erasmo, Seb. Frankio, Calvino, Ott. Brunfelsio, Pellicano, Rhegio, Curione, Castalione, G. Kleinbergio, Bas. Montfortio, Ger. Noviomago.*
7) *Scil. locos ex praef. ad Regem Daniae Actis praemissa, et ex prima Instit. c.* 2.
8) ad Christophorum ducem Wirt. in qua quid sit haereticus et quidnam cum eo agendum sit demonstratur.

Martinus *Bellius* idem argumentum quod *Castalio* sua illa in Biblia praefatione,[9]) quam etiam paene integram transcribit. Da hoc mihi, quaeso, mi pater, ut *Castalionis* epistolam illam legas, ut quod sit hominis ingenium cognoscas, et quam habituri simus ecclesiam si istis impune licuerit religionem a fundamentis evertere. Quid enim nobis, obsecro, salvi, si (quod iste contendit) verbum Dei ita est ambiguum ut nihil affirmare possis. Pessumdet Dominus haec monstra, quibus nihil perniciosius fingi potest. Porro inter caeteros quorum illi nugas et blasphemias suae farragini infarserunt, multas paginas descripserunt ex cuiusdam Augustini *Eleutherii*[10]) libro de haereticis, item Georgii *Kleinbergii*.[11]) Isti qui sint plane ignoro. Sed posteriorem apparet insigniter indoctum esse. Rogo ut si nosti quinam sint ad me scribas. Ego vero, ut spero, ipsorum rationibus ita respondi ut nemo ex bonis a me sit offensus, neque turbarum occasio cuiquam data. Nam hoc ego imprimis cavendum semper sum arbitratus. Ipsum autem libellum et responsionem meam brevi ad te mittam, id est, simul atque colophonem imposuero.

Haec ego ad te raptim, mi pater, quum nobiles isti adolescentes domum meam venissent seque in Italiam dixissent proficisci. Eos rogo ut commendatos habeas. Sunt enim plerique docti et a pietate minime alieni. Rogo autem ut isthuc proficiscentes consilio et liberiore admonitione iuves ut officii meminerint in regione tam corrupta. Bene vale, mi optime pater. Dominus Iesus Deus noster tibi pergat benedicere, teque indies magis ac magis confirmare. Lausannae Nonis Maii.

Th. Beza
filius a te in Domino genitus tibique addictissimus.

Scripta iam epistola venit mihi in mentem officium illud ecclesiae vestrae in nostrum illum *Paridem*[12]) qui Dolae vinctus erat Domini Iesu. Is capite multatus est superiori mense, sed invicta constantia, ut audimus, non ipsos modo hostes sed ipsam quoque mortem vicit. Laus Deo, qui utinam similem nobis animum largiatur, si visum illi erit ut nos quoque nostro sanguine ipsius doctrinam obsignemus. Caeterum vides quos habeamus vicinos et quid ab illis sit exspectandum si Dominus eos non coercuerit. E Gallia nihil laeti nunciatur. Genevenses accepimus abhinc octo dies agrum quadringentis exsulum familiis quae exspectantur, ad novam urbem condendam concessisse. Ex Anglia vero ecquid, mi pater? Totus horreo quum de his cogito. Domine, Domine, respice servos tuos, servos tuos fideles. Plura non possum. Si quid habes novi de *Elisabetha* illa, quaeso ut nobis impertias. Ita enim vel nos magnopere exhilarabis, vel certe ad preces nos acueris. Iterum vale. Literas tuas ad D. *Calvinum* per *Laelium* curavi perferendas.

9) *ad Eduardum* VI. 1551.

10) *i. e. Seb. Frankii Chronica, Zeitbuch u. Geschichtsbibel* 1536, *unde nonnulla hic excerpta transscribuntur, maxime etiam variorum autorum sententiae iam a Frankio collectae.*

11) *Hunc tibi accuratius sistere non possumus. Patet Bezam in his duumviris ipsos cum Castellione (Bellio) libri autores sibi deprehendisse visum esse, et quidem falso nomine decoratos, ideoque Bullingerum rogasse ut ipsi, si posset, certiora de iisdem traderet. Atque eosdem fere maxime in sua Refutatione impugnat, addito Montfortio. Caeterum an revera sub Bellii nomine Castellio lateat nondum extra dubium positum videtur. Certe huius nomen Sebastiani optime per Basilium et Castellionis per Montfortium reddi poterat.*

12) Paris Panier, avocat au parlement de Dole, jurisconsulte tres docte, issu d'un lieu nommé Corniere, environ trois lieues pres de Salins. Il n'avoit encore atteint l'aage de 24 ans quand par la conspiration de quelques prestres il fut accusé comme ayant parlé contre le Dieu de leur Messe nourrice. *Quum noluisset revocare capitis damnatus fuit et libri eius igni traditi d. 7. Apr.* 1554. (*Hist. des Martyrs f.* 295 *v.*)

1953.

VERMILIUS CALVINO.

Novissima ex Anglia allata tradit, paucis attingit res Argentoratenses, et quae de controversia a Bellio mota audit improbans refert.

(Ex impresso. P. M. Vermilii Loci communes c. praef. R. Gualtheri Tur. Froschover 1580, fol. 575 .v. Habet etiam Beza ed. Gen. p. 149, Laus. p. 306, Hanov. p. 342, Chouet p. 200, Amst. p. 92.)

Circa festum Paschae[1]) literas ad te, vir clarissime, dederam, sed adolescenti Hungaro, et quidem nobilissimo, qui non longe a Selestadio est interfectus. Quare quum tam moestus intervenerit casus ad te perferri non potuerunt, et quae tum noveram atque scribebam, quum te aliunde iam rescivisse non dubitem, minime repetenda censeo. Huc vero tristissima ex Anglia sunt allata:[2]) nimirum ibi Parlamentum,[3]) ut vocant, esse assensum ut papae sua restituat tyrannissima, et *Philippus* rex Angliae sit et habeatur. Bonorum virorum qui abire possunt undique fit fuga. Atque tanta est rerum perturbatio ut nullo pacto explicari queat. Iamque hic sunt apud nos tres praeclarissimi equi-

1953. 1) 25. *Martii.*

2) *Cf. Sleidanum N.* 1940.

3) *Iam mense Octobre* 1553 *et nunc* 2. *Aprilis.* (*Strype, Cranm. l.* 3 *cap.* 4 *et* 9, *pag.* 24 *et* 45, *Vol. II.*)

tes, nempe *Morisinus*, *Chaecus* et *Cuccus*,[4]) non minus pietate quam eruditione insignes, quos intra paucos dies puto venturos.[5]) Haec ideo scribo ut rebus illis propemodum perditis, nedum afflictis, velis precibus una cum tua ecclesia subvenire. Certe iam *Cantuariensis* et reliqui episcopi,[6]) qui una captivi detinentur, in extremo versantur discrimine.

Nos hic iam satis quiete agimus quoad externa. Et iam de nostra gallica ecclesia liberati metu videmur, quo multi antea suspicabantur fore ut aliquid in doctrina et sacramentorum administratione mutaretur.[7]) Id neque factum est et ut confido non fiet. Utinam quorundam contentio adversus pastorem[8]) tolli queat. Eam tamen spero tandem quieturam, utque iudico facilius dissimulando consopietur quam si vi et potentia contra eatur. Et hoc quoque malum precum indiget.

Nec te postremo latere velim me una cum reliquis bonis viris id vehementer dolere, quod adversus veritatem ac tuum nomen adeo inepta et falsa spargant de aeterna Dei electione atque de haereticis extremo supplicio non afficiendis. Sed bene habet quod in his quae scribunt, ut audimus, nomen suum profiteri non audent. Ut audimus, dixi: quoniam huc Argentinam ne unus quidem allatus est ex illis anonymis libris. Nos hic, quoties rogamur, quum publice tum privatim, partes et veri et tuas pro virili tuemur, praesertim *Zancus* et ego. Quomodo vero D. *Allasco* sit per Daniam et Saxonicas ecclesias male acceptus, ex isto qui tibi meas reddet poteris cognoscere. Vale atque pro nobis ora. *Zancus* te plurimum salutat. Vicissim quaeso *Martinengo*, nec non *Galeatio* Marchioni et N.[9]) salutem meo nomine dixeris. 9. Maii. Argentinae.

---

4) *Sir John Cheke, Sir Anthony Cook, Sir Richard Morison. Duo priores olim Eduardi regis praeceptores, tertius olim legatus apud Imperatorem. Hic Argentorati obiit eiusque vidua nupsit Comiti Rutlandiae. Cuccus iam a.* 1553 *medio, quia a partibus Ioannae Graiae stabat, in Turrim Londinensem coniectus fuerat.* (*Strype, eccl. Mem. Oxf.* 1822. III. 1. *pag.* 24. 282. *Idem, Cranm. l.* III. *c.* 9, *p.* 45. *Idem, life of Parker* II. 446. *Schmidt, Verm.* 153.)

5) *in Helvetiam. Vide epp. seqq.*

6) *d.* 20. *Apr. Cranmerus, Ridleyus et Latimerus ob crimen haereseos capite damnati sunt.* (*Strype, Cranm. cap.* 11, *p.* 57.)

7) *Itali coetui gallicano sese adiunxerant; quibus tamen Zanchus nonnunquam evangelium praedicabat. Quod de metu hic dicit, ad res Garnerii pertinet qui iam ante Martyris adventum propter doctrinam accusatus fuerat.* (*N.* 1899. 1924.) *Spes vero de futura pace concepta eum fefellit* (*Roehrich,* III. 103. *Schmidt, Verm.* 170.)

8) *Garnerium.*

9) *Mireris hic nomen ab editore suppressum: cur enim ipse autor sic scripserit non videmus. Fortassis ille legere non potuit.*

1954.

BULLINGERUS CALVINO.

Commendat Checum et Morrisonium. Queritur de Lutheranis et iam serio cogitat de Westphalo retundendo.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 117b olim Scrin. C. Epp. Tom. II. f. 298. Adscriptae sunt Calvini annotationes in margine manu propria. — Simler. Vol. 82.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo domino colendo et fratri suo coniunctissimo et carissimo.

Genff.

S. D. Commendo tibi, domine colende et frater colendissime, D. *Chaecum*[1]) et D. *Morosinum*[2]) cum suis comitibus, quos alioqui sat scio tibi esse commendatissimos. Scripsit ad me D. Ioannes *Burcherus*, Anglus, qui Argentinae agit,[3]) se fideliter redditurum si quas eis pecunias, *Chaeco* inquam et *Morosino*, per mercatores nostros dari curarem. Verum pecuniis satis instructos esse aiebant.[4]) Moneo tamen, ut si destituerentur, tu illis non deesses consilio. Recentiora ex Anglia non habeo iis, quae hi Angli adferunt. Omnia audio esse conturbatissima. Oremus Dominum, ut istorum et nostri misereatur.

Lutherani, contentiosum et perniciosum hominum genus sine iudicio et humanitate, gravius nos persequuntur, quam ipsi papistae. Reparant certamen aliquamdiu intermissum: quasi non satis sit alias calamitatum et miseriarum. Ac dubito, an perpetuo dissimulare debeamus ipsorum scripta rabiosa et indocta. *Westphalus* ille vere Westphalus,[5]) id est, crassus et barbarus homo, alium praeter Farraginem librum de coena Domini edidit, in quo flagellat orthodoxam nostram de coena Domini sententiam.[6]) Misit hunc carissimus frater noster D. Ioannes *a Lasco*, quem sane communicassem tibi, nisi hodie primum nobis esset redditus. Nondum ergo illum legere vacavit. Ubi intellexero, te nullum a. D. *Lascano* exemplum accepisse, mit-

---

1954. 1) *Sir John Cheke.* — Hic erat praeceptor regis (*Calv.*).

2) *Morrison.* — Hic legatus apud Caesarem (*Calv.*).

3) *et quidem iam* 1545. *Socius erat Rich. Hilles in negotio pannorum. A.* 1557 *in Poloniam se contulit.*

4) Hodie appellent ambo cum nostro Sechelio (*Calv.*). *Hic erat vir nobilis ex Picardia, coetui exsulum Francfordiae adscriptus, fortasse iam Londini. Postea in patriam redux cum aliis, ut Morvillier, de Cany, de Coucy, de Senarpont, Condaeum sequutus est* 1562. (*Hist. eccl.* I. 844.) *Exstat ep. Calvini ad eum.*

5) *Vide Lascum N.* 1919 *et ipsum Bullingerum N.* 1931. 1944.

6) Ergo iam deliberare incipit (*Calv.*).

tam tibi hoc meum, ut in commune consulamus, quid facto opus sit, et quid conducat plurimum pietati. Praeteritis enim affectibus illud in primis tentandum esse video, quod maxime aedificat. Scio te multis adobrutum negotiis aegre haec legere posse, desino ergo addere molestiam molestiae. Commendo me et nostros omnes tuis et tuorum precibus. Vive et vale. Gratia Domini nostri Iesu Christi sit tecum. Tiguri 14. Maii 1554.[7])

Henrychus Bullingerus tuus.

1955.

VIRETUS CALVINO.

Literas ad Richardum Le Fèvre mittendas tradit si quidem adhuc superstes fuerit. Bullingeri iudicium de Calvini libro contra Servetum scripto discutit. Res Orbanas obiter attingit.

(Ex autographo Cod. Genev. 111ª, fol. 190.)

Praestantissimo Christi servo Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo, fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Remitto ad te *Bullingeri* literas,[1]) quas ad se missas remisit etiam *Farellus* una cum suis ad *Richardum*[2]) vinctum Lugduni, quas his meis cum *Bullingeri* literis inclusi, ut si adhuc vivat obsignatas et inscriptas ei reddendas cures, ac si videbitur tuas quoque adiungas. Metuo ego ne non sit amplius superstes. Nam accepi Lugdunensem praefectum Lutetia rediisse, qui huius vincti causa eo profectus fuerat. Neque dubium est quin mature exsequatur quod habet in mandatis. Vos autem istic omnia certius potestis cognoscere. Quare hanc rem totam tibi committo.

Vidi quid in libro tuo adversus *Servetum* probet, quid item *Bullingerus* requirat. Bene est quod in re ipsa nobiscum sentit. Sunt alii qui id quoque in te requirant, quod monet *Bullingerus*, quia non omnes ea valent ingenii perspicacia qua tu polles, ut tam facile consequi intelligentia valeant quod scribis, quam breviter ac succincte animi tui concepta exprimere didicisti ac consuevisti. Sunt item alii qui magis hac brevitate et hoc acumine delectentur. Quare ut omnibus per omnia satisfieri non potest, ita nullus est inutilis labor, qui modo destinatus sit ad provehendam Christi gloriam.

Beza noster laborat in refutatione insulsi et impii illius libelli, quem nobis Basilaea nuper dedit. De exitu causae Orbanae nihildum habeo certo compertum, nisi quod audivi, sed non certis nunciis, Bernates evasisse causae bonitate superiores.[3]) Dominus cuius res agitur, omnia bene secundet. Pergunt Orbani constantes in opere Domini. Uxor mea tibi multam salutem dicit, quae horam partus exspectat in dies: quam ob causam se tuis precibus plurimum commendat. Salutem precor omnibus amicis. Vale. Lausannae 15. Maii 1554.

Tuus Petrus Viretus.

1956.

CALVINUS FARELLO.

De rebus Genevensibus scribere piget eum, de exteris, tam politicis quam theologicis non habet nisi de quibus queratur. Commendat iuvenem tabellarium.

(Ex autographo Cod. Genev. 107ª, fol. 69. Anglice ed. Philad. III. 39.)

Eximio Iesu Christi servo, Guillelmo Farello, ecclesiae Neocomensis fido pastori, fratri et symmystae carissimo et vere colendo.

S. Quia ex tanta rerum sylva, quae otioso ad scribendum suppeteret, quam partem, sic occupatus ut sum, eligere debeam nescio. Cogor breves et aridas literas scribere. De statu nostro quidquam attingere piget. Utinam aliqua mutatio brevi mihi argumentum laetius offerat. Sed crede mihi, quum ferocius quam antehac unquam grassetur malorum[1]) insolentia, nihil nisi triste auguror. Ergo ad alios transeo. Italiae impendet magna belli moles. Picardiam nostram forte immunem hac aestate[2]) praestabit vastitas. Quia suspicio est,

---

7) *Ad calcem epistolae Calvinus:* Dabis silentio veniam, mi Farelle, quia scribere nunc non vacat. *Et mox:* Farello miseram ut mihi excusationis loco tunc esset. (*Haecne ad Bullingerum?*) *Imo ad Viretum.*

1955. 1) *N.* 1934.

2) *Le Fèvre v. N.* 1949. *Farelli et Vireti literae deperditae sunt. Etiam Calvini si quidem hic scripserit.*

3) *Vergente demum Iulio res confecta fuit, ut iam supra significavimus.*

1956. 1) *Sub finem Aprilis recrudescebant turbae a Bertellerio motae.*

2) *Bellum in Belgio gerebatur.*

Caesarem inhiare Campaniae, Rex in partem illam copias suas contrahit. Rex Hispaniae appulit in Angliam.[3]) Quamdiu quieta ei futura sit statio, nescitur. Germaniae motus vobis istic non ignotos esse arbitror. Quam inhumaniter se gerant phrenetici qui hodie sub *Lutheri* nomine nos oppugnant, ex literis D. *a Lasco* intelliges quas ad te mitto. Brevi plenam historiam accipies, quam percurrere nondum vacavit. Mi *Farelle*, utinam omnes ad ferendam crucem, et simul ad superanda offendicula assuescant. Id praecipue nobis agendum, ne mirentur Christi discipuli res ubique esse turbatas ac confusas. Pluribus supersedeo, quia temporis non satis est.

Iuvenis est qui hanc tibi reddet. Per amicos me rogavit, ut sibi aliquid commendationis darem. Testantur qui eum noverunt in Gallia, vixisse illic honeste, nec alia de causa reliquisse patrem, nisi quia Christum sequi malebat. Quibus in Anglia notus fuit, mores suos et probitatem probavit. In hac urbe non audio esse, qui de illo conqueratur. Haec etiam pars laudis est, quod direptus a quodam impostore, non tumultuatus est, sed placide iniuriam voravit. Vale, optime et integerrime frater. Dominus tibi semper adsit, te gubernet ac tueatur. Amen. Saluta collegam tuum et reliquos fratres diligenter. Nunc dabit veniam collega, si de nepote non scribo. *Enardus* referet quid inter nos convenerit. Salutant te symmystae mei, ex amicis D. *Marchio*, *Budaeus*, *Normandius*, *Triecius*, frater meus et alii. Genevae 25. Maii 1554.

Ioannes Calvinus tuus.

Remitte ubi primum poteris
literas et schedas, ut respondeam.

1957.

GRATAROLUS BULLINGERO.

Zanchus Argentorati de haereticis capite plectendis disserit.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 155, fol. 62.)

Clarissimo et optimo verbi Dei ministro D. Heinricho Bullingero maiori meo colendissimo.
Tiguri.

— — — — — — — — — — — — — — — — — — Doctor *Zancus* Argentinae per integram hebdomadam, rogatus obnixe, eam publice tractavit quaestionem haereticis odiosam, quod liceat magistratui christiano animadvertere capitaliter in haereticos, et fortasse prodibit in lucem.[1]) — — — — ex Basilea 26. die Maii 1554.

raptim.

minimus tuus in Christo frater
Gulielmus Gratarolus Medicus.

1958.

CALVINUS LASCO.

Praemissa excusatione quod non pridem responderit, primum ei felicem adventum in hospitali illa Frisia gratulatur, constantiam in tolerandis tot tamque tristibus casibus laudat, barbariem Lutheranorum severe notat, et se, iam etiam Bullingero hortante, eorum calumnias brevi refellere conaturum significat.

(Autographon non exstat. Bis legitur in Codd. Genev. 107a, fol. 204 et 107b, fol. 45, porro in Epp. Bern. VI. pag. 812 et ap. Simlerum Vol. 82. Anglice versa legitur in edit. Philad. III. 40.)

Eximio viro D. a Lasco.

S. Quod tibi serius respondeo quam forte speraveras, praestantissime vir et mihi ex animo observande frater, ideo factum est quia nihil in mora fieri putabam iacturae. Nam etsi ab eo tempore quidam adulescens Phrysius hinc ad vos profectus est, quia tamen vix sperabam citius venturum, literas per longos circuitus ferendas ei dare visum non est. Sequutus est paulo post alter, qui et ipse flexuosum iter meditabatur. Nam qui tuas[1]) attulerat D. *Secelius*[2]) festinanter a nobis discessit, relictis apud me hospitibus D. *Checo* et *Morisino*, qui deinde in Italiam se recipere coacti sunt.[3]) Ita factum est ut vacuum dimiserim, quum apprime idoneus esset nuncius, saltem qui tuto et fideliter reddendum tibi curaret si quid scripsissem.

---

3) *Minime. Demum d.* 19. *Iulii Southamptonii adfuit.*

1957. 1) *Peculiare quoddam scriptum de hac quaestione in Operibus Zanchii non exstat, quanquam Henry* III. 239 *talem tractatum laudat. Schmidtius noster in suo schediasmate de Zanchio* (*inserto in Studien u. Kr.* 1859) *p.* 638 *dicit illum in suis praelectionibus in Iesaiam* 1554 *obiter etiam magistratui ius gladii in haereticos vindicasse. Cf. Opp.* VII. 2. 21 *seqq. et* VIII. 2, 1 *seqq.*

1958. 1) *N.* 1930.
2) *N.* 1954.
3) *scil. ne bona sua fisco addicerentur, vide infra Checum N.* 1975.

Nunc si exspectas, dum tarditatem foenore compensem, falleris. Nec vero te hoc genus officii magnopere expetere arbitror, quod te sine magno fructu occupet. Neque enim suppetit quale complexus es argumentum: cuius lectio etsi parum iucunda, nobis tamen et utilis et grata fuit. Nam sic me dolore et tristitia vulneravit historia vestrae peregrinationis, ut tamen res memoratu apprime dignas libenter cognoscerem. Nec dubito quin idem multos alios affectus tetigerit. Quare et eam perscribi operae pretium meo iudicio fuit et aliquando latius publicari forte expediet: ad me quidem privatim non poenitendus inde fructus iam pervenit. Caeterum Danicae crudelitatis mihi valde tristis acerbaque fuit cognitio. Deus bone, tantam in gente christiana esse barbariem, quae maris quoque saevitiam exsuperet? Quum hic sparsus esset rumor, miseris fratribus qui ex Anglia profugi novum hospitium quaererent a rege illo sublatum esse signum, tanta repente fuit gratulatio ut unum hoc facinus ad immortale eius decus sufficeret. Nunc autem vereor ne sibi non minus atrocem accersierit Dei vindictam, quam gravem apud bonos omnes infamiam conflaverit. Et quo magis celebrata apud me, imo etiam meo praeconio [4]) fuerat eius humanitas, eo acerbius fero, mite ingenium ab importunis flabellis accensum esse. Istorum vero, qui vel infensum placare debuerant, non minus detestabilis fuit perfidia quam crudelitas. Sed, ut video, totam fere illam maritimam regionem diabolicus furor corripuit. Saxoniam quoque afflavit et vicinas regiones, ut sine ullo vel modo vel pudore contra nos insaniant. Laetum scilicet ac suave papistis spectaculum. Quo etiam plus nobis dandum est operae ut taciti devoremus quae proferre nisi cum evangelii probro non licet.

Quoniam tamen mihi dubium non erat, quin doctis et moderatis hominibus odiosa esset ista intemperies, non duxi prorsus silendum esse. Et certe per me non stetit [5]) quominus illius reprimendae primo quoque die inita fuerit a nobis ratio. Optimo fratri nostro *Bullingero* aliud visum est, [6]) qui victoriam in silentio et tolerantia locabat. Ego ne molesta esset vel suspecta mea sedulitas, satagere destiti. Nuper vero mutata sententia, tantae opinor importunitatis pertaesus, ultro me hortatus est ut putidas illorum calumnias brevi libello refellerem, [7]) quod me facturum recepi. Sed quia me ad nundinarum usque tempus constrictum tenuit Genesis [8]) et communi eorum subscriptione opus erat, [9]) quorum patrocinium suscipiam, nihil adhuc tentavi. Simul autem ac fuero aggressus, exigui ut spero temporis erit lucubratio.

Ut ad te redeam, venerande frater, quod tu et comites non minus placida modestia quam composita gravitate cum immani beluae ferocia et fastu certastis, quod eundem deinde moderationis tenorem servastis, quoties simili in vos alii impetu saevierunt, bis laudabile exemplum est. Quod vero tanti vobis ingenua fuit veritatis defensio, ut iam terra marique duriter iactatis illius causa novum exsilium subire grave non fuerit, non minus in hac constantia suave Deo sacrificium obtulistis, quam utile piis omnibus dedistis exemplum. Tandem vos a Domino respectos esse gaudeo ut se tranquillus portus offerret, in quo non quiescere solum vobis licet, sed fructuosam Deo eiusque ecclesiae operam impendere. Deus illustrissimam Principem, quae tam comiter ac benigne maternam porrexit manum, omni benedictionis genere locupletet.

4) *in Dedicatione Commentarii in Acta App. N.* 1607 *et* 1901.
5) *N.* 1935. 1947.
6) *N.* 1934. 1944.
7) *N.* 1954.
8) *quae hoc ipso anno prodiit.*
9) *Quatenus in his consilium mutaverit docent Prolegomena nostra Tom.* IX. *praemissa. Natales epistolae ex argumento nullo negotio constituimus.*

1959.

FARELLUS CALVINO.

Hic Westphalus traducitur, imo trucidatur, stilo tali qui etiam hodiernos lectores, si quidem ad finem usque perduraverint, conficere valeat.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 108.)

Insigni et praestantissimo servo D. Iesu Ioanni Calvino quam fidelissimo pastori ecclesiae Genevensis quam potentissimo assertori veritatis fratri et symmystae in primis observando.

S. Te quaeso propter Christum ne te conficias tot et tantis malis: satis tibi sit gratia Dei et quod mederi pro virili studes et Deum ut succurrat invocas. Tam petulcos hoedos perdet Christus suasque servabit sibi oves. Pontificii in Anglia ut et alibi luctificum triumphum tandem sentient si non iam toties senserint: crescet lapis monsque erit ut est quam maximus et omnem explebit et implebit orbem. Salvum rediisse *Sechellium* [1]) mire gavisus sum. Valde est grata viri perseverantia et infractum pectus et omnia sine fuco. In peregrinatione piorum quis non affligetur et barbariem non *Lutheri,*

1959. 1) *Vide novissimam Bullingeri N.* 1954.

nam nunquam putarem hunc virum in hostem praesentem tam inhumaniter saeviturum si ita haberet ut fratres habebant. Simiae sunt et monstra potius quam qui teneant aliquid *Luteri*. Quamvis in te aliqua desiderarentur et *Noviomagensis* primo movebatur: sed ad hypocaustum reversus quum bene haberet non amplius meminit humanitatis. Sed corpus Christi tantum carnaliter proposuit iis, quos pro se excipiendos iussit Christus quum non semper corpore carnaliter hic esset futurus. Deus aperiat oculos tam caecis. Appetant concordiam, qui ita cum piis agunt. Voluissem alia ratione actum et responsa barbaris data paulo minus aculeata, ne ex male affectis pessime redderent affectos, quod et contigit. Sed domi licet facile iudicare ubi tot mala perpessa et spes concepta et fides data in fumum abeunt, non moveri et non queri et quod est non dicere sed tacere admodum difficile. *Wesphalius* quam sit sobrius et quam bona fide agat satis testatur, et quum in Paulo exponendo laboret, ut suos errores fulciat et veritatem oppugnet, nihil mirum si quam diversissimus sit a Paulo. Quid enim apertius ex Paulo quam longe aliam esse carnis circumcisionem ab ea quae cordis est, et non secundum carnem esse semen, sed ex promissione magis, quemadmodum et Petrus longe aliud esse testatur aquam qua corporis sordes eluuntur, quam id quo conscientia emundatur. Hic si rumpatur *Wesphalius* verbum est clarum, apertum: foedus est, irritum fecit foedus qui praeputii carnem non circumciderit. Ero Deus tuus et seminis tui: nihil moratur verax Deus, quis sit quem alloquitur: cuicunque haec dicuntur, quicunque circumciditur vere est in foedere, vere benedicitur qui ex semine est, salutem habet: si quidem ita necesse esset omnes ex Abrahamo et Israele esse filios, et circumcisos salvos. Quid non collegerimus de iis qui audiunt verbum Dei an protinus omnes ex Deo sunt. Oves sunt: nunquam aliam quam pastoris vocem audierunt? quum constet vocandas oves, et id per vocem pastoris quam prius non audierant, et post auditionem tantum non lupis praedam fuisse, ut Galatis contigit. Sed quid insanius quam ita signa evehere ut alligata habeant quae repraesentent, ut alterum sine altero esse nec excipi possit Planum est eum qui manducat carnem et bibit sanguinem Domini vitam habere aeternam. Sunt vera, sunt aperta verba Christi, tropo opus non est: nihil dici potest quod magis sit tenendum, nec quod magis inculcet in aliquo Domini colloquio etiam ubi contra itur. Si ita asseverat Christus, quis negabit veracem esse et vera loqui! Si *Wesphalius* ea haberet pro se et suo impio dogmate, quae stant pro hac verissima veritate, hic sane non est attendendum aliud quam verbum quam certissimum veritatis aeternae et quam firmissimum tenendum in vero sensu loquentis: qualiscunque sit qui manducat et bibit, necesse est eum vitam habere. Et non modo colligitur quod non habens vitam non manducat, non bibit carnem et sanguinem, sed quod quicunque non manducat carnem et non bibit sanguinem, non habet vitam. *Wesphalus* qui panem asserit carnem et vinum sanguinem, et quod qui panem edit et vinum bibit carnem edat et bibat sanguinem, ita loquatur ut Christus et post Christum tota ecclesia de carne et sanguine; dicat qui edit panem Domini et bibit poculum habet vitam aeternam et qui non ederit et biberit non habebit vitam aeternam. Nonne Paulus reclamat, de iis qui indigne sumunt, quod iudicium sumant? Parum norunt vim corporis Christi et sanguinis quam superet panis vim: indigne semper sumetur panis et in iudicium sine carne Christi: sed Christi caro tam est efficax, ut esu etiam ex indignissimis dignos faciat, nunquam sumetur indigne panis Domini nec in iudicium ubi sumetur caro. Improbus affert multa quae olim dicta satis pueriliter fuere. Si quis infantiam *Luteri* et quae etiam ineptissime a plerisque dicuntur hodie et scribuntur attexere vellet Luteranorum, quid non afferretur? Sed quid immorari in his oportet? Utinam tandem quod cupis et quod valde est necessarium fiat, ut communi consensu respondeatur et improbis os occludatur. Dom. Iesus totum hoc opus dirigat. Danda esset opera ut quam scelestissimi qui sunt Basileae, ut Danus quidam et alii non melioris notae, qui sese supra Christum evehunt, sentirent quid sint concupiti.* Quod ante annos triginta subolfeci nunc plenius video. Pseudomoses probatus, facit ut facile credam *Davidem* Flandrum facile praeferri Christo. Sed discutiet Christus fumos et nubes tam atras. Sed ego mei obliviscor, ut te conficiam, quod iterum peto ut caveas teque Domino ecclesiae item suae et nobis serves, ut es admodum necessarius. *Tossanus* scripsit omnia esse composita.[2]) Faxit Christus ut ita bene sint. Pergam tamen officium facere. Commendo ecclesias illas tuis precibus et hanc nostram. Vale bene cum piis omnibus collegis, *Marchione*, *Budaeo*, *Triecio*, *Normandio*, fratre. Utinam possem omnes nominare. Nostri te salutant. Neocomi altera Iunii 1554.

Tuus Farellus.

2) *Novae illae querelae priores apud Nostrum sepeliisse videntur. Cf. N.* 1933.

1960.

LIBERTETUS CALVINO.

Obiter et raptim de negotio quodam molestissimo et invidiae pleno, de quo pro tempore non habemus quod dicamus.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 80.)

Excellentissimo Genevensis ecclesiae pastori D. Io. Calvino compatri amico et fratri integerrimo.
Genevae.

S. Quando cum duobus ingratis [1]) mihi semel transigendum est hocce negotium, tot et tantae devorandae molestiae et tam impudentissimorum calumniatorum dentibus adeo lacerari vult Dominus, ut in suspicionem veniam non vulgaribus sed excellentissimis ecclesiae Christi pastoribus, antiquis et praecipuis amicis: unum mihi sufficit bonae conscientiae testimonium, quod in fine traegoediae huius spero Dominum hominibus manifestaturum, et eousque mihi (licet aegre) ferenda sunt illa omnia. Nil opus est tibi repetam quae de negotio hoc ad *Cognatum* [2]) scribo, qui tibi ostendet literas. Neque nuncius diutius manere vult, et ipse itineri Bodriacum [3]) me accingo, sperans fore ut pater meus [4]) omnia plenius ad te scribat. Plurimum refocillasti nos de Anglia, quam potentissimis a tanto lupo tueatur praesidiis misertus ecclesiae et gloriam suam in Pharaonibus istis brevi illustret, quos certo ad id excitavit ille qui nihil fortuito sed certo et immutabili consilio agit omnia. Vale, mi compater et amice integerrime. Neocomi 2. Iunii 1554.

Tuus totus Christophorus Faber.

1961.

HALLERUS BULLINGERO.

Genevae controversiam ortam esse rescivit de infantibus excommunicatorum an baptizandi sint.

(Excerptum ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 154, olim Scrin. B. Epp. Tom. 32, fol. 196.)

— — — — — — — — — — — — — — —

— Genevae a quibusdam controverti andio, an excommunicatorum infantes baptizari debeant, nec ne. Sic semper novi aliud ex illa Africa. [1]) Bernae 6. Iunii 1554.

Tuus
I. Hallerus.

1962.

CALVINUS FARELLO.

Varia obiter: exsules Angli Dania pulsi, commentarius in Genesin, Raymondus Dralliani in carcerem coniectus, epistola conviciis plena contra ipsum a Vandelio senatui tradita etc.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 70.)

Praestantissimo Christi servo, Guillelmo Farello, Neocomensis ecclesiae fido pastori, fratri et symmystae integerrimo.

S. Nunc scribendi non est otium, quum et lectionis instat hora, et quid dicturus sim, nondum meditari licuit. Quid in Dania peccarint fratres nostri, prudenter animadvertis. [1]) Barbaries tamen adversae partis nullo modo ferenda est. *Bullingero* ante biduum scribam. [2]) Quia nunc excuditur Commentarius in Genesin, argumentum illud breviter in praefatione attingere animus ferebat. Mihi tamen, cui dicare librum conveniat, nondum in mentem venit, ut scilicet personae querimonia illa opportune respondeat. (Tu si quid habes consilii suggere.) [3]) *Christophoro* nostro dices, nos vel tam stulte credulos, vel adversus eum tam iniquos non esse, ut de eius fide ulla unquam obrepserit sinistra suspicio. [4]) Sed rei indignitas nos coegit, ut levando

1960. 1) *Fortasse conferendum quod habet Farellus N.* 1923. *Cf. etiam Calvinum N.* 1962, *not.* 4.
2) *N.* 1794. 1795.
3) *Boudry.*
4) *Farellus.*

1961. 1) *De his neque in Actis Senatus quidquam neque in nostro thesauro.*

1962. 1) *Iam aliquatenus mitius de ea re loquitur quam antea. Hafniae concioni Noviomagi interfuerat Lascus cum sociis super Phil.* III. 17 *praedicantis, qui inter hostes Christi etiam sacramentarios recensebat. De hac concione in regis audientiam admissi questi sunt illi: qua de causa illis diuturnior statio et maxime proprius suo more instituendus cultus publicus, atque etiam colloquium cum concionatoribus negata fuerunt. Rex illis viaticum dari iussit, nihilominus eiectio exsulum hiemali tempore facta sane barbariei nomine notari potest.*
2) *Talis epistola non exstat.*
3) *Haec in margine. Dicavit filiis Io. Friderici electoris.*
4) *Negotium hoc loco nobis quidem non magis inclarescit quam supra N.* 1960.

Salomoni operam daret, stimulos addere. *Raymondum* fratrem nostrum praefectus Tononiensis in carcere detinet, quod Dralliani concionatus sit senatus nostri mandato.[5]) Spero tamen negotium amice transactum iri. Exemplar epistolae te mitto, quam bonus *Vandelius* accepit, ut senatui redderet.[6]) Tibi simul ac partem legeris, facile subolebit, quisnam sit autor.[7]) Has palmas reportant Christi athletae. Vale, optime et integerrime frater. Dominus tibi adsit perpetuo, te gubernet ac tueatur. Amen. Genevae. 8. Iunii 1554.

Ioannes Calvinus tuus.

Quia nuncius opinione sua paulo tardius discessit, ut prius a lectione redierim: sic res habet de *Raymondo.*[8]) *Petrus* ille cuius incesta cum sorore uxoris consuetudo infamis fuit, nuper in Galliam profectus a senatu nostro commeatum non petiit, cuius est ministros ecclesiae Drallianae praeficere: missus est *Raymondus*, qui vices obiret, donec alter foret subrogatus. A suggestu in carcerem deductus est, ubi tamen eum liberaliter praefectus tractavit tanquam hospitem, ut permittat liberum exitum. Senatus noster causam suscepit. Praefectus temere se egisse videns, pro more tamen contumaciter pergit. Brevi tamen, ut spero, cedet. Cras meo encomiastae in curia respondebo.[9]) Vale iterum, optime frater et eximie Christi serve. Saluta diligenter meo nomine symmystas et amicos, *Dommartinum* et similes. Amici qui hic sunt reverenter te salutant, ac praesertim quibus salutem dixeras, Dominus *Marchio*, *Budaeus*, *Varennius*, *Normandius*, frater meus: gener etiam apud quem hodie cum omnibus collegis coeno.

5) *Vide infra.*

6) *Commentarii senatus m. Iunio plura habent de epistola illa conviciis contra Calvinum referta quam hic ipse ad senatum detulit. Alibi libellum dicunt. Non exstat. Ruchat* VI. 118 *minus accurate de ea scribit. Henry* III. 368 *tacet.*

7) *Quemnam ipse innuat nescimus, attamen potius de Bolseco quam de Castellione cogitarimus. Beza Vit. p.* 24: Privatim vero ac proprie Bolseci Castellionis et aliorum quorundam de veritate scil. valde sollicitorum hominum opera utebantur controversiae de praedestinatione renovandae: adeo ut famosum libellum conviciorum plenum eumque anonymum sparsisse non contenti quo fidum illum Dei servum lacerabant etc. *Cf. etiam infra N.* 1985. *Trechsel* I. 210. *Petrus Vandel Sieur de Saconex, syndicus a.* 1548. (*Galiffe, notices* I. 79.)

8) *R. Chauvet* (*Ruchat* VI. 119), *a senatu Drallianum missus ut vices Petri Ninaux obiret, ibi Genevensi liturgia non Bernensi usus a praefecto Tononiensi in vincula coniectus est. Qua de causa inter utrumque senatum satis longa negotiatio fuit, malam Bernensium fidem et invidiam clare demonstrans.*

9) *Acta senatus ad 9. Iunii de hac re nihil habent, sed ad* 7.

1963.

FARELLUS BULLINGERO.

Rogat, orat, hortatur ut promoveat consensum ecclesiarum in re sacramentaria, et quidem si fieri possit colloquio, sin minus scriptis.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 166, olim Epp. Tom. 24, fol. 334. — Simler. Vol. 82.)

Praestantissimo Christi servo, Henricho Bullingero, ecclesiae Tigurinae pastori fidelissimo, non minus pietate quam literis claro, fratri et symmystae quam carissimo.

Tiguri.

S. Dominus Iesus efficiat quod sancte attingis in tuis literis,[1]) ut emendati diligentius et ferventius ipsi serviamus, quod ut in me fiat, ut confido in te factum, et indies magis et magis fieri, ut et precor Deum, te quaeso, ut patrem misericordiarum pro me instantius ores, ut mei misertus hoc det, huius quoque gratia me sedulo admoneas, si quidem asinus hic quem circumfero, flagello opus habet, ne tantum negotii facessat novo homini, estque perpetuo in mora, ne faciamus, quae optamus. Ego quum praestare aliud non possim, hoc unum cupio, et huius gratia me vellem totum impendere, ut quae puriores sunt ecclesiae in doctrina, quam sanctissime inter se convenirent, et omnem calumniandi ansam[2]) adversariis, qui in totum nos damnant, ut pontificiis, qui non parum inde sibi arrogant, et non tantum istis, sed insuper aliis, qui ferri utcunque possent, si non ita immaniter in pios insurgerent, et tam improbe agerent omnia verbo, scriptis et modis omnibus, et una nostrae fidei concreditos possemus magis confirmare, et bonis, qui inter improbos agunt, non parum afferremus, quin ex adversariis non dubito non paucos lucrifaceremus. Existimabam sanctum et pium colloquium maxime nunc expedire, nec puto me solum huius sententiae, nec me primum id vidisse, quum te unum scirem pacis et aedificationis amantissimum, et quem prae caeteris novi plus posse, te huius gratia rogare volui. Verum tuis literis ita mihi satisfaciebas roganti, et ita ex illis iudicabam, nihil amplius esse tentandum: sed ut scripseras Domino causam precibus commendandam, et literis si quid esset agendum.

Verum posteaquam plenius accepi, quid *a Lasco* et piis contigerit in Dania, et quo in loco sint res

1963. 1) *Patet iam antea inter utrumque de hoc consilio actum fuisse.*

2) *Tu velis addere quae hic desiderabis, nam iste pro more Ariadnes filium e manu sibi elabi passus est, in suo verborum labyrintho.*

apud adversarios, et viderim alterum libellum Ioachimi *Westphalii*, in quo nititur piam doctrinam quam profitemur modis omnibus evertere, fucumque faciat paene in omnibus, ut magis et magis avertat a pia doctrina et firmet in errore nobisque omnes reddat infensiores, specioso nomine verbi et fidei in verbum plene creditum, ut verum est: visum fuit iterum, quantum colligo, necessarium esse, te rogare, ut quod primo petebam, contendas et per Dominum efficias. Literis agi potest. Fateor multa literis praestari posse, ut testantur Apostoli epistolae non unius tantum, verum etiam aliorum. Sed videmus, quanto duxit potius Paulus coram verbis agere, quam literis pro concordia et pace ecclesiarum, et licet multitudo ex praeiudicio legis damnaret, Paulo tamen et aliis veritatis assertoribus datum fuit os et sapientia, quo obturata sunt aliorum ora, et pro veritate pronunciatum fuit, quis dubitet id quod petimus Dominum daturum, quod in gloriam sui nominis faciet, et unde hostes potentius expugnari poterunt, et interea dum dies dicta exspectabitur, tu et qui valent donis Dei in scribendo, poteritis colligere, quae plenius causae servient. Arbitror *Calvinum* in mora non futurum. Ut paratus est etiam sibi vim facere, et interdum importunius urgendo quod petebam ab invito extorsi, licet non aliter cesserit, quam is prius dixerat futurum, et id ego dicerem, non secus eventurum, tamen neutrum poenituit egisse, ut in Genevensi negotio, ne alia commemorem. Tu igitur propter Christum incumbe: sat scio te non poenitebit operae. Si alii vellent adniti, aut parum efficerent, aut nihil, vel potius impedirent. Tu potes, tantum utaris mediis, quae Dominus suppeditat. Praesentibus praesta tam necessariam operam et posteris consule. Facies opus te dignum: sed quod primum et praecipuum est, Christo gratum et ecclesiis valde utile. Accedent animi et augebuntur piis qui nobiscum faciunt. Domabitur ferocia adversariorum, qui iam exsultant veluti victores, et principes ab adversariis tantum non dementati praepostere multa decernentes ad meliorem, volente Domino, redibunt mentem. Sane si quisquam novit ita expedire, tu ipse nosti. Tua Germania nulla causa ita turbatur quam ista. Si cara debet omnibus Germaniae salus ob lucem esse evangelii, quid tibi esse debet, cui propemodum prius contigit in ea gustare evangelium, quam nasci. Et tantum non adulescens assumtus es in tam augustum munus. Foris tibi, ut aliis, non fuit quaerendum. Tibi domi largitus est Christus quod tam multis procul fuit investigandum. Gallia ter misera, quum innumeris prematur malis nullo ita afficitur ut iactatione et conflictatione tam contraria sententiarum super coena Domini, quumque improbi non tantum pontificii, sed alii etiam quos vellemus amplexari ut fratres, et plene satisfacere super iis quae credimus et docemus, ut rectius sentirent, tam diversa nos sentire improbe affirment, et ita innumeros perdant, aliam non puto viam qua commode tanto malo occurratur, quam sancto conventu, quem per alium impetrari posse non video, quam per te unum. Ideo te per Christum oro, ut ecclesiis adsis in re tam necessaria, et succurras iuxta gratiam tibi a Domino datam rebus afflictis. Tuae prudentiae praeire nolo. Non enim aliquid mihi arrogo. Sed pressus animo cogor amicam manum poscere. Novi et hanc curam te mordere et te scio non praeteriturum quod ad rem fecerit restituendam. Verum id me non avocat, quin libere tecum agam, et instantius petam, quod sentio usui esse. Tu omnia boni consules, et per alia quae agenda tibi sunt hoc non negliges, ut Dominus tibi dedit posse, expediri nosse et posse. Et quanto minus spei esse videtur, tanto magis spe niti nos oportet, et omnia tentare, iuxta bonam voluntatem Domini, qui successum dabit. Vale, vir integerrime, et quod facis perfice, pro gloria Domini labora. Servet te diu Christus suae ecclesiae et omnium aedificationi. Cupio collegas tuos salvos et pium senem *Pellicanum*, ne praeteream *Habium*, tum patrem, tum *Iacobum*. Collega iubet te salvum. Neocomi 8. Iunii 1554.

Tuus Farellus.

1964.

FARELLUS CALVINO.

Autor est ei ut Commentarium in Genesin senatui Bernensi dedicatione nuncupet, cuius laudes hac occasione non immerito praedicat. Tum attingit libellum istum anonymi calumniatoris, Raymundi vincula, Liberteti consilium Genevam adeundi etc.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 109.)

Magno et insigni servo Christi Ioanni Calvino pastori ecclesiae Genevensis quam vigilantissimo et studiosissimo pietatis fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Quum per Bernates Christus primum ecclesias in iis qui gallice loquuntur reformarit, et vix puto inveniri qui rectius coeperint, quamvis nonnulli putent ideo assensum fuisse facilius in disputationem quae Bernae habita fuit, quia tunc contentio de eucharistia ardebat et sperarunt ponti-

ficii futurum ut id conduceret pontifici, tamen hoc novi quod bona pars pro gloria Christi egit, quod edicta testantur pia valde: convocati sunt omnes quorum intererat et libera facta fuit omnibus disputandi potestas, qui vellent proposita a ministris impugnare. Sane progressum fuit et pie et recto ordine et abrogatae superstitiones pontificiae. Lausannae ut progressum sit nosti. [1]) Sane multum dedit Dominus senatui in adiuvandis et sublevandis pauperibus ob evangelium: plus operae impenderunt et opum expenderunt quam putem omnes egisse literis nunciis legatis et quid non. Vides ut ornarint Lausannam ut bonae literae emergerent. Et mirum quod improbitate monachorum qui omnia offendiculis implerunt non destiterint toties falsi adesse pressis et profligatis. Quare quum Genesin tuam tam facundam, tam mira et ardua continentem iam in lucem edas, recte, si mihi credas, feceris si his quos Dominus ornavit tuo decores munere. Ioannem Genevae dicasti, tu qui et Ioannes, quum te Geneva habeat, non male laudata quod asylum quoddam sit ecclesiae et hospitium quam undique Dominus colligit. Sane non debet Berna expers laudis huius esse cui debet in terris Geneva quod sit: et quidquid per cuniculos actum sit per quosdam, tamen Dominus Bernam noluit unquam aperte nisi in bonum Genevae agere. Donum Dei nobis in pretio esse debet et quod Satanas contendit per suos obscurare non debet gratiam. Spero Christum facturum quod te non poenitebit operae. Scio quod hostes Christi qui te huius gratia oderunt rumpentur, quod hac via tibi pateat accessus ad multa in gloriam Domini, et sane expedit ut intelligant te agnoscere Domini dona in ipsis et eis ex animo bene velle. Ut omnes amas in Domino, quibus dignatur Christus uti, quid non faceres, qui hostes etiam diligis et tyrannorum saluti studuisti? Alia sunt quae tu ipse melius nosti et pro tua prudentia videbis quid potius eligendum, et ages.

Mirum est *Vandellum* [2]) et isti similes tam caecum esse ut non videat quam insaniant illi qui *Georgio* paria obtruserunt. Valde iniquus est si tantum non detestatur iniquitatem. Persimiles mihi videntur militibus qui ferre possunt miseram plebem prorsus perdi: comburantur in propiis aedibus, necentur a quovis, suspendatur, * nihil non ferant, parum aut nihil est. Sed si quis militem ob furta, ob quaevis alia plectat, hoc indignum est. Sinendi sunt, ferendi, si possunt ulciscuntur mortem militis. Haereticis quilibet male sentiens in eo est loco, sed placet mihi quod *Serveto* quem indigne passum, * (ut discipuli Servetini praedicant) adiungunt *Hieronymum* [3]) et ne quid desit *Fallesum* * addunt. Mirum quod Servetini evangelistae non addunt titulum scriptum a Pilato, a consule qui sententiam dixit in *Servetum* ut novum suum evehant Christum. Scire vellem quis duorum insultarit *Serveto* et quis cum illo sit regnaturus mox apud inferos. Non puto tam destitutos a Domino senatum et eos quibus *Vandellus* tam insana est propositurus quin sentiant Dominum plene impeti, et se et omnes pios magistratus damnari. Spero Dominum daturum ut non tantum senatus iste, verum etiam alii. qui tam pie et sancte iudicarunt de *Serveto*, non neglecturos * iniuriam qua tam improbe afficiuntur. Sane si tam nefandi calumniatores non parant, * pro illis respondere debet *Vandellus*.

Si tu vel minimum attigisses in tuis literis, te invisissem. Sed quamvis nihil attigisses, et in ea essem sententia ut dum Thraso velut expugnaturus aedes patentes Sangas et Gnatones [4]) instruit, quod non sine sanguine esse factum audio, nos coram loquemur: verum collegae [5]) non adeo probatum quum diceret magis expedire ut is adiret, quod non impedivi. Si ei vacabit per alia quibus se totum involvit, poterit referre ut habeant res nostrae, quamvis narrationes iuxta affectus fiant plerumque.

Dolet mihi ita *Raymondum* exceptum: sed iubes me bene sperare. Optarem *Maturinum* [6]) plenius servire Domino: sed quum nostri eiusmodi sint ut nihil bene in hac re sperare possim, non esset male appositus ad Drallianam ecclesiam. Christus quod est optimum efficiat. Ad *Bullingerum* scripsi. [7]) Scio non tam dilaturum responsum ut ipse feci. *Tossanus* omnia pacata scribit. [8]) Quod utinam bene ac pie.

Placet nobis quod vel tantillum tuarum laudum nobis communicant boni viri, utinam multi essent quos non secus quam te calumniari possent et nos male audiremus a tam impiis quod penderemus ab eiusmodi. Quid enim possemus a te sentire diversa quum tu quae Christi sunt sentias, a quo malumus perire quam seiungi. Christus miseris meliorem det mentem quam se perdunt ter miseri. Sic

---

1964. 1) *Calvinus ipse interfuit Disputationi Lausannensi Cal. Oct.* 1536 *habitae.*

2) *Iam loquitur de libello illo de quo nuper Calvinus N.* 1962. *Ibi etiam ille Georgius quaerendus quisquis ille fuerit.*

3) Et enfin le but dudit livre estoit de se porter pour avocat de Servet Hierome et autres heretiques, condamnant la puissance que exercoit punicion corporelle sur jceulx. (*Reg. de la Vén. Comp. juillet.*)

4) *Sangam et Gnathonem ex Eunucho Terentiano accersit.*

5) *Libertetus ipse Genevam petere maluit.*

6) *Cave de Corderio cogites. Fuit hic alius quidam V. D. M. de quo Lutetiam mittendo actum leges m. Ianuario* 1556.

7) *praecedentem.*

8) *N.* 1959, *not.* 2.

oportet ut pereant qui se propriamque gloriam quaerunt. Christus faxit ut semper magis et magis nostri obliti nomen ipsius exaltemus, tantum eius memores. Quod et faciet omniaque reddet secunda. Magis sunt miserandi miseri hostes quam detestandi: sed quum tam sint detestanda scelera quibus obruuntur et in gloriam Christi insurgunt, oportet ut pro merito tractentur. Vale, et quaeso condona si te obruo, et mihi etiam male consulo, quum tu occupatior sis et a potioribus avoceris et ego scriptione graver. Cuperem, quod toties petii, ut hanc provinciam scribendi ad me aliis committeres, sed impetrare non possum. Dominus Iesus te servet et in omnibus tibi adsit et quod efficis perficiat. Nostri omnes te salutant. Dominus veram salutem optimis fratribus quorum meministi plene largiatur et vos servet, ut non praeteream *Perronum* [9]) Neocomi 11. Iunii 1554.

Tuus Farellus.

1965.

FRECHTUS NEGELINO.

Lutheranismum profitetur. Addit nonnulla ad Servetum pertinentia.

(Ex autographo Archiv. Thoman. Argent. Epp. Vol. 5, fol. 30. — Simler. Vol. 82.)

Quae D. Ioachimus *Westphalus* Hamburgensis ecclesiastes de eucharistiae negotio scripsit, meo iudicio tuo subscribente solida pia et docta. [1]) Tantum desidero clariorem tractationem de impiorum manducatione corporis Christi. Videtur enim ex Augustino *Ioachimus* ille aequivoca et flexiloqua de re sacramenti proponere. Nemo sane sacramentorum institutionem et usum ab ullius hominis dignitate vel indignitate aestimare debet, sed ex solo Christi verbo, quod an impii edant corpus Christi revera non liquido praescribit. Sed de illis nunc non plura. Vellem tamen haec commendata esse iis, qui nescio quas Consensiones edunt relicta vera illa consensione in causa sacramentaria Wittenbergae 1536 inita. —

Musculus dimetros Iambicos in *Serveti* combustionem iustam lusit. [2]) Libenter scirem iudicium vestrorum super combustione *Serveti:* an magistratus et *Calvinus* melius fecissent, si perpetuo illum carceri quam Vulcano tradere maluissent. *Sultzeri* etiam ea de re sententiam cuperem. [3]) — — — — — Raptim Ulmae 12. Iunii 1554. [4])

M. Frechtus.

1966.

VIRETUS CALVINO.

De responso contra Westphalum edendo, item de libello contra Calvinum ad Senatum delato, cuius autorem in ipsa eius vicinia quaerendum perhibet.

(Ex autographo Cod. Genev. 111[a], fol. 108.)

Eximio Iesu Christi servo D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo fratri et symmystae observando.

Genevae.

S. Mitto ad te literas quas ab *Hallero* accepi, [1]) ex quibus cognosces quomodo liber meus de ministerio et sacramentis [2]) exceptus sit Bernae, et quid Tigurini optent in responsione ad *Wesphalum.* [3]) Videbatur *Bullingerus* in quibusdam suis ad te aut ad *Bezam* literis in ea esse sententia ut nihil responderetur. Sed *Halleri* literae aliud declarant. Scribe igitur ad nos tuam ea de re sententiam et quid existimes esse *Hallero* respondendum.

Cupimus praeterea ego et *Beza* tuum audire iudicium et consilium de libello famoso cuius *Wandellus* fuit tabellarius. [4]) Suspicamur non procul esse scriptum sed autores vobis admodum esse propinquos. [5]) Non procul abest a vobis bonus ille

9) *Nomen dubium.*

1965. 1) *Vides eum iam propius Lutheranismo accessisse, imo totum se ab Helvetiis ad Saxones convertisse cf. N.* 1879.

2) *Quos edidimus sub N.* 1875.

3) *Habes N.* 1808.

4) *Negelinus adscripsit se eodem die Tubingae accepisse.*

1966. 1) *deperditas.*

2) De origine continuatione usu autoritate atque praestantia ministerii verbi Dei et sacramentorum. Genev. 1554. fol. *Est retractatio operis gallice olim editi:* De la vertu et usage du S. Ministere *etc.* 1548.

3) *N.* 1954. 1944.

4) *N.* 1962.

5) *Ergo Bolsecum suspectum habet non Castellionem. Quod et Fallesium hic adducat, vix excusandum, quum hic non is fuerit qui talem tramitem sequeretur. Caeterum etiam de illo altero, etsi alias et postea a mendaciis et calumniis non abhorrente, nihil certi afferri potuit.*

Hieronymus qui tantopere scripto illo commendatur. Nescio an et *Fallesius* conscius fuerit, qui alias novit ad senatum vestrum scribere. Non ignoras praeterea quos habeas Genevae hostes et bonorum omnium. Neque dubium est mihi quin tabellarius [6]) a quo redditus est liber aliqua ex parte huius sit conscius facti, suasque in hac fabula et ipse sibi attributas partes egerit. Sed Deus detrahet aliquando personas istas quibus tamdiu ecclesiae isti homines ludificati sunt. *Beza* in hac erat sententia ut famoso isti libello responderetur exterorum nomine qui senatui vestro declararent quid ipsi sentiant de eius autore, et quam ab eo sint alieni indignumque iudicent suo consortio. Sed nihil tentandum putavit te inconsulto. [7]) Non enim censet scribendum quod publicetur, sed tantum quod senatui offeratur, ut si qui forte sint qui aurem calumniis illis nimis facilem praebuerint, occasio omnis praecidatur nocendi. Nosti enim quam illa sint plausibilia multis quae in te evomuntur. Nam totum illud virus quod in te effusum est, non est unius pectoris. Tu scribe de rebus omnibus quando vacabit magis. Nam scio nihil unquam tibi superesse temporis. Salutat te uxor et familia tota. Meus *Petrus* [8]) recte valet Dei beneficio. *Wanvillius* Bernae impetravit coronatos duos in singulos menses. Nostri te omnes amantissime salutant. Salutem dico amicis. Vale optime ac diutissime. Lausannae 12. Iunii 1554.

Tuus Petrus Viretus.

Remitte *Halleri* literas per hunc tabellarium.

1967.

BULLINGERUS CALVINO.

Iterum probat Calvini sententiam de haereticis coercendis miraturque illi soli quosdam ob eandem negotium facessere, quum et alii idem dixerint a nemine propterea vituperati.

(Ex thesauro ep. Bezano ed. Genev. p. 147, Laus. p. 292, Hanov. p. 327, Chouet p. 197, Amst. p. 91. Fragmentum tantum esse videtur capite truncatum.)

6) *P. Vandel.*
7) *Neque quidquam scripto tentatum est. Calvinus demuo coram senatu egit d.* 14. *et* 21. *Iunii.*
8) *Vireti filiolus, mense Febr.* 1556 *mortuus.*

Non desunt, sat scio, et saepe audio, qui cuperent a te, mi *Calvine*, domine colende et frater carissime, illud argumentum non fuisse tractatum. Sed sunt rursus qui et gratias tibi agunt pro laboribus, in quorum numero et nos qui huic ecclesiae ministramus sumus, et agnoscunt argumentum hoc necessarium esse quod tractetur hodie. Dudum D. Urbanus *Regius* [1]) una cum omnibus Luneburgensis ecclesiae ministris, edito etiam libro Germanico ostendit iure divino et humano coerceri haereticos, tum etiam iure civili, si impia non desinunt spargere, aut blasphema in Deum sparserunt. Cur illi non irascuntur, qui in te hodie reprehendunt, quod probarent si certius rem expenderent? Nuper *Titianus* [2]) quidam Italus Anabaptista et Hebionita et Helvidianus in carcerem coniectus a tribus Rhaetiae foederibus igni concremandus fuisset, nisi cecinisset palinodiam: nihilominus Curiae virgis caesus a Rhaetio eiectus est. Quis ibi erat saevitiae et atrocitatis magister? *Calvinus* hoc non fecit nec suasit. Sunt etiam alii ubique viri boni qui intelligunt impios et blasphemos homines non tantum admonendos et in carcerem concludendos, sed etiam capite esse mulctandos. Ne ergo pigeat te suscepti laboris. Dominus sanctis conatibus et studiis non deerit. Scio tibi nec crudele esse ingenium, nec te ullam atrocitatem approbare: quis nesciat etiam hic modum adhibendum esse? At quomodo *Serveto* lernae haereseon et pertinacissimo homini parci potuerit non video. Vale in Christo cum omnibus bonis. Orate pro nobis. Tiguri, 12. Iunii 1554.

1967. 1) *Titulus est:* Ein Bedencken der Lüneburgischen ob einer Oberkeit gezieme die Widerteuffer oder andere Ketzer mit dem Schwert zu richten. 1537. 4. *Cf. eiusdem* Enchiridion oder Handbüchlein eines chr. Fürsten, Ottoni, Ernsten und Francisco Gebrüdern Hertzogen zu Braunschweig und Lüneburg gewidmet. (*Heimbürger, Urb. Rhegius, Hamb.* 1851 *p.* 168 *sqq. Uhlhorn, Urb. Rhegius Elb.* 1861. *p.* 185.)
2) *Quae hic narrantur ad a.* 1549 *pertinent. Titianus iste fuit Italus exsul qui per Rhaetiam vagatus passim sua dogmata spargebat, illuminationem peculiarem sibi datam praetendens. Negabat incarnationem, trinitatem, baptismum infantum, et ius gladii magistratui concessum. Carceri mandatus a.* 1547 *de vita periclitabatur, sed Gallicius timens ne martyr factus plures habiturus esset asseclas quam vivus, eum ad palinodiam permovit, et certos articulos ei proposuit quibus quum subscripsisset virgis caesus et solum vertere coactus fuit. De eo scripserunt Mainardus* 7. *Aug.* 1549 *et Gallicius* 25. *Iun.* 1554, *uterque ad Bullingerum, cf. Porta, hist. ref. eccl. rhaet.* I. *p.* 2, *pag.* 76. 133. *Hottinger, Helv. KG.* III. 814, *Trechsel* II. 82.

1968.

MUSCULUS CALVINO.

Deflet sortem exsulum Anglorum, et nunciat quid pro iis apud senatum Bernensem actum sit.

(Ex autographo Cod. Genev. 113, fol. 138.)

Praestantissimo theologo D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori domino ac fratri carissimo.

Genevae.

S. Reddidit mihi tuas Immanuel *Tremellius* [1]) *Calvine* in Domino carissime. Ex animo condoleo ecclesiae anglicanae quod tam piis ac doctis viris privata est, quorum opera et utiliter et honeste uti poterat. Interea *Immanueli* ac reliquis qui evaserunt Athaliae impiissimae manus congratulor admodum. Miserum quidem est tam insignes viros exsilii fluctibus iactari. Verum incommoditas ista multo est tolerabilior quam si fuissent truculentiae impiorum facti obnoxii. Feci quod potui [2]) ac debui. Quid impetratum sit a Dominis nostris puto te ex illorum intelligere literis. Dominus *Hallerus* pro humanitate sua senatum accessit et opem illius imploravit sine cuius opera ego nihil effecissem. Deo omnis sit gloria. Iussit ut tibi salutem in Domino adscribam quemadmodum et D. Nicolaus *Zerkinden.* Vale plurimum et laboribus tuis modum aliquem statue quo durabiliores esse queant. Dominus te et ecclesiam isthic in pace conservet. Bernae 1554. 13. Iunii.

W. Musculus tuus
in Domino.

1969.

VIRETUS GUALTHERO.

Quo in statu sint res Orbanae paucis refert. Queritur de Lutheranorum furore novas tragoedias excitantium. Suum ipsius librum novissimum concordiam promoturum sperat.

(Ex autographo Cod. Turic. F. 41, olim. MSS. Hotting. VI. fol. 62. — Simler. Vol. 82.)

Praestantissimo Iesu Christi servo D. Rodulpho Gualthero, Tigurinae ecclesiae pastori fidelissimo, fratri et symmystae coniunctissimo.

Tiguri.

S. Confecta res est *Geroldi* tui et alterius illius, quem ei socium adiungere statuisti apud *Prevotium*, ut ex eius literis cognoscere potuisti. Narravit enim se iam per literas tibi respondisse. Quare non ero in hac parte prolixior. [1])

Res Orbanae [2]) ad Basiliensem arbitrum devenerunt, qui inter duas urbes litem excitatam dirimat. Paucis abhinc diebus sententiam pronunciaturus est. Nobis bona spes est de successu, quem tamen serio nos omnes assiduis precibus Domino commendare convenit. Sed nulla est calamitas, quae nos gravius angere debeat quam furor iste Lutheranorum quorundam, qui tristem illam tragoediam denuo excitant de quaestione sacramentorum, cuius nos iam laetiorem catastrophen sperare coeperamus. Non sunt enim haec vulgaria irati Dei argumenta. Sed nos nostro fungamur munere. Dominus suam causam tuebitur. Videamus nos ne nobis desimus et ministerio nostro, curantes quaecunque facere videbuntur ad retinendam cum puritate doctrinae pacem ecclesiarum et mutuam consensionem sententiarum et voluntatum. Scripsi de hac quaestione satis magnum volumen non ita pridem editum [3]) cuius doctrinam gaudeo a fratribus et symmystis nostris Bernensibus probari. Quae res, ut spero, faciet ad maiorem animorum coniunctionem, multasque diluet sinistras suspiciones, quibus Satanas mutuam nostram consensionem diu labefactare conatus est.

Salutant te nostri omnes amantissime. Multam dico salutem D. *Bullingero* et D. Conrado *Gesnero* et amicis caeteris. Quod superest, ut habeas quod mihi gratuleris, nuncio tibi familiam meam abhinc paulo minus tribus hebdomadibus auctam prole mascula [4]) Dei beneficio. Faxit Deus, cui conse-

---

1968. 1) *Haller. Ephem. p.* 104: Mense Iunio venit huc D. Em. Tremellius, Hebraeus natione, fide Christianus. Is per aliquot septimanas hic publice legit, et nisi invidia quaedam contra ipsum orta fuisset poterat hic retineri. Concessit postea ad principem Bipontinum. *Qui eum Hornbachii professorem fecit. Deinde fuit Heidelbergae, et apud Metenses unde uxorem duxerat, denique Sedani. Etiam Argentorati propter Lutheranos pedem figere non potuit. (Adami, Niceron etc.)*

2) *scil. ut eum Bernae retinerem. Commendatus fuerat a Calvino cuius Catechismum hebraice verterat.*

1969. 1) *Haec enodare non possumus. Fortasse Geroldus ille Rudolphi filius erat, alias non obvius. Prevotium habuisti N.* 1493 *et* 1685.

2) *N.* 1920. 1923. 1955 *et quae ibi annotavimus. Basilienses arbitri nihil perfecisse videntur quum m. Iulio vergente res ad suffragia plebis redierit. (Ruchat,* VI. 71. *Hottinger, Helv. KG.* III. 816. *Pierrefleur p.* 294 *seqq.) Schmidtius in vita Vireti de hoc negotio omnino tacet.*

3) *N.* 1966, *not.* 2.

4) *ibid. not.* 8.

crata est, ut aliquando usui et ornamento Christi ecclesiae esse possit. Vale optime ac diutissime. Lausannae 13. Iunii 1554.

Tuus Petrus Viretus ex animo.

1970.

CALVINUS EXSULIBUS ANGLIS.

Consolatur eos, animos eorum erigit, hortatur ut studiis sedulo operam navent, sperat fore ut brevi aliquando Dominus ipsis ad suum opus perficiendum utatur.

(Describimus ex Simleri Vol. 82, qui se desumpsisse dicit ex Iuelli Vita per Humfredum scripta pag. 91, cuius libri nobis copia non fuit.)

Piis et doctis, qui nunc exsules ab Anglia se ad Christi ministerium comparant, in ecclesia Tigurina, [1]) fratribus carissimis.

Quanquam prope supervacuum fore ducebam, proficiscente ad vos optimo fratre nostro D. *Levero*, per literas a me tentari, quod ipse coram sermone longe melius et uberius praestabit, ego tamen vel frustra eiusdem rogatu ad vos scribere malui, quam officio meo deesse. Duo autem mihi breviter agenda puto, ut dolorem exsilii vestri mitigem aliqua consolatione, et vos ad studia piae doctrinae quibus incumbitis persequenda exhorter. Triste per se exsilium est, acerba res est patriae calamitas, cumulus vero malorum est misera ecclesiae Christi dissipatio, praesertim ubi nullus apparet finis. Sed filiis Dei, qui se agnoscunt mundi haeredes, exsulare non adeo durum est: re ipsa quoque assuefieri ut peregrini discant esse in terra utile est. Quum advenis nuper receptaculum esset Anglia, Dominus vos in tempore illorum exemplo praemonuit, ne vobis molestum foret easdem obire vices. Causa exsilii, unde levatio aliqua petenda erat, quodammodo moerorem duplicat, quod expulso Christo diabolica tyrannis in patria vestra grassatur, et illic trepidis ovibus lupi crudeliter inhiant. Sed quum sciatis, non esse novum Christo sub cruce regnare, ut sibi ac suis ex mundi ignominia magnificos triumphos acquirat, vestrum est hoc probationis tempore colligere animos ad constantiam, donec e coelo manum exserat. Certe suos tandem, quorum non exiguus est numerus, respiciet, et hostium compescet superbiam, qui adeo propterea insultant, ut non diu futurus sit tolerabilis eorum furor. Nos interea sedulo operam dare convenit, ut nostros quoque gemitus exaudiat. Porro vos non arbitror multis verbis hortandos esse, ut in sancto isto cursu strenue pergatis: unum hoc ad vos stimulandos sufficiet, in quem usum divinitus sitis repositi, exponere. Neque enim dubito, quin mirabili consilio Dominus vos in piae doctrinae studiis, quasi sub umbra exerceri velit, ut in lucem paulo post, atque in seriam militiam producat. Acriter ergo ad perficienda incumbite, ac si rebus optime compositis, patria nunc operam vestram flagitaret. Quamvis enim clausa sit Christi servis ianua, brevi tamen aliquem vestri usum fore spero. Ad eam rem fidus vobis et idoneus adiutor erit frater et symmysta noster D. *Leverus*, cuius doctrina et pietas vobis pridem cognita est, nobis autem sic probata, ut magnopere vobis gratuler, exemplar vobis domi propositum quod imitemini. Valete, mihi ex animo dilecti fratres. Dominus vos tueatur et gubernet spiritu suo, studiisque vestris benedicat. Amen. Genevae Idibus Iunii 1554.

Ioannes Calvinus
vester.

1970. 1) *Strype, Eccl. Mem. III. P. I. p.* 232: At Zuric: hither came (1554) about twelve English: Laurence Humfrey was one, afterwards the King's learned prof. of divinity in Oxford (*Autor vitae Jewelii unde haec ep. desumpta, cf. Zuriq Letters* II. 752), and John Parkhurst was another, late rector of the rich living of Cleve and afterwards bishop of Norwich. They all lived with much comfort in the house of Christopher Froscover printer, and paid each his ordinary. These twelve came hither before P. Martyr came from Argentine to be prof. of divinity here: who, when he came, brought Jewel along with him. Here were also Jm. Pilkington, late master of S. John's college, Cambridge, afterwards bishop of Durham; Tho. Bentham, late fellow of Magdalen college, Oxon., afterwards bishop of Lichfield; Tho. Lever, lately at Frankford; Tho. Spenser, Rob. Beaumont, Nic. Carvil. These being here had supplies yielded them by Chambers and certain London merchants, Rich. Springham, John Abel, Tho. Eton, and some others, whose names were studiously concealed. *Quorum exstat ep. ad senatum Turicensem, cum aliis, Zuric. Letters* II. 751. *Strype ibid. p.* 409: Many of the English, especially students settled themselves at Zuric, for the sake of Bullinger and other learned men there. Here were Jewel, Horn, Lever, Parkhurst, Humphrey, Beaumont, Mullings and others. To these exiles both P. Martyr from Strasburgh and J. Calvin from Geneva wrote comfortable letters. Both are extant in the Life of Bishop Jewel wrote by Dr. Humphrey. *Aliam Bullingeri suppeditant Zur. Letters* II. 747.

1971.

TREMELLIUS CALVINO.

Nunciat se Bernae bene exceptum, quod eius commendationi acceptum refert.

(Ex autographo Cod. Parisiensis Bibl. nation. Coll. Dupuy Vol. 268, fol. 12.)

Clarissimo theologo D. Ioanni Calvino domino ac patri suo perpetua fide ac observantia colendo. Genevae.

D. *Musculus* qua senatus gratia utrique accepti sumus fuse perscribit.[1]) Id modo de ipsius caritate et studio adieci: omnia ea prudentia et fide effecisse ut non potuerit maiore. Ex quo facile intelliges commendationem tuam tantum apud eum valuisse quantum tua merito apud omnes vere pios valere debet autoritas: quam ut Deus ad ministerii sui dignitatem et fratrum afflictorum consolationem semper incolumem conservet atque magis ac magis amplificet omnibus precibus et votis expeto. Gener meus[2]) te plurimum salutat et maximas mecum agit gratias quod tuo etiam patrocinio inprimis adiutus statum aliquem obtinuerit. Plura scribam rebus certius constitutis. Dominus Iesus te servet ab omni malo et spiritu suo semper regat. Vale. Bernae 14. Iunii.

Tuus Immanuel Tremellius.

1972.

VIRETUS FARELLO.

Praemissis nonnullis de fratre Naverii et libello contra Calvinum scripto consulit eum de dedicatione novo suo operi praefigenda.

(Ex autographo bibl. pastorum Neocom. Epp. Vireti fasc. VIII. N. 9. Charta passim lacera.)

Eximio Christi servo Guilielmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fidelissimo fratri et symmystae observando.

Neocomi.

S. Hic tabellarius fratrem s[*e esse*] dixit Petri *Naverii* . . . . quo usus sum aliquando scriba [*qui u*]nus fuit ex quinque illis martyribus qui Lugduni exusti sunt a[*nno su*]periore. Tonsor est. Hic non potuit conditionem invenire, nec prius Genevae. — — — — — — — — — — — —

Arbitror te accepisse exemplar famosi illius libelli missi ad senatum Genevensem adversus *Calvinum.* Nam nuncius qui ad me unum attulit, dicebat se alterum habere ad te. Vides quibus artibus Satanas tentet perpetuo turbare ecclesiae quietem. De *Calvino* si intellexero nostram operam aliquid ecclesiae profuturam, te faciam certiorem.[1]) — — — — — Ego si possum ubi missam meam gallicam absolvero, et Acta apostolorum papisticorum,[2]) me conferam ad vos: sed non possum prius, quia iam dudum sub prelo sunt, a quo urgeor quotidie: sed brevi opinor absolventur. Quum cogitarem cui dedicarem, venerunt mihi in mentem tui Neocomenses. Nolui tamen te inconsulto id facere. Dedicavi iam Orbanis meos libros duos, Lausannensibus totidem, et Bernatibus unum, Genevatibus nihildum dedicavi: sed nescio an hoc opus satis meo instituto conveniret. Quum pastor fuerim Neocomensis, videbantur mihi non praetermittendi. Si Dominus dederit, aliud aliquod opus dicabitur Genevensibus. Utar tamen tuo consilio. Statueram hunc operi titulum praefigere: *Les actes des apostres de leglise papale, contenans la Genealogie, le bastiment et l'anatomie de la papaute et de la messe et la conference de la cour de Iesuchrist avec icelle.* Scribe mihi tuam sententiam. Salutant te uxor et filiolae et *Petrus* meus et tuus qui omnes recte valent cum tota familia dei beneficio. Saluta collegam et amicos caeteros. Vale optime. Lausannae 14. Iunii 1554.

Tuus Petrus Viretus.

1971. 1) *N.* 1968.

2) *Halleri Ephem.* p. 104: *Gener illius Antonius Chevallerius Lausannae diu mansit. — Cuius varia fuere fata. Natus in Montchamps* 1507, *Parisiis in hebraicis Vatablo magistro usus est, ob religionem in Angliam se contulit, et Cantabrigiae studia resumpsit sub Fagio. Dux Somerseti eum Elisabetae gallice edocendae magistrum delegit* (*Strype Mem.* II. 1, p. 323). *Cantabrigiae Tremellio Fagii successori in docendis hebraicis assistebat, cuius tunc privignam duxit. Regnante Maria expulsus socero exsilii socius fuit. Postea* 1559 *Argentorati docuit, eodem anno Genevae, mox inter cives receptus. Deinde in Galliam rediit, et inter bellicos tumultus iterum in Angliam, ubi Parkerus archiepiscopus ei professionem hebr. Cantabrigiae demandandam curavit.* (*Strype, Parker* I. 196. 577. *Idem, Annals of the ref.* II. 288. 552. *Haag* III. 440.) *Obiit* 1572 *in insula Guernsey.*

1972. 1) *Farellum sub finem Iunii Genevam venisse et postridie Cal. Iulii in Senatu verba fecisse constat ex Actis Senatus et Comment. Ven. Ministerii.*

2) *Schmidtius laudat duos libellos Vireti hoc anno editos*: Difference et conference de la cene et de la messe. Geneve 8º *et:* Des actes des Apostres de J. C. et des apostats de l'Eglise. *ibid.* 8º. *Haagius unum tantum hoc titulo:* Des actes des vrais successeurs de J. C. et de ses apostres, et des apostats de l'Eglise papale, contenans la difference et la conference de la saincte cene de N. S. et de la messe. Item de la naissance, le bastiment et la consommation de la messe et de la papauté et du mystere de l'Antechrist *ibid.* 8.

1973.

BEZA BULLINGERO.

Post pauca de Socino epistolae latore et Anglis nuper Lausannae commoratis, acriter invehitur in autores Farraginis Bellianae, quos digito commonstrat, scilicet sibi optime notos, et mox prout meruerunt tractaturum se pollicetur. Addit excerpta ex ipso qui ei bilem movit libello.

(Plura extant huius epistolae exemplaria: Autographon Turici in Archivis Plut. VI. Vol. 166, olim Epp. Tom. 24, fol. 89; tum in Cod. Genev. 119, fol. 131 et 111b, fol. 22, Bernae in Epp. Tom. VI. p. 1090, et ap. Simlerum Vol. 82.)

Salutem et gratiam a Domino.

Certe, mi pater, invitus tibi molestus sum. Sed ita necesse est, ut faciam. Deinde hunc qui ad te proficiscitur nolui absque meis literis istuc reverti, quem memini cum tuis mihi gratissimis ad me venisse. Is praeterquam quod paucos dies nobiscum consumpsit, Genevae vixit.[1]) Itaque non potui, sicut vel ob tuam commendationem maxime cupiebam, operam illi meam ulla in re accommodare ut in me nunc quidem praeter egregiam voluntatem nihil compererit. Det mihi Dominus, ut illi et caeteris meis veris fratribus possim re ipsa commodare.

D. *Chiecus*, D. *Morisonus* hac bis iter fecerunt, neque nunc scio ubi sint.[2]) Eos sicut ego cum incredibili voluptate vidi propter vere eximiam pietatem cum eruditione et nobilitate certantem, ita vix possum lacrymas continere, quoties ista mihi conspecta memini Anglicae vastationis testimonia. Sed tu, Domine, haec vides, et propter nomen tuum misereberis nostri.

Nunc audi, in quo tibi molestus esse verear. Quod scripseram de Farragine illa ad Rhenum excusa, longe maioris momenti res est, quam existimabam. Comperi enim inter legendum nullos Anabaptistarum furores cum istis esse comparandos. Nam aperte religionem a fundamentis totam convellunt. Itaque in respondendo coactus sum multo longior esse et acrior quam putaram. Quamobrem (ut hic noster tibi testis erit) fieri non potuit, ut (sicut magnopere cupiebam) Apologiam nostram nunc ad te mittere potuerim, quod tamen faciam, quum fuerit peracta. Crede mihi, non puto ab initio praedicati evangelii tales exauditas esse blasphemias. Libelli autores tres[3]) sunt (ut ego pro certo scio): unus est et praecipuus ille cuius praefationem rogavi ut legeres.[4]) Alter est ex iis unus quos a te magnopere diligi puto.[5]) Et quum haec ad me scriberentur sane sum admiratus, quanquam quum hac iter faceret, magnam illam πολυπραγμοσύνην non poteram in homine probare, quod existimem vix ulla esse ingenia a christiana sobrietate magis aliena, quam quae philosophicas subtilitates volunt cum verbo conciliare. Sed eum quoque tempus deteget. Eius nomen intelliges ex eo, qui has tibi literas reddet. Tertius est *Secundus*[6]) qui bene ac nimium cognitus est nostrae scholae. Is adversus ea quae in Decadibus rectissime scripsisti de hoc argumento refutationem proprie scripsit, Basilii *Monfortii*[7]) nomine, te quidem nominatim non appellato, sed ita, ut infitiari non possit, quia verba tua etiam usurpat et exagitat. Eum ego, ut spero, tractabo sicut dignus est homo prorsus profanus, ita tamen ut Christi causam, non nostram nos agere appareat. Haec ego pro certis audeo affirmare, quod ab homine pio et veritatis amante ad me perscripta sint, qui in ea ipsa

1973. 1) *Simlerus Socinum designari putat. Cui nos quoque adstipulamur. Ex eius enim epistolis constat eum per duos primos anni menses Basileae fuisse, d. 19. Aprilis ad Bullingerum scribit ex Geneva* (*Trechsel I.* 437). *Hic aliquamdiu stetisse ex ipsis Bezae verbis facile colliges. Nunc iam Turicum abit.*

2) *Vergente Maio Genevae fuerunt, inde Italiam petituri.* (*N.* 1958.)

3) *De numero minime constat, et ipsa nomina non omnino certa.*

4) *Bellius, sub cuius nomine Castellionem latere credit. Exstat tamen eius ep. ad Gratarolum d. d. 11. Aug.* 1554 (*Ep.* 46 *in Tract. theol. III.* 257) *in qua quaerit an Castellionem pro certo et nominatim in Refutatione sua accusare possit. Alibi vidimus eum ex collatis duabus praefationibus, Bibliorum scil. et Farraginis, eundem fuisse autorem utriusque collegisse* (*N.* 1936) *Verum in l. suo de Haereticis puniendis* (*Tract. theol.* I. 103 *et in Vita Calvini incunctanter ipsum autorem nominat*). *Et ad defensionem Castellionis respondens* (*Tract.* I. 451): Tu de his rebus appellatus, *inquit*, coram Basiliensis ecclesiae ministris Bellii farraginem falso eiurasti. *Et paulo post:* Illa blasphemiarum farrago latine primum edita et postea gallice conversa et Lugdunum a tuo fratre allata et ibidem excusa. *Iam altero ita rationibus allegatis affirmante, altero cum iureiurando negante, cui potissimum fides habenda?*

5) *Hic Socinum ipsum peti certum est. In Vita Calvini scribit:* illum Bellianae farraginis maxima ex parte autorem fuisse compertum est (*p.* 18 *et* 23). *Socinus iam a.* 1549 *Basileae cum Castellione conversatus* (*Trechsel p.* 144) *nuper ibidem per bimestre spatium sine dubio veterem familiaritatem redintegraverat.*

6) *Hunc Beza postea silentio praeteriit. Sed Calvinus eum cum Cellario Castellioni socium addidit. Vides nostros suspicionibus potius quam certis argumentis motos fuisse in designandis autoribus. Nempe eos accusabant quos alioqui sciebant ipsorum adversarios esse. Caeterum et Gratarolus et Vergerius Basileae quosdam Serveti causam amplexos esse statim ab initio perhibuerant.* (*Cf. Schmidt, Curio l. l. p.* 609. *Maehly, Castell. not.* 130. *Porta, Ref. rhaet.* II. 159 *et plures epp. m. Dec.* 1553 *et seqq. scriptas.*

7) *Haec alibi non repetit, imo in sua Refutatione se verum hominis nomen ignorare fatetur* (quicunque tandem ille sit qui sub hoc nomine delitescit *p.* 150).

urbe moratur, ubi haec scelera sunt cogitata et peracta. Liber Magdeburgi nomen praeferens apud eum impressus est,, de cuius licentia et profana avaritia iampridem frustra conquesti sumus.[8]) Certe non est, quod de longinquis inimicis solliciti magnopere simus, si cum istis domesticis conferantur, sicut aliquando intelliges. Det Dominus nobis et pium et fortem animum. Nam nisi occurratur, acerbissima et impudentissima quaeque exspecto. Hoc ut melius cognoscas tantisper dum librum ad te mittam quaedam in chartula exscripsi, ex quibus coniecturam facies de caeteris. Bene vale, mi pater. Dominus Iesus te nobis (quid nobis? imo ecclesiae toti) conservet. D. *Viretus* noster, ex cuius consilio haec ad te scripsi, valde te salutat. Ego vero imprimis cupio precibus tuis Domino commendari. Lausannae 18. Calend. Iulii.

Th. Beza, plane tuus.

Ex Bellii praefatione in libellum de haereticis non puniendis.[9])

Disputatur non de via qua ad Christum veniri possit, i. e. de vitae correctione, sed de ipsius Christi statu et officio, ubinam nunc sit ipse Christus, quid agat, quomodo sedeat ad dextram patris, quomodo sit unum cum patre: item de praedestinatione, de trinitate, de libero arbitrio, de Deo, de angelis, de statu animarum post hanc vitam et caeteris huiusmodi rebus, quae neque ad salutem per fidem obtinendam usque adeo cognitu necessariae sunt (siquidem sine earum cognitione salvi facti sunt publicani et meretrices), neque cognosci possunt antequam cor mundum habeamus (siquidem illa videre est Deum ipsum videre, qui sine mundo corde videri non potest, iuxta illud: Beati mundo corde quia Deum videbunt), neque si sciantur reddunt hominem meliorem.

Et paulo post de his iisdem agens:

Hinc exsilia, hinc ignes, et miserabilis quotidianorum suppliciorum facies, ob invisas potentioribus opiniones de rebus adhuc ignotis et inter homines per tot iam saecula disputatis, necdum tamen certo conclusis.

Idem rursus:

De baptismo, de coena Domini, de invocatione sanctorum, de iustificatione, de libero arbitrio, caeterisque multis obscuris quaestionibus acres sunt controversiae.

Quos isti vocent potentiores abhinc octo dies ostenderunt summissa gallica epistola ad senatum Genevensem,[10]) sed non adscriptis nominibus, in qua quaecunque in sicarium et perditissimum nebulonem dici possunt in *Calvinum* debacchantur furiosissime, studentes tumultui et apertae seditioni, ita tamen ut sibi cautum esse velint. In eadem autem criminatione Neocomenses etiam nominatim proscindunt. Deinde de Tigurina ecclesia ac magistratu, nomine tamen non expresso, ita loquuntur ad verbum:

Scitis praeterea, carissimi fratres et domini, quid acciderit nostra memoria cuidam praecipuae civitati, ex iis quae evangelium receperunt. Quae quum pastorem haberet addictum fundendo sanguini et rebus omnibus pro animi cupiditate faciendis vi et violentia, quique senatum adigeret ad facienda quae sibi liberet, Dominus statim illic iram suam effudit, summo cum damno et incommodo totius ipsorum reipublicae et negotii evangelii retardatione, neque ipse duntaxat minister, qui ad has crudelitates [i. e. ad puniendos Anabaptistas, ut declarat Monfortius in sua refutatione, unde haec paene ad verbum sunt excerpta][11]) *ipsos impulerat, sed etiam totus senatus qui ipsum erat sequutus, et urbis ac regionis flos ipse ceciderunt in unum acervum, interempti gladio irae Dei contra ipsos pugnantis.*

Haec illi. Quid facturi sint Genevenses nescio. Sed suspicor sine factionis alicuius spe et impulsu eo impudentiae ipsos non fuisse prorupturos. Tu deliberabis quid facto sit opus. Nam si haec illis conceduntur, quid tandem non audebunt?

1974.

SULZERUS BULLINGERO.

Basileae omnia tranquilla et a Servetico fermento nil timendum.

(Excerptum ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 155, olim Scrin. B. Epp. Tom. 33, fol. 373. — Simler. Vol. 82.)

Viro praestantissimo D. Heinricho Bullingero ecclesiae Tigurinae vigilantissimo antistiti, domino et fratri colendissimo suo.

— — — — — — — — — — — — — — — —

— Neque inutiliter de Servetana etiam causa

8) *Oporinum notat.* (*Maehly p.* 45.) *Titulum nomen typographi Magdeburgensis prae se ferre iam monuimus.*

9) *Haec in Cod. Tur. fol.* 84.

10) *De qua saepissime in praecedentibus. Excerpta ex Senatus commentariis ad 7. Iun. dabimus in Annalibus.*

11) *haec Beza in margine.*

monuisti, [1]) quia inde privatim et publice institimus tanto diligentius in verae doctrinae, quod eam partem attinet, demonstratione et conservatione, et nisi arcanum aliquod monstrum alatur, satis videntur ad tranquillitatem composita omnia. — — — — — — — — — — — — — — — — —

Basileae 16. Iunii 1554.

Tuus Sulzerus.

1975.

CHECUS CALVINO.

A regina Angliae frustra bona sua sub sequestre posita per uxorem sibi ut redderentur postulavit: quae eo praetextu negata sunt quod in Germania commoraretur ipse: ergo iam in Italiam cum aliis proficiscitur.

(Ex autographo Cod. Goth. 405, fol. 52.)

Doctissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo.

Genevae.

Vide ut domi forisque iacter qui ne in Germania quidem aut apud vos consistere adhuc quietus possum. [1]) Regina uxori meae petenti de restitutione agrorum quos partim ante Eduardi tempora partim ab ipso acceperam, responderat se tum demum velle de petitione hac statuere ubi de mea commoratione aliquid audierit: nunc quia me Genevam contendisse intellexerit, nihil se daturam asseveravit. Negare uxor et caeteri amici me Genevae esse, qui ne Coloniae tum quidem esse potui, sed ubi commorandum statuerim nescire. Ego amicorum consilio ad fructum aliquem ex aliorum acerbitate capiendum inductus, cum quibusdam nobilibus Anglis hominibus meae conditionis atque ordinis Italiam et Patavium cogito, ut ibi me ostenso literae quamprimum et literis velocior fama meum adventum perferant. Rebus meis bene transactis, quod facillime futurum spero, non tam mihi necesse erit sequi aliorum voluntates ad retinenda mea, quae nunc cogor caedere * ad obtinenda dubia. Interim de tua erga me humanitate, cuius ego dum vivo minime obliviscar, tantas tibi gratias ago quantas possum, et reliquum studium meum erga te tempori et occasioni reservo. Reliqui Genevae puerum meum Th. *Barnardistonum* [2]) et Arthurum *Brokum*, tum religionis causa, quae optime in hac aetate seritur, tum gallicae et latinae linguae cognoscendae gratia: eos precor abs te ut hortatu tuo, cuius autoritatem reverentur, impellas ad diligentiam et studium. Ego hoc providebo ut pecunia illis caeteraque necessaria tempore mittantur, in quo postquam consedero pluribus ad te scribam. Dominus Iesus te, vir humanissime et doctissime, nobis conservet et ecclesiae Christi. Saluta, quaeso, D. *Marchionem*, D. *Budaeum*, D. *Normandiae*, *Parisium*, *Villiers*, Paris *Granval*, fratrem tuum humanissimum et uxorem eius. Vide quantum tibi imponam qui ne modum quidem salutationibus facio, neque *Stephani* praeterea oblivisci possum. Argentinae. xviij. Iunii 1554.

Tui in Christo amantissimus
Ioan. Checus.

1976.

MINISTRI NEOCOMENSES GENEVENSIBUS.

De calumniis certiores facti quas in libello anonymo a Vandello Senatui Genevensi tradito quidam contra Calvinum adeoque ipsum magistratum in Bolsecum et Servetum animadvertentem protulerunt, se paratos dicunt fratribus adesse si quid illi in hac re agendum decreverint.

(Ex autographo Cod. Genev. 196, fol. 23.)

Omnibus fidelissimis Christi ministris tam in urbe quam in agro Genevensi fratribus quam ornatissimis dilectissimisque.

Genevae.

Perpetuam gratiam et salutem a Deo patre per Dominum nostrum Iesum Christum.

Fratres carissimi, quibus etiam debemus honorem plurimum: venerandus nobis ac parens in Do-

1974. 1) *Videtur Bullingerus perlecta Grataroli epistola* (N. 1957) *sciscitatus fuisse de ecclesia Basileensi, quatenus a Serveti factione turbata fuerit. Etiam Bezae literae statum rerum atro colore depinxerant.*

1975. 1) *Infra leges eum tunc Argentorati fuisse, de quo vide Strype, eccl. mem.* III. 1, *p.* 232. *Inde Basileam se contulit ubi Curioni maxime innotuit, denique Patavium ubi quibusdam Anglis Demosthenem interpretatus est.* (*Strype, life of Sir John Cheke p.* 95 *seqq.*)

2) *hic filius fuit viri nobilis Sir Thomas Barnardiston, cuius iuvenis rex Eduardus Checum tutorem fecerat.* (*Strype, l. l. p.* 90.)

mino Guilielmus *Farellus* proximo conventu nostro nobis exposuit, incertorum quorundam hominum usque impotentiam invaluisse ac rabiem, ut contra Senatum vestrum, missis ad eundem literis, [1]) summa iniuria impietateque saevierint ea criminando et exprobrando quae in *Servetum* sanctissimo iudicio fuerunt acta: conscripserint perniciosissimum deploratissimumque plecti haereticum nequaquam debuisse: nullas esse non ferendas pestes, quodcunque tandem adversus Christum virus exhalare atque evomere libitum fuerit. Neque contentos ita lacerasse magistratum innocentissimum in ipsum quoque *Calvinum*, egregium Christi servum, iisdem literis tanta atrocitate insanisse, ut peiore daemonio calumniare* nequiverint, quum alia permulta, quae idem *Farellus* narrando generaliter complexus est, tum quod, quum non aliter quam pro sua singulari perspectaque iamdiu benevolentia quam amicissime saepe nos viserit, malitiose tamen et supra quam dici potest invidiose, tanquam hisce itineribus ad dominationem aliquam susceptis, nosque ab illo pendeamus [2]) potius quam ex solo Dei verbo quod affert, quodque nos vobiscum una in omnibus arctissime coniungit, interpretati sunt. Videlicet tanto furore percelluntur, ut vitio vertant, quod doctissimi viri optatissima utilissimaque praesentia nobis aliquando frui liceat. Ad haec itaque monstra, fratres, tam horrenda, quum moestis animis non solum ingemisceremus sed obstupesceremus etiam, eoque magis quod addebat, in huiusmodi literis nullum ostendi quibus autoribus conflatae essent vestigium: nempe quo sic maleficorum instar, qui se nonnunquam aliis constituunt invisibiles, impune in nos grassarentur.*

Idcirco nobis nonnihil iis de rebus vobiscum communicare hac epistola visum fuit. Intelligitis enim ministerio nostro talibus contumeliis, non modo vestro, gravissimam inuri maculam, tametsi in vos recta toto impetu rapiuntur, vestrique odio, praecipue *Calvini* fratris, nos tantum, velut in transcursu feriunt. Videtis quum illos insigniter impios *Hieronymum*, proxime affinem eius *Servetum*, haereseos ipsi vobiscum ex verbi divini sententia damnaverimus ne una cum negantibus Deum iisdem illigaremur sacrilegiis, ubi ingenue fatemur, libros qui ad flammam tanti utriusque incendii restinguendam, unus nomine omnium vestrum, alter *Calvini* in vulgus quam opportunissime editi sunt, nobis adiumento non mediocri fuisse. Videtis quum tanta animorum alacritate Domino gratias egerimus primum audita victoria, eodem *Farello* referente, quemadmodum tam exsecrandis belluis per vos occlusisset ora Dominus, poena blasphemiae epistomiumque illis sui spiritus iniecisset, deinde quum priorem quidem finibus pulsum, quod alioqui permagnae ducebamus clementiae, alterum vero dignas luisse poenas, memoranda senatus aequitate audissemus. Ergo videtis haec omnia, quibus nihil neque iustius neque magis laudandum, ab istis tamen, quicunque sint, furiose torqueri in sinistram pessimamque partem, nosque in his diffamari velut *Calvini* fratris mancipia, ac non servi Dei vobiscum, et *Calvino* qua sane docentem sequi, ac bene meritum agnoscere, quam suprema in Deum perfidia secedere maluerimus. Si, quidnam in hoc Satanae latrocinio statuatis, aut in ista quasi nocturna excursione tam subito avolantium hostium possitis, comperto haberemus, expeditum esset eodem consilio, quid in communi praesertim cum *Calvino* iniuria nos quoque agere oporteret. Quantum igitur nunc decernere possimus, postulamus et vestra ope quod aequum est impetrare a senatu liceat. Quando enim qui talia in nos debacchati sunt, non apposuerunt sua nomina, is per quem senatus literas accepit, nobis eorum nomine videtur respondere debere, aut illos producere. Tantum scribimus quid putemus in re nobis non satis perspicua: qui deprehendi istos nequitiae magis tros admanifestiorem Dei gloriam peroptamus: constituere autem quod facto opus sit magisve expediat, vestri erit iudicii, vestraeque summae caritatis erga nos, qui pro Domino vobis impendere parati sumus omnia nostro nomine curare, quidquid agendum videbitur, nosque certiores facere: omnino enim consilio vestro stare volumus. Quod reliquum est, fratres, oramus Dominum ut adversus tot assultus diaboli corroboret semper animos vestros sua virtute, ipsumque brevi conterat sub pedibus vestris. Valete, fratres integerrimi: nostri memores in assiduis precibus vestris estote, et ecclesiarum Dei quibus nos voluit praeficere Dominus. Neocomi 18. Iunii 1554.

Decanus caeterique omnes classis Neocomensis symmystae Iesu Christi.

1976. 1) *Res ipsa in superioribus satis superque ventilata. Farellus his literis non contentus (quorum tamen ipsum autorem fuisse facile legendo sed non etiam intelligendo divinaris) ipse Genevam adiit et in Senatu pro domo verba fecit.* (*N.* 1972, *not.* 1.)

2) *Quo magis vera sunt quaedam eo minus libenter audiuntur.*

1977.

CALVIN A DES FIDÈLES FRANÇAIS.[1]

Exhortations à la constance dans la foi évangélique et conseils relatifs à l'usage des sacrements.

(Copie. Bibl. de Genève Vol. 107, fol. 50, Vol. 108, fol. 11 v. — Lettres franç. I. 422. Comp. Ruchat. V. 545. Trad. angl. III. 43.)

La dilection de Dieu nostre Pere et la grace de nostre Seigneur Iesus-Christ soit tousiours sur vous par la communication du Sainct Esprit.

Treschers freres, combien que nous aions telle pitie que nous devons de vostre captivite, si est ce que nous avons de quoy nous resiouir et louer nostre bon Dieu de la constance quil vous donne, tellement quil ny a crainte ne menace qui vous empesche dadherer a luy et a sa verite, comme aussi cest bien raison que son honneur soit prefere a nostre vie propre. Ioinct aussi que nous scavons quen quittant le monde pour parvenir a la gloire celeste, nous ne perdons rien, mais faisons ung eschange qui nous revient a ung proffict inestimable. Parquoy, mes freres, prenez courage, comme vous avez faict iusques icy, a cheminer droictement tendant au but qui nous est propose. Si une grande partie, mesme de ceux qui ont gouste la verite de Dieu, sesgare a sa perdition, ne soiez point desbauchez par leur exemple, car vous scavez que la voie de salut est nommee estroicte, pource quil y en a bien peu qui se rengent a shumilier pour suyvre Iesus Christ, en participant a sa croix, mais ayment mieux sesgayer en leurs vanitez. Vous faictes bien aussi de vous assembler, tant pour invoquer en commun le nom de Dieu que pour recevoir quelque instruction bonne et saincte, selon que Dieu donne la grace aux uns pour edifier les aultres. Car, veu la foiblesse qui est en nous, telz exercices nous sont necessaires, iusques a ce que nous soions sortiz du monde. Sur tout quant Satan faict de grans effors pour abbatre nostre foy, il nous est besoing destre tant mieux confermez.

Touchant davoir lusage des sacremens, il vous y fault proceder avec telle mesure que vous ne bastissiez point que sur ung fondement ferme. Quant vous estes assemblez, chacung peult apporter ce quil luy est donne de Dieu, et selon que chacung a plus receu, il en doibt distribuer. Et ceux qui ne sont point encores tant avancez, doibvent recevoir en toute humilite et modestie ce qui est mis en avant. Mais cest aultre chose denseigner que dadministrer les sacremens. Car pour avoir homme qui vous distribue la saincte Cene de nostre Seigneur Iesus Christ, il fault en premier lieu quil soit esleu et choisy pasteur par vous dung commun accord. Et pour ce faire, il est requis que vous aiez un corps dEglise estably. Cest que vous soiez resoluz de suyvre le train et ordre de vous assembler, comme vous avez commence. Non pas que nous requerions de vous une confession publique. Car nous scavons bien la servitude estroicte en laquelle vous estes detenuz, et ainsi cest bien assez que le petit troupeau sassemble en cachete. Mais tant y a quil vous est besoing davoir ceste convenance et accord de continuer tant aux prieres communes qua la predication de la parolle, pour avoir forme dEglise. Cela presuppose, quant il se trouvera entre vous homme idoine qui soit appelle a loffice de pasteur, il luy sera licite[2] de vous estre ministre des sacremens. Mais advisez que ceux qui se recueillent ainsi a part, pour recevoir les sacremens en telle purete que Dieu le commande, ne se meslent point parmy les superstitions papalles, mais que vous soiez vraiement separez de tout ce qui est contraire a nostre Seigneur Iesus. Oultre plus quil vous souvienne que ce nest pas a nous de separer ce que Dieu a conioinct, et pourtant quavec lusage de la Cene, il est requis davoir aussi le Baptesme. Car si apres avoir communique ensemble a la table de nostre Seigneur Iesus, vous allez porter voz enfans aux prestres, cest une pollution qui nest point a souffrir. Nous ne disons point cecy pour vous retarder de ce qui est bon. Car nous desirons bien que vous iouissiez comme nous des moiens et aides que Dieu nous a ordonnez pour fortifier nostre foy. Mais si vault il mieux vous abstenir pour ung peu de temps de ce qui est bon et utile, que de profaner les choses sainctes par legerete. Quant doncques vous verrez que vous ne pouvez obtenir ce qui est requis[3]) pour lusage des sacremens, gemissez, prians Dieu quil vous avance et supplee a voz deffaux, affin que vous ne soiez point tousiours privez des biens quil a laissez a ses enfans, et taschez plus tost de corriger les vices qui vous empeschent den user, que de vous nourrir en vostre infirmite.

Pource que ie navois pas grand loisir, vous

1977. 1) *En tête de cette lettre Jonvilliers (?) a mis cette note:* Il escripvit ceste lettre a quelques fideles qui s'assembloient au pays de . . . . *La localité était donc inconnue à l'auteur de la note. M. Bonnet croit reconnaître une certaine affinité entre cette lettre et celle du 3 Sept.* (2005) *adressée aux fidèles du Poitou. Mais toutes les petites réunions de protestants en France se trouvant absolument dans les mêmes conditions et Calvin restant toujours dans les généralités, il n'y a guère moyen de rien déterminer.*

2) il sera tenu *Bt.*
3) requis *om. Bt.*

excuserez la briefvete de la lettre. Les freres vous saluent, sinon que ie nentens point quel est ce Me. *Richart* que vous dictes, car nous navons nul en nostre compagnie de ce nom.[4]) Pour faire fin nous prions Dieu quil luy plaise augmenter ses graces en vous, en vous conduisant par son Esprit en toute prudence et vertu, pour vous faire servir a sa gloire, et vous avoir en sa protection iusques a ce que nous soions tous recueilliz en lheritage eternel qui nous a este acquis par son filz unicque. De Geneve, ce 19 de Iuing 1554.

1978.

CALVINUS VIRETO.

Praeter nonnulla alia quae obiter tantum attinguntur, Vireto negotium Westphalo respondendi ab Hallero ei commendatum non invidet, ita tamen ut id non sponte factum videatur. Alteri libello, Genevensi, pro tempore respondendi copia non datur quum Senatus eum clausum teneat.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 71.)

Eximio Iesu Christi servo Petro Vireto, ecclesiae Lausannensis fido pastori, fratri et symmystae coniunctissimo.

S. Si tibi in hac causa,[1]) ad quam tractandam *Hallerus* te hortatur, nullis suspectus esse videor, mi *Virete*, ubi igitur est improbum illud obscurandi studium? Cavendum igitur mihi statuo, ne bonis viris obstrepam. Utinam *Musculo* quoque morem gerere liceret, qui modum scriptionibus facere iubet, ne fatiscam. Sed praevalet multorum improbitas, qui ab invito multa non bene concocta exprimunt. Iam mihi integrum non est in longum tempus supprimere, quae scripturio in tres evangelistas.[2]) Verum opere illo edito, ad tacitas meditationes me conferam. Et certe in loquendo mihi plus satis est negotii. Quantum ad fratres illos spectat, non committam ut illis taedium afferat mea sedulitas.[3]) Quod D. *a Lasco* respondendi partes suscepit,[4]) tibi obstare non debet, quin libere manum admoveas operi. Quod autem mihi iniungit, tibi libenter resigno. Qua de causa libellum[5]) tibi mitto, ne vana operae meae spes te puncto uno temporis moretur. Interim efficias, ut sileat honoris mei defensor,[6]) quem tu indicasti. Neque opus erit, ut suum patrocinium repudiari intelligat: sed dices quod verum est, decretum senatus obstare. Liber enim clausus tenetur quatuor seris, in tres vel quatuor menses. Volunt improbi sepultum esse, pauci recte iudicant: pedarii cupide accipiunt, quod otio videtur melius quadrare. Ego vero fortiter intercedendo nihil profeci. Quod si libera adhuc daretur facultas, quidvis tamen potius quam ille verba temere profundat. Nec sane in auditorium admitti debuit.

Collongium[7]) abire passus sum quo iussistis: neque tamen dissimulo, quin me vestrae facilitatis pudeat. Vale, integerrime frater, una cum uxore et familia. Dominus vobis semper adsit, vos tueatur ac gubernet. Dominus optimo viro et fideli diacono *Maldonado*[8]) nos privavit. *Varennius*[9]) noster laborat febri tertiana, non illa quidem acri, sed quae tamen propter frequentes syncopas et deliquia curam nobis iniicit. Vale iterum, et amicos saluta. Genevae 23. Iunii 1554.

Ioannes Calvinus tuus.

1979.

FONSELET[1]) A CALVIN.

Il proteste contre l'accusation d'avoir séduit et enlevé la femme d'un autre et décline d'ailleurs la compétence du consistoire de Genève.

---

4) *Cette lettre est évidemment la réponse à une autre que cette église naissante avait écrite à Genève.*

1978. 1) *Controversia cum Westphalo? Si quid videmus, Hallerus Calvini acerbitatem metuebat. Cf. N.* 1992.

2) *Prodiit Harmonia Calviniana a.* 1555. *Quae laudatur edit. a.* 1553 *errori librariorum debetur.*

3) *Cf. supra not.* 1.

4) *N.* 1891. *Duobus libellis Westphali respondendum erat, alterum tantum sibi reservaverat Lascus.*

5) *Westphali.*

6) *Haec quamvis obscurius dicta alludunt ad libellum a Vandelio allatum, contra cuius calumnias nescio quis Calvinum defendere voluisse videtur.* (*N.* 1939?) *Libellum clausum teneri in Actis senatus non legimus, nisi forte ubi dicitur:* (21. *Iunii*) qu'on le garde encore.

7) *Franc. Morel, dit Sr. de Colonges, a.* 1556 *S. Mariae ad fodinas in Alsatia minister fuit, mox vero* 1557 *Genevae. Quid h. l. de eo dicatur nobis non liquet.* (*Cf. N.* 1994.) *Num fortasse Genevae studiis operam navabat et a Vadensibus vocatus fuit?*

8) *Talem a.* 1545 *et seqq. virum nobilem Belgam obvium habuimus: num eundem ac hunc?* (*N.* 948 *etc.*)

9) *de Trie.*

1979. 1) *Dans le Registre du Conseil on trouve au* 29 *Juin la mention d'un rapport fait* sur l'affaire de Fonsonnay (*sic*) *et au* 2 *Juillet on lit:* Item de ung Bastian qui a aultrefois

(Cette pièce et les deux suivantes se trouvent aux Archives de Genève, Pièces historiques N. 1503. Elles sont autographes et au dos on lit sur toutes les trois: 28 Juin 1554, bien qu'elles ne soient évidemment pas du même jour.)

A Maistre Iehan Calvin, ministre de Genefve.

Maistre Iehan *Calvin*, ie vous prie duser comme de raison quant ad ce que ma femme a propose par devant vous, car vous debves asses estre certain que la congnoissance ne vous appartient aulcunement ains a nous tres redoubtes princes, riere lesquelz ie habite et ne lignores pas ie vous adverty quelle vous a propose mensonge comme vous tesmoigneront gens de bien. Lesquelz ie vous envoye car quant ad ce quelle dict que luy ay faict faire, maistre Loys *Corbel* [2]) est homme de bien qui vous asserera du contre, et prudente seur de Maistre Yve *Rutin* chaussetier quest mariee a Genefve, icelle estoit present la nuict que vue ha avec elle, interroges len. Ledict maistre Loys *Corbel* estoit present quant elle me donna les promesses contre elle et moy signees de sa main et soubsignees de deulx tesmoings dont lung est officier du maieur de la ville et ledict Loys *Corbel* est laultre. La malheureuse enfant quelque alliance a avec quelque paillard avec lequel elle a envye de bourdeler pour la trop grande longeur de temps quelle ne ma vehu ie vous asseure bien que ie vous feray congnoistre que ne defend ce pour desir quaye davoir telle paillarde Laquelle ne sest que telle declaree depuis que leu prinse.

Or somme toute si vous voules faire debvoir de ministre, vous la ferez vuyder la ville et me venir appeller par devant le Concistoire de messieurs a Nyon, si ne le faicte vous me occasionnerez daller a messieurs de Berne au remede ioinct aussi quen ce faisant evitercs le scandalle que par sa paillardise elle pourroit faire aultre chose . . . [3]) que Dieu soict garde de vous.

Sebastien Fonsselet.

servy au Sr. de Victeur (*Bonivard?*) quil oultrage grandement ledit M. Calvin et dict quil sest retire pour fuyr la persequution faicte icy contre ceulx qui ne veullent croire la predestination: combien chescung saiche bien ny avoir point de persequution: et quil y a une femme qui sest plainte quil la desbouche en bourgoigne combien elle soit mariee a ung aultre. *En étudiant bien le galimathias de ces lettres on arrive à comprendre que cet individu avait amené de Dijon une femme mariée à un autre qu'on disait ou supposait mort, et que le consistoire de Genève s'empara de l'affaire. Il paraît que lui demeurait alors à Nyon et récusait pour cela la compétence des Genevois, tandisque la femme se trouvait à Genève et faisait des aveux. Il affectait en même temps de se représenter comme victime d'une persécution religieuse de la part de Calvin. Nous ne sommes d'ailleurs pas bien sûrs de l'orthographe du nom:* Fonsselet, *ou* Fousselet. *Bèze p. 26 dit simplement:* Sebastianus quidam infamia et exsilio multatus.

2) *N.* 1058. 1127. 1354.

3) *mot illisible.*

Vous en aves desia ung a Genefve quamena de Diion La femme de son voisin, homme de bien tout vivant au lieu de Cortyvron, ie vous prie de namasser tant de bagaige en vostre diocese, ains les renvoyer a leurs marys car il est plus honneste.

Ma femme dict que iames ne sceut si son mary estoit mort iay encore demye douzaine de missives escriptes de sa main par lesquelles elle me mande quelle a ouy novelle de la mort de son mary, nommeement dict elle par ung cappitaine nomme Iehan *Roy*, avant que luy donner vostre conseil, interroges la sur tous ces poinctz et si iames ma escrit telle lectre et si elle dict du contre ie donne ma vie et honneur si ie ne produictz telles missives escrites et signees de sa main; pourtant donnes vous garde: luy oultre cuideement donner advis que bien nayes poisees ces choses, car pardevant mes honnorez Seigneurs soyes adverty que a layde de Dieu et de mes amys noblieray rien derrier.

1980.

FONSELET A CALVIN.

Même sujet.

A Maistre Iehan Calvin ministre de l'Eglise de Genefve.

Maistre Iehan *Calvin* ioubliy dernierement vous informer dung poinct bien necessaire cest que vous interrogeres delle si iames les evangelistes de Diion, nommeement ung feu philippe *Artenet* ung Paul *Barbier* et a mon advis ung aultre nomme Jacque *Preudhomme* luy ont iames suade (sil ny avoit entre elle et moy que les promesses) de me laisser, luy disant sil ny a accomplissement par oeuvre nous vous ferons avoir ung homme de bien, a quoy leur respondit qui est ce homme de bien? Le voyla ces chaulses iaulnes et se nommoit le personnage Blaise *Largentier* A quoy leur dict vous maves demande sil y a que promesse mes le plus fort est faict ie nen auray iames que celluy que iay car vous me dictes que ne me puis marier a luy auray ie mieulx cestuy cy. Lors philippe *Artenet* luy dict ientens donc quaves heu sa compagnie. Il est ainsi, dict elle. Ha malheureuse nous vous eussions donne cest homme de bien, Or lostant alle depuis veoir me compta ce faict. Ie voy bien me dict elle que iauray beaucoup dennuy, ces gens mont envoye querir a ung banquet ou nous avions ung bon chappon et bonne perdris.

Lesquelz mont dict que ne me pouvois marier et quon ne me souffreroit avec vous au pais sy ne pourte attestation de la mort de mary. A laquelle ie respondis en ceste sorte sil est vray ce que maves dict ascavoir quil y aura vers pasque cinq ans que vostre mary sen est alle et que nen aves iames ouy novelle sinon quil estoit mort. Et aussi que quant il habitoit au lieu il tenoit bordeaul ordinaire vers le petit Sainct nicollas et partout y alloit que si tel accident estoit riere messieurs de Berne le magistrat requis par partie ainsi maltraictee obtiendroit separation et liberte de se remarier. Mais dict elle ie ne le peu faire sans le magistrat non luy dis ie si le magistrat estoit fidelle, mes daultant quil est infidelle, pouves user de la liberte chrestienne quest si linfidelle sen va Etc. etc. Il vault mieulx se marier etc. Combien luy dis ie que si scavois que vostre mary ne fust mort ie me depourterois. Et elle me respondit ce que laise entre elle et moy, mes dict elle il est mort, ie suis asseuree. Or nest il besoing vous monstrer comme elle pouvoit user de la liberte chrestienne plustot que de brusler. Vous en aves la pratique en Monsieur *de Villier* comment il est este libere combien que sa femme ne fusse iames en ses pays. Vous mesme en aves decrete Le tout Et riere Messieurs de Berne mestant retire pour la persequution qui se faisoit contre ceulx qui reiectent votre predestination. A Ambyly [1]) fut liberee une femme pour la trop longue absence de son mary qui sen estoit alle avoit iiij ou V ans et nestoit convaincu toutesfois ny accuse de paillarder. A yvoyre [2]) ung homme de sa femme laquelle nestoit estee absente quung an et nestoit toutesfois paillarde que lon sceusse toutesfois eut licence de se remarier, a Bourcin une femme au semblable et tant daultres. La praticque en est toute notoire. Mes lon dira cest par lauthorite du magistrat, et elle, non. Or nest la le magistrat fidelle parquoy pouvoit user de la liberte chrestienne plustot que brusler, il demeure tousiours veritable qung chascun aye sa femme et une chascune femme son mary. Et si linfidelle sen va etc. [3]) il vault mieulx etc. ioinct que depuis les promesses que luy fis sont desia passe quatre ans ou environ elle nen a ouy novelle.

Voyla Mr. Iehan *Calvin* quay dogmatise a Diion du mariage suyvant la parolle de Dieu et linterpretation de *Buxere.* [4]) Et vous veulx bien lauteur quelle pouvoit veu ces choses user de la liberte chrestienne. Ie pense aussi que ne luy donneres aultre advis. Ie garde le double de mes lettres affin que si ne la menvoyes comme est de raison, attendu que congnoissance ne vous en appartient pour ce que iabite en lieu ou iustice luy sera ministree et la parolle de Dieu declaree aussi bien que vers vous iaye recours a mes honores Sgres et leur monstre ma diligence envers vous. Vous pouves par ce que luy vouliont desia donner aultre mary la divertissant de moy quencore dc present est elle practiquee par quelque ruffiens parquoy ayes y advis. Aultre chose sinon que Dieu soit garde de vous.

Sebastien Fonsselet.

1980. 1) *Ambilly près Ville-la-grand, bailliage de Gaillard dans la Savoie Bernoise.*
2) *Ivoire, Bailliage de Thonon, en face de Nyon.*
3) *Citation de* 1. *Cor.* 7 *comme plus haut aussi.*
4) *Bucer?*

1981.

FONSELET AU CONSISTOIRE DE GENÈVE.

A Monsieur Monsieur du Consistoire de Genefve.

Monseigneur le scindicque soyez adverty que ce que ma femme vous a expose est faulx, comme iespere que lauray faict asses entendre a M[r] Iehan *Calvin* par ung ministre nomme Loys *Corbeil* quest tesmoing soubsigne et nous promesses lesquelles ie produyray devant mes tresredoubtes sgrs de berne parquoy suyvant la lettre quay envoyee a mestre Iehan *Calvin* me semble que feries le debvoir de vostre office de la renvoyer par devant mesdicts sgrs au consistoire de nyon riere ou ie habite au sceu de tous vous ministres car a mesdicts sgrs appartient la congnoissance non a vous veu quelle mesme scait ou ie suis si aultrement le faicte: ie vous asseure que yray briefment a me rendre vers mes treshonnores sgrs quest fin priant nostre sgr, mons[r] le scindic que vous donne bonne vie et longue vostre serviteur a iames.

Sebastin Fonsselet.

1982.

FONSELET A SA FEMME.

Il l'engage à le rejoindre et laisse libre cours à ses griefs contre Genève et Calvin.

(Cette pièce se trouve jointe au dossier qui contient les trois précédentes; mais elle n'est pas de la même main. Elle a été écrite par l'auteur pendant que sa femme était séparée de lui et plaidait en divorce.)

A ma tresbonne tresbelle et treschiere plus que tresdesiree femme et bonne amye a iames, Nicolle Regnaudot. Ma femme ie ne vouz escriray plus rien que mayees rescries de vostre main. [1])

Ma femme ie vous prie tresaffectueusement de me rescrire vostre vouloir affin de mectre fin a tout sinon ie vous asseure que vous envoyeray ung officier de mes tresredoubtes princes et seigneurs affin que moste du regret ou ie suis par vous et pour vous: tenes mamye pour asseure que riere nous tresredoubtes princes voire que vostre mary fusse en vye vous esponseray: parquoy ie vous prie ne vous arrestes a ce que mes ennemys vous ont dict ou pourront dire car ils ne dise que contre leur conscience pour la hayne quil me pourte. Ie vous prie ma belle que me rendes a vostre compaignie laquelle ientens estre aussi tormentee par ses ypocrites ennemyes de toute verite et humanite. Ie prie nostre seigneur mamye vous vouloir faire la grace de congnoistre limposture de ses tyrans ce quaves comme croy apperceu desia quant on a dict que les deulx commenceaulx tiennent ung macquerelayge a leur maison Vous scaves quil fust este plus honneste de prescher levangille que de mentir ainsi impudemment ce quil ont tousiours tant faict contre nous aultres quavons congneu leurs abus et seductions. Ie rend grace a dieu quil ne scauriont dire de moy chose qui ne soict honneste sil ne vueillent mentir Vous laves asses entendu et le congnoistres dieu aydant par experiance leur male tigne [2]) que leur ay frottee leur cuyt * aultre chose sinon que prie nostre saulveur Iesus ma femme et chiere amye vous avoir en sa saincte garde. Par celluy qui maulgre les envyeux demeurera homme de bien et de bonne reputation envers toutes gens de bien et vostre amy a iames si ne cherches divorce.

Sebastien Fonsselet
habitant a Saraulx pres Bigny.

Contre la Sodome abhominable qui maintient leurs bourdelaiges retenantz avec ce les femmes daultruy

Miroir dorgueil Ierusalem charnelle
  Viel plomb dore reblanchie paroy
Presche tu Christ et tu es infidelle
  Presche tu Christ et fais contre sa Loy.
De charite nas aulcune estincelle
  Ton cruel *Chauluin* [3]) homme de faulx aloy
  Pire qung Cayphe ou prebstre de la loy
Poursuit chrestiens soub umbre de bon zelle
Et tu maintains son iniuste querelle
  Attens attens ung merveilleux esmoy
Malheur sur toy o cite trescruelle.

Femme ne pensez la vivre sans moy ainsi que ie vous ay dict mes plutost et pour quil en adviene * aussi ses bogres charnelz qui sen sont mesles qui ne sortent point de Sodome sil ne sont bien asseures ce quil ne peuvent contre moy. Ma femme ie vous prie venes parler a moy avec ce present pourteur ou si vous ne voulez venir envoyes moy vostre compaigne si luy plaict: si ne faicte lung ou laultre soyez asseuree que feray mes effores.

Femme non obstant tous mes escris mygnons que ne me pourtez grande amytie. Mes si alles tousiours ce pas dieu ma faict ceste grace que pourray trouver une aussi belle et bonne mesme plus riche que vous et vous laisseray a ses sodomites charnelz et spirituelz combien que ce soict maulgre moy ie ne vous dictz pas que cecy sera cause de quelque meurtre fusse sur vous si ne faicte mieulx.

1982. 1) *La lettre commence par une pièce de vers dont nous ne voulons transcrire que le commencement et la fin, le reste prouvant que l'auteur qui citait tout à l'heure la Bible à tort et à travers se connaissait aussi dans le genre des péroraisons de l'Art d'aimer d'Ovide.*

Le grand desir qu'ay femme de tavoir
Te veulx monstrer, si ien ay le pouvoir
Ie croy que non, touteffoys chere amye
Mefforceray ten dire une partie.
Cest que de iour et de nuict sans cesser
Ta presence vient mon coeur fort blesser.
Car en mon lict soict que veille ou que dorme
De tout ton corps, femme, ie voies la forme
. . . .
Et puis de iour quelque lieu que chemine
Avec moy es faisant ta jolie mine:
S'a table suis, assise es pres de moy
Mangeant ensemble et a mon verre boy,
Voyla comment chere amye me tormente
Lamour quen vous ay prins si violente
Que si en brief ne venes avec moy
De dueil seiche moray en tel esmoy.
Parquoy vous prie grandement cher amye,
Que brievement vous questes ma partie
Venez donner a mon las coeur secours
Si ne voules que brief fine mes iours.
(*Nous avons passé les* 18 *vers qui donnent la description de la* forme.)

2) tigne, *teigne, gale*; teigneux, *galeux*. (*Littré*.)
3) *Sic: trois syllabes.*

1983.

LASCUS WESALIENSIBUS.

Sua consilia addit illis quae nuper a Genevensibus et Lausannensibus acceperunt circa caeremonias in coena dominica celebranda instituendas, magna ex parte tamen alia.

(Io. a Lasco Opp. ed. Kuyper. II. 703 qui desumpsit ex libro: Frankfurter Religions-Handlungen 1735. I. Beil. 290.)

Legimus literas latine nobis redditas, fratres in Domino observandissimi, quas ad vos pridem et Genevensis[1]) et Lausannensis ecclesiarum ministri, communes nostri fratres, scripserunt, probamusque vehementer quod illorum vobis consilio in vestra nunc causa utendum esse putaveritis: sed veremur ne non satis illis expresseritis rerum istic vestrarum omnium faciem, quantum quidem ex eorum literis possumus iudicare. Primum enim existimant unam atque eandem esse et vestram et hospitis vestrae ecclesiae doctrinam, aut si quid est dissidii id eiusmodi non esse ut vos invicem alii alios propter illud ferre non debeatis. Deinde si quae vos in receptis istis ritibus quoquo modo offendunt ea omnia ad quandam infirmitatem referri nolunt, quam vobis alioqui perferendam esse censent. Postremo arbitrantur, vos pro privatis duntaxat membris hospitis ecclesiae habendos esse, quibus plura sane sunt perferenda, peregre praesertim, quam si qui in publico ecclesiae ministerio versentur. Atque ita demum vos hortantur ad omnium istic tolerantiam cum omni modestia coniunctam, ne a quibus benigne hospitio excepti estis ab iis demum data illis per vestram temeritatem occasione propellamini, ut homines seditiosi et societatis ecclesiasticae perturbatores.

Haec nobis summa eorum esse videtur, quae in literis fratrum illorum nostrorum communium habentur, ad quam reliqua omnia referri facile possint. Nos porro optaremus ad eum se istic modum habere omnia, ad quem modum fratres, ut apparet, illi omnia se habere putant, et si res ita se istic haberent, nullum sane vobis aliud etiam consilium dare hac in parte possemus. Sed quum alia longe ad nos istinc et quidem per vestros fratres adferantur, quae nobis in causa sunt ut in approbanda fratrum illorum qui ad vos scripserunt sententia nonnihil haerere et graviora istic metuere cogamur, visum est vos quorundam, posteaquam nostram etiam requiritis sententiam, paucis admonere in caritate et libertate christiana, ut re melius excussa vos demum ipsi perpendatis quid vobis tandem sequendum esse statuatis, pro eo ac videritis num vera ad nos istinc perferantur.

Primum igitur in eo haeremus, num doctrina quae istic traditur sit una prorsus atque eadem cum vestra adeoque et nostra, denique et eorum ipsorum qui ad vos scripserunt fratrum doctrina, aut num eiusmodi sint et istic dissidia doctrinae ut eorum nomine traducantur, proscindantur ac diris omnibus devoveantur omnes qui ab hospite vestra ecclesia dissentiunt ullo modo. Quod si vestra doctrina ita est invisa istic, ut audimus, et alibi alioqui invisam esse nimium satis experti sumus (nempe ut non admissis ullis omnino colloquiis pro deploratis haereticis habendi sitis, si doctrinae istic receptae assentiri protinus nolitis), tum nos sane non videmus quo pacto istic tuta liberaque vestra conscientia incolumique doctrinae vestrae confessione, non dico ecclesiam vestram instituere, sed privatim etiam manere possitis. Quo pacto enim ecclesiasticam eorum societatem vel expetatis, obsecro, vel etiam agnoscatis aut feratis, qui vos audire non dignentur et diris mox omnibus devoveant, nisi illis protinus in condemnanda vestra ipsorum doctrina assentiamini, aut certe vos assentiri simuletis? Equidem nihil dubitamus aliter longe ad vos fuisse scripturos fratres illos communes nostros, si quid huius ex vestris literis intellexissent.

Deinde veremur etiam ne quod fratres illi circa rituum varietatem ad infirmitatem quandam pro sua modestia referunt, quae a vobis videlicet perferri debeat, id forte ad pertinaciam potius cum mira quadam arrogantia et gravissimis praeterea etiam praeiudiciis coniunctam referri non immerito possit. Non est infirmitatis nulla colloquia nullasque admonitiones admittere velle, atque iis non admissis omnes prae se contemnere ac devovere. Quin et in retinendis propugnandisque eiusmodi ritibus, quos verbi divini autoritate non dico comprobari sed ne excusari quidem ullo modo posse constat, imo vero per quos lucem evangelii palam obscurari, naturam ac dignitatem sacerdotii Christi labefactari, superstitionem ad idolatriam spectantem ali et puriores ecclesias in graves suspiciones vocari videmus, in retinendis, inquam, ac propugnandis cum praeiudicio istiusmodi sive istic sive alibi ritibus, nescimus an infirmitatis sit, nullam omnino impuritatem velle quoquo modo agnoscere, ac ne ferre quidem ullo modo ut quisquam alius illam agnoscat, atque omnes adeo fanatismi nescio cuius publice condemnare quicunque illas non perinde retinerent ac propugnarent. Haec sane nobis extra omnis infirmitatis septa, quae a vobis quidem istic perferri debeat, posita esse videntur, neque vobis autores esse vellemus ut ullam cum talibus societatem ecclesiasticam, non dico ecclesiae istic nostrae iuxta receptos ritus institutione, sed ulla etiam publica professione aut consociatione attestaremini. Sed pacem cum omnibus interim istic vobis habendam esse

---

1983. 1) *N.* 1929. *Lausannenses mense Aprili scripserant. Cf. Wolters Ref. Gesch. v. Wesel p.* 167. *Qui sic scribit:* Wir haben uns den Vorgang wohl so zu denken dass beide Gemeinden, die wallonische, wie die sogenannte englische, die der Masse nach wie jene aus französisch Redenden bestand, die erhaltenen Rathschläge welche beide angingen, sich gegenseitig mitgetheilt haben, wie sie denn auch später gemeinsam operirten.

suademus, quatenus vos in vestrae fidei confessione tolerare volunt.

Neque haec tamen ita a vobis accipi volumus ut horum quae recensuimus omnium hospitem istic ecclesiam eiusque ministros per nos accusari putetis. Nos tantum commemoramus quae istinc ad nos sunt prolata et quae alibi ipsimet experti sumus: et quidem apud eos qui eandem doctrinam et eosdem ritus cum hospite istic ecclesia retinent ac propugnant. Optamus interim vana esse quae istinc audimus, atque utinam vos ipsi vana esse comperiatis.

Postremo autem nescimus an pro privatis istic hospitis ecclesiae membris habendi sitis, si peculiarem vestram ecclesiam instituatis. Sane ecclesia institui non potest sine publico suo ministerio eiusque ministris, sine publico item ac peculiari coetu suo, ut vos quidem eum istic propter linguae varietatem instituere velletis. At vero hoc non est ita vos hospiti ecclesiae velle adiungere ut pro privatis duntaxat illius membris habeamini, sed est potius publicam istic eamque peculiarem societatem publicumque illius ministerium ordiri, cuius equidem nomine et ministri vestri omnes et coetus adeo vester universus non tam privato iam amplius quam publico potius loco habendus erit, vestraque ratio longe iam alia est procul dubio futura in recipiendis per vos receptis istic ritibus, qui talia praesertim praeiudicia secum coniuncta habeant, quam futura alioqui esset si pro privatis duntaxat hospitis istic ecclesiae membris habendi essetis.

Sed quemadmodum et ecclesiae ipsae et pastores earum inprimis ubique omnes in culpa haereant necesse est neglecti sui officii, si non modis omnibus pro sua virili aspirent ad apostolicam puritatem abususque omnes, quod in ipsis est, tollere non conentur, qui praesertim non tantum remorantur ecclesiarum aedificationem, sed et lucem ipsam evangelii etiam non leviter obscurant atque adeo gravant etiam cum antichristianae impietatis elevatione atque etiam excusatione: ita neque vos iam istic cum coetu vestro, ministris vestris, eadem ipsa culpa carere poteritis omnino, si quae ab aliis in ipsorum ecclesiis tollenda esse putatis ea vos ipsimet in instituenda vestra ecclesia, in qua alioqui ea omnia abolita iam pridem fuisse scitis, amplectenda denuo esse existimetis. Locorum mutatio non mutat ecclesiam, nedum ut vos vestram ecclesiam ita istic instituere, quasi non antea iam inter nos exstiterit, ac non potius uno loco dissipatam divina promissione alio rursum loco restituere existimetis, aut non idem prorsus vestrum istic officium esse putetis, propterea quod peregrini novique adeo homines essetis, in restituenda vestra ecclesia, quod alias fuisse agnoscebatis, quum una in Anglia pariter nostras ecclesias divino beneficio veluti domi nostrae haberemus.

Domi est iam pastor quilibet, fratres carissimi, dum in ecclesiae, quantulacunque ea est, ministerio ubivis locorum versatur. Et quemadmodum fratribus illis qui ad vos scripserunt integrum non esse videtur revocare in ipsorum ecclesias quae semel sunt per ipsos abolita, quemadmodum ipsimet scribunt, ita et vobis in vestra istic, si restituatur, ecclesia nihilo magis integrum fore putamus, amplecti ea denuo quae alias abieceramus, quum in restituenda istic vestra ecclesia nihilo sane minor in vobis requiratur fidelitas, quam in illis ipsis fratribus qui ad vos scripserunt in gubernanda ipsorum ecclesia requiri ullo modo posse videtur. Nolumus odio nolarum, vestium aut cereorum a vobis quidquam fieri omnino. Sunt enim bonae Dei creaturae omnes, si illis bene utamur. Sed vitandam esse dicimus omnem superstitionem, quae ad alendam idololatriam spectare quoquo modo videtur, a qua sane in iis locis in quibus haec observantur plebem ipsam, ne quid de aliis dicamus, nondum plane liberatam esse videmus.

Censeri autem non poteritis ullam istic separationem in ecclesia velle facere, si in restituenda vestra ecclesia receptos istic ritus qui vos offendunt amplecti nolitis. Dum enim istic vivere et fratrum loco haberi postulatis, dum neminem istic etiam solo rituum receptorum nomine condemnatis, sed observatam per vos alibi rituum puritatem cum pace hospitis ecclesiae retinere cupitis in ecclesiae vestrae alibi dissipatae restitutione, adiuncturi vos alioqui privato nomine hospiti ecclesiae, si vos sibi cum doctrinae vestrae confessione et sine priorum rituum morumve praeiudicio adiungere vellet, videre sane non possumus, qua ratione accusari possitis ullius omnino separationis, si, dum id impetrare non potestis quod pro vestro officio ad vestrae ecclesiae restitutionem postulatis, consilium etiam vestrum de instituenda istic vestra ecclesia mutetis. Sed hospes potius istic ecclesia videri merito poterit occasionem dedisse vestrae separationi, quae vos in vestra petitione, quam alioqui et piam et verbo Dei consentaneam esse negare non potest, non solum non audiat sed suis etiam praeiudiciis ita praeterea gravet, ut vos pro fratribus nolit agnoscere, adeoque et pro haereticis habeat, nisi cum illa et in doctrina et in ritibus et in praeiudiciis ipsius paria modis omnibus facere aut id saltem simulare velitis.

Horum nos paucis admonendos vos esse putavimus, fratres dilectissimi, de quibus alioqui communes illos fratres nostros qui ad vos scripserunt per vos admonitos non esse arbitramur. Alioqui quis non suadeat vobis ut privatis, manendum istic potius esse quam vagos huc atque illuc vos cursitare, si vestra doctrina non damnetur et priores ritus vestri consentientesque vobiscum ecclesiae fanatismi non accusarentur, et ut vos, si aliter fieri non posset, hospiti adiungeretis ecclesiae, si modo vobis sua sine

praeiudiciis proponeret, vosque in doctrinae vestrae confessione pro fratribus agnoscere vellet donec Dominus meliora daret. Agnoscendum est procul dubio Dei beneficium, si quando nobis hospitia procuret: sed interim est cavendum etiam ne Satanae artibus Dei beneficia obtendamus. Transformat se subinde insidiatrix illa vipera in lucis angelum et veluti verae religionis fautor quaedam largitur quae magnam multarum bene gerendarum rerum spem facere videntur, quo nos inescare primum fucorum suorum lenocinio sub spe, deinde vero incautos ad praecipitium pertrahere facilius possit. Hic igitur nos id potissimum nobis semper sequendum esse putamus, quod debiti inprimis officiique nostri erga Deum eiusque ecclesiam ex verbo ipsius esse scimus. Successum vero omnem rerum omnium Domino Deo nostro bonitate ac potentia illius certo confisi permittimus, certi illum esse et fidelem ut nos iuxta promissiones suas non deserat, et prudentem ut omnia ad adorandi sui nominis gloriam et nostram salutem dirigere ac moderari sciat, denique et potentem qui nobis adempto uno loco alium rursus reddere nosque ab omnibus omnium ubique hominum impetitionibus pro bona sua in nos propter Christum Dominum voluntate liberare facile possit.

Estque haec iam nostra sententia quam vobis ad vestram postulationem voluimus communicare. Deus optimus maximus vestra consilia vestrosque conatus omnes gubernet, et addat vobis suam gratiam, ut maiores progressus indies in illustranda propagandaque vera religione et vero ipsius cultu facere possitis. Interim vero vos oramus etiam ut nostri dissipatarumque hic nobiscum ecclesiarum in vestris sanctis precibus meminisse velitis. Mittimus vobis exemplaria aliquot nostrae Confessionis de re sacramentaria, nunc primum hic editae [2]) ad reprimendas aemulorum quorundam nostrorum calumnias, quam vobis quoque usui istic fore putamus, vosque in Domino omnes recte valere optamus. Aemdae 6. Iulii, quo die anno superiore patronus atque altor nostrae in Anglia ecclesiae *Eduardus*, vere sanctae memoriae rex Angliae, propter gentis suae ingratitudinem e vivis excessit regnumque suum, de se illi divinitus donato ingratum, regno coelesti commutavit. Anno 1554. [3])

Ioannes a Lasco, m. pr.
Petrus du Val minister ecclesiae peregrinorum gallicae linguae.
Ioannes Utenhovius.

2) *Librum Lasci* de Christi communione *edidit Kuyper in Opp. Lasci* I. 235 *seqq.*
3) *Egregie hanc ep. illustrat Fr. Riverius in sua* Historia de Wesaliensis eccl. dissipatione *in Frankf. Relhandl.* I. 278.

1984.

STURMIUS CALVINO.

Autor est ei ut Commentarium in Genesin principibus Saxonibus Ioannis Friderici filiis nuncupet. Refert quo in statu sint res Garnerii et hortatur ut Marbachium adeat ea de causa.

(Ex autographo Cod. Goth. 404, fol. 304.)

Doctissimo optimo sanctissimo viro D. Ioan. Calvino.

S. P. Non putavi hunc qui tuas attulit reversurum ad te, id quod nunc mihi significavit: itaque cogor scribere subito et breviter.

In *Augusto* [1]) ista sunt incommoda, ignavia, morbus comitialis, apoplexia, vita ut videtur brevissima. Eius filiolus, si mortuus non sit, tamen etiam est comitialis, ita ut videatur discessurus sine liberis. [2]) Deinde in hac aula nullum scio qui tibi sit patrocinaturus propter suam illam sententiam quam nosti. Et ut haec non sint, videreris sequi fortunam hominis, non patrocinium veritatis quaerere calumniatoribus. [3]) In *Ioannis Friderici* filiis contraria sunt omnia: fortuna imminuta, gratia plurimorum, patris constantia, certa successio, meo quidem iudicio brevi futura. [4]) Postremo Franciscum *Burcardum*, [5]) veterem amicum tuum et meum et bonorum omnium, concionatores etiam multos suorum principum studiosos et cupidos, id quod non est in aula altera. Habes quid sentiam. Nomina filiorum habes in Calendario Pauli *Eberi*. [6]) Haec etiam *Martyris* sententia est cum quo sum loquutus.

Ioannes *Garnerius* [7]) misere exagitatur a quinque nebulonibus. Non potest obtinere a magistratu ut ecclesiae audiatur testimonium. Nostri *δειπνοσοφίσται* adolescentuli, arrogantuli, superbuli nitidulo* obficiunt. Velim abs te D. *Marpachium*, pavonem indicum, [8]) epistola aliqua territari, ut ipse

1984. 1) *Saxoniae electore, de cuius probabili praematura morte hic minime vera praesagiebat. Mortuus demum est a.* 1586 *anno aet.* 61.
2) *Ex uxore Anna Christiani III. Daniae regis filia praeter tres filias suscepit* 15 *filios quorum unus tantum patri fuit superstes Christianus.*
3) *Patet Calvinum eum consuluisse de Commentario in Genesin uni aut alteri principum Saxonum dedicando.*
4) *Vide supra not.* 2 *et infra N.* 1991.
5) *Vide ibid. not.* 4.
6) *olim famulus Melanchthonis, nunc prof. hebr. et concionator Vitebergensis, edidit Calendarium historicum.*
7) *iam anno superiore inceperant istae turbae. Cf. Diarium Marbachii ad* 3. *Oct.* 1553.
8) *Vides quo animo Sturmius Marbachium iam tum, neque immerito, prosequutus sit, nec miraberis haec dissidia indies magis alterum ab altero alienasse usque dum venerabilis ille senex a Lutheranis post longam et acrem luctam remotus fuerit.*

potius adiutor sit quam adversetur, et magistratui ostendat: quemadmodum episcopus non nisi plebis et ecclesiae consensu fieri debet, ita etiam nec deponi nec condemnari, quam nosti semper fuisse *Buceri* sententiam. Potes ita scribere ut nec acerbus sis et tamen territes.[9] Vale. 13. Iulii.[10]

1985.

SULZERUS CALVINO.

Deplorat Saxonum in restauranda controversia sacramentaria studium, et Castellionis et aliorum in arrodendo Calvino pervicaciam. Addit nova quaedam ex Germania.

(Manu scripta non exstat. Habet Beza ed. Gen. p. 136, Laus. p. 293, Hanov. p. 327, Chouet p. 183, Amst. p. 84.)

Quod de bello sacramentario apud Saxonas restaurato scribis cum dolore certe accipio: ut qui nihil nisi gravia offendicula ex intestinis eiusmodi conflictibus oritura sperare possim.[1] At enim iam ante plus satis aerumnarum erat in ecclesia, et regnans triumphansque adhuc Antichristus merito, nisi studio insensati esse velimus, ad mutuam in Domino ὁμονοίαν excitare et permovere debeat. De *Castalione*[2] miror vehementer, si pergit nomen tuum ministeriumque arrodere, qui adeo se pacis caritatisque studiosum simulat. Monebitur autem gravius, quando ex nihilo esse non possunt quae significas, nimirum a viris fide dignis nunciata tibi. Et indicium quidem est capitis egregie cerebrosi perditique et deplorati in eo, quisquis est, qui epistolam nomine supposititio contra te ad senatum vestrum est architectatus.[3] Neque enim gloriam inde sperare potest, quod te virum Dei celebriorem in certamen provocet, et ut apud Gellium habetur, inimicitias obscurus cum eminente suscipiat: neque magnum proventum ad atterendam existimationem tuam apud cordatos saltem exspectare, nomine suppresso, quando tale genus famosorum libellorum naturae quodam instinctu exosum habetur mentibus ingenuis. Sed deteget aliquando hanc satanicam pravitatem Dominus Iesus, et ut hactenus reprimet fraudulenta consilia. Caeterum de annotationibus *Castalionis* in epist. ad Rom. cap. 9 ex praesentium latore omnia cognosces,[4] et si quae sunt quae de rebus Germanicis cupis cognoscere. Nam apud nos novi nihil est, nisi quod attrito Marchione *Alberto* episcopi cristas tollunt cum suo Iove *Henricho* Brunsvicense,[5] qui principibus nobis vicinis aliquot motus dedisset, nisi Caesaris autoritate ad eius necessarios usus fuisset in Germaniam inferiorem revocatus. Sic nos pergit hortari ad poenitentiam Dominus Deus, quem pro te tuisque non desinam serio precari. Vale in Christo Iesu. Basileae, 14. Iulii. Anno 1554. Salutant te tuosque collegas mei symmystae.[6]

1986.

FRECHTUS NEGELINO.

Sulzerus nunciat controversiam sacramentariam a Calvino et Bullingero renovatum iri.

(Ex autographo Arch. Thoman. Argent. Epp. Vol. 5, fol. 33. — Simler Vol. 82.)

— — — — — — — — — — — — — — — — —

— — Dolet vehementer quod superioribus diebus ex Basilea doctissimus D. *Sulzerus* ad me scripsit, se olfacere, D. *Calvinum* et *Bullingerum* sopitum incendium sacramentarium reaccensuros. Volunt enim docto et pio scripto Ioachimi *Westphali* Ham-

---

9) *N.* 1998.

10) *De anno ex argumento satis constat.*

1985. 1) *Cf. proxime sequentem Frechtii.*

2) *M. Bellio, nisi forte de ipsa illa epistola dicit de qua in sequentibus.*

3) *De hac epistola supra saepius. Videtur Calvinus apud Sulzerum de Castellione autore questus esse. Scriptores passim eandem cum libello contra praedestinationem edito confundunt, vel tale eius argumentum fuisse asserunt. Cf. Trechsel* I. 210, *Füsslin, Cast. p.* 62. *Mähly p.* 36.

4) *Füsslinus* (*p.* 61) *autor est has Annotationes a.* 1553 *scriptas fuisse, verum a senatu rogantibus ministris Basileensibus suppressas; postea vero, quum alibi gallice prodierint etiam latine editas esse. Maehly* (*p.* 37) *de annott. in* 1 *Cor.* 9 *ex Bibliis Castalionis exsulare iussis fabulatur. Scias neque in gallicis neque in latinis eius bibliis ullas in Rom.* 9 *annotationes occurrere. Haag* III. 367 *hunc titulum habet: Dialogi Seb. Cast. IV. Eiusdem opuscula quaedam* etc. *Goudae* 1613. *In quo libro illae Annott. adsunt:* Aucun bibliographe à notre connaissance n'indique une édition plus ancienne de ces Notes, qui doivent cependant avoir été publiées avant leur condamnation. *Quod quidem non omnino necessarium erat; verum unde Goudenses habuissent, nisi iam antea impressae exstitissent? Praeter Goudensem ed. habet etiam Bünemann in Adnott. ad Cast. biblia ed.* 1738 *sep. editis.*

5) *Loquitur de Alberto Brandenburgensi pridie Id. Sept. ab Henrico Brunsvicensi iuniore devicto et profligato. Episcopos dicit Wirceburgensem, Bambergensem, Trevirensem, Moguntinum.*

6) *Perperam Füsslinus p.* 60 *hac epistola respondisse Sulzerum putat ad eam quam infra N.* 1996 *leges.*

burgensis pastoris respondere. Non credis ut sub hac herba lateant multi serpentes. Dominus faxit, ut tandem debellatis tot monstris sectarum et confusanearum opinionum de non levibus articulis, idem ore, corde et calamo sentiamus. [1])

— — — — — — — — — — — — — — — —

1987.

BERTLINUS [1]) BULLINGERO.

Gratias agit ei de nupera eius epistola, laudat Turicensium scripta contra Lutherum et Lutherolatras, gaudet et Calvinum in arenam descendere, et petit ut sibi communicentur quae de eadem re nuper apud Anglos tractata dicuntur.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 117ª olim Scrin. C. Epp. Tom. I. fol. 401. — Simler Vol. 82.)

Vere pio et ad regnum Dei docto Heinricho Bullingero ecclesiae Tigurinae episcopo fideli domino et amico suo in Christo observando et colendo.

S. D. Quod tam multis et exacte de Bibliotheca *Gesneri* [2]) ad me perscripseris, *Bullingere* doctissime idem humanissime, maximas habeo et ago gratias, quod in tantilla re tanta diligentia mihi pauperculo, veteri tamen amiculo, inservieris. Sed video omnibus te debitorem constituis Graecis et Barbaris, doctis, indoctis, amicis, inimicis. Quod ut omnes hactenus a te editae testantur lucubrationes, potissimum vero et firmissime confirmat responsum vestrum ad postremam M. *Lutheri* confessionem datum, [3]) quo sanctam doctrinam, pietatem, modestiam vestram omnibus pie doctis et Christi cultoribus, imo orbi christiano, si velit audire, comprobastis clarissime, utut malesani quidam Lutherozelatores, sed magis Lutherolatrae diversum canant, et furiosi clament, plus satis carnaliter etiamnum pro carnali illa Christi in coena praesentia pugnantes, etiam ad hanc propugnaculam carnale brachium incitant, adeoque exsilio, caede, sanguine plus satis sanguinolenter vindicandam inflammant. Christus autem Dominus deus et servator noster in saecula benedictus, ad dexteram patris regnans, spiritu suo sancto, veritate ac gratia saluteque sua, ut pollicitus est, ecclesiae suae, fideli suo cuivis, praesentissimus, illos a carne quae non prodest ad spiritum qui vivificat ducat, ut omnes sub se capite nostro unum fiamus corpus et unus panis. Amen. Nos pro gratia a Christo nobis subministrata, in propugnanda Christi veritate sedulo et animose contra omnes impugnatores huius invigilabimus. *Calvinum* fidelem Christi ecclesiae ministrum audio contra *Westphalum* illum carnalis praesentiae adsertorem in aciem prodiisse [4]) scuto sanctae orthodoxae [*fidei*] impenetrabili excipientem iacula, nec non et armis curtis quidem sed uti ferre solet firmis et acutis.

Breviter [5]) multis mihi hic libellus perbrevis, a quodam Basiliensi laudatus et commendatus est. Quem fieri si potest, humanissime *Bullingere*, ut de rebus Anglicis maxime de disputatione eucharistiae Londini in conventu regni xviii. Octobris anni 1553 habita, et ut aiunt, qui viderunt Rhomae excusa. Huiusmodi libellulos si apud vos exstarent et prostarent oro et obsecro, mi D. *Bullingere*, indices Ioanni *Functio* [6]) Memmingensi, municipi nunc vestro, Mecaenati meo summo, qui coemptos mihi mittet. Vale, doctissime mi *Bullingere*, cum coniuge, liberis ac omni domo tua in Christo felicissime. Ioanni *Waeckerlin* pastori in Gossau, ubi per tabellionem vel occasionem licuerit precor salutem dicas. Miramur *Magnus* et ego quod nihil hactenus responderit. Iterum. Ex Memminga, xv. Cal. Augusti 1554.

tuae humanitatis deditissimus
Bartholomaeus Bertlinus
Ecclesiae Christi Minister.

1986. 1) *Cf. omnino N.* 1965 *et quae ibi annotavimus. Caeterum hic Negelinus cum Bernensi consule minime confundendus est. Hic noster Tubingae sedebat.*

1987. 1) *Olim ab Imperatore propter Interim Memminga expulsus cum Magno Michaele et Io. Klebero, a. demum* 1553 *redierat. Obiit a.* 1562. (*Schelhorn Ref. Hist. v. Memmingen* p. 242. 253. *Idem, Amoen. lit.* V. 221.)

2) *Bibliotheca universalis s. Catalogus omnium scriptorum completissimus in tribus linguis. Tur.* 1545 *fol.*

3) *mense Martio* 1545.

4) *Pro tempore nondum prodiit.*

5) *Hunc locum corruptum esse iam Simlerus observavit, nobis vero autographo diligenter collato sic ibi legi vidimus. Caeterum loqui videtur de Convocatione m. Octobre celebrata ubi per plures dies de missa et coena disputatum fuit et transsubstantiatio et pontifici ritus sanciti fuerunt.* (*Strype, eccl. mem.* III. 1 *p.* 65 *seqq. Idem Cranmer.* II. *p.* 29. *Burnet* II. 526 *seqq.*) *De edito quodam libello nobis non constat.*

6) *Nomen dubium. An Funklio?*

1988.

HALLERUS BULLINGERO.

Lis de caeremoniis Bernenses inter et Genevenses feliciter composita. Orbanorum religio ex sententia arbitri suffragiis plebis permissa..

(Excerptum ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 154, olim Scrin. B. Epp. Tom. 82, fol. 200. — Simler. Vol. 82.)

— — — — — — — — — — — — — — — — — —

— — Cum Genevensibus etiam lis quaedam fuit nostratibus, cuius non minima pars fuit caeremoniarum diversitas. Sed ea hisce diebus quoque, per gratiam Domini, composita est. [1]) Causae Orbanae arbiter Basiliensis pro parte nostra sententiam tulit. Itaque nihil restat, nisi ut votis collectis missa Orbae exturbetur. Unde est, quod Domino agamus gratias, et illum perpetuo pro ecclesiae suae incrementis comprecemur. — — — — — — — — — — — Bernae 21. Iulii 1554.

Tuus ex animo
Io. Hallerus.

1988. 1) *Agitur proprie non de ipso rerum cardine verum de causa R. Calveti nuper Dralliani a praefecto in carcerem coniecti. Is libere discessit cum equo, sed solutis sumptibus.*

1989.

CALVIN A MADAME DE CANY.

Pressantes sollicitations de se décider enfin à partir.

(Copie. Bibl. de Genève. Vol. 107, fol. 52. En marge de la main de Charles de Jonvilliers: *Il escripvit ceste lettre a ma Dame de Cany qu'on luy avoit dict estre sur le poinct de partir de France, et la luy porta un A. Dymonnet.* Vol. 108, fol. 10. Ruchat V. 546. Crottet, Chron. N. 19. Bonnet, Lettr. fr. I. 426. Trad. angl. III. 45.)

Ma Dame, iespere qua ce coup Dieu vous aura touchee a bon esciant, pour vous faire sortir de la captivite ou vous avez languy trop long temps. Non pas que ie ne pense que par cy devant laffection y a este bonne, mais pource que vous marchiez si laschement que ce nestoit pas pour vous advancer fort. Si Dieu vous a donne quelques coups desperon, il ne vous en fault esbair. Car si Loth, qui avoit bon desir de sortir de ce gouffre de Sodome, a eu besoing que lange lempoignant par le bras, le tirast quasi par force, plus est il requis que ce bon Dieu aide a nostre paresse et froidure. Et puis que maintenant vous estes au bout pour eschapper, soiez soigneuse de faire valloir ceste occasion. Ie le dy pour ce quil semble que vous pretendiez faire encores quelques circuitz, ce que ie ne trouve nullement bon. Car vous navez que trop dellaye iusque icy, et y a danger que Dieu ne renverse vostre compte. Si vous attendez davoir issue en tous voz affaires, iamais vous nen viendrez a fin. Et aussi Dieu veult que nous quittions, pour lamour de luy, non seulement quelque portion, mais nostre vie propre. Parquoy estimez quil vous espargne tant et plus en vous donnant pour vous nourrir le reste de vostre vie, et contentez vous de cela. Tant y a que si vous ne fermez les yeux a ce que vous laissez, ne regrettant point ce qui vous tient empestree, que vous ne serez iamais preste a chercher Iesus Christ. Il y a encores ung poinct, que Dieu nous veult apprendre de nous fier en sa Providence. Ainsi voiant quil nest possible de mettre ordre a tout, remettez entre ses mains ce qui vous pourroit longuement retarder. Ie ne vous donne pas ce conseil pource que ie preigne plaisir a vous appaovrir, et si ne suis pas poulse de quelque hastivete trop grande. Parquoy ie vous prie au nom de Dieu de coupper broche a toutes les entreprinses qui vous recullent. Au reste quant, apres vous estre resolue, vous prendrez courage, ie me tiens asseure quen moins dun moys vous viendrez a bout de ce que vous ne pensez faire en demy an. Mais il faut prendre le frain aux dens.

Au reste pource que nous avons pense quil ne se pouvoit faire que ne fussiez fort empeschee, nous navons voulu faillir de vous prouveoir de quelque secours, mesme devant quen estre requis. Nous avons doncq prie ce porteur dentreprendre le voiage, estimantz quil vous delivrera de grandes fascheries, et Dieu nous la offert a soubhaict. Quant a la preudhommie, elle nous est congneue tellement que ie nen doubte nullement, et quant iaurois de grands biens ie men oserois hardiment fier en luy. Oultre cela, il est homme entendu, et qui vous pourra ordonner vostre cas aussi bien ou mieux quon ne vous eust peu deviser par escrit. Pour le troiziesme, il est congneu et sur tous a toutes les bonnes adresses. Ainsi ie vous prie de ne laisser passer ceste occasion que Dieu vous offre, car nous ne doubtons pas que ladvis ne soit venu de luy. [1])

Ma Dame, pour faire fin, apres mestre recommande affectueusement a vostre bonne grace, ie

1989. 1) *Nous ignorons si Mad. de Cany parvint à se soustraire aux mauvais traitements de son mari et à se rendre à Genève. Le nommé Dymonnet qui a dû lui porter cette lettre était peut-être un frère de Matthieu D. brûlé à Lyon en Janvier* 1553.

supplie nostre bon Dieu de vous augmenter et prudence et vertu, vous gouverner du tout selon sa volunte, et vous avoir en sa protection. Ce 24 iuillet 1554.

Vostre serviteur et humble frere,
Charles d'espeville.

1990.

CALVINUS MOLINAEO.

Hortatur eum ut fortiter quidem in re sed suaviter in modo suam stationem contra invidos detrectatores tueatur. Typographum, qualem ille sibi mitti rogaverat, haud facile inventum iri docet.

(Ex apographo Cod. Genev. 107a, fol. 72, coll. cum exemplari Turretini Cod. 108, fol. 13. Anglice ed. Philad. III. 47.)

Ornatissimo viro et amico plurimum honorando Carolo Molinaeo Iurisconsulto.

S. Dabis veniam, eximie vir, quod ex quo Tubingam migrasti, nihil hactenus a me literarum acceperis. Nam quum nihil haberem scriptione dignum huius officii iacturam tibi non valde molestam fore putavi. Tandem binas uno die literas accepi, [1]) unde colligis priores, antequam ad me pervenerint, diu fuisse in itinere vagatas. Provinciam tibi obtigisse conditione tua dignam in qua te utiliter in publicum bonum exerceas, valde et tibi privatim et multis qui fructum inde percipient gratulor. Tibi aliquid molestiae fuisse exhibitum, etsi ut par est doleo, non tamen nobis mirum videri debet. Nam quum in isto loco multa adhuc faex papistarum resideat, fieri non potest ut infestis hostibus careas. Sunt et quidam morosi homines, nec minore pertinacia imbuti quam contentionum cupidi, qui neminem a sua secta alienum vel diligere vel tolerare sustinent. Eos tamen cordata potius moderatione retundi praestat quam aperto Marte confligere. Atque in hoc imitandum tibi censeo praestantissimum virum et eximia virtute ornatum Melchiorem *Volmarium* cuius nunquam inflexa fuit constantia ut illorum ferociae cederet, et tamen non tam vehementia repulit fervidos illorum impetus quam aequabili tranquilloque animi statu excepit. Neque enim dubito quin plus in aula obtineant gratiae quam expediat. Atque hinc suspicatus sum factum esse, ut quum illustrissimo Duci commentarios quos nosti dicassem, [2]) ne verbo quidem ostendere dignatus sit gratum sibi esse meum officium. Quare censeo dandam tibi esse operam ut sentiant cum homine placido et quieto neque tamen timido sibi esse negotium.

De typographo, [3]) si quis idoneus se offerret, curae mihi foret tuum mandatum, sed ita res habet: quibus mediocris est hic commoditas eos difficile est avellere: alios retinet inopia, nec vero tibi usui fore spero, nisi bene instructi veniant. Adde quod si advehenda sint officinae instrumenta res erit non digni sumptus. Vale, ornatissime vir et mihi ex animo honorande. Dominus te regere suo spiritu, praesidio et favore tueri et virtute fulcire pergat. De uxoris tuae adventu nunc spes mihi fere concidit. Hoc mihi triste, iucundum vero quod discussa est periculi nebula quod vobis instare fama erat. Si D. *Vergerius* istic erit, officiose meo nomine salutari cupio. Genevae 4° Calendas Augusti 1554.

Ioannes Calvinus tuus.

Has missurus eram per quendam adolescentem Phrysium sed quia alteras ad D. *Melchiorem* adiungere statueram huc usque distuli. 6° Calendas Septembres.

1990. 1) *Quam ultimam Molinaei ad Calvinum habuimus 21. Martii scripta erat (N. 1932). Exstat etiam alia in Cod. Genev. 109, fol. 144 ab amanuensi scripta, quam tamen in nostrum thesaurum non recipiendam duximus, quum proprie ep. ad Calvinum data non sit, sed declarationis Molinaei Christophoro duci traditae exemplar, exponentis quid evenerit d. 24. Iulii in solenni actu quodam academico, unde apparet ei cum theologis minime convenisse. Unde quoque factum est ut anno proxime insequenti Molinaeus Tubingam relinquere coactus sit. Haec vero declaratio demum m. Septembre scripta fuit, itaque huc omnino respici non potuit.*

2) *N.* 994.

3) *N.* 1932.

1991.

CALVINUS PRINCIPIBUS SAXONICIS.

Dedicatio Commentarii in Genesin.

(Ex editione principe sub oliva Roberti Stephani impressa 1554 fol.)

Illustrissimis principibus Iohanni Friderico, Iohanni Willelmo, Iohanni Friderico, praestantissimi et aeterna memoria digni Principis Iohannis Friderici Saxoniae Ducis et nati electoris filiis, Ducibus Saxoniae etc. Iohannes Calvinus. [1])

Si merito pravam hominum socordiam damnat

1991. 1) *Pater mortuus erat d. 3. Martii 1554, mater Sibylla*

Paulus, quia illustre gloriae Dei speculum, quod illis in mundi opificio assidue offertur, clausis oculis praetereunt, atque ita iniuste supprimunt veritatis lucem, non minus turpis ac pudenda fuit quae saeculis fere omnibus grassata est originis et creationis humani generis ignorantia. Et certe paulo post conditam Babylonem credibile est earum rerum memoriam obsolevisse quas assiduo sermone agitari celebrarique decuerat. Nam quum profanis hominibus sua dispersio quaedam a puro Dei cultu emancipatio esset, curae illis non fuit, ad quascunque appellerent terrae plagas, quod de creato et instaurato mundo a patribus audierant secum deferre. Ita factum est ut nulla gens, exceptis tantum Abrahae posteris, vel ex quo fonte orta esset ipsa, vel quando coepisset esse universum hominum genus, duobus continuis annorum millibus sciverit. Nam quod libros Mosis Ptolemaeus tandem in graecam linguam vertendos curavit, laudabile magis quam fructuosum, tunc quidem temporis, fuit eius studium: quando lumen, quod e tenebris eruere conatus erat, nihilominus hominum incuria suffocatum delituit. Unde colligere promptum est, qui ad cognoscendum mundi opificem totos ingenii nervos intendere debuerant, maligna potius impietate hoc captasse ut sponte caecutirent. Floruerunt interea liberales doctrinae, viguerunt praeclara ingenia, lucubrationes omne genus fuerunt editae: atqui de mundi conditi historia altum silentium. Quin summus philosophus,[2] qui et acumine et eruditione reliquos omnes antecelluit, mundum aeternum esse disputans quidquid habebat solertiae huc applicuit ut Deum sua gloria fraudaret. Quanquam paulo religiosior fuit eius magister Plato, seque aliquo verioris notitiae gustu imbutum ostendit: exigua tamen quae delibat veritatis principia tot figmentis corrumpit ac miscet, ut magis noceat quam prosit fictitium illud docendi genus. Qui vero ad scribendas historias studium suum contulerunt, homines ingeniosi et literis expoliti, quum pleno ore iactent se ultimae vetustatis fore testes, antequam ad Davidis aetatem appellant, multa et turbida faece perfundunt suas lucubrationes: supra vero dum conscendunt immensam trahunt mendaciorum colluviem. Tantum abest ut ad prima mundi exordia sincero liquidoque narrationis contextu perveniant. Volentes autem nescisse quod non procul quaerendum erat, si modo ad verum discendum animos adiicere placuisset, claro documento sunt Aegyptii: quorum prae foribus quum accensa esset verbi Dei lampas, rerum a se gestarum (quindecim scilicet ante conditum mundum annorum millibus) putidas fabulas nullo pudore iactarunt. Nec minus puerile insulsumque Atheniensium commentum, qui se αὐτόχθονας gloriati, quum sibi disiunctam a reliquo genere humano originem assererent, barbaris quoque ipsis se fecerunt ridiculos. Quanquam autem omnes plus minus eodem ingratitudinis crimine fuerunt impliciti, eos deligere operae pretium putavi quorum eo minus excusabilis est error quo sibi inter alios omnes magis sapere visi sunt.

Sive autem universae quae olim fuerunt gentes velum sibi data opera obduxerint, sive illis sua tantum ignavia obstiterit, incomparabilis thesauri loco haberi meretur Mosis liber, qui saltem creationis mundi indubiam nobis fidem facit, qua sublata indigni sumus quos terra sustineat. Historiam diluvii, quae non minus formidabile in humano genere deleto divinae ultionis quam suave gratiae in eodem instaurato speculum continet, in praesentia omittam. Una haec utilitas inaestimabile libro pretium statuit, quod res apprime cognitu necessarias solus ostendit: quomodo post exitialem hominis lapsum ecclesiam sibi Deus adoptaverit, quisnam fuerit verus eius cultus et quibus pietatis officiis se exercuerint sancti patres, quomodo pura religio hominum ignavia ad tempus collapsa quasi postliminio in statum integrum redierit, quando apud certum populum deposuerit Deus gratuitum aeternae salutis foedus, quomodo ex uno homine et sterili et caduco propeque semimortuo et (quemadmodum Iesaias vocat) solitario paulatim fluxerit exigua soboles quae repente in multitudinem ingentem excrevit, quam inopinatis modis et extulerit et tutatus sit electam a se domum, licet inopem, omnibus praesidiis nudatam et ad quosvis aestus expositam multiplices hostium copiae undique cingerent.

Porro quam necessaria sit harum rerum cognitio, ex suo quisque usu et experientia iudicium faciat. Videmus quam tumultuose papistae fallaci ecclesiae titulo simplices territent. A Mose depingitur genuina ecclesiae facies, quae discussis illis praestigiis inanem metum eximat. Fucati etiam splendoris pomparumque ostentatione in stultam sui admirationem rapiunt minus perspicaces, imo hebetant ac dementant. At si ad eas notas quibus ecclesiam designat Moses oculos convertimus, nihil amplius inanes larvae ad fallendum habebunt momenti. Saepe nos conturbat fereque exanimat eorum paucitas qui puram Dei doctrinam sequuntur, ac praesertim dum cernimus quam longe lateque regnum obtineant superstitiones. At quemadmodum olim Dei spiritus per os Iesaiae prophetae Iudaeos

Clivensis d. 21. Febr. Cf. Salig, A. C. I. 681. Natu maximus Ioh. Fridericus II. (der Mittlere) primam uxorem duxit Agnetem Landgravii filiam, Mauritii viduam infeliciori etiam sorte usus quam pater, a. 1567 *ab Augusto Electore iussu Imperatoris bello devictus et captus per* 28 *annos in vinculis retentus a.* 1595 *in Stiria obiit. Io. Wilhelmus Vinariae dux et Ernestinianae stirpis solus continuator obiit* 1573. *Tertius Io. Fridericus sine liberis decessit* 1565. (*Art. de vérifier les dates. Ed. de* 1818. XXI. 160 *sqq.*)

2) *Aristoteles.*

ad rupem unde erant excisi respicere iubebat, ita eodem nunc quoque per Mosen nos revocans, quam perversum sit multitudine ecclesiam metiri, ac si in turba consisteret eius dignitas, admonet. Si quando minus floreat passim religio quam optandum sit, dissipetur piorum corpus statusque ecclesiae bene compositus pessum eat, non modo labascunt nobis sed penitus diffluunt animi. Atqui dum in hac Mosis historia ecclesiae structura ex ruinis, collectio ex laceris frustis ac vastitate ostenditur, merito tale gratiae Dei specimen in bonam fiduciam erigere nos debet. Quando autem tanta est humani ingenii ad fingendos alienos cultus propensio, ne dicam lascivia, nihil nobis utilius quam regulam pure riteque colendi Dei a sanctis patriarchis petere, quorum pietatem hac praecipue nota designat Moses, quod ex solo Dei verbo pependerint. Quamlibet enim longum in externis caeremoniis sit discrimen, quod tamen inflexibile semper vigere debet utrisque est commune, ut religio ad solum Dei arbitrium nutumque formetur.

Nec me latet quanto uberior hic materia suppetat, et quantum infra eorum quae breviter attigi dignitatem subsidat mea oratio. Sed quia opportunis locis alibi singula a me, quanquam non quo par erat splendore et ornatu, plenius tamen et copiosius tractata sunt, nunc mihi satis fuit breviter commonefacere pios lectores quantum operae pretium facturi sint si veteris ecclesiae exemplar, quale a Mose expressum est, ad suos usus prudenter aptare discant. Et certe ideo nos sanctis patriarchis in spem eiusdem haereditatis Deus adiunxit, ut superata quae nos separat temporum distantia mutuo fidei et patientiae consensu eadem certamina obeamus.

Quo maiore odio digni sunt turbulenti quidam homines qui nescio quo furiosi zeli oestro perciti ecclesiam nostrae aetatis plus satis dissipatam assidue discerpere conantur. Non loquor de professis hostibus qui aperta vi ad perdendum quidquid est piorum funditusque delendam eorum memoriam incumbunt: sed de morosis quibusdam evangelii professoribus, qui non modo fovendis dissidiis novam subinde materiam suppeditant, sed pacem quam pii doctique homines libenter colerent sua inquietudine perturbant. Certe haec ratio me inter alias ad hunc meum laborem vestrae Celsitudini dicandum impulit, ut inter ecclesias longis regionum spatiis dissitas magis magisque coalescat sancta et fraterna consensio.[3]) Nam ut ad mutuae communicationis officia tardi simus ac segnes, deformis tamen christiani orbis vastitas vel invitos cogit ad piae unitatis studium. Videmus ut inter papistas, quamvis capitalia inter se aliis in rebus certamina exerceant, maneat tamen scelerata contra evangelium conspiratio. Quam exiguus sit eorum numerus qui sinceram Christi doctrinam tenent, si cum ingentibus conferatur illorum copiis, dicere nihil attinet. Interea emergunt quasi e sinu nostro audaculi scriptores, qui non solum errorum nebulis sanae doctrinae lucem obscurant vel pravis deliriis simplices dementant ac minus exercitatos, sed profana dubitandi licentia totam religionem sibi convellere permittunt. Nam quasi putidis suis ironiis et cavillis genuinos Socratis discipulos se probent, nullum illis magis plausibile est axioma quam fidem esse liberam, ut liceat quavis de re ambigendo scripturam instar nasi cerei (ut loquuntur) flexibilem reddere. Itaque hoc proficient tandem, qui illecebris novae huius academiae capti nunc dubiis speculationibus indulgent, ut semper discendo nunquam ad scientiam perveniant veritatis.

Quotquot autem machinis nos oppugnat Satan, totidem acerrimos ad quaerendam coniunctionem stimulos nobis esse convenit. Atque haec, ut spero, necessitas probando huic meo officio abunde vobis sufficeret, nisi quod potius pro summa vestra humanitate suapte sponte gratum fore ac iucundum confido. Certe quum hunc commentarium scribere aggressus sum, norunt multi idonei testes mihi fuisse in animo eum patris vestri excellentissimi Principis nomini inscribere, si eo superstite diutius frui nobis datum foret. Nunc vero, dum post eius mortem ad eius filios et haeredes me converto, eiusdem memoriae dicare videor: sicuti et nunc recentem adhuc celebrari et deinde ad posteros transmitti non modo aequum est quia sic meretur ipsa, sed etiam ad commune exemplum non parum utile. Magnum est in nobilis summique ordinis principe cognitas fuisse virtutes, quae integra eius florenteque fortuna non solum dignae essent eo loco sed etiam illam amplissimam dignitatem et tam excelsum honoris gradum ornarent. Sed quae post acceptam belli cladem in eius pectore vere heroico incredibilis enituit constantia tantam in admirationem erexit omnium mentes, ut plus accreverit veris eius laudibus quam fuerit ex opibus diminutum. Itaque non dubito quin ista unius hominis infracta magnitudo, in tristi quae deinde sequuta est hodieque durat ecclesiae concussione, multa piorum millia sustinuerit.

Quod si omnibus ad imitationem propositus fuit, eo vos acrius magisque strenue, generosi Principes, ut vos ad domesticum exemplar formetis eniti convenit. Nec vero dubito certatim vobis tribus commune hoc sine invidia esse studium. Quo magis etiam consentaneum putavi mea epistola copu-

3) *Et sane hac dedicatione Noster clare ostendit, quantum in se fuerit, nihil obstare quominus concordia et pax inter utramque ecclesiam obtineret. At utinam tacere didicisset dum alii eandem turbare latrando pergebant.*

lare, quos boni omnes sanctiore quam fraterni iuris vinculo, hoc est, paternae virtutis similitudine coniunctissimos non minus certo fore sperant quam avide cupiunt. Quod si eius patris, quem laudare ipsi quoque hostes coguntur, imaginem nobis retulerint tres filii, erit cur domui Saxonicae gratulentur sinceri pietatis cultores, quos illa devinctos sibi et amicos habet. Porro ad laboris mei commendationem apud Principes Christo vere addictos unum hoc sufficiet, quod ubique et germanam pietatis doctrinam asserere, et sacris Dei oraculis lucem afferre non minore fide quam reverentia studeo. Si forte autem vestrae Celsitudini ignotus sum, est in aula vestra clarissimus vir Franciscus *Burchardus* [4]) cancellarius, qui pro sua, qua me ante annos quatuordecim [5]) complexus est, benevolentia mihi favorem conciliet. Atque ut a laudibus abstineat quas minime postulo, saltem de mea ad propagandum Christi regnum sedulitate testabitur. Iam vero, quum eandem, qua olim apud cordatissimum principem patrem vestrum pollebat, gratiam et autoritatem hodie merito apud vos obtineat, idoneus erit rei sibi compertae testis. Valete, illustrissimi Principes. Dominus vos suo praesidio tueatur, spiritu prudentiae, aequitatis et fortitudinis gubernet, omnique benedictionum genere locupletet. Genevae, pridie Calendas Augusti M. D. LIIII.

1992.

FARELLUS BULLINGERO.

Praemissis nonnullis de responsione contra Westphalum vel a Calvino vel a Vireto conscribenda, prolixe concionatur de rebus Anglorum, Locarnensium, Magdeburgensium, Metensium et Orbanorum.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 166, olim Epp. Tom. 24, fol. 335. — Simler Vol. 82.)

Servo Christi valde insigni Heinricho Bullingero, quam fidelissimo pastori ecclesiae Tigurinae, pietatis doctrinae studiosissimo assertori, fratri et symmystae quam carissimo.

Tiguri.

S. Posteaquam *Calvinum* invisi [1]) qui consilium tuum mihi aperuit tuis ad eum literis, huc reversus tuas [2]) accepi, quibus plene indicas, quid te moveat, ut quod instantius ex te petebam semel atque iterum non censeas nunc expedire. Facile fuit mihi iam persuaso ex tuis ad *Calvinum*, qui tecum plene facit, assentiri omnibus quae scribis. Ago gratias Domino super donis tibi datis quod videas meliora, et ea cures diligenter. *Calvinus* vult *Viretum* opus hoc efficere, [3]) quod facilitate quadam valeat, et minus subolfacient, qui non tam sunt *Calvino* amici, aliquid ex eo congestum, minusque gravabuntur subscribere, ut non addam ea, quibus tantum non obruitur. *Viretus* causatur [4]) se non posse id praestare quod *Calvinus*, tam presse paucis omnia complecti, quae ad rem faciunt, et quibus adversarii convincantur improbe nos oppugnare et agere. Optarem hic, si tibi non est molestum, te horum alterum iubere hoc aggredi, si neuter nondum coeperit. Spero, ut scripsisti, rem feliciter successuram, quod faxit Christus.

Bruta prorsus et fera Britanniae Regina, ut ferunt, sese indies vincit. Aiunt enim curasse confingi omnium signa iudicum, quo *Elisabetha* [5]) in carcere necaretur, tam est sitiens sanguinis sororis, et nisi Dominus vinctam insigni miraculo servet, quod faxit clementissimus pater, sane actum est de ea. Est admodum sanctis precibus incumbendum, ut Dominus restituat miseram Angliam in eum locum, unde excidit, et potiora addat, ut tu sancte mones in causa Locarnensium [6]) quos misericors Christus intueatur, regnumque suum apud eos florere faciat, firmusque illic et passim det verbo radices, sublatis omnibus, quae impedire conantur.

---

4) *natus Vinariae* 1504, *postquam addiscendae iurisprudentiae operam navavit, primum Melanchthone auspice professor litt. graecarum Wittembergae factus, a.* 1535 *electori a consiliis fuit et deinceps negotia publica tractare non desiit. Myconius* (Hist. ref. ed. Cyprian. L. 1718 p. 57) *dicit eum* den feinsten Orator in Latein als man seiner Zeit in Germanien haben mögen, *pietatemque et doctrinam eius laudibus extollit. Cf. Adami Vitae germ. ICtorum p.* 135, *Danz, Frz. Burckard, sächs. Canzler Weim.* 1825. *Duas filias elocavit alteram Victorino Strigelio, alteram Matthaeo Wesenbeckio.*

5) *m. Februario et Martio* 1539 *Francofurti* (*Danz p.* 39), *vel Hagenoae et Wormatiae* 1540. (*Sleid.* II. 159. 189. *Seckend.* III. p. 258. 282. *Spalatin. Annal. p.* 431.) *Infra ad* 7. *Octobr. habebis ep. Burckhardi ad Calvinum.*

1992. 1) *circa Idus Iunias occasione epistolae a Vandelio prolatae.*

2) *deperditas.*

3) *N.* 1978.

4) *Talis epistola non exstat.*

5) *In suspicionem inciderat conspirationis Wyattianae consciam fuisse et primum in Turri Londinensi postea Woodstockii detenta demum post Mariae nuptias libertati reddita fuit, sed missae interesse coacta et usque ancipiti in discrimine.* (*Strype* III. 1 *p.* 551.)

6) *Locarnum ad lacum Verbanum situm, hodie Ticinensi pago adscriptum, iam a.* 1531 *prima reformationis semina habuit. A.* 1548 *Beccaria ibi praedicare evangelium coepit, et Bullingerus paulo post Senatum Turicensem adiit ut iis patrocinaretur suadens. Verum usque a pontificiis pressi a.* 1554 *etiam exsilio plures multati fuerunt, et quatuor evangelicos pagos ad auxilium ferendum sollicitarunt.* (*Pestalozzi, Bull.* 359. *Meier, Locarno.*)

Du bon zele et devotion quil a de vous faire service, vous en pouvez iuger, ma Dame, par ce que de sa premiere entree il a mieux ayme estre participant de vostre croix, et souffrir avec vous en la necessite, que dattendre quil y peust venir sans fascherie, parquoy il na ia mestier destre recommande plus avant. Seulement ie vous prie, ma Dame, le recevoir non pas comme vous estant envoie de par moy, mais plus tost adresse de Dieu. Comme de faict ie ne doubte pas que vous ne sentiez par experience que ce bon pere ne vous en aict voulu proveoir. Cependant il vous portera aussi nouvelles quil y a une bonne damoyselle laquelle luy a promis de venir a vostre service, quant il vous plaira la mander.[4]) Ie scay quen un tel lieu, non seulement il y auroit envie sur une femme de petite condition, ou incongneue, mais aussi quelle seroit suspecte plus tost, et quon la pourroit regarder de travers. Ainsi ie compte pour un advantage que la demoiselle dont il est question est de qualite honorable. Et ce quelle cherche est davoir privilege de pouvoir servir a Dieu en vous servant. Combien que ie ne laye iamais veue, iay tant ouy priser ses vertuz, passe a long temps, a beaucoup de gens de bien, que iespere que vostre maison sera benicte grandement de lavoir. Mais ien laisse a dire au present porteur avec lequel vous en pourrez deviser plus amplement, comme aussi ie me remectz a luy de tout le reste.

Parquoy, ma Dame, faisant fin apres mestre humblement recommande a vostre bonne grace, ie supplie nostre bon Dieu de vous tenir en sa saincte protection, vous gouverner par son Esprit, et vous augmenter en tout bien, a ce quil soit de plus en plus glorifie en vous. Ce 6 dAoust 1554.

Vostre treshumble serviteur,

Charles d'espeville.

1995.

CALVINUS BULLINGERO.

Iam ab eo monitus responsionem contra Westphalum scribendam propediem aggressurus est, etsi alium potius causae huius patronum deligi optasset.

(Ex autographo Cod. Genev. 107ª, fol. 73. Exstat praeterea unicum Turretini apographon Cod. 106, fol. 15.)

4) *Ceci pourrait être mis en rapport avec la pièce N.* 1832.

Ornatissimo viro et fideli Tigurinae ecclesiae pastori D. Henricho Bullingero fratri et symmystae colendissimo.

S. Quamquam ex tuis ad me literis,[1]) optime et venerande frater, consilium tuum de refellenda eorum intemperie, qui bellum sacramentarium renovant, aliqua ex parte intellexeram, ex alteris tamen quas ad *Bezam* nostrum scripsisti,[2]) quid de tota re sentires et quam probares agendi rationem, certius colligere licuit. Ego vero, quia magis idoneum[3]) communis causae patronum deligi optassem, suspensus dubiusque animi hactenus distuli responsionem. Caeterum quum videam, in hoc quem mihi iniungis labore non singulare ingenii acumen, non magnam doctrinam, non accuratum studium requiri, sed fide tantum ac mediocri dexteritate esse opus, tandem aliquid tentare[4]) in animum induxi. Ergo simul ac otii plusculum nactus fuero, opus aggrediar, quod brevi absolutum erit. Compendio enim studebo, ut re citra artificium ante oculos posita iudicent sani lectores, furere istos zelotas, dum se et alios de nihilo fatigant. Quia tamen ab eo tempore mire fui districtus, et nunc adhuc quaedam scriptiones aliae[5]) me occupant, non ante mensem incipere vacabit. Libellum qualis qualis erit mature curabo vobis reddendum, ut si placuerit exeat in publicum, sin minus intereat.

De rebus nostris nihil scribo, quia nihil est novi quod te delectet. Vale, ornatissime vir et mihi observande frater. Symmystas tuos, uxorem, generos, totamque familiam saluta meo nomine. Dominus semper vobis adsit, vosque tueatur et regat. Genevae 7. Augusti 1554.

Laelius brevi ad vos venturus est,[6]) cui me literas daturum promiseram: postea cavendum putavi ne ei per meas literas ad te pateret aditus. Est enim inexplebilis hominis curiositas. Utinam non simul accederet phrenetica quaedam protervia. Optimo *Levero*[7]) et reliquis fratribus Anglis plurimam salutem precor.

Ioannes Calvinus tuus.

1995. 1) *N.* 1967.
2) *deperditas.*
3) *N.* 1978. 1992.
4) *Cf. Opp. IX. Proll. pag. xj.*
5) *Commentarius in Harmoniam.*
6) *Genevae fuerat Socinus cf. N.* 1973.
7) *N.* 1970.

1996.

CALVINUS SULZERO.

Certiorem facit de suo contra Westphalum scribendi consilio, deque praefatione in Genesin iam prelo tradita, simul de Castellionis arrogantia et calumniis queritur.

(Exstat impressa in Bezae thesauro ed. Genev. p. 135, Laus. p. 294, Hanov. p. 329, Chouet p. 183, Amst. p. 83.)

Quum tumultuari non desinant indocti et praefracti homines, qui bellum sacramentarium in Saxonia renovant, ineunda erit aliqua ratio quae illorum intemperiem mitiget, vel clamores saltem compescat, et simul pios et graves doctosque nobis conciliet. Mihi nihil aliud in mentem venit quam brevi libello testatum facere quanto rectius et sincerius sentiant nostrae ecclesiae quam illi calumniantur. Simul ac plus otii nactus fuero, tale aliquid meditor. Nunc excuditur mea in Genesin praefatio, ad filios *Ioannis Friderici* Saxoniae Ducis, in qua pacis et concordiae studium obiter commendo. *Castalio*, mihi crede,[1]) non minus virulenta est bestia quam indomita et pervicax. Caritatem simulat, nempe ut modestiam: quum tamen nihil arrogantius fingi queat. Libellum illum[2]) atrocibus in me probris refertum ipse et alii consarcinarant eo consilio ut subitus in me impetus consurgeret. Longe decepti sunt. Nam decrevit senatus ut mihi legendus daretur.[3]) Mihi vero non modo promptum fuit calumniarum nebulas discutere, sed etiam convertere in meam laudem, quidquid odiose obiectum fuerat. Mihi vero magis tolerabile est privatim impeti, quam videre subinde miseros qui hic degunt Christi exsules[4]) quotidie novis molestiis vexari. Quanquam Dominus hac quoque in parte hactenus manum nobis porrexit ne frangeremur. Verum de statu nostro si plura scire cupies, nuncius tibi fideliter referet. Filius est scribae senatus,[5]) iuvenis probus et integer. Vale, ornatissime vir et mihi observande frater. Dominus tibi semper adsit, te gubernet ac tueatur. Collegae mei te reverenter salutant. Tuis nostro omnium nomine plurimam salutem dices. Genevae, 7. Idus Augusti 1554.

Ioannes Calvinus tuus.

1996. 1) *Cf. quae Sulzerus dicebat N.* 1985.
2) *Hic minime de Belliana Farragine loqui videtur, sed potius de epistola a Vandelio prolata cuius ergo Castellionem autorem credebat.*
3) *Reg. du Conseil* 14. 21. *Iun. Reg. de la Comp.* 2. *Iul.*
4) *Galli scilicet quos, utpote Calvini asseclas, Libertini usque odio suo prosequebantur.*
5) *Hoc tempore Frc. Beguin scriba erat.*

1997.

CAVIOT[1]) A CHASTILLON.

Il a appris que Chastillon avait dit et imprimé des choses dangereuses sur l'insuffisance des Ecritures si bien qu'on aurait dû arracher un feuillet de sa Bible. Il lui demande des explications.

(Bibliothèque de Bâle. N. 69 Autographe.)

A Maistre Sebastien Castalio a Basle.
A Basle.

Iay entendu que depuis peu de temps en ça il est venu quelque personnage (comme ie pense bossu) qui a dict quil avoit esté chez vous et avoit disputé avec vous tant quil vous avoit monstré que vous faillez en beaucoup de choses et que vous estiez bien trompez. Ie ne scay sil en a dict daventage touchant cecy. Il disoit bien comme iay entendu non pas de luy mais daultres quon avoit arraché une feuille de vostre Bible[2]) là où il y avoit de merveilleuses choses et de bien estranges opinions disant quil ne sen estoit guayre failly quon navoit du tout reiectté vostre Bible mais que vous y procedastes de telle douleeur quon se contentast d'arracher ce feuillet là où il y avoit des choses fort dangereuses et estranges (disoit il) dequoy ayant considere longtemps y a vostre maniere de vivre ie memerveille sil est possible que soyez venu iusques la que ne croyez pas quil nous suffist davoir la congnoissance des escriptures canoniques pour parvenir à salut sans ce quil faille que de nouveau il vienne des aultres inspirations pour nous declairer

1997. 1) *Personnage inconnu qui a peut-être autrefois demeuré chez Ch. à Genève.*
2) *Il ne peut être question ici de la Bible française qui n'a été publiée qu'en* 1555, *à moins qu'il ne s'agisse d'une censure exercée avant la publication. Dans les diverses préfaces on ne lit rien aujourd'hui qui justifie une pareille accusation, si ce n'est que C. insiste sur ce que l'Ecriture n'est intelligible qu'à ceux qui ont l'esprit de Dieu. Dans la Bible latine il y a bien une note sur* 1. *Cor.* 2 *où il est parlé des choses que Paul n'a pas voulu mettre par écrit parce qu'il avait affaire à des lecteurs chrétiens imparfaits, ce que Bèse (Vita p.* 23) *arrange à sa façon en disant:* C. in sua quadam in ss. bibliorum perversionem praefatione palam verbi divini satis perspicuam autoritatem convellere studuit, suisque in priorem ad Corr. epistolam adnott. ut a verbo scripto tanquam imperfecto nos abduceret, diserte scripsit Paulum quandam theologiam ea quam scriptis tradidit reconditiorem perfectos nescio quos discipulos suos docuisse. *De plus Trechsel* I. 213 *cite un passage de Cast. Defensio p.* 217 *dans lequel il serait dit entre autres:* Scriptura est tanquam lucerna splendens in obscuro loco. Sed huic succedet spiritus, qui splendore suo scripturae lucem obscurabit) non secus ac dies lucernae lucem obscurat. *Comp. encore Beza annott. ad* 2. *Tim.* 4 *et Resp. ad Cast. p.* 502. *Il serait possible que Chastillon ait été obligé de supprimer, dans sa bible latine, une note sur Rom.* 9 *et la prédestination, que Socin aurait ensuite insérée dans l'édition des opuscules.*

la volunté de Dieu. Ie suis ebahy si vous ne vous contentez pas de celle de Iesuchrist et des Apostres et si vous ne pensez pas quelle soit parfaicte. Quand est de moy, ie ne me puis fayre croyre que vous ne croyez quil ne nous faulte point daultre maistre que Iesuchrist. Bien penseroye ie que vous voulez dire quil nest pas possible que nous entendions rien de la volunté Dieu si elle ne nous est revelee par son sainct esprit. Sil ny a aultre chose vous nestes point differens aux aultres. Sil vous plaict vous me rescrirez de cecy. Ie vous escriray une aultre foys plus amplement. De Lausanne ce 10 dost 1554.

Par le tout vostre humble serviteur Hugues Caviot qui a demoure autres foy avec vou.

1998.

CALVINUS MARBACHIO.

De statu ambiguo coetus gallicani Argentoratensis et praecipue de Garnerio calumniis vexato et apud senatum male audiente.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 74. Edidit Beza passim mutatam Genev. p. 136, Laus. p. 295, Hanov. p. 330, Chouet p. 184, Amst. p. 84. Exemplar Argentoratum missum desideratur. Anglice versam habes in ed. Philad. III. 54.)

D. Marpachio Argentinensi.

Iam fere sesquiannus est, [1]) ex quo multa de ecclesiae Gallicanae, quae apud vos est, dissidiis subinde audire non sine magno dolore cogor. Nam dum pauci homines improbi ac protervi molestiam fratri nostro *Garnerio* [2]) exhibere volunt, factum est illorum intemperie ut pravis contentionibus vexata fuerit ecclesiola, cui Dominus apud vos quietum hospitium concessit. Mihi vero hunc nuncium tristem acerbumque fuisse, mirum non est: quia non secus me torqueret dissipatio eius gregis, quem Dominus meo labore olim colligi et ad tempus foveri voluit, ac viscerum meorum laceratio. Quanquam autem remedium aliquod mature adhiberi vehementer cuperem, quia tamen sperabam quidquid turbarum excitatum fuerat tua et fratrum nostrorum prudentia ac moderatione facile sedatum iri: satius mihi visum est quiescere, ne vel frustra vobis molestus forem, vel aequitati vestrae diffidere viderer. Sed quum rem quotidie in deterius collabi rumor esset, statui mihi esse scribendum aliquid. Nec vero me diutius silere patiebatur dolor. Id dum mecum agito, laetior nuncius [3]) affertur, rationem a clarissimo senatu initam esse, quae proterviam quinque nebulonum [4]) fraenaret: et nunc sedatos esse motus, ut saltem tolerabilis sit status. Utinam omnia sic essent ex voto composita, ne quid mihi praeter gratulationem restaret, eamque puram et solidam. Verum, quia subest adhuc in futurum tristis quaedam suspicio et metus, studium huic malo purgando abhibendum putavi. [5]) Duo autem, quantum intelligo, fuerunt totius mali capita. Delatus est initio *Garnerius* [2]) quod de sacra Domini coena aliter quam vos sentiret ac doceret. Non dico a quibus, vel quo animo. Ratio concordiae [6]) habenda fuit. Suscepta cognitio est. Verum, si bona fide res tunc agebatur, transacta esse debuit. Qui accusatus fuerat, fidei suae confessionem edidit. [7]) Quam vera, quam liquida, quam plena fuerit, non disputo. Hoc mihi unum sufficit non esse improbatam. Itaque sic apud me antehac cogitavi, sententiam fratris et symmystae vestri, si non prorsus silentio vestro probata fuit, tolerabilem fuisse iudicatam. [8]) Clam interim obliquis artibus vos quidquam esse machinatos ne suspicari quidem libet. Quid ergo restabat, nisi ut quinque nebulonibus ad turbandam ecclesiam longe plus quam par erat dari existimarem? [9]) Hoc enim debuit a vobis omnibus rite expendi, an fas sit, an deceat, an denique rectum sit atque humanum, quinque homines turbulentos, palam a reliquo corpore dissidentes, foveri contra suum pastorem. Sed quia hoc quoque vulnus nunc sanatum est, ad illud prius redeo. Quid ultra flagitetur a *Garnerio* [2]) quam praestiterit, mihi non satis compertum est. Vos quidem operam dare convenit, ne nimis praecise urgeatur. Si hodie viveret eximius ille Dei servus, et fidelis ecclesiae doctor *Lutherus*, non tam esset

1998. 1) *Marbachius in Diario suo inde a m. Augusto* 1553 *queritur de Garnerio, in doctrina de praedestinatione et sacramentis a veritate aberrante aliisque rebus ad ministerium pertinentibus.*

2) *Edd. nomine suppresso* N. *exhibent.*

3) *Edd.* ecce laetior nuncius. *Qualis hic fuerit fortasse collegeris ex eodem Diario ad* 18. *Iunii, quo refertur quosdam viros a magistratu delegatos fuisse ad concordiam conciliandam, scil. praeter ipsum Marbachium, Frid. a Gottesheim, H. Stesserum, Sleidanum, Theob. Iungium et D. Ludovicum (Lenglinum); de quorum actis M. ad senatum peculiari scripto retulit. Exinde de hoc negotio Diarium silet usque ad annum sequentem.*

4) *quinque membrorum coetus gallicani Garnerium accusantium.* (*Diar. ad* 5. *Oct.* 1553.)

5) adhibere officii mei esse duxi. *Edd.*

6) *Edd. uno tenore:* quo animo ratio *caett.*

7) *Vide Garnerium N.* 1587 *et Articulos eius prid. Cal. Sept.* 1553 *Senatui oblatos, in fine* (*Diar. Marb.*).

8) indicatam *Edd.*

9) *Si Marbachio fides habenda utrinque peccatum fuerat, et a Garnerio et ab eius adversariis.*

acerbus vel implacabilis, quin libenter admitteret hanc confessionem: nobis vere praestari, quod figurant sacramenta, ideoque in sacra coena corporis et sanguinis Christi nos fieri participes. Quoties enim professus est, sibi non aliam esse pugnandi causam, nisi ut constaret, Dominum inanibus signis non ludere nobiscum, sed intus implere quae oculis proponit, ac proinde effectum signis esse coniunctum? Hoc inter vos [10]) convenit, nisi magnopere fallor, coenam Christi non theatricum esse spectaculum spiritualis alimenti, sed re ipsa dare quod figurat: quia illic piae animae Christi carne et sanguine pascantur. Quanquam autem deprecatoris hic vices potius quam monitoris suscipio: libere tamen dicendum est, nimis fore morosos, si qui hac moderatione non contenti fratrem suo ministerio deiiciant. Adde quod turpe exemplum est, qui rite et ordine vocatus est ad munus pastoris, sine legitimo ecclesiae iudicio, mero senatus nutu abdicari. [11]) Fieri quidem passim incipit: sed iam aliquoties vidi in eorum capita recidere qui scientes et volentes ius ecclesiae prodiderant. Ac quo tibi minus licere intelligas, tuum est reputare quibus successeris. [12]) Sancta, quae apud pios adhuc manet diuque, ut spero, manebit, [13]) *Capitonis* et *Buceri* memoria, quorum perspecta fuit et fides et prudentia et eruditio et integritas, instar lampadis locum istum collustrat, ut notius sit, atque ad exemplum notabilius quidquid a vobis in utramque partem geritur. At certe quae in servando ecclesiae ordine illorum erat religio, decies mori maluissent, quam violentam pastoris eiectionem, non dico suo consensu, sed etiam silentio probare. Equidem si quid operae pretium ex meo adventu cum tuis collegis sperares, laborem non recusarem. Imo eo libentius ad vos venirem, quia me quoque in hanc controversiam involvi video. Mihi autem valde acerbum esset, genus doctrinae, quod libere istic olim tam in schola quam in templo professus sum, nunc repudiari. Sed ne importune satagere videar, non ultra mihi progrediendum esse duxi, quam ut te et rogando et monendo et obsecrando et hortando tum pii fratris, tum [14]) miserae ecclesiolae, quietem procurem. Si me impetrasse audiam quod summopere cupio, erit cur nobis omnibus gratuler. Vale, eximie vir una cum symmystis, fratribus mihi carissimis, qui tecum ecclesiam istam gubernant, quibus ego meas literas communes esse volo, si ita censueris. Dominus vos omnes tueatur suo praesidio, spiritu prudentiae, rectitudinis, aequitatis et constantiae dirigat, laboresque vestros benedicat. Amen. [15])

10) nos *Edd. Verum non de se, sed de Garnerio loquitur cum Marbachio consentiente.*

11) *Senatum de Garnerii dimissione iam cogitasse disces ex Diario ad* 15. *Maii ubi Alexandri vocandi mentio fit.*

12) Ac quo tibi .... *Haec absunt ab Edd.*

13) apud omnes pios adhuc manet diuque .... manebit *Edd.*

14) deinde *Edd. om. utroque:* tum.

15) *Edd. addunt:* Genevae 8. Calendas Septembris 1554.

1999.

CALVINUS LISERO.

Respondet ad singula capita nuperae eius epistolae et utrique consensum in religione gratulatur.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Genev. p. 133, Laus. p. 297, Hanov. p. 332, Chouet p. 179, Amst. p. 82. Versio anglica l. l. III. 66.)

Ego vero, optime frater, nimis agrestis forem ac inhumanus, si tuum in scribendo officium, [1]) quod ut a summa erga me benevolentia profectum esse video, ita grato animo hilarique amplecti decet, audaciae vel temeritatis damnarem. Itaque et libenter intellexi, te meam amicitiam expetere (quo nomine me tibi devinctum esse profiteor) et ex tuis literis alterum gaudium accessit, dum permultos esse significas qui fructum ex meis laboribus non poenitendum colligant: in quorum numero te quoque esse asseris. Haec enim Dei benedictio mihi non parum addit animi: hoc tam maligno saeculo esse tamen pios et eruditos homines, qui non modo privatim ex meis lucubrationibus proficiant, sed utilitatem quam sentiunt fideli opera studeant latius quasi de manu, quod aiunt, in manum proferre. Pergamus igitur hoc cursu, mi frater: ac inter nos sancta vigeat donorum Dei communicatio, quae ecclesiam invidia et ambitione procul valere iussis aedificet. Meum quoque studium in sedanda discordia, quae nimis infeliciter initio renati evangelii exarsit, tibi probari gaudeo. Utinam eadem ubique regnaret modestia. Sed iam denuo surgunt turbulenti homines non minus quam indocti, quos nulla de causa nescio quae intemperies ad bellum reparandum exagitat. Nostrum vero est talibus flabellis placide occurrere, ne incendium longius grassetur. Tranquillum ecclesiis vestris statum gratulor: sed non simul coniunctos esse disciplinae nervos, qui eum contineant, dolendum est. Nec alia corrigendi vitii ratio apparet, quam si pastores, quos seria regni Christi cura tangit, inter se consentiant. Nam ut unus, aliis in consilium non adhibitis, quidquam tentes, autor esse non audeo. Adde quod

1999. 1) *N.* 1917.

Apud alios plus habebit ponderis, ut arbitror, testimonium illud, quam si quid privatim tibi scriptum ostenderes: quia facile obreperet suspicio gratia et precibus esse elicitum. Semper quidem tibi duo haec in primis erunt spectanda: ne quid tibi plus imponi sinas, quam ferat ecclesiae aedificatio, et tranquilla puraque conscientia suscipere tibi liceat. Spero etiam a senatu et pastoribus nonnihil impetratum iri, modo absit contentio.[4]) Nihil enim magis eos exacerbat, et ad repugnandum acuit, quam ubi se et sua damnari putant. Tu vero ex re praesenti melius quid expediat dispicies. Quare nihil praescribo. Vale, eximie vir et frater mihi carissime. Dominus te spiritu suo regat laboremque tuum benedicat. Collegae mei te amanter salutant. Fratribus gratiam Dei et omne benedictionis genus ex animo precor. Genevae, 6. Calendas Septemb. 1554.

2003.

CALVINUS VERMILIO.

Eius commentarium in Genesin cupide exspectat. Melanchthonis notat silentium et timiditatem. Argentoratensia obiter attingit.

(De hac idem valet quod modo de praecedentibus diximus. Manu scripta non exstat. Anglice versa exstat in ed. Philad. III. 59.)

Etsi communis amicus noster *Sturmius*[1]) consilium mihi suum de Commentariis dicandis perscribens, te quoque idem sentire addiderat hoc tamen ipsum ex tuis literis intelligere longe mihi fuit gratius. Unum vereor, ne labor meus, quem tibi curae esse ostendis, non tanti aestimandus fuerit. Qui fit autem, ut de tuis in eundem librum Commentariis sileas? Nam quum adhuc esses in Anglia, ex responsione quam Roberto *Stephano* dederas brevi exituros sperabam.[2]) Quare eorum fructu, quem non dubito uberem fore, diutius fraudari Dei ecclesiam moleste fero. In hac enim confusa librorum sylva graves eruditas et solidas piorum recteque sentientium hominum, et qui pari autoritate iudicioque praediti sunt, lucubrationes exstare in primis necesse est, tum ad puritatem doctrinae asserendam ut ad posteros salva integraque perveniat, tum ad refutandam eorum qui omnia permiscent insulsam levitatem. De *Philippo*,[3]) valde mihi dolet. Ergo ei non satis est vel quocunque tulerit hominum gratia flexibilem mutare, vel silentio prodere veritatem, nisi cordatos Dei servos, ad quorum imitationem potius ipsum eniti decebat, inflectere ad suam mollitiem conetur. Praeclare vero abs te factum, quod te liberum verae doctrinae defensorem fore professus es. Sic enim tuo exemplo praescripta est ei regula, quatenus pax fovenda sit, ut scintillam aliquam virilis animi spirare tandem discat. Ad collegam tuum,[4]) cui nimis serviliter ille gratificari voluit, D. *Sturmii* hortatu scripsi, ut eum N.[5]) placarem: utcunque tamen succedat, nunquam me poenitebit aliquid tentasse. Verum, si qui collapsi sunt, tuum est, impositum tibi onus eo animosius sustinere. Quod quum plane te facere intelligo, magis ac magis in ea sententia confirmor, te mirabili Dei providentia, qui laboranti ecclesiae succurreres, istic fuisse retentum. D. *Zankum* meo nomine salvere cupio. D. *Marchio* noster te plurimum salutat. Vale, praestantissime vir et mihi observande frater. Dominus tibi semper adsit, te gubernet laboresque tuos benedicat. Si maturius venissent tuae literae, copiosior ad Principes tuo admonitu fuisset exhortatio.[6]) Sed post dimidium Augustum mihi fuerunt redditae. Collegae mei te salutant. Genevae, 6. Calendas Septembris 1554.

Ioannes Calvinus tuus.

2004.

CALVINUS SLEIDANO.

Eum gallicanae ecclesiae regendae praefectum esse a senatu gaudet. Melanchthonis sive philosophiam sive astutiam vituperat. Plurimorum martyrum in Aquitania et Italia mortes deflet, constantiam laudat.

---

4) *Quae tamen minime vitata est.*

2003. 1) *N.* 1984.

2) *Hunc Commentarium Martyr ipse non absolvit. Quum Simlerus et Lud. Lavaterus praelectionum in V. T. editionem curandam susciperent, inter defuncti collegae schedas repererunt quae in 42 prima capita scripserat. Editae sunt sub titulo:* In primum l. Mosis qui vulgo Genesis dicitur commentarius Turic. 1569 fol. *cum editoris Simleri elogio P. M. Vermilii, et dedicatione Iewelio episcopo inscripta. Quem postea Lavaterus supplementis locupletatum cum Locis theologicis denuo edidit* 1572 *fol. et saepius, ultima vice Heidelb.* 1606.

3) *Cf. praecedentem ad ipsum Melanchthonem et sequentem ad Sleidanum.*

4) *Marbachium* (*N.* 1998).

5) *Garnerio. Vide ibidem. Marbachius rem placide componere voluisse videtur, quae tamen per integrum annum protracta tandem Garnerii dimissionem* (21. *Aug.* 1555) *adduxit. Cf. Pappus, Gegenbericht* 1611. 4. *p.* 208.

6) *in dedicatione commentarii.*

(Ex editione Bezae Gen. p. 187, Laus. p. 302, Hanov. p. 337, Chouet p. 186, Amst. p. 85. Versio anglica III. 57.)

Quum ex fratris nostri N.[1]) literis nuper intellexissem, ex tribus, quos regendae Gallicae ecclesiolae senatus praefecit, te esse unum, vehementer ut par erat gravisus sum: et hoc mihi gaudium fore diuturnum confido. Sic enim statuo, tibi divinitus magis quam humano consilio provinciam hanc fuisse iniunctam, qui tua fide et prudentia componas quidquid hactenus turbarum movit Satan: praecaveas deinde, ne qua improbis detur tumultuandi occasio. Ergo ex animi mei voto consultum est pusillo gregi. Te vero quo minus ad officium exhorter nullus timor impedit, sed quia supervacuum esse existimo. De *Philippi*[2]) consensu quantopere una in re mihi gratulari debeam, nescio: quando in summis capitibus vel philosophis se venditans sanam doctrinam aperte oppugnat: vel ne in se quorundam irritet odia, sensum suum astute, saltem parum ingenue, tegit. Dominus eum fortiore spiritu instruat, ne gravem ex eius timiditate iacturam sentiat posteritas. A tribus mensibus in Aquitania quinque aut sex fuerunt exusti,[3]) in quorum morte Christus magnifice triumphavit. Nuper etiam in oppido Venetae ditionis, paulo ultra Vulturinam, admirabili constantia ad ultimum usque spiritum, pius vir mihi probe notus Christum confessus est.[4]) Novi hic nihil fertur, quod non peraeque vobis notum sit. Vale, eximie vir et mihi plurimum honorande. Dominus te cum familia tueatur perpetuo, ac benedicat. De classe Turcica certior allatus est nuncius, exusto quodam oppido, vastata regione maritima, captis hominum quinque millibus in Graeciam rediisse.[5]) Genevae, 6. Calendas Septembr. 1554.

2004. 1) *an Garnerii incertum, nam deperditae sunt. Cf. N.* 1998, *not* 3 *ubi tamen plures quam tres nominantur.*

2) *Cf. praecedentem.*

3) *Historia Martyrum de his tacet, certe nullum affert nomen post Guillelmum d'Alençon m. Ianuario exustum, usque ad Non. Iulias quo die Lugduni Rich. Le Fevre periit. Nemausi quoque sed die et consule incerto supplicio affectus est quidam Pierre de la Vau de Pontillac pres de Tholose.*

4) François Gamba d'Ise au pays de Bresse en Lombardie vint à Geneve pour demander conseil de quelques affaires, qu'il avoit à communiquer, lors de la Pentecoste. Retourné en Italie il fut apprehendé en passant le lac de Come et condamné à estre brusle le 21. Iuillet 1554. (*Hist. d. Martyrs fol.* 305.)

5) *Haec pertinent ad bellum in Tuscia inter Cosmum et Gallos gestum, quorum socii Turcae duce Draguto classis praefecto capto Paesto Dyrrhachium petierunt.* (*Thuan. ed. gall.* II. 291.)

2005.

CALVIN AUX FIDÈLES DU POITOU.[1])

Exhortation à la constance dans la foi évangélique.

(Copies. Bibl. de Genève. Vol. 107, fol. 54, Vol. 108, fol. 16. — Ruchat V. 547. Crottet, Chron. p. 33. Bonnet I. 431. Trad. angl. III. 68.)

La dilection de Dieu nostre pere, la grace de nostre Seigneur Iesus soit touiours sur vous par la communication du Sainct Esprit.

Treschers Seigneurs et freres, nous avons a louer nostre bon Dieu de ce que de nouveau il vous a fortiffiez, affin que vous prinssiez courage et vigueur pour vous exercer a son service, et non seulement chacun en son particulier, mais aussi tous en commun, comme de faict il nous est besoing de nous inciter par tel moien, attendu la foiblesse qui est en nous, et tant dempeschemens qui nous retardent a faire nostre debvoir. Vray est que ce nest pas le tout de nous assembler pour prier Dieu et ouir sa parolle, mais cependant ce nous est une ayde tant et plus necessaire, veu que de nous mesmes nous sommes trop tardifz. Par quoy, mes freres, que vous ayez ce but en vous assemblant, de vous confermer, en la foy de lEvangile, et vous avancer en toute sainctete de vie. Mais, quoy quil en soit, ne vous privez pas de ce bien dinvoquer Dieu ensemble dung accord, et de recevoir quelque bonne doctrine et exhortation pour vous faire continuer au bon chemin. Car combien que chacun puisse et doibve aussi prier Dieu en secret, et sestant retire a part, et que chacung puisse lire en sa maison, si estce que ce sacrifice est agreable a Dieu de nous assembler pour le prier comme dune bouche, et de luy faire hommage solennel de noz ames et de noz corpz. Il seroit bien a soubhaiter que nous le peussions faire devant tout le monde, mais quant

---

2005. 1) *Comp. N.* 1977. *La présente lettre prouve que les protestants de cette contrée s'étaient mis en rapport avec Calvin et lui avaient donné de leurs nouvelles. Raemond p.* 906 *prétend que ce fut C. lui-même qui y jeta les premières semences de la réforme. Il est certain que plusieurs de ceux qu'il nomme comme ses premiers disciples, Vernou, Véron, Babinot et autres y ont prêché plus tard* (*Lièvre, hist. des prot. du Poitou* I. 36). *L'Hist. eccl.* I. 63 *atteste également le mouvement religieux qui s'y fit très tôt par l'abbé de Valence et Quintin. Il y eut aussi bientôt des martyrs.* (*Crottet, Chron. p.* 120.) *Voyez aussi la lettre à Me. de la Roche-Posay* (1203). *En* 1555 *on y envoya Jaques Langlois comme prédicateur, lequel cependant n'y resta pas longtemps. Dès* 1554 *il s'y déclara des dissensions dont nous retrouverons la trace plus bas. D'autres détails sont consignés dans les notes de M. Bonnet.*

par la malice des hommes et leur tyrannie nous sommes forcloz de telle liberte, cest pour le moins que nous louions nostre Dieu avec son peuple, comme lEscriture nous exhorte, et que pour ce faire les petitz trouppeaux samassent ca et la, iusques a tant que tout le corps de lEglise soit recueilly au Royaume des cieux. Ie scay bien que vous ne pouvez pas faire[2]) aulcune assemblee quen grand' crainte et doubte. Ie scay aussi que vous estes guettez des ennemys. Mais si ne fault il point que la crainte des persecutions nous empesche de chercher la pasture de vie, et de nous tenir soubz la conduitte de nostre bon pasteur. Ainsi vous recommandant a luy, que vous preniez courage. Car il monstrera quil a le soing de garder ses pauvres brebis, et que cest de son vray office de les sauver, comme en la gueulle des loups. Mesmes encores que les dangers soient apparens, si ne fault il pas que nous soions par trop craintifz pour quitter la bergerie. De faict nous voions comment il en prend a ceux qui sen escartent. Car ilz sanonchallissent tellement avec le temps quilz perdent le goust de tout bien, et en la fin sallienent plainement de leur salut. Parquoy, mes freres, soiez constans, et monstrez que le zele qui vous a incitez a bien commencer, na pas este comme une bouffee de vent, et que chacung selon quil aura plus de commodite, sefforce a semploier davantage. Que ceux qui ont maisons propres, se sentent honorez quilz les puissent consacrer a Dieu pour temples. Que les aultres ne plaignent point leurs pas; que les grans attirent les petitz, et que ceux ausquelz on donne bon exemple, aient honte de ne le point suyvre. Ce pendant ie ne dy pas que vous ne soiez sur voz gardes, pour ne vous point hazarder sans propoz. Car Dieu nous supporte bien iusques la que nous fuions la rage des iniques. Et voila pourquoy ie trouve laccord que vous avez ensemble bon et licite. Cest que nul, sans congе de la compagnie, ne descouvre a creature vivante lordre que vous avez. Vous pouvez bien doncques, entant quen vous sera, prevenir tous dangers, moiennant que vous marchiez tousiours oultre, ne declinant point du bon train auquel vous estes entrez. Car entre temerite et timidite il y a une crainte moienne laquelle namortit point la vertu du Sainct Esprit, et ne nous destourne point des aydes que Dieu nous donne. Tenez vous donques, mes freres, tout coyement en vostre cachette, voiant limprudence et desloiaulte qui regnent auiourdhuy par le monde: mais que ce ne soit point pour fermer la porte a ceux qui desirent de venir au Royaume de Dieu comme vous. Que chacung sefforce dattirer et gaingner a Iesus Christ ceux quil pourra. Et apres, que ceux que vous aurez par bon examen approuvez capables, soient receuz par advis de tous. Au reste que tel exercice soit pour induire chacung de vous a sacquitter a gouverner mieux sa famille. Car estant retorne chez soy dune telle compagnie, on doit monstrer quon sest renforce pour mieux faire quau paravant, et raporter la quelque odeur qui sespande par tous les membres de la maison: finallement que tout le reste de la vie y responde. Monstrez que lEvangile de nostre Seigneur Iesus vous esclaire, pour vous monstrer le droit chemin, affin que vous nerriez point comme enfans de tenebres. Et daultant quauiourdhuy le monde est si corrompu et perverty, gardez vous tant plus soigneusement de vous picquer parmy les espines. Le temps de nostre pelerinage est brief, tellement que si nous considerons ceste gloire immortelle ou Dieu nous convie, nous naurons point occasion de nous lasser au millieu du chemin. Daultre coste si nous pensons a la bonte inestimable que ce bon Pere celeste nous a monstre, et aux thresors infiniz[3]) quil nous a desploiez en toutes especes de graces, nous serons bien lasches si nous ne sommes esmeuz et enflambez a nous desdier a luy: mesmes si nous ne sommes raviz[4]) en son amour, pour oublier ou mespriser tout ce qui est du monde, rompre tous les liens qui nous retiennent, et nous desvelopper de tous les empeschemens qui nous retardent.

Surquoy, mes freres bien aymez, apres mestre affectueusement recommande a vos bonnes prieres, ie supplie ce bon Dieu de vous tenir en sa saincte protection, vous guider par son Esprit en toute prudence et droiture, vous confermer en plaine vertu et constance, et se servir tousiours plus amplement de vous, ne permettant poinct a ses ennemyz de rien gaigner sur vous, quoy quilz machinent. Ce 3 iour de septembre 1554.

Vostre frere,

I. Calvin.

2006.

MOLINAEUS BULLINGERO.

Irrequietus, ut solet, iam de relinquenda Tubinga cogitat, et quasi orbis ubique ipsi pateat, quo potissimum se convertat adhuc anceps haeret; interim suum munus iam Balduino destinat, et varia animo agitat consilia.

---

2) parfaire *Bt.*

3) insignes *Bt.*

4) et enflambez . . . . raviz. *Ces mots manquent dans l'édition des Lettres fr.*

(Ex Museo helvetico XI. 448. Autographon non vidimus.)

Pientissimo ecclesiae Christi doctori D. Heinrico Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori vigilantissimo.

S. P. Carissime doctor ecclesiae Christi et praeceptor. Puto te recepisse mea manu scriptas ad finem Iulii. Valde incertus eram an Marpurgi, an Montblegardi * concederem. Malebam esse in academia, si fieri cum pietatis et studiorum meorum exercitio posset. Dum responsum ex Hassia et Francofordia non habeo, agnovi me desiderari a consiliariis ill. comitis *Georgii*. Illico de hac re scripsi duci *Virtenbergensi*, resignans quae hic habeo. Mox literas recepi e Bituris * D. Franc. *Balduini*, iurium professoris celeberrimi, qui cupiens idola fugere desiderat conditionem Argentinae. [1]) Mox uberius ei consulturus et literis et ore proprio illum commendavi et insinuavi duci, ut hic mei loco subrogetur, et sic dux sine novo stipendio duos habebit: illum hic stipendio minore scholae, et me Montblegardi stipendio consiliarii fere subduplo, quo contentus, * ut sim in pura ecclesia et fratres allicere et instruere familiam possim. Hac enim si carerem, nollem hic esse in hac fermentata ecclesia. Hoc morbo non laborat ille *Balduinus*, qui uxore caret, et fermenta et papistica ista spernere, imo etiam flagellare et labefactare poterit. Is ante annos 15 primarius meus amanuensis fuit: [2]) eum ante 6 annos Bituricensibus professore indigentibus nominavi. Receptus cum laude functus est et fungitur. Semigermanus est quia Atrebatensis.

De convulsa publicitus a me promotionē papistica 9. Maii [3]) non fuerunt calumniae sed tantum protestationes contra me, quia primores aulici et D. Io. *Brentius* aderant. Sed . . . . . . [4]) princeps iussit ad se perscribi quidquid actum esset. Confessionem meam a me subscriptam ei hac transeunti die dominica ultima dedi, cuius exemplar hic ad te mitto. Quum legeris rogo mittas D. Io. *Calvino* una cum literis ad eum hic etiam inclusis. [5]) Alii hic papistae manifesti et obstinati (et hi minus mali, ut etiam ipsi principi scripsi), alii Lutherani, non puri sed confessionem Augustanam fermentati * horrendis pseudadiaphoris, alii utriusque, alii nullius religionis, ut malim moriens familiam meam ubi est quam hic relinquere. Caeterum invidi et papistae ansam non admittendi *Balduini* arripient quasi Zwinglianus sit, quia a me nominatus. Puto tamen me effecturum ut maior pars auditorum illum petat: dicerem omnes, nisi quia factio inimica quosdam seducet.

Uxor multos tales amanuenses Gallos ad me misit, operam et pecuniam perdens, quia nemo unquam transivit Rhenum. Sed mox, ut ero (Deo dante) Montblegardi, illis abundabo, et opus gallicum in papatum [6]) iam ultra annum intermissum resumam. Tui et ecclesiae sanctae precibus omnia commendo, salutari desiderans reverendum patrem D. *Pellicanum*, D. *Bibliandrum*, D. *Lavaterum*, D. *Zwinglium* iuniorem tuum et vos. Vale. Pax et gratia Christi semper tecum sit. Tubingae 4. Septembr. 1554.

Carolus Molinaeus.

2006. 1) *ubi revera a.* 1555 *lectiones suas auspicatus est.* (*Haag* II. 29.) *Caeterum desiderium idola fugiendi non unica ei fuit causa consilii, sed Duareni collegae et aemuli persona multo magis eum movebat.*

2) *Parisiis ineunte a.* 1540 (*ibid.*).

3) *Vide quae annotavimus ad N.* 1990.

4) *Locus in impresso corruptus et mutilus, quum editori manus Molinaei, alioquin malo stilo multo peior, minus familiaris esset.*

5) *Hae eae ipsae sunt de quibus not.* 3.

6) *Fortasse loquitur de libro:* Factum pour la justification du Traité contra parvas datas, 1558. *Editio auctior libri*: Commentaires analytiques sur l'édit des petites dates, *prodiit demum a.* 1564 *Lugduni.*

2007.

CALVIN A UN GENTILHOMME DE PROVENCE.

Au sujet d'un enfant mort sans batême.

(Copie. Bibl. de Geneve. Vol. 107, fol. 55. En marge de la main de Charles de Jonvilliers: *Il escripvit ceste lettre a ung gentilhomme de Provence.* Une main moderne a ajouté: *qui estoit à Thurin où ce cas est advenu, sur le scrupule d'un enfant mort avant que recevoir le baptesme.* Comp. Ruchat. V. 548. Lettres fr. I. 436. — Traduction latine par Bèze, éd. de Genève p. 320, de Lausanne p 302, de Hanau p. 338, de Chouet p. 439, d'Amsterdam p. 200. Trad. angl. III. 71.)

Monsieur et bien˚ayme frere, iay entendu comme ces iours passez Dieu vous a affiige en double sorte, tant pour ce quil a retire a soy lenfant quil vous avoit donne, quaussi pour ce qualcuns bons freres sont scandalisez de ce que vous ne lavez point faict baptiser en temps, aiant moien de ce faire. Or ie ne marresteray pas beaucoup a vous consoler de ce que Dieu vous a prive dung thresor dont vous esperiez iouir longuement. Car ie croy que sans estre adverty dailleurs, vous prenez les remedes qui sont propres pour adoulcir vostre tristesse. Mesmes que desia vous en avez tellement faict vostre proffict que vous pouvez en esprit paisible rendre graces a

ce bon pere, qui vous a faict sentir que nous ne pouvons mieux faire que de nous assubiectir a sa bonne volunte, sur tout puis quil nous faict ceste grace et honneur, de nous recongnoistre et advouer pour siens en la vie et en la mort, quant nous vivons et mourons a luy. Quant a ce que lenfant est decede sans estre baptise, tous bons freres auroient bien occasion de sen scandaliser, si cela estoit advenu par nonchallance ou mespris, car le Baptesme est une chose trop sacree pour le laisser ainsi en arriere. Pourtant non seulement ceux qui nen tiennent compte, mais aussi ceux qui le different par ambition pour y faire des pompes ou bravetez, sont a condamner: et de faict vous avez a declarer vostre intention aux fideles, pour oster le scandalle quilz ont conceu. Mais quant ilz auront entendu la verite du faict, ie croy quilz auront de quoy se contenter. Si vous eussiez eu vouloir de resider par dela,[1]) comme lung deux,[2]) vous ne pouviez pas sans offenser Dieu et voz prochains nourrir vostre enfant sans le faire baptiser. Non pas que ceux qui presentent leurs enfans pour estre souillez aux superstitions papalles, soient a excuser, mais pource quilz ne peuvent pas reiecter la marque de la Religion Chrestienne que Dieu ny soit vilipende. Mais vostre intention a este toute aultre, car prevoiant le mal vous desiriez bien, devant que vostre femme enfantast, vous retirer en lEglise Chrestienne, ou pour le moins si vous estiez prevenu, vous pensiez bien, tantost apres quelle auroit enfante, amener lenfant avec elle pour le faire baptiser selon lordre de Dieu. Ce qui eust este une declaration toute patente que vous ne mesprisez pas le Baptesme, mais pour la reverence que vous y avez, le voulez avoir pur et entier selon quil a este institue de nostre Seigneur Iesus. Tel retardement estant une partie de la confession de vostre foy, ne doit pas offenser les bons. Car si la chose fust advenue comme vous lesperiez, tel acte neust este a blasmer, non plus que vostre partement. Ie croy bien quil y en peult avoir qui seront scandalisez de ce quon quicte le pays ou ilz vivent, pource quilz se sentent condamnez par cest exemple. Mais silz font mal, ce nest pas raison quilz assubiectissent les aultres a se conformer a eux, ne quils facent de leur vice une loy. Entre ceux qui approuvent le bien et ne consentent point au mal, ie prens cela comme resolu que sil est licite a ung homme Chrestien de se retirer des ordures de la Papaulte, quil pourra bien aussi et devra amener ung enfant qui luy sera nay, pour loffrir purement a Dieu et le faire baptiser sans nulle superstition. Or il a pleu a Dieu de vous priver de ce bien. Il scait pourquoy. Tant y a quil vous a voulu humilier en cest endroict: mais ce nest pas a dire pourtant que le faict soit a condamner, veu que vostre intention estoit saincte et louable.

Si quelcung replique que vostre enfant a este prive du Baptesme qui est le signe de salut, ie respons que sa condition nest point pire pour cela devant Dieu. Car combien que le Baptesme selle nostre adoption, toutesfois nous sommes enrollez au Registre de vie tant par la bonte gratuite de nostre Dieu, que par sa promesse. Quainsi soit, en vertu de quoy noz enfans sont ilz saulvez, sinon pource quil est dict: Ie suis le Dieu de ta lignee? Mesmes sans cela ilz ne seroient point capables destre baptisez. Si leur salut est asseure par la promesse, et que le fondement soit assez ferme de soy, il ne fault pas estimer que tous les enfans qui meurent sans baptesme perissent. Car en voulant honorer le signe visible, on feroit grand iniure et deshonneur a Dieu, desroguant a sa verite, comme si nostre salut nestoit pas bien appuye sur sa simple promesse. Puis doncq quil ny a eu de vostre coste nul mespris du Sacrement, cela nemporte nul preiudice au salut de vostre enfant, quil soit decede devant que vous eussiez loisir et moien de le faire baptiser. Ainsi il ny a nulle cause de scandale a ceux qui ne se vouldront point fascher sans propoz. Ce que vous pourrez remonstrer a tous fideles, affin quilz en soient appaisez. Surquoy ie feray fin, apres mestre affectueusement recommande a vous et a vostre bonne partie, et aux prieres de tous deux, comme aussi de ma part, ie prie nostre bon Dieu vous avoir en sa saincte garde, vous fortifier par son sainct Esprit, et vous avancer de plus en plus en tout bien. Ce 6 de septembre 1554.

Vostre humble frere

Iehan Calvin.

2007. 1) *Le père et la mère se trouvaient en pays catholique lors de la naissance de leur enfant.*

2) *Ceci paraît être une allusion directe et personelle. Bèze a traduit:* ut alii faciunt.

2008.

TREMELLIUS CALVINO.

Relicta Berna Lausannam concessit ubi locum sibi fratres obtinendum curant. Commendat uxorem Genevam proficiscentem.

(Ex apographo Cod. Lugduno-Batavi Perizon. 5, fol. 2.)

Celeberrimo theologo D. D. Io. Calvino mihi plurimum observando.

Genevae.

S. P. Mansissem Bernae si Dominus voluisset.[1]) Cur noluerit, longius non inquiro quam praefinit certa de providentia eius erga me fides. Scio enim id mihi utilissimum et honestissimum esse quod de me benignissimus pater statuit. Verumtamen nihil omittunt optimi viri ac fratres ut hic me retineant, atque in colloquio nupero mei inprimis habita ratio est et mandata D. D. *Vireto* et *Besae* data ut ad principes de conditione mea referrent. Hodie reditus eorum exspectatur. Si quid effecerint, te quamprimum faciam certiorem.[2])

Scriberem saepius, sed religio mihi est, studia tua sanctiora interpellare. Ac ne nunc quidem interpellassem: sed uxor mea ecclesiam vestram invisebat, quae te pastorem et antiquum hospitem[3]) insalutatum praeterire nec potest nec debet. Si quid igitur illius causa adversus hanc religionem admiserim, veniam mihi abs te dari peto. Dominus Iesus te defendat ac servet ecclesiae suae quam diutissime. *Antonius* meus te in Christo plurimum salutat. Vale. Lausannae 8. Septemb. 1554.

Tibi deditissimus
Immanuel Tremellius.

2009.

BULLINGERUS CALVINO.

Respondet ad ultimam Calvini de libello contra Westphalum edendo, de Socino, de Anglis et Locarnensibus.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 129, olim Scrin. B. Epp. Tom. 30, fol. 303. — Simler. Vol. 82. — Edita est ex parte tantum in Epp. Tigurinis Soc. Parkerianae p. 486 et anglice II. 750.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo domino honorando et fratri carissimo suo.

S. D. Quum hac transiret ornatissimus et humanissimus vir D. *Morellius* literas a tua humanitate scriptas non reddidit: rediens autem ex Italia reddidit.[1]) Imposuerat enim sarcinae, quam aperuit tandem in Italia: ita factum est, ut in primo congressu nihil dederit. Caeterum facile ei errorem hunc condonavi, quod neuter hic ullam fecerit iacturam. Carui quidem gaudio hactenus, quod tamen cumulatius nunc me beavit, qui intelligo, tuam pietatem conari aliquid.[2]) Perge, mi domine et frater. Dominus concedat spiritum suum sanctum tibi, ut conatus hic tuus cedat ad gloriam Dei et multorum salutem. Exspecto nunc cum desiderio sanctos tuos labores: sed vide ne festines, et cum molestia aliqua scribas. Scio te multis oppressum negotiis vix omnibus sustinendis sufficere. Moderate ergo exercebis afflictas alioqui vires.

Laelius, ut scribebas, rediit ad nos, et nunc inter nos habitat. Modeste se gerit. Compesco ego, quantum possum, hominis curiositatem. Idem faciunt symmystae reliqui, ut minus sit molestus nobis.[3])

Valet *Leverus*, valent Angli reliqui peroptime, Deo gratia, sed non immerito immoderate affliguntur ingraditudine miserae Angliae. Recepisse illam scis Hispanum,[4]) qui gubernationem suam sanguine initiavit, truncatis duobus nobilibus. Metuunt ne iam sublati sint sanctissimi illi episcopi *Latimerus*, *Cranmerus*, *Ridleus*, *Hopperus*,[5]) etc. Orandum nobis video assidue pro ecclesia illa afflictissima.

D. *Molinaeus* hanc schedam ad me misit, orans ut per proximum ad te nuncium eam mitterem. Hodie mihi est reddita. Intelligo illum non mansurum diu Tubingae, sed inde migraturum.

Causa fidelium Locarnensium[6]) iam agitur in comitiis Badensibus. Nisi vero Dominus gratia sua affulserit, dubito de felici rerum eventu. Nam vel amica transactione, vel iure cum 7 rebuspublicis agendum erit 4 urbibus. At tanta est illorum hominum barbaries ferocia et durities, ut metuam bonis. Video nostros satis esse sedulos: sed interim experior in diem illorum malitiam esse insuperabilem. Dominus ecclesiae suae assertor et liberator oppressorum adsit nobis perpetuo. Ubi de illis comitiis, quae nondum finita sunt, certum aliquid habuero, mature significabo. Vale cum omnibus

---

2008. 1) *De Tremellii rebus cf. N.* 1968. 1971. (*Butters, Imm. Tremellius* 1859.)
2) *Nihil effecerunt et Tremellius tandem apud Palatinos pedem fixit.*
3) *scil. Argentorati. Ipsa Metensis erat.*

2009. 1) *ubi ergo non diu commoratus est* (*N.* 1994).
2) *contra Westphalum.*
3) *Cf. quae Calvinus de Socino scripserat N.* 1995. *Infra plura. Cf. etiam Gallitii iudicium ap. Hottinger. helv. KG.* III. 791 *et Orelli in ZS. d. baseler Hochschule* II. 2 *p.* 28.
4) *Philippi nuper regis Neapolis et Siciliae creati d.* 25. *Iulii a Gardinero Vintoniensi episcopo c. regina Maria celebratae fuerant nuptiae.*
5) *Anno demum* 1555 *suplicio affecti sunt.*
6) *Meyer, Locarno.* I. 319 *seqq.*

fratribus et symmystis et orate pro nobis Dominum. Tiguri festinantissime 1554. Septembris 9.

Tuus Bullingerus.

2010.

SLEIDANUS CALVINO.

Gratias agit de relatione Aurelianensis comoediae sibi missa. Opus suum historicum propediem excudetur. Varia nova de bellis in Belgio, in Italia et alibi gestis refert.

(Ex autographo Cod. Goth. 405, fol. 11.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino ecclesiastae Genevensi fidelissimo et amico plurimum colendo. Genevae.

Sal. Habeo gratiam permagnam quod illud Aurelianense miseris.[1]) Ego puto in annum 1534 incidisse: nam antecessit persequutionem illam horrendam[2]) quae habuit initium eo anno mense Novembri. Historiam *Crispini*[3]) comparabo, ubi primum hic exstabit: nondum enim vidi. Iam Octobri mense *Wendelinus* inchoabit meum opus ut ad pascha prodeat.[4]) De statu vestrae hic ecclesiae[5]) puto te scire: seniores aliquot erant eligendi, sed impedita res fuit unius ex collegis valetudine.[6]) Meum semper iudicium fuit non esse paucis aliquot habendam fidem sed reliquam ecclesiam audiendam esse: in eoque permanebo, et si res aliter instituatur non sum interfuturus.

De proelio Senensi[7]) vos melius quam nos: in Belgio etiam est pugnatum[8]) non tamen summis copiis: Galli fuerunt ibi superiores: tametsi nunc rumor est Caesarem instare hosti retrocedenti. Gesta res fuit iter Terouennam et Hesdinum. Vintoniae nuptias peregit filius Caesaris xxv die Iulii.[9]) Marchio *Albertus*[10]) amissa omni ditione versatur nunc in Lotharingia, neque constat adhuc quarum sit partium: proscriptus est a Caesare. Non sic abibunt odia: Galliae regem multi mirantur sic connivere ad actiones pontificis, qui cum Florentino dicitur bellum istud gerere. Filius Caesaris dicitur opem ab Anglis flagitasse contra Gallum, sed nihil impetrasse: Mense Novembri solent agere conventus: in iis cudetur aliquid. Bellum est immortale inter has duas familias Francicam et Burgundicam et perturbantur omnia reipublicae consilia. Deus misereatur nostri. Per librarios vestros iterum ad te scribam, si quid incidet. Vale, vir clarissime mihique plurimum colende. Datum Argentorati x. Septembris M. D. LIIII.

Tui studiosissimus
Ioan. Sleid.

2010. 1) *Cf. N.* 1940.
2) *Affaire des Placards.* (*Hist. eccl.* I. 15 *sq.*)
3) *Ergo nomen editoris historiae martyrum Calvinus Sleidano tradiderat in ep. nobis deperdita.*
4) *Haec notitia non parvi est momenti quum anno* 1555 *quo opus prodiit quatuor editiones eius factae sint, duae in forma maxima, duae in octonis.* (*Am Ende in Schelhorns Ergötzl.* II. 414. 653.)
5) *gallicanae.*
6) *Iam m. Septembre nova electio presbyterorum fieri debuisset, pluribus senioribus mortuis aut absentibus. Garnerius integram collegii renovationem faciendam negavit. Inde dissidia.* (*Marbach. Diar. ad* 28. *Sept.* 1553.) *Cf. supra ad N.* 1998, *not.* 3 *et Roehrich* III. 103 *seq.*
7) *al. Marcianensi* (*Gallicidio*), *ubi Petrus Strozzi a Marchione Marignano devictus fuit* 2. *Aug.* (*Thuan* II. 283.)
8) *Sleid.* III. 472.
9) *Strype eccl. mem.* III. 1 *p.* 205.
10) *Sleid. p.* 474.

2011.

CALVINUS BULLINGERO.

Paucis tantum ob malam valetudinem respondet. Defensionem Consensus iam absolutam esse, velitationem potius quam magni laboris monumentum. Porro de Bernensium concionatorum invidiose deblaterantium hostili animo queritur.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 166, olim Epp. Tom. 24, fol. 20. — Exstat quoque in Cod. Genev. 106, fol. 1, in Archiv. Bern. Epp. VI. p. 148 et 339, et ap. Simlerum Vol. 82. Versio anglica l. l. III. 74.)

Eximio Christi ministro D. Henricho Bullingero Tigurinae ecclesiae fido pastori fratri et symmystae colendissimo et integerrimo.

S. Quum mihi nudius tertius a *Morellio* nostro literae tuae redditae essent, commodum se obtulit hic nuncius, per quem te certiorem facerem eas mihi fuisse gratissimas. Sed obstitit adversa valetudo, quae me in lecto hoc mane detinuit, quominus tibi rescriberem ut statueram. Etsi autem iam nuncio excusaveram, pauca tamen verba effutire malui, quam illum prorsus inanem dimittere. **Brevi**

mittam Consensus nostri defensionem.[1]) Sed iam mature denuncio, scriptum fore nec exacte politum, nec magni laboris: ne quid forte tibi praeclarum spondeas.

De rerum nostrarum statu nihil scribo, nisi quod dubii adhuc pendemus: quod per nostrorum socordiam improbis ludere non minus proterve quam impune liceat.[2]) Interim a vicinis nostris plus quam atrociter proscindor. Nam agri Bernensis concionatores me haereticum papistis omnibus deteriorem pro suggestu proclamant.[3]) Ac quo quisque petulantius in me bacchatur, eo plus sibi favoris et praesidii comparat. Quia satis expertus sum, nihil a fratribus nostris[4]) sperandum esse, quos iniuriae istae afficere debuerant, tacitus et quasi mutus quiesco. Nec per me stabit, quominus improbi se expleant, atque etiam invidi saturentur. Interea respiciet Dominus e coelo et vindicabit. Vale, ornatissime Vir et mihi ex animo observande frater. Saluta meo nomine D. *Pellicanum*, D. *Gualtherum*, *Zwinglium*, generos, uxorem et familiam. Dominus vos omnes custodiat, gubernet suo spiritu et omni benedictionis genere persequatur. D. Carolo *Molinaeo* non respondeo, quia paulo ante scripseram.[5]) Non parum vereor, ne bonae causae patrocinio eius obsit morositas. Exitum Badensis conventus avide cum multis bonis viris exspecto Iterum vale. Collegae mei et complures amici vos reverenter salutant. Genevae 18. Septemb. 1554.

Ioannes Calvinus tuus.

2012.

BEZA BULLINGERO.

Mittit ei libellum suum contra Bellium scriptum.

(Autographon contulimus Turici in Archivis Plut. VI. Vol. 166, fol. 82, olim Epp. Tom. 24. — Exstant praeterea exemplaria duo Genevae Cod. 119, f. 133 et 111b, fol. 31; duo alia Bernae Epp. VI. p. 331 et F. p. 3; denique et Simlerianum Vol. 82.)

Eximio Christi servo D. Henrico Bullingero patri mihi observandissimo et dilectissimo Tigurinae ecclesiae pastori.

Tiguri.

Salutem et pacem a Domino.

Quum essem apud D. *Calvinum* nostrum et sese peropportune obtulisset hic tabellarius, bina illi exemplaria nostri libelli[1]) una cum his literis commisi, ex quibus intelliges, ut spero, quanta sit adversariorum impudentia et qua diligentia sit illis occurrendum. Quantuluscunque autem noster hic labor est, spero eum tibi non ingratum fore, et te vehementer rogo, ut quaecunque in eo repereris animadversione digna, ea seorsim paucis annotata (siquidem tibi tantum sit otii), ad me mittas ut tuus ille labor, quem in eo legendo capies, mihi saltem usui esse possit. Sed de his hactenus. — — — — — — Genevae 18. Septembr.

Th. Beza, filius tibi in Domino addictissimus.

Cuperem Basilienses serio admonitos, ut hanc cloacam in tempore repurgarent.

2013.

HYPERIUS BULLINGERO.

Refert iudicium Melanchthonis severitatem sententiae Calvini de haereticis puniendis minime improbantis.

(Ex autographo Cod. Turic. Bibl. civ. F. 81 olim 46, fol. 60. Sine inscriptione. — Simler. Vol. 82.)

2011. 1) *Prodiit m. Ianuario cf. Prolegg. in Opp. Tom. IX.*
2) *Bertelianum negotium hoc ipso tempore recrudescebat.* (*Reg. du Conseil.* 6. *et* 13. *Sept.*)
3) *Haec spectare videntur ad novam de praedestinatione controversiam instigatore Bolseco ortam, qui inter alios maxime Zebedaeum Neodunensem ministrum et Langium (Angelum) Bursinensem hyperaspistas habuit. Mox plura de his leges. Interim cf. Ruchat* VI. 121, *Trechsel*, I. 194, *Hundeshagen* p. 280, *Schweizer, Centrald.* I. 251. *Henry, Staehelin.*
4) *Musculo, Hallero et collegis.*
5) *N.* 1990. 2006.

2012. 1) *Prodiit ineunte Augusto:* De haereticis a civili magistratu puniendis adv. M. Bellii Farraginem et novorum Academicorum sectam. Oliva R. Stephani 8. (*Bezae Tract. theol. Ed.* 2, *Vol.* I. *p.* 85 *sqq. Baum.* I. 225. *Quod Academicos dicit contra quos scribit, sic explicat l. l. p.* 144: Tandem apparebit Academicus quispiam, probus nimirum et modestus homo. Vocatus praefabitur se discendi cupidum omnia legere, omnia audire solere. Quod si docere velis, rogabit ne vis ulla suae conscientiae afferatur. Tandem si instare pergas et manifestam ipsius in depravandis scripturae testimoniis impudentiam urgeas, hnc evadet ut contra veterum Academicorum decretum, qui se hoc unum scire dicebant quod nihil scirent, omnes dicat praeter se unum nihil scire, et tamen testabitur se neminem damnare. Denique, ut omnia coneris, nihil plus ages quam si des operam ut cum ratione insanias. — *Quod* nostrum *dicit suum libellum, inde non necessario colliges eum Calvinum collaboratorem indicare voluisse, quamvis hic sane quodammodo primarius autor dici possit.*

S. D. Sententia D. *Calvini* de coercendis haereticis deque supplicio sumpto de *Serveto* probatur, clarissime Vir, Dn. Philippo *Melanthoni*, quod ex ipsius ore audivi in colloquio habito Neoburgi [1]) in Duringis, hoc anno 1554, mense Maio. Nam librum Dn. *Calvini* eo attulerat, mihique quodam die quum discederetur ex loco consessus, obtulit perlegendum: ac perlegi sane libenter, quamvis ante semel visum lectumque. Quum autem postea redderem, ac privatim de quibusdam rebus, ut fit, conferremus, inter caetera retulit, D. *Calvini* iudicium de animadversione in haereticos sibi vehementer probari. Hac autem occasione, maxime vero propter librum D. Urbani *Regii*, [2]) quum antehac, tum vero et nuper, ante decem opinor dies, quia nunc passim, imprimis in ditionibus principum Palatinorum et Landgravii ad tractum Rheni, Anabaptistae quidam ad seditionem et res novas adspirantes caput exserunt, edictum est ubivis locorum promulgatum, de Anabaptistis severius coercendis. — — — — — — — — — Datum Marpurgi ad diem xviii Septembris 1554.

Andreas Hyperius
tuus.

2014.

VERMILIUS CALVINO.

Refert quid nuper Argentorati inter senatum et ministros transactum sit de papismo ex urbe pellendo.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Genev. p. 147, Laus. p. 331, Hanov. p. 370, Chouet p. 198, Amst. p. 91.)

Quum vestratium qui Francfordia redeunt copia detur, ut absque meis literis venirent pati nolui. Res nostrae [1]) pro tempore ac loco sunt satis tranquillae. Doctori *Marpachio* redditae fuerunt literae quas ad eum scripseras. [2]) Quid profecerint ignoro, siquidem nihil mihi de illis communicavit: sed ut antea tibi significaveram, spero turbas illas brevi conquieturas. Satagunt huius ecclesiae ministri ac multis modis conantur, ut sacrificuli et missa rursus hinc eiiciantur: [3]) nec tantum e suggestu causam egerunt fortiter, sed adierunt senatum eique simul omnes testati sunt, nisi hoc effecerit, se hinc migraturos, quod nequeant bona conscientia hic ulterius ministrare, ubi tanta domi feratur et defendatur idololatria. Hanc illorum actionem senatus gravissime tulit, et post aliquot dies ipsis duriter admodum respondit. Id praesertim obiicientes, quod ante multos annos Wittenbergenses consilium dederint, cui *Lutherus*, *Ionas*, *Promeranus* et horum similes manu propria subscripserunt, quo sentiunt, magistratus in rebuspublicis ius non habere vel potestatem ullam in ecclesias cathedrales et collegia. Ideoque consultum esse ut pios ministros sibi procurent, qui populo evangelium pure doceant in aliis templis, ab illis abstineant, nec ibi quidquam conentur reformare: quum tamen suos cives queant iure prohibere, ne sese idololatria contaminent. Sui autem consilii hanc rationem subiiciunt, quod ecclesiae cathedrales et collegia huiusmodi, non a rebuspublicis, verum a proceribus Imperii vel ab ipsis Imperatoribus institutae ac dotatae fuerint. Quumque papae autoritas in civitatibus evangelicis reiecta sit, putant istarum ecclesiarum arbitrium ad Imperatorem devolutum: quare illi tantum potestatem immutandi et repurgandi cultus Dei quoad illas faciunt. Illo itaque fretus consilio noster magistratus repulsam dedit ministris, ut qui putet autores eius consilii nostris ministris longe doctiores. Caeterum hi responsum hoc licet acceperint, non sunt animo fracti, neque ab incepto destiterunt: sed rursus instant, ac de illo consilio a doctoribus Wittenbergensibus ante multos annos dato satisfacere ac respondere conantur. Posteriori vero congressu [4]) lenius ac mitius a senatu fuerunt accepti, qui tempus ad deliberandum sumpsit. Interea quid responsi dandum sit ignoratur. Sed ego ariolor, dum Caesar vixerit rem non successuram: nec dubito nostrum senatum cupere quidem impietate ac idololatria civitatem liberare, sed nollent occasionem gravioris offensionis Caesari

---

2013. 1) *imo Numburgi quo Augustus elector protestantium conventum convocaverat qui de pace religionis proximis comitiis sancienda deliberarent. Theologi aderant Vittebergenses, Hessi et Sleidanus. Ibi id maxime agebant ut suam causam ab Osiandrismi et Schwenkfeldianismi suspicione vindicandam sibi proponerent.* (*Salig. A. C.* I. 682. II. 1043. *Schmidt, Mel.* 550.) *Hyperii mentionem facit Mel. Corp. Ref.* VIII. 282. 293. *Qui et ipse advenit d.* 20. *Maii.*

2) *Cf.* 1967, *not.* 1.

2014. 1) *i. e. coetus gallicani.*

2) *N.* 1998.

3) *Marbachius in diario ad* 6. *Aug.* 1554: *Conventus eccl. decrevit*: die wil die papisten vnser Kirchen nit minder schaden zufügten (denn die Sectirer) ob dan nit V. H. auch irethalben anzusuchen weren vnd mit was Ernst nachdem wir nun zum offtern mal erfaren das kein Lindikeit vnd freundtlikeit wolte erheischen: also ist mir befolchen worden mein bedencken anzustellen. *Die* 15. *Augusti magistratui oblatum est memoriale ministrorum contra papismum redintegratum* (*Riederer, Abh. aus d. KG.* 1768 *p.* 239), *a Marbachio viva voce confirmatum* (*ibid. p.* 337). *Quibus senatus a. d. III. Cal. Sept. severe respondit* (*ibid.* 343). *Roehrichius* III. 36 *in die errat.*

4) *d.* 20. *Sept.* (*Marb. diar.*).

praebere.[5]) Consiliis attamen caeterorum ministrorum omnium in his actionibus, et *Beatus* et eius diaconus noluerunt se admiscere, imo potius dissenserunt:[6]) quod ipsis aegro fuit, et populo magnae admirationi. Quid sit successurum, quum scivero, significabo. *Sturmius*[7]) non est hic, sed ante octo dies ex urbe proficiscebatur: spero non diu abfuturum. *Zanchus* te salutat, et ego. Symmystis tuis meo nomine salutem dici velim. Historia *Sleidani*, ut spero, iam imprimetur. Diu te nobis divina bonitas conservet incolumem. Petrus *Alexander*,[8]) ut ad me scribit, est brevi te invisurus: quaeso illum aequo ac libenti animo videas. Nam licet hactenus de re sacramentaria sit nobis adversatus, attamen in praesentia Deo monstrante totus est noster, atque potest ecclesiae nonnihil prodesse. Rursus vale, ac me precibus apud Deum iuvato. Argentinae, 24. Septembris.

2015.

ZANCHUS BULLINGERO.

Diu cunctatus nunc tandem eo suadente tractationem aliquam suam de haereticis puniendis in publicum editurus est.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. 170, olim Scrin. B. Epp. Tom. 44, fol. 749 sine inscriptione. — Simler. Vol. 82.)

S. Hactenus per negotia mihi non licuit, ornatissime *Bullingere*, tuis iam dudum ad me literis respondere. Nunc ergo, paucis tamen, id praestabo. De tractatione mea nil aliud in praesentia dicam, nisi me haerere, et ceu in bivio quodam versari, debeamne eam in lucem dare, an non. Non desunt hic qui me dehortentur, idque propterea quod (ut antea quoque ad te scripsi) verentur ne permultis piis fratribus, qui apud papistas degunt vel necem acceleret, vel aliquod aliud detrimentum adferat. Tua vero autoritas, quae valet apud me plurimi, ut emittam ita suadet, ut fere persuadeat. Et quidem animus meus in tuam sententiam inclinat: modo ita attemperetur oratio, ut intelligant papistae, quam iniqui sint iudices, qui non ex verbo Dei, sed ex humanis traditionibus contra verbum Dei, de vera falsaque religione iudicent, praeposteroque iudicio haereticos pro catholicis et catholicos pro haereticis habeant. Nunc primum in manus meas venit libellus pii docti carissimique fratris nostri *Bezae*.[1]) Non poterit non probari summopere piis omnibus. Satis superque respondit quidem ille novis istis Academicis, ita ut supervacanea omnino futura videatur mea tractatio, in qua nihil a me adfertur novi: propter maiorem tamen ecclesiarum in vera doctrina confirmationem (ut tu sanctissime admones) conabor ut quamprimum in lucem mea quoque, qualis qualis est, illa tractatiuncula veniat,[2]) tuo magis certe suasu, quam ulla ratione alia adductus. — — — — — — — — — — — — — — — — Argentina 24. Septembris 1554.

Tui studiosissimus
Hieronymus Zanchus.

2016.

HALLERUS BULLINGERO.

A Bullingero interrogatus de iis quos Calvinus nuper ad hunc scribens tam atra creta notaverat, se nihil tale audiisse affirmat: Bolsecum nihil habere autoritatis, caeteros tranquillos esse, etsi Calvino passim parum faventes.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 154, olim Scrin. B. epp. Tom. 32, fol. 202. — Simler. Vol. 82.)

Clarissimo viro D. Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori fidelissimo domino et compatri suo et colendissimo et carissimo.

Zürich.

— — — — — — — — — — — — — — — — — — Quod Genevenses concernit, nihil audio de eo, de quo scribis, dissidio. Neque inter nostros quemquam novi, qui *Calvinum* haereseos accuset. Est quidem quibusdam nostratibus invisus satis *Calvinus*, quia videtur ipsis nimium *πολυπραγμονεῖν*. Quantum tamen in nobis est, damus operam, ut ferociam eorum frangamus et mitigemus, et modestius eos de tantis viris sentire doceamus.

---

5) *d.* 27. *Dec. Senatus ministris silentium imposuit satis ἀποτόμως, et missa non abolita est.* (*Marb. Diar.*)

6) *Beatus Gerung pastor ad S. Thomae et diaconus Mornhinweg.*

7) *Ioannes.*

8) *Vesaliae erat, exspectans vocationem magistratus quae iam m. Maio ei promissa erat.* (*Marbach, Diar. ad* 25. *Maii.*)

2015. 1) *Cf. N.* 2012 *ubi etiam de novis istis, quos vocat, Academicis.*

2) *Inter Zanchii opera nulla talis exstat tractatio.*

Haeret quidem Tononii adhuc *Hieronymus* ille, sed in nulla est autoritate. Franciscus *Sampaulinus* Viviaci satis tranquillus agit cum classis suae fratribus. Det Dominus, ut ita pergant. Sunt Genevae peregrinorum aliquot millia, unde fieri non potest, quin variae tractentur inter ipsos quaestiones.[1]) Confluunt enim ex variis regionibus varie instituti et affecti. Haec ad tuas. Alias nihil habeo quod scribam modo. — — — — — — — — — — — — Bernae 26. Septembris 1554.

Tuus Ioan. Hallerus.

2017.

CAMILLI RENATI CARMEN IN CALVINUM.

Exprobrat ei Serveti supplicium.

(Ex Cod. Turicensi Archiv. Plut. VI. Vol. 177 olim Scrin. B. Tom. 47, fol. 227. — Simler. Vol. 83. — Trechsel I. 321.)

In Io. Calvinum de iniusto Michaelis Serveti incendio C. R. R.[1])

Indignum facinus saeclis mandasse futuris
Haud, Calvine, vides animique exempla furentis,
Ignibus immeritum rapidis dum corpus et ipsum
Servetum, Calvine, iubes addicier. Ecquis
Spiritus aut ratio horrendum in scelus impulit? et quae
In tantum prodire nefas communio mentis
Divinae, aut placido quae coelo digna voluntas
Suasit? ab offensis per mille pericula Gallis
Exsilio ignotas fugientem quaerere terras
Compulsum, et Christi iactantem nomina veri,
Placatumque hominum generi coelumque Deumque?
Heu quibus errantem didicisti legibus orco
Mittere, et infensis incendi corpora flammis
Christicolûm doctûmque virûm, ex animoque fatentum
Iustificamque fidem certamque cruore salutem,
Non tauri, ut quondam, fuso male olentis et hirci,
Sed puri, aeternum omnipotens quem destinat, agni,
Non sincera, ut nunc, Cerere allutoque Lyaeo?
Quin etiam sobolemque Dei natura parenti
Quam iungat divina suo, quam distrahat ulla
Proprietas, Christum si quis se credere dicat,
Atque ea certa animo iam nunc sententia constet,
Includi caecis invisum carceris umbris
Moerentem, Calvine, sinas, gemitusque cientem,
Et tandem exustum mediis occumbere flammis?
Horrendum facinus nulloque piabile saeclo!
Quis Deus hanc noxam ferat atque impune relictam
Esse velit? Tanton' foedari crimine coelum?
Nil iuvat excusis defendere caeca libellis
Consilia, et diram Satanae referentia mentem.
Ten' gregis aetherei Christique Deique ministram
In genus humanum placatas numinis iras
Iampridem, ac meritas nostris ab origine culpis
Saepe cruces, stygiis nos raptos saepe docentem
Ignibus, aeternosque Dei cessisse furores,
Tum Christi auspiciis redeuntia saecula pulchris
Aurea securas et agentes otia terras —
Christicolis mandare nefas, animosque piorum
Hortari in facinus saevisque accendere dictis
Fratris in exitium? Qui te divina canentem
Audierit[2]) tum fata libens, medioque precantem
Christicolûm in coetu, laeto iam corde sequutus
Communemque Deum Christumque in vota vocarit?
Non ille insidias capiti fratrumque tuoque
Impius observans tempusque locumque parabat:
Non ille impediit si quae diversa canebas
In vulgus, coetumque Dei non concitus ira
Consessum increpuit magnis clamoribus implens.
Sed quaecunque tibi libitum cecinisse quietis
Excipiens animis, secumque in corde volutans,
Hospitium tacitus templis repetebat ab altis.
Cognitus indicio quorundam forte piorum,
Quos olim medica (fama est) adiuverat arte,
Consilio studiisque tuis in claustra nocentum
Captus inops subito caecis includitur umbris.
Hic curis sese rapidis luctuque fatigat
Multa movens, placidos capiunt nec lumina somnos.
Quin saepe occursant animis incendia, seque
Cogitat infelix manibus post terga revinctum
Lictores inter duci, turbamque sequentem,
Instructosque rogos paleis arsuraque tecta,
Nec mora, ad erectam obstrictum pallentia ferro
Colla trabem accensis miserum dare corpora flammis.

Vos, o Christicolae, vos, o dignissima coelo
Pectora, nata Deo, patrius praecordia quorum
Spiritus intus agit, quo non clementior alter
Aethere et inferno, quo non placatior orbe.
Vos inquam appello, quibus haec spectacula vestra
Luminibus taciti potuistis cernere terra?
Exuri fratrem mediisque relinquere vitam
Ignibus, auxilio Christumque Deumque vocantem
Ore pio, et cupidis orantem pectora votis
Mitia Christicolis placidoque simillima Christo?
Vosque adeo inprimis, sancti spes optima coetus,
Illustres animae, reliquorum exempla piorum,

2016. 1) *Genevae Galli exsules male audiebant quasi urbem regi prodituri. Ita Perrinus in Senatu d. 24. Iul.* (*Cf. Ruchat* VI. 117. *Gaberel* I. 430.) *Verum Hallerus plane alia. Hic evidenter de disceptationibus curiosis novaturientium undique confluentium loquitur.*

2017. 1) Camillus Renatus Rhaetus (*vide in fine*). *Renati nomen assumpsit hic Siculus quum ad evangelica sacra transiret. Anno* 1542 *cum Curione in Vallem Tellinam venit et aliquamdiu Clavennae commoratus ob quasdam opiniones Mainardo ministro suspectus fuit. Qui quum confessionem ab omnibus ecclesiae membris exigeret Camillus subscribere recusavit. Res per plures annos protracta est, Blasius et Comander Curienses ministri Italorum contentiosa et pervicacia ingenia Bullingero denunciabant. Vide etiam N.* 1577 *et De Porta, hist. ref. rhaet.* II. 44. 94. 121. 157. 167. 225. *Disputabatur de sacramentis, resurrectione etc. Camillus cui iam a.* 1549 *ne religionem doceret interdictum fuit, prid. Non. Iul.* 1550 *excommunicatus est, mox vero interveniente Vergerio cum ecclesia reconciliatus per aliquod tempus quievit. Carmen hoc clare demonstrat eum usque cum parte adversa fecisse.* (*Cf. Füsslin Centur. p.* 337. *Trechsel.* II. 75.) *Hoc carmen non solum sui generis fuisse colliges ex N.* 1938.

2) *Alludit ad Servetum fatali illo die Calvini sermonem audientem.*

Heu quibus haec odiis moliri incendia, siccis
Ipsi oculis spectare hominis luctumque necemque?
Proh pudor! aeternis factum o memorabile saeclis!
Quo pietas deserta abiit, coelestibus una
Digna animis, atque una unis optanda renatis?

Nunc age vobiscum effari atque exquirere causas
Iam liceat facti, iustasque audire querelas.
Nulla tamen vos suspicio, nulla excitet ira,
Neve manus pudeat tanto dare crimine victas.
Nos etiam natique Dei Christique clientes
Hic sumus, et nostram fecere pericula certam
Multa fidem, Ausoniaque ideo decessimus ora,[3]
Amplexi exsilium, ignotisque habitamus in arvis,
Paupertas quibus una comes, quibus aspera cultu
Est facies, quibus haud certis dant facta diebus
Verba, sed assidui fessis alimenta labores.
Ipsi evangelium, si quando contigit usquam,
Haud pretio inducti pactisque ad commoda rebus
Attulimus, vitae sed per discrimina nota,
Ingressi quo numen agit, quo blanda volentes
Spes vocat, adversos magna vi stravimus hostes,
Et quos fata dabant, quos spiritus intus agebat,
Iunximus ereptos Satanae nova pectora Christo.

In facinus quae causa trahit, precor, edite vates,
Christicolûmque duces! Servetumne impius error
Ille suus meritum flammis ultricibus aufert?
An vestras acuit curas metus impiger, error
Ne late serpens specioso nomine fratres
E medio incautos raperet sanctisque pararet
Coetibus invidiam turbamque moramque necemque?

Inter Christicolas habuit si nomen et usus
Servantemque nefas stygiumque in corde venenum
Is numero iam frater erat, non carcere caeco
Includi dirisque peti, non ignibus uri
Debuerat: sed si quis amor, si viscera Christi,
Si qua fuit mens aetherei sensusque parentis,
Tum lacrymis late fratrum luctuque dolentum
Excipiendus erat, nocteisque diesque vacandum
Tum precibus, Christusque Deusque in vota vocandus,
Quo miser errorem ex animis virusque malignum
Evomeret, mentique suae optataeque saluti
Redditus afferret moerenti gaudia coetu.

Ceu quem tartareus subito nil tale putantem,
Spiritus abripuit miserumque huc versat et illuc,
Aut si quem morbosa lues aegrumque fatigat
Febris agens, mentemque adimit sensumque veterno,
Is magnae pietatis egens morboque levari
Debuit, ac reddi eiecto sibi corde furore,
Sic decuit vates, imitantia pectora Christum,
Officiis certare piis nullumque sopori
Nocte dieque locum, nullumque relinquere mensis.
Sic vestrae fidei ratio, sic fratris habenda
Cura fuit, Satanas quem abduxerat invidus astu.
His studiis opus est ubi tale quid accidit ulli
Nostratum, rudibus quae iussit patribus olim
Christus, apostolicisque viris, quibus una parenti
Cara suo proles larvis terrentibus acta
Spiritibusque malis, quum non oblata iuvari
Illorum auxiliis tantisque emergere turbis
Posset, inops tandem tristi cum patre reiecta est.
Tum bonus increpitans, o vos ieiunia mensis,
Christus ait, ferri magis ante precesque quieti
Optandum est, hominem quam tanta in clade relinqui.[4])

Si vestri vos cura gregis, si gratia fratrum
Altera commovit, quos ille erroribus atro
Ore infecisset, vel scriptis ante libellis,
Aut si venturis ita prospexisse periclis
Est visum, et tanta excandescere iustius ira,
Decepit studium certe, ac praepostera cura
Vos gregis aetherei. Non ista candidus arte
Doctrinae servatur honos animaeque piorum.
Non Christus monstravit iter? Non Paulus eisdem
Passibus incessit? Hinc servi exempla videre,
Hinc Domini praecepta licet. Num vestra putanda
Consiliis meliora suis? Num iura libebit
Condere et hac sanctis dominari in coetibus arte?
Correctum semel aut bis oportuit, inde reverti
Si impatiens animi vel coepta relinquere nollet,
Tum coetu eiiciendus erat, prohibendus et usu
Christicolûm. Quidquid supra est, iniuria (veri
Si qua fides) fertur. Satanae dare corpora vobis
Fas erat, haud animam immissis exstinguere flammis.
Romanis haec digna feris et turpibus ursis
Saevitia est, non ista piis, non pectora Christo
Conveniunt: non ista Deus, non mollior usquam
Spiritus edocuit, non tanti exempla furoris
Christus in erranteis mansit dum vita reliquit.
Sed[5]) contra cognovit ubi indignantia quondam
Corda duûm ultriceis petitura ex aethere flammas
In Samaras victum pretio asportare vetanteis
Protinus increpuit iustaque exarsit ab ira,
Ignarosque vocans comites rerumque suique
Certus ait: Vestra o quis pectora spiritus urget,
Num meus an Satanae, tantosque in corde furores
Excitat? An nondum divini sensa magistri
Induitis toties moniti? Huc age vertite menteis,
Quosque sequi posthac deceat vos discite mores,
Si libet esse meos rectisque incumbere votis.
Non ego perdendis iam missus ab aethere veni
Gentibus, aut taleis sumpturus crimine poenas
Ultor: sed requiem afflictis aegrisque salutem
Affero, criminibus veniam lucemque tenebris.
Has meus, o comites, servat sub pectore curas
Spiritus, auxilio miseris opibusque iuvandis
Aptior, ingenium referens patrisque Deique,
Illustrat qui sole, plagis quum surgit eois,
Insonteis sonteisque suo, et coelestibus agros
Amborum foecundat aquis, bonus omnibus idem.

Quin etiam coetu eiectus non hostis haberi
Debuerat, Paulo si quid iam credimus: aegro
Sed tanquam fratri monitus adiungere crebros
Fundereque inductis vinumque oleumque vicissim
Vulneribus, palmasque leveis, et molliter iras
Addere Christicolas decuit coetûmque magistros.
Nam patribus medicina malis eiectio priscis,
Aspra licet, non poena fuit, nec fratribus aegris
Ut nunc perniciem letaleisque attulit iras,
Iam vero e vestro, ut fama est, eiectio coetu
Pulsa abit et repetit coetus invisa priores,
Expulsaeque locum vel blanda licentia duris
Saeva magistratus tenuit vel legibus ira
Corpora, non animas, iusto oppressura furore.

3) *Autor Italum se profitetur.*

4) *Si tu fortasse, benevole lector, alioqui doctissimus, quid hic sibi velit cum suis sesquipedalibus verbis, non assequutus fueris, lege quaeso pericopen evangelicam Matth. xvii. v. 14 seqq.*

5) *Sequentia ex Luc. IX.* 51 *seqq.*

Quis ferat haec vates? Quis non incommoda cernat
In coetus casura pios Christique clienteis?
Heu cladem miseri tandem cognoscite vates:
Poeniteat facti, nec inanis gloria vestrum
Pectus agat pulsans tumidoque superbia fastu.

Quid vestros iactare sinus laetosque recessus,
Quo libet Ausonia fratres traxisse relicta,
Ut vestro in coetu facies divina videri
Possit ab his, toto quam quaerere pectore debent?
Ista Dei facies, errantem exurere flammis,
Qui Christum natumque Dei, Christique parentem
Esse Deum mediis vel credat in ignibus, et se
Christo animamque suam sublato ad sidera vultu
Commendet fidens veniamque errantibus oret?
Ausonio prohibete nefas crudeliaque ausa
Orbe, pii fratres, dirisque absi-tite coeptis:
Errantem non igne, piis sed vincite curis.
Praestat in Ausonia timide consistere terra,
Quam tacitis spectare oculis immania facta,
Quae nisi forte probet, digitum nisi tollat in auras
Advena, mox socium sceleris vox una putabit,
Includetque atris abreptum protinus umbris
Carcer, ut hinc nunquam nisi vel mutata recantent
Ora malum, vel dicta tuens, censente senatu
Missus in exsilium concessa tristis ab ora
Exeat, ut sancti coetus turbator et altae
Pacis, ut e multis unus quos unda refusa
Nominat, invisum genus ac toto orbe reiectum.
Saevitiem indignamque piis coetuque fideli,
Christus ubi caput esse velit Dominusque videri,
Quo nihil est toto clementius orbe nihilque
Mitius, extremo pro aliis qui occumbere fato
Maluerit, saevosque animo sentire labores
Unus, et innocuo nostras in corpore poenas
Perferre immeritus, tristeisque in pectore curas,
Quam vel cuiquam aliquid meritoque inferre pericli,
Aut famam vexare malis aut corpora vindex
Criminibus, totisque invisum reddere terris,
Et quocunque pedem ferat et quacunque moretur
Sede, animi metuentem opponere mille periclis.
Has curas coetusque pios coetûmque magistros
Aethereis gestare animis, hanc pectore mentem
Tum decuit trepidis tanto in discrimine terris.
Hoc vultu poterat facies divina videri
In nobis, his vera notis, hoc picta colore.

Ecquid enim vos saepe iuvant Christique Deique
Auditae voces et inania murmura templis?
Quid vobis tam coena frequens? Quid profuit unda
Fusa semel capiti deductaque nomina Christo,
Christicolûm si nullus amor, si nulla piorum
Gratia flagitio, pietas si nulla repressit?
Non voces, non signa, licet castissima, sanctos
Instituunt Christo coetus populumque placentem,
Sed virtus complexa animum moresque refingens
Viribus indubitata suis haerensque medullis,
Quae vitiis adversa pios erumpat in actus,
Qua vigeat recti studium, qua gratia fratrum,
Qua patris aetherei Christique exempla sequamur,
Quo casus miserûm, quo nos fortuna vocarit:
Huius enim corpus sumus, illius altera proles.
Non pulchra pietas specie nec imagine constat,
Officiis sed nixa suis assurgit Olympo,
Unde Dei veros vultus atque induit ora
Ausoniis quaerenda piis optandaque passim
Christicolûm in medio, vati iam credite, coetu.

Namque Dei geminae facies, quarum altera priscis
Cognita temporibus, sacrisque assueta videri
Coetibus atque inter veteris spectacula templi,
Dum Solymae stabant, dum magni foederis arca
Perfugium populi, dum caesis ara iuvencis
Insperso linitur coetu plaudente cruore,
Dum veterum mediis late micat infula sacris
Pontificum gemmis auroque ac veste nitentûm.
Altera spiritibus tantum coeloque renatis
Nota viris, non illa oculis adeunda caducis,
Non templis alte exstructis, non ordine pompae,
Nec circumfusae media inter murmura turbae.

Ergo, seu pietas vobis seu Christus imago est
Certa Dei, faciesque Deo gratissima natis
Flagitio abstinuisse manus animumque decebat,
Te magis, accensis quam fratrem immittere flammis.
At vigileis vos forte duces movere piorum
Damna, et Christicolûm saepe immedicabile vulnus.
Illatum poterat medicari cuspide certa
Divinus gladius[6]) quo solo exscinditur error:
Non carcer, non flamma vorans, non caedibus ultor.
Sed si venturis strinxerunt pectora damnis
Vestra metus, libuitque atram ne serperet hydram
Herculea cohibere manu atque involvere flammis,
(Factum horrendum, ingens, atrox dirumque piaclum!)
Debuerat vestro studium, non multa[7]) timori
Fratrisve exitium trepidis succurrere rebus.
Nam quo iudicio, qua crimina lege futura
Multari potuere patres sontesque vocari,
Qui nondum peperere malum cladem que tulere?

At scripto in coetus labem effusisque libellis
Intuleras, Servete, pios: conatibus ardens
Ira virûm tantis rapidusve quid obstitit ignis?
Invaluit[8]) mentesque pias tenet impius error.
Scripta vigent, doctique probant, cupidaque teruntur
Germanûmque Italûmque manu, ac defenditur error,
Peioresque orti vestris ex ignibus ignes.
Irrita consilii spes tanti, atque irritus irae
Conatus, voti fuit irrita gloria vestri,
Tam certo reprobante Deo crudelia facta
Successu indignasque animis coelestibus iras.

I nunc emissis, Calvine, tuere libellis
Convictumque nefas vanosque in luce furores!
Iudiciis patuere Dei sensuque piorum.
Namque vides periisse hominem erroremque relictum,
Atque omnes late contagia serpere terras.
Disce igitur servare homines et tollere captis
Errorem ex animis: mutari saepe relictos
Posse homines, nunquam mutari posse manentem
Quem saepe errorem impietas comitatur euntem
Non studium sed fata ferunt, Calvine, salutem
Ex Christo ante aevum delectis gentibus apta:
Ergo parcendum est homini, Pauloque fides est.
Contigerit decreta salus vertentibus annis,
Mutato ac Satanae laqueis fortasse soluto.

At fratrem in flammas te coniecisse negabis;
Ignotum dices ustum Christoque rebellem,
Expertemque Dei, nostri quoque dedecus aevi,
Cuius ab infami studio devolvitur in nos
Haud meritos immane nefas et labis origo.

---

6) *Hebr.* 4, 12.
7) *In margine adscriptum legitur:* poena, *quae non emendatio est sed exegesis et quidem iusta* (mulcta).
8) *Perperam in margine ex coniectura:* Si invaluit. *Poëta affirmat Serveti errorem vel igne non sepultum esse, sed usque defendi.*

Hasce salutifero delapso[9]) ab aethere vobis
Spiritus humano volvit sub pectore curas?
Num decuit, nisi mens immania facta tueri
. . . . [10])
Iudicium a sacris potius deducere fastis
Ignari rerum vates animaeque superbae.
Parcite, veridicis libertas vatibus esto
Iam sua, non aequae patiuntur crimina musae
Defendi, sacro nec serpere in ordine virus.
Spiritus in Paulo est, Paulo vos credere dignum.
Hic certa iam voce, piae dum iura Corintho
Praescribit caecisque animis latet additus error,
Sic ait: Externos homines alienave Christo
Pectora iudiciis non fas submittere vestris,
Christicolae; haud nostra exercet censura profanos.[11])
Illos iudicio coeli terraeque repertor
Subiectos iubet esse suo, dum luce suprema
Ultor in aeternas miseros vocet horridus iras.
Nos fratrum studio tantum decet usque teneri;
Christicolûm nobis mores consendaque vita est.

Ac veluti si pulchra genis, si nubilis annis
Nata patri est, quam nocte proci, quam luce salaces
Exquirant circum positis custodibus aedeis,
Non vindex parat ille procis vulnusve necemve,
Sed natam observat prudens monituque minisque
Ne petat amplexus votis cessura procorum:[12])
Sic coetus servate Dei Christique clienteis
Commissos pia cura* greges, arcete luporum
Consiliis rabiem saevosque a sede leones
Custodes, dignasque feris silvestribus iras
Ponite, et ascriptos claudat prudentia coelo.
Ergo luem, si qua est, medio iam tollere coetu
Vestra est atque aditus praecludere cura periclis:
Saevities fugienda hominumque iniuria vobis.

Hactenus aetheriae cecinerunt carmina Musae
Afflatuque animum tenuit non falsus Apollo.[13])

Camillus Renatus Rhaetus
faciebat Trahonae[14]) 1554 mense Septembri.

9) delapsus?
10) *Hic lacunam in apographo nobis deprehendisse videmur. Fortasse textui mederi aliquis susceperit, sic scribens:* Non decuit . . . . . fastis? Ignari *caett. in vocativo casu cum sequentibus iungerentur. Sed vix placet emendatio.*
11) 1. *Cor.* 5, 12.
12) *Desinit in piscem.*
13) *Illae quidem satis rauca voce, hic vero fidibus parum canoris, et saepissime ἄδηλον φωνὴν διδούς. Quod autem Minervae artem attinet de qua ille tacet, praeteritis multis aliis hoc tantum notamus, in his ter centum et quinquaginta versibus, ultra centum et octoginta elisiones occurrere et centies quinquagies et quinquies particulam:* que.
14) *Traona sita est ad introitum Vallis Tellinae in vicinia lacus.*

2018.

GRIBALDUS FRATRIBUS ITALIS.[1])

Explanat et vindicat suam de Deo Christo et Trinitate sententiam.

(Ex Cod. Genev. 113, fol. 80, sine inscriptione. Cf. Trechsel II. 460.)

Carissimi in Cristo Iesu fratelli, perche occorse hieri in publica congregatione parlar et disputar de l'unità de Dio contra la mia voglia, perche non voleva intrar quello articolo tanto profondo et alto che à gran pena et cum difficoltà si puo con parole explicare, maxime in tanto numero de auditori et essendo io stato come vi pare de molto diversa et contraria opinione da voi, fosti tutti di me grandemente scandalizati riputandomi heretico et malitioso. Niente di manco non fu risciolti li luoghi et argomenti della scrittura per me addutti. Ma la cosa restò che si dovesse scrivere sopra di questo et non piu contendere presentialmente cun parole. Acciò adunque cognosciate che in me non è malitia ne passione, ma un spirito lieto et sincero, et che per niente voglio essere ostinato, essendo raggionevolmente instrutto. Vi dico et protesto dovanti il Signor Dio che risolvendomi voi li luochi et argomenti che me inclinano in questa openione piu che alla vostra, et la gratia di Dio mi faccia capace di puotervi ben intendere, vi prometto accettarla di tutto il cuore et spirito mio, et alli altri fratelli communicarla et deffenderla. Adunque vi

2018. 1) *Au mois de Sept.* 1554, *Gribaldi se trouvant à Genève (il possédait dans le voisinage la seigneurie de Farges) fut amené à se prononcer sur l'unité de Dieu d'une manière qui choqua la communauté italienne. On lui demanda des explications à donner par écrit* (*Trechsel* II. 282). *Beza, Vita ed. Nickel p.* 25: Deductus ad Calvinum a quibusdam Italis apud quos ille Patavii docuerat, recusante Calvino dextram illi porrigere nisi prius de primario christianae fidei articulo i. e. de sacra triade et deitate Christi inter eos conveniret, nullum postea locum ullis admonitionibus vel argumentis reliquit *etc. Vergerius ad Bullingerum* 6. *Sept.* 1554 *ap. Porta, hist. ref. eccl. rhaet.* I. 2, 159: Certum est Gribaldum prorsus descivisse et totum in eo esse ut aliis Servetum insinuet. Non affirmarem de amicissimo nisi certo scirem. Imo audio iam parasse sibi discipulos et solere dicere: Basilienses ita sentire. Dolendum profecto ablatos a nobis tales viros. Utinam possemus revocare. Sed vix spero: quin deteriora timeo. Haec in tuum unius sinum magno cum dolore effundo. Scio te aliis non communicaturum. Est apud me nunc Hier. Donzelinus medicus, eiectus nuper Venetiis propter evangelium, vir prudens qui multa novit quae in Italia fiunt. Is affirmat pestem serpere Servetanam plus nimio, et se fuisse saepe tentatum, inprimis a Gribaldo, ut ad eum opinione accederet. Res certa est conspirationem esse aliquorum Basiliensium cum nonnullis Italis, quae nisi comprimatur pariet nobis aliquod magnum malum.

per l'honore de Dio pigliate le parole mie in buona parte et charità, perche havete veduto l'animo mio sincero verso di voi, che nel primo articolo son stato d'accordo con voi, doppo che son stato ben inteso, et non hò simulato, anchora in questo dell' unità de Dio sono andato sincero et senza malitia, perche puoteva in una parola acquetarvi simulando cum voi, et dicendo cum malitia ch'io era della openion vostra et credeva come voi. Ma perche non voglio ni intendo ingannar me stesso et simular cum Dio, fui contento dire liberamente l'oppenione nella quale el spirito mio piu inclinava, aggiungendo in parte le cause ragioni et authorità che me facceano in cotal oppenione inclinare. Et doppo vedendo que tutti voi eravate di questo molto et molto contra di me exagerati, et che per ogni modo volevate l'oppiniore vostra prevalere, Io dissi queste parole a buon fine, che se volevate ch'io credesse ch'el padre et figliolo sono un medemo dio, ch'io lo direbbe et crederia nel modo però che la scrittura dice: Ego et pater unum sumus. Et perche ne il mio dire fu inteso, ni anco l'animo mio, tutti furono di questo gravemente offesi et scandalizati, stimando ch'io mi beffasse di sua maestà. Cosa horrenda et dal spirito mio mai pensata. Si che per dire brevemente et chiarire come io questa unità intendo et capisco, dico in questo modo, che essendo il padre et figliolo due cose substantiale, o vero come si dice due hypostasi realmente et veramente distinte, intanto, che l'una non è l'altra, et ogniun de loro è vero Dio, l'uno Dio genitore, l'altro Dio genito, l'uno Dio mittente, l'altro Dio misso, l'uno Dio corporeo, l'altro Dio corporato, l'uno della scrittura regolarmente chiamato Dio, l'altro Signore, non posso altramente col mio intelletto capire se non do dei, l'uno existente da l'altro. Perche intendo che Dio et Domino sono nomi appellativi signifficando potestà et superiorità. Et cosi intendo il figliolo esser Dio da Dio padre, lume de lume, et vero Dio de vero Dio. O veramente il padre Dio da se et figliuolo Dio dal padre, et pero la scrittura al solo padre un Dio referisse et questo pigliando cotal nome de Dio in cocreto applicandolo specifice ad esse hypostasi o vero persone distinte ut singulis. Ma pigliandolo in abstracto et in commune a tutte le hypostasi in sieme, dico il Padre et figliuolo esser una medema divinità et una divina essentia. Item dico il Padre et il figliolo esser dui potenti et sapienti, et tamen una potentia et sapientia, et cosi intendo la scrittura dove dice: *Ego et pater unum sumus*, et dove dice: *Paulus et Apollo unum sunt*. L'uno et l'altro era apostolo di Dio et veramente due apostoli et tamen un medemo apostolato. Et in questo modo l'intelletto mio facilmente capisse questa unità de molte hypostasi. Et in fino adesso non la posso capire altramente, maxime che in concreto et individuo uno sia tre et tre uno. Per che mi par che questo ripugni ad ogni intelletto. Per il che vi priego, carissimi fratelli, *in visceribus caritatis* et per l'honor et la gloria di Dio, che deposta ogni amaritudine verso di me, volliate con la scrittura dechiarare et explicare questa unità di tre hypostasi distinte in tal modo che el mio intelletto et d'altri fratelli la possino ben capire et risolversi mediante la gratia di Dio à laude et gloria di sua maestà et pregar Dio per noi, et perche il tempo è breve et gia doveria essere in Padova all' officio et vocatione mia. Io promettovi avanti Dio et di buona fede mandarvi di Padova tutti li luoghi argomenti et raggioni et authorità de dottori che mi pariranno esser ripugnanti alla vostra oppenione, acciò possiate ben considerar l'articolo et con la gratia de Dio ad ogni spirito satisfare, accio siamo un medemo corpo et spirito in Giesu Cristo nostro Signore a cui sia honor et gloria in secola. Amen. [2])

Per il tutto vostro
Mattheo Gribaldo
manu propria.

2019.

SULZERUS CALVINO.

Quid nuper Argentorati a ministris tantum non omnibus tentatum sit circa pontificios ritus abolendos refert, item quas partes Basilienses et alii in hoc negotio egerint. Alibi inquisitionem institutam ab episcopis queritur.

(Solus praebuit Beza Genev. p. 148, Laus. p. 305, Hanov. p. 340, Chouet p. 119, Amst. 91.)

A mercatu Francofurtensi quum scribere per bibliopolas constituissem, profectione improvisa impediebar. Laborabat ecclesia Argentinensis haud levi iam periculo implicita, quod ministri excessum plerique viderentur nisi idololatriae omnimodam abrogationem obtinerent. [1]) Augebat metum nostrum

2) *Mense Septembre medio Gribaldus Turici fuerat.* (*Vide eius ep. d.* 16. *Sept. ex agro Tigurino datam ad Bonif. Amerbachium ap. Trechsel.* II. 56 *not.*) *Inde Patavium se contulit unde ad eundem scripsit d.* 23. *Oct.* (*ibid.*) *ubi dicit se Genevae fuisse dum causa Serveti ageretur. Dixit se nunquam eius sententiae fuisse ut aliquis pro opinionibus quamvis haereticis moreretur.* (*Anon. contra libellum Calvini ap. Trechsel.* II. 55, *not.* 4.)

2019. 1) *Cf. N.* 2014. *Quum ministri d.* 15. *Aug. declarassent se conscientia cogi* der Obrigkeit ihr Amt und Dienst

intestina inter ipsos fratres discordia, quia duo ex illis se non solum reliquis abiunxerant, sed privatim et publice eorum qui sunt 14 studiis repugnabant. Accurrimus ergo pro fraternae coniunctionis officio, et quantum potuimus, his institimus ut pientissimis symmystarum conatibus faverent, utcunque se nollent periculo illigari, suis quibusdam ducti rationibus: illis vero, sic ut zelum moderarentur, ne temere lupis proderent laniandam ecclesiam. Benigniter ab utrisque auditi sumus, et eo usque videntur profecisse optimi Dei servi, ut si non impetrentur quae velimus omnia, gradum tamen ut fecerint ad demolitionem papatus, si quidem, quod omnino sperant, capita reliqua concedantur. Verum de eventu scribet proximis ad me *Marpachius*. Agit officium strenue Dux *Christophorus* cum patruo Comite *Georgio*, quum erga eum ipsum quem dixi senatum Argentinensem, tum Marchionem *Badensem* vicinum nobis, qui nuper est illi pollicitus, se exactis sacrificulis veram religionem instauraturum. Rogemus Dominum, ut regni sui pomoeria dignetur misericorditer extendere. *Albertus* Bavarus [2]) cum *Salisburgense* et *Aichstetense* episcopis crudeliter contra veram pietatem furit, instituta inquisitione, quae etiam cum Hispanica certet. Nec secus apud Viennam Austriae sancti vexantur. [3]) Verum et haec impiorum molimina novit Dominus ad ecclesiae incrementum nominisque sui gloriam convertere. In Anglia novos subinde motus excitari accipio, sed astibus atque potentia regiorum opprimi partem meliorem, rerumque potiri pro voto Hispanos, licet coronationem Rex nondum sit consequutus. Vale in Christo Iesu, cuius gratiae te cum tuis omnibus unice commendo. Basileae, 3. Octobr. Anno 1554.

2020.

LES MINISTRES DE GENÈVE AU SÉNAT DE BERNE.

Ils se plaignent des calomnies auxquelles ils sont en butte de la part Zébédée, Bolsec et autres, notamment d'être traités d'hérétiques. [1])

(Copie authentique au Registre de la Vén. Compagnie B. fol. 19 v. — Le texte donné par M. Bonnet, dans les Lettres fr. I. 441, est pris sur une copie aux Archives du colonel Tronchin de Lavigny, que nous n'avons pas vue. L'original ne s'est pas retrouvé. Traduction angl. III. 75.)

Magnificquos, puissans et tresredoubtez seigneurs, apres vous avoir presente noz humbles recommandations et services, nous vous supplions de nous excuser de ce que nous recourons a vous pour nous plaindre des propoz par trop outrageux et debordez qui se tiennent en vostre pais contre nous, non pas tant pour diffamer noz personnes que pour exposer lEvangile et toute chrestiente en opprobre et mocquerie. Vous scavez, Messeigneurs, que iusques icy, nous ne vous avons iamais fasche ne importune de noz querelles, non pas que nous naions souvent eu iuste occasion de vous advertir des iniures qui ont este semees a tort contre nous, mais nous aimions mieulx nous taire que donner aucung ennuy ou moleste a vos seigneuries. Maintenant que la necessite nous contraint douvrir la bouche, nous esperons davoir acces tant plus humain et facile, que de vostre grace, vous serez enclin non seullement a nous prester laureille, mais aussy a remedier au mal duquel nous avons advise estre bon de vous advertir.

Il nest pas icy question de noz personnes, car si nous avions este iniustement blasmez, la iustice

---

wieder zu übergeben, welches sie auch thun und hiemit wollen gethan haben, denn sie sich dessen einhellig mit einander vereinbart haben hinfort in dieser Stadt neben dem Pabstum weiter nicht zu dienen (*Riederer l. l.* 245), *Matthias Pfarrerus, vir consularis, vocato Marbachio significavit:* Die alten verstorbenen Prediger haben sich nie etwas der Art unterstanden: ihr wollt die gutherzige Obrigkeit misbrauchen und sie in Sack schieben. Ist das ev. Prediger Art? Ein Gewissen macht ihr euch daraus mit Katholiken in einer Stadt zu seyn, aber frommen Obern zu trutzen, daraus macht ihr euch keins. (*Roehrich*. III. 37. *Pauciora Marbachius in diario.*) *Ad haec ministri valedictoriam concionem quam proxima Dominica habituri erant in tertiam remiserunt. Interea adfuerunt a. d. V. Cal. Oct. Basilienses Sulzerus et Wolfg. Weissenburger et Argentoratenses reprehenderunt collegas de eorum morositate, praesertim quod illi* das vrlaub daran gehenkt was zu diser ganzen kirchen vndergang wichen würde (*Marb.*), *hortatique sunt eos:* sie wolten vmb der Ehre Gottes willen vnd der lieben kirchen, die Antwurt falle usz wie sie wolle, darum von der kirche nit weichen vnd ihren beruff lassen (*ib.*) *Quibus nomine caeterorum Marbachius promisit*, sie wolten ihres vermanens eingedenk seyn vnd sich dermaszen christlich erzeigen das durch sie weder die gemein kirch Christi verletzt noch iemands billich solle verergert werden. *De eventu et duobus dissidentibus vide ad N.* 2014.

2) *Albertus Ferdinandi regis gener anno* 1553 *quidem communionem sub utraque petentibus Landshutii in comitiis negaverat, postea vero* 21. *Maii* 1556 *concessit.* (*Salig, A. C.* III. 13.) *Persequutiones ministrorum in ditione Iuvaviensi etiam traduntur fuisse.* (*Sugenheim, Baierns Kirchen- und Volkszustände im* 16. *Jhh.* 1842 *p.* 46 *ss.*)

3) *De talibus vexationibus nihil memoriae proditum est. Communio sub utraque statibus Austriae petentibus d.* 11. *Iunii* 1554 *negata fuit postquam iam* 20. *Febr. edicto vetita fuit; et d.* 14. *Aug. Canisii catechismus recens editus publice pro norma docendi impositus est. Caeterum cf. Sleid.* III. 468, *Salig*, III. 7, *Raupach evang. Oesterreich* II. 122, *Waldau Gesch. d. Prot. in Oest.* I. 117.

2020. 1) *Comparez N.* 2011 *et* 2016, *et les pièces qui vont suivre. Bèze, Vie de C. ed. Nickel p.* 26. *Ruchat se trompe en disant* (VI. 121) *que le Conseil de Genève et les 4 ministres écrivirent le* 2. *Oct. aux Bernois pour se plaindre.*

nous seroit ouverte par tout vostre pais comme a ung chascung: mais pource que ceux desquels nous avons a nous plaindre [2]) se dressent notamment contre la doctrine [3]) que nous portons, ce qui ne doibt point estre tire en proces ne plaidoie, voila pourquoy nous avons pense davoir refuge a vos Excellences. Il nest ia besoing, magnificques seigneurs, de vous remonstrer quel blasme et ignominie retourne au sainct Evangile, quant les prescheurs du pais de Berne et autres subiects appelleront les prescheurs de Geneve heretiques, car vous le voiez assez selon vostre prudence. Quant il y auroit quelque different touchant la doctrine, voiant comme nous sommes tant espiez et aboiez des ennemis de la foy, encores fauldroit il pour leur clorre la bouche user de prudence et moderacion. Mais puis que Dieu nous a faict ceste grace, dung coste et dautre, destre uniz de bon accord, ceulx qui crient et tempestent contre nous, non seullement monstrent quilz ne demandent que troubles et scandales, mais aussy quilz sont comme boutefeux pour rompre la saincte union que Dieu a mise entre nous. Vos prescheurs, par la grace de Dieu, sont ensemble de bon accord. Sachez deulx comme ils en sont avec nous, car silz ne vous protestent quil y a une droicte fraternite et ung consentement aussi paysible quon le scauroit demander, nous ne requerons point destre favorisez par voz Excellences. Mais silz vous declairent, comme nous sommes bien asseurez quilz le feront, quil ni a nulle picque ny contradiction, ce vous doibt estre ung argument certain que ceulx qui nous calumnient, ne cherchent ne vostre honeur, ne vostre proffit, ne vostre repoz. De nostre part nous pouvons bien protester que nous avons tousiours tasche destre coniointz selon la verite de Dieu avec tous vos ministres, tellement quen vous priant quil vous plaise prendre nostre cause en main, nous ne vous requerons sinon de maintenir tant lhonneur de Dieu que le vostre.

Or le cas auquel nous vous prions de pourvoir est tel. En une congregacion de la classe de Morges, en presence de grand nombre de gens, quelcung [4]) a tellement diffame nostre frere maistre Iean *Calvin* que le bruit est commun par le pais quil est condamne comme hereticque, comme aussi ce mot fut alors souvent reitere. Depuis *Zebedee*, [5]) prescheur de Nion, aux nopces du fils et de la fille du seigneur de *Cran*, [6]) parlans de la doctrine que nous tenons et sommes prestz de signer de nostre sang, dit en plain sermon que cestoit une heresie pire que toute la papaulte et que ceulx qui la preschent sont diables, [7]) et quil vaudroit mieulx maintenir la messe. Cependant ung nomme *Hierome*, [8]) lequel, comme vous scavez, pour ses erreurs a este banny de la ville de Geneve, ne faict nulle difficulte dappeller nostre dict frere *Calvin* hereticque et antechrist. Regardez, magnificques seigneurs, si nous pouvons dissimuler telles choses sans estre traistres a Dieu, lequel nous a commis, comme dit sainct Paul, non seulement pour enseigner ceulx qui se rendent dociles, mais aussi pour resister a tous mesdisans. [9]) Parquoy nous esperons bien que, comme princes fideles et chrestiens, vous nous tiendrez main en telle cause, [10]) et ne permettrez que lEglise de Dieu soit dissipee soubz vostre protection, et que lEvangile soit en vitupere, mesmes, puis que nous abstenant de faire troubles ny esmocion, nous avons paisiblement recours a vous, ce regard vous induira tant plus a donner si bon remede au mal que Dieu en sera glorifie, le scandale aboli, laudace de ceulx qui ne demandent que mectre tout en confusion sera reprimee, et serons obligez de plus en plus, estans soulagez par vostre equite et bonne iustice, de prier Dieu pour vostre bonne prosperite, comme de faict nous le supplions de vous avoir en sa saincte garde, vous gouverner par son sainct Esperit, en toute iustice et droicture, faisant servir a sa gloire lauthorite quil vous a donnee. De Geneve, ce 4[e] doctobre 1554.

Quant il vous plaira, magnificques seigneurs, ordonner destre plus a plain acertenez du faict, nous sommes prestz de tout verifier selon quil est icy couche par escript, combien quil ne sera ia besoing den faire longue inquisicion, veu que le bruit en vole par tout.

Vos [11]) humbles serviteurs, les ministres de la parolle de Dieu en lEglise de Geneve,

Iehan Calvin. Michel Cop.
Abel Pouppin. De Sainct-Andre.
Franc. Bourgoing. Iean Fabri.
Raymond Chauvet,

---

2) *Bolsec, Fonselet, Zébédée, Lange.*

3) *de la prédestination.*

4) *C'était Lange ministre de Bursin, entre Rolle et Nyon.*

5) *Sur ses dispositions à l'égard de Viret et de Calvin voyez N.* 1525 *et* 1837.

6) *On se rappelle l'intrigue relative à la lettre interceptée N.* 1086 *et suiv.*

7) d'icelle *Bt.*

8) Paucorum vincinorum pastorum factio, qui sponte alioqui currentes, Bolseco praeterea instigante, ut sibi nomen aliquod ex tanti viri reprehensione quaererent, homines alioqui multis iam notis aspersi, non aliter in eum debacchabantur quam si Deum idcirco faceret malorum autorem quod ab aeterna Dei providentia et ordinatione nihil excluderet *etc.* (*Besa, Vita.*)

9) contredisans *Bt.*

10) chose *Bt.*

11) *Les signatures manquent dans le Registre de la compagnie. Ce fut Fabri qui porta la lettre à Berne.* (*Comp. Reg. du Conseil du* 1[r] *Oct.*)

2021.

VIRETUS MINISTRIS BERNENSIBUS.

Suo et collegarum nomine Bernensibus collegis Calvini indigne calumniis impetiti causam commendat, quae potius ut ad totam ecclesiam pertinens aestimanda sit.

(Ex Cod. bibliothecae civicae Bernensis, Hist. helv. III. 34, fol. 178, inscr. et subscr. autogr. — Simler. Vol. 83.)

Clarissimis viris Bernensis ecclesiae ministris et professoribus, fratribus symmystis plurimum colendis et observandis.

Bernae.

Gratiam et pacem a Domino nostro Iesu Christo.

Causa quae nos ad scribendum impellit, fratres observandissimi, quia Christi est, vobis, ut speramus, satis erit commendata. Putavimus tamen officium nostrum postulare ut non sine literis permitteremus hunc fratrem [1]) nostrum Genevensis ecclesiae ministrum, ad vos pervenire. Nam sicut causa communis est totius ecclesiae, ita commune patrocinium flagitat. Quod incendium hic adventu suo excitarit *Hieronymus* ille qui Tononii habitat, vos nobiscum testari potestis, ad quos aliqua huius molestiae pars pervenit. [2]) Quantam operam dederimus pro nostra virili, ut his controversiis mature occurreretur, vobis quoque satis est perspectum. Quia tamen, ut tu inprimis nosti, D. *Hallere*, in superioris anni capitulis, [3]) quae vocant, placuit magnificentissimis principibus, ut silentio potius quam disputatione istud incendium sopiretur, nos huic mandato obsequuti sumus, et quantum in nobis fuit concordiam alere ac tueri studuimus. Ecce vero, dum nos multa dissimulamus, tantum abest ut nonnulli idem fecerint, ut contra in hac urbe non desit qui palam liberum arbitrium asserat, [4]) et nostram doctrinam libere reprehendat, alibi vero aperte in publica concione quidam non alio nomine quam sceleratissimae haereseos hanc doctrinam in maxima frequentia non minus inepte quam temere et impudenter insimulet: ipse vero *Hieronymus* et libros scribat et ostentet. Sed ut hoc factum excusent, propterea quod diaboli fraudibus factum est ut *Calvini* nomen multis sit invisum quibus carissimum esse oportuerat, eum unum delegerunt per cuius latus confodiant Dei veritatem. Itaque illum audent haereticum et Antichristum vocare, adeo ut vir optimus et eximius Dei servus non aliam in his locis infiniti laboris mercedem referat, quam istorum nebulonum maledicta, quibus tamen impune licet hoc praetextu totam doctrinam evangelicam evertere, quum nobis os sit occlusum. Nam si mutiverimus, dicemur turbas commovisse, vel privatas inimicitias, quas tamen nullas esse Deus novit, sub pietatis specie persequi. Atqui, quamvis libenter fateamur *Calvinum* propter excellentes Dei dotes, eosque omnes quos novimus sincera conscientia in vinea Domini excolenda laborare, a nobis summo studio diligi et observari, tamen si res ista eum privatim attingeret, neque nos hac de causa ad vos scripsissemus, neque ille hoc a nobis contendisset, cuius patientiam ii demum sciunt, qui quantas iniurias quotidie et ab externis papistis et a falsis fratribus ferat, penitus norunt. Sed quia, ut ante diximus, *Calvinum* isti nomine tantum, doctrinam autem, quam nos adhuc docuimus et nostro sanguine sancire parati sumus, revera conantur evertere, rogamus vos, fratres, et tanta contentione a vobis petimus quanta maxima fieri potest, detis operam pro vestra autoritate et prudentia, ut optimi principes, si non istos canes procul semel abigant, at certe eorum rabiem aliqua severitate compescant. Nos quidem, quantum in nobis erit, quiescemus, neque unquam maledicta maledictis pensabimus: sed veritatem Dei silentio nostro prodere, et ecclesiam quae eandem prorsus doctrinam atque nos profitetur sinere diutius ab istis opprimi, hoc vero neque, ut opinamur, optimi nostri principes unquam a nobis flagitabunt, neque vos certe, si id faceremus, factum nostrum approbaretis. Hoc igitur iterum a vobis petimus, optimi et colendissimi fratres, ut quia proximi illis estis quorum imperio, nisi haec omnia mature compescantur, fieri non potest quin gravissimis turbis ecclesiae nostrae exagitentur, quod sine summo moerore cernere non possemus, huius causae patrocinium suscipiatis, quatenus toti ecclesiae est communis. Nam hoc unum petimus ut vel veram Christi doctrinam nobis adversus istos asserere liceat, vel istorum petulantia coerceatur, ut nobis nihil necesse sit adversus eos contendere, vel certe isti nos haereticos non tantum clament sed etiam solidis testimoniis convincant, ut errore intellecto resipiscamus. Neque enim, ne nesciatis, de solo illo capite reprobationis agitur, sed religio ab ipsis fundamentis evertitur, sicut re ipsa cognoscetis, si semel infelix ille huius tragoediae autor a vobis audiatur. In summa sic habete: Non *Calvinum* (quod tamen certe indignum esset) sed nostras ecclesias *Calvini* nomine ab istis Satanae emissariis peti: eas igitur rogamus

---

2021. 1) *Io. Fabri (vide praeced. not. ult.). Sane Calvino autore factum est ut et Lausannenses suas in hac causa partes agerent.*

2) *Huc trahendi illi articuli quos iam m. Februario conscriptos supra N.* 1907 *exhibuimus. Et iam m. Iulio* 1553 *Bolsecus Bernae fuerat et alibi, sane suam curam ubique secum ferens* (*N.* 1758. 1764).

3) *Ruch.* V. 496 (7. *Aug.* 1553).

4) *quis hic?*

etiam atque etiam ut habeatis inprimis commendatas. D. Iesus nos omnes coniungat verae pacis vinculo, lupos exterminet, aut in oves convertat, ut omnes uno spiritu ipsius gloriae toti serviamus. Valete, optimi et colendissimi fratres. Lausannae 5. Octobr. 1554.

Vester Petrus Viretus
nomine ministrorum et professorum Lausannensium.

2022.

CALVINUS BULLINGERO.

Mittit ei quam modo absolvit Consensus Defensionem contra Westphalum, de qua iudicium Turicensibus permittit. Notat Bolseci calumnias et rogat ut Hallerus literis moneatur ne diutius talia aequo animo ferat.

(Exstat autographon in Cod. Genev. 107[a], fol. 75. Alia exemplaria, Ionvillaei ibid. fol. 76 et 77, recentiora in Cod. 111, fol. 260. Bernae Epp. VI. 352 et ap. Simlerum Vol. 76, scil. ad 21. Ian. 1552 relatum.)

Eximio Iesu Christi ministro Domino Henricho Bullingero ecclesiae Tigurinae fido pastori, fratri et symmystae carissimo et colendissimo.

In defensione Consensus nostri, quam mitto, si brevitatem meam mireris, rationem quam afferam non habeo, nisi quod causa toties et tam prolixe antehac tractata plus verborum exigere visa non est. Erat forte media aliqua ratio. Sed apud vos verba facturus, nescio quo pudore fui restrictior. Quanquam presse loquendo totam rei summam complexus mihi videor. Certe nihil quod utile dictu foret sciens omisi. Operam vero dare studui ut stylum in paucos homines indoctos stringendo neminem offenderem ex eorum numero quos retineri amicos utile est. Certe nisi aequos et humanos lectores nobis conciliem, nemo, ut spero, alienabitur. Rursus in illos acriter invectus sum ut in eorum persona oblique multos territarem. Unum metuo, ne me interdum plus aequo illis largitum esse iudices. Hoc tamen etiam consulto feci, ut si qui adhuc refragentur, magis odiosa sit eorum morositas, docti vero qui nobis assentiuntur, quos video minus cordatos esse quam deceat, magis favorabilem habeant praetextum. Quanquam haec vestro arbitrio committo. Quod si vobis probabitur meus labor, cum reliquis transagite,[1]) nisi forte aliquas mihi partes mandare visum fuerit. Ego tamen, donec mihi scripseris quid mihi agendum putes, quietus exspectabo.

Ecce autem dum communis causae patrocinium tuo mandato suscipio, nebulo ille *Hieronymus* in hoc ipso capite me haereticum esse passim clamitat.

Ex vicinis fratribus alii fovent, alii exacuunt virulentam bestiam, alii se palam adiungunt ac pro suggestu in me bacchantur, alii dissimulant. Si quando Bernam scribas, uno saltem verbo *Hallerum* admone, si hactenus aequo segnior fuit, ne diutius me tam indigne et crudeliter vexari sinat. Nunc unum e collegis[2]) nostris Bernam misimus qui nostram querimoniam deferret. De profectu pendemus dubii et anxii.

De reliquo statu nostro illustris vir D. Marchio *Vici* te certiorem reddet ac simul exponet qua de causa profectionem hanc susceperit. Vale, ornatissime vir et semper mihi observande frater. D. *Gualtherum*, *Pellicanum*, *Zuinglium*, et reliquos fratres, generos et filias meo nomine plurimum salutes. Symmystae quoque mei vos salutant. Dominus vobis semper adsit, vos spiritu suo gubernet ac benedictione augeat. Genevae pridie nonas Octobris 1554.

2023.

MINISTRI GENEVENSES BERNENSIBUS.

Unum ex suis Bernam mittunt ad Senatum, ut certis quibusdam calumniatoribus ex autoritate magistratus silentium imponatur rogaturum, et cupiunt eum ad dominos deduci ita ut ipsos huic causae patrocinari appareat.

(Habuimus ad manum authenticum exemplar quod asservatur in Bibl. civica Bernensi MSS. hist. helv. III. 34, fol. 248, tum apographon insertum Commentariis Ven. Ministerii Tom. B. fol. 20 v. — Simlerus habet Vol. 83.)

Eximiis et fidelibus Christi Ministris pastoribus Bernensis ecclesiae, fratribus plurimum colendis.

S. Frater hic et symmysta noster[1]) istuc mandato nostro profectus est, ut apud clarissimum

---

2022. 1) *Scil. edi debebat haec defensio communi nomine omnium qui Consensui subscripserant. Verum mox ab hoc proposito destiterunt.*
2) *Vide praecedentes.*
2023. 1) *Ioh. Fabri.*

Senatum vestrum non minus iuste quam necessario de effraeni quorundam petulantia queratur, qui subinde optimum fratrem nostrum *Calvinum* tanquam haereticum proscindunt: neque id in cauponis[2]) modo et inter pocula (quod ipsum tolerabile non esset), verum in mediis quoque templis et in publicis concionibus. Pridem ad hanc licentiam progressi quidem erant, ut pro suggestu, quoties ita ferebat libido, licet tacitis nominibus, non tamen obscure vel dissimulanter, nobis maledicerent. Diu tacuimus, quia spes erat ubi saturata esset eorum improbitas, quamvis ad sanam mentem non redirent, saltem vel pudore vel taedio quieturos. Nunc quum malum in dies gliscat, et nostro silentio magis exacerbetur eorum furor, non amplius ferendam esse duximus hanc pestem. Atque ut sciatis, nonnisi gravi necessitate coactos remedium quaerere, breviter referemus quae intra paucos dies acciderunt.

Quum nuper in classe Morgiensi conventum haberent fratres, quidam ex eorum coetu *Angelus*[3]) nomine coram toto populo, quia aliter quam ei placeret *Calvinus* locum ex quinto Epistolae ad Hebraeos capite exposuit, eum non modo pronunciavit haereticum. sed exagitavit multis atrocibus conviciis, ut per totam regionem volitet rumor, nos a ministris Bernensibus pro haereticis damnatos esse. Sequutum est paulo post non minus barbarum exemplum. Nam quum ad splendidas et lautas nuptias[4]) ex variis locis vocati essent hospites, ex quibus erat quidam senator urbis huius: *Zebedaeus* contra Dei providentiam blatterans, cuius arcano fraeno docemus, ut scitis, diabolum et impios huc et illuc flecti, ut iusta eius iudicia exsequantur, non solum odiose in nos invectus est, sed furiose clamavit nos papistis esse deteriores haereticos, et oblique senatum nostrum perstrinxit quod sua autoritate tam detestabilem, ut dicebat, errorem tegeret, nihilo maiori dignum favore quam missam. Tractabat locum illum, ubi diaboli a Christo petunt, ut sibi in porcorum gregem intrare permittat, neque expendebat phreneticus apud Lucam haberi: Mitte nos in gregem. En cur totam viciniam tumultu impleant.

Porro eorum audacia fretus nebulo ille *Hieronymus*, qui Tononii habitat, *Calvinum* et haereticum et antichristum vocitare non dubitat. Est in adversa ripa lacus, alter non dissimilis, *Sebastianus*[5]) nomine, qui non solum ore easdem crepat voces, sed literis etiam committit.

Nunc vobis reputare promptum est quam foeda et confusa perturbatio passim in hac regione grassetur, quanta papistis risus materia praebeatur, imo quantis ludibriis expositum sit sacrum Christi nomen. Certe infirmi prope omnes labascunt, cruciantur mirabiliter pii, insultant profani contemptores, et palam quidvis in doctrinam pietatis evomere intrepide audent. Utrinque vero iam bullire incipiunt contentiones. Nos quorum animi a violentis remediis abhorrent, nihil factu melius fore censuimus quam delata ad Senatum vestrum querimonia suppliciter petere ut fidem suam his malis corrigendis interponere ne gravetur. Caeterum quia haec vobis quoque communis est causa, initium a vobis facere visum est, ut nos in causa communi vestro patrocinio iuvetis. Quod sicuti aequissimum est, ita vos non modo sponte sed libenter quoque facturos confidimus. Nam si absurdum foret, vos aliunde admonitos, vel nobis tacentibus, sedandis talibus turbis operam non impendere, quid nunc a nobis rogatos et per fraternam quae nobis in Christo est coniunctionem observatos facere convenit? Quamquam non aliud a vobis petimus nisi ut aliquem unum ex vobis symmystae nostro ducem eligatis, a quo in curiam deductus facilem audientiam impetret, dum clarissimus senatus vester rem vobis intelligat cordi esse. Valete, optimi et venerandi fratres. Dominus vos spiritu suo regat et virtute sustineat usque in finem. Genevae pridie nonas Octobris 1554.

Fratres et symmystae vestri Genevensis ecclesiae pastores[6])

Ioannes Calvinus.
Abelus Poupinus.
Franciscus Bourgoinus.
Raimondus Calvetus.
Michael Copus.
a Sancto Andrea.
Io. Faber.

2024.

VIRETUS FARELLO.

Nonnulla habet de itinere nuper Genevam suscepto, de causa Bezae contra typographum quendam, de consilio ad Regem scribendi etc.

2) emporiis *S.*
3) *Lange.*
4) *N.* 2020, *not.* 6.
5) *Cave de Castellione cogites, quum de quodam Tononii aut in vicinia degente agatur. Potius Fonseletum notari credimus. Cf. subscriptionem N.* 1982.

6) *Subscriptiones singulae manu propria.*

(Ex autographo Bibl. pastorum Neocomensium. Epp. Vireti fasc. VIII. N. 14.)

Eximio Christi servo Guilielmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fidelissimo fratri et symmystae venerando.

Neocomi.

S. Si arbitratus fuissem me tam repente post tuum a me discessum Genevam profecturum,[1]) te hortatus fuissem ut eandem mecum viam arriperes. Non enim statueram eo ante vindemias proficisci. Sed quum inde *Beza* rediisset ac ex eo intelligerem me a *Calvino* et multis aliis bonis viris exspectari, mutavi consilium. Reliqui ecclesiam illam in eo paene statu in quo abs te nuper visa est. Egi causam quandam in senatu adversus *Gueroldum*[2]) Bezamastigem et famosam illius epistolam quam cum psalmis aliquot clam excudit. Nondum intellexi quid confectum sit. Contuli cum *Calvino* de consilio illius qui cogitaverat ad regem scribere.[3]) Sentit *Calvinus* mecum et cum *Beza*, iudicatque consilium nimis plenum periculo, cuius nulla appareat spes profectus, sed magnos potius motus promittere videatur. De *Arcuario* si coram quod sentio dicere non conceditur, scribam non meam modo sed et *Calvini* sententiam, qui factum valde improbat. Differam autem aliquamdiu consulto, quia si mihi Bernam redeundum sit commodius per vos transeundo haec causa peragetur.

Fuit non ita pridem hic *Arcuarius*, sed ne ullius corruptelae me apud vos suspectum redderet nec salutavit nec invisit. Salutabis fratres omnes. — — — — Vale.

Lausannae 6. Octobr. 1554.

Tuus Petrus Viretus.

2025.

BURGHARDUS CALVINO.

Gratias agit de constanti qua ipsum prosequitur amicitia, eandem se invicem ei usque servare testatur. Exemplaria Commentarii in Genesin Principibus tradita sunt, ab his vero cum theologis communicata, qui in iis quaedam contra Lutherum dicta notarunt. Ipse omnibus votis maius concordiae studium inter eos tandem aliquando praevalere exoptat, qui alioqui fere in omnibus consentiunt.

(Ex Cod. Genev. 112, fol. 8, cum subscr. autogr.)

Clarissimo ac doctissimo viro Domino Ioanni Calvino Genevae evangelium Christi docenti, amico suo observandissimo.

S. D. Vir clarissime ac doctissime. Non falleris quod tuis amantissimis ad me datis literis[1]) significas, te signa quaedam amoris erga te mei, notasque animadvertisse, ab eo tempore quo primum in mei notitiam perveneris. Nam vere adfirmare possum, me propter excellentem tuam doctrinam, pietatem et sinceritatem, ex animo te complexum esse, ex quo tecum in conventu Wormatiensi annis abhinc paene quindecim, amicitiam contraxi, ac illud meum erga te studium, amorem et benevolentiam in hunc usque diem me conservasse. Nec quidquam vel tempora, vel controversiarum disceptationem immutasse tibi persuadeas, licet ipse in quodam praecipuo articulo cum ecclesiis nostris a te dissentiam. Eaque de causa saepius inter te et nostros sinceram et piam concordiam optavi, quae quantum boni allatura esset, nihil attinet nunc recensere, quum ipse pro tua prudentia ac pietate haec omnia haud dubie rectius intelligas ac perpendas. Ac te ad hanc plurimum inclinare ex tabellario tuo cum summa voluptate accepi. Quam quidem concordiam ut Deus aeternus, pater Domini nostri Iesu Christi, aliquando largiatur ex animo opto et precor. Porro autem quod in tuis literis tam amanter de me sentis, tibi et ago et habeo gratias maximas, ac vicissim mea officia tibi nunquam defutura esse polliceor ac recipio.

Quod vero ad Commentarios tuos in Genesim scriptos adtinet, tria compacta exemplaria, quae bibliopola tuus mihi reddidit, illustrissimis principibus meis, ut petiisti, obtuli, quartum vero exemplar non compactum ego retinui, quod tamen nondum legi. Nam statim compingendum tradidi. Et principes quidem suis quibusdam theologis interim dum librarius vester in nondinis* Lipsiensibus hinc abfuit, legendos eos commentarios praebuerunt. Qui aiunt te tuam opinionem diversam a sententia ecclesiarum nostrarum de coena Domini alicubi adspersisse, et summi viri *Lutheri*, piae memoriae, versionem et interpretationem in eosdem Mosis libros editam variis in locis odiose perstringere et insectari.[2]) Quod quidem, si ita est, multis de

---

2024. 1) *De hoc itinere Reg. du Conseil 27. Sept. 4. Oct. et Ep. Bezae ad Senatum Genev. d. d. 19. Oct. ap. Baum.* I. 438.

2) *Alias Guyrod, Guéroult, nisi fallimur, typographus, qui etiam in causa Servetana in suspicionem venerat, ut et Sim. du Bosc qui et ipse in hoc negotio Psalmorum implicitus erat.* (*Opp.* VIII. 752 *sq. Reg. du Conseil* 22. *Nov.* 18. *Dec.*)

3) *an pro captivo quodam, aut omnino pro evangelicis?*

2025. 1) *deperditis. De ipso Burghardo vide ad N.* 1991.

2) *Odiose quidem Noster Lutherum nusquam perstrinxit, verum isti ne in minimis quidem ut aliquis Megalandro suo contradiceret ferre poterant.*

causis a te praetermissum esse optarim. Nam quantus ille vir fuerit, per quem primum Deus orbi christiano puram religionis doctrinam restituere voluerit, nemini est obscurum. Et licet in uno illo articulo *τῆς εὐχαριστίας* hactenus dissenseritis, tamen in reliquis omnibus inter vos consensum maximum fuisse mihi persuasi. Eaque de causa miratus sum, te talia commentariis tuis inseruisse eosque ill. Principibus meis quorum et totius nostrae ecclesiae de *Lutheri* scriptis non est obscurum iudicium, dedicandos censuisse: unde facile coniicere poteris, qualem gratiam hac tua dedicatione inieris.

Ego profecto consultius esse putarem talibus sugillationibus non exacerbare animos, aut refricare vulnera quae nonnihil cicatricem obduxisse viderentur. Imo in hoc potius vobis, et tibi praesertim, cuius excellens eruditio, pietas, modestia et alia praeclara dona multis constant, laborandum existimaverim, ut aliquando vera et sincera concordia inter illos qui renovatam evangelii doctrinam amplexi sunt ac docent, coalescat, ut ita communibus viribus iis qui veritatem oppugnant et iterum obscuratam aut oppressam cupiunt obviam ire possitis. Ad quam rem utinam plerique ecclesiarum et rerumpublicarum gubernatores tam essent propensi, quam videntur in contrarium laborare: non dubito quin quietiorem statum ecclesiae et reipublicae habituri essemus.

Verum haec omitto, et oro Deum ut aliquando ecclesiam suam respiciat, et veram concordiam concedat. Teque, doctissime D. *Calvine*, rogo ut hoc meum responsum in optimam partem accipias, et me amanter excusatum habeas quod opera dedicationis tuorum Commentariorum non eam gratiam retuleris (consequutus sis)[3]) quam fortassis exspectaveris et merebaris. Nihil autem dubito, quin si Dominus aliquando nostra vota ac preces respiciet, et sanam concordiam largietur, tuus quoque labor apud nostros dignam gratitudinem et praemium consequuturus sit. Interim me tibi amanter commendatum esse cupio. Cui vicissim mea officia perpetuo constabunt. Bene ac feliciter vale, et ut virum optimum ac doctissimum Ioannem *Sturmium*, meum aliquando in honestissima legatione collegam,[4]) meo nomine amanter salutes etiam atque etiam rogo. Iterum vale. Datae in praedio meo superioris Vinariae die 7 mensis Octobris. Anno Domini 1554.

Tuus ex animo
Franciscus Burg.

3) *sic.*
4) *Mense Novembri* 1546 *a principibus protestantibus ad Franciscum Regem missum.* (*Schmidt Sturm. p.* 68.)

2026.

TOSSANUS CALVINO.

Epistola apologetica, quam scripsit ut quibusdam rumoribus occurreret quasi Mombelgardenses Serveti essent discipuli. E contrario fuerunt quidam qui Calvini nomen prae se ferentes administrationem sacramentorum mutare conarentur.

(Ex autographo Cod. Genev. 110, fol. 160.)

Vigilantissimo ecclesiae Genevensis pastori D. Ioanni Calvino domino suo et fratri observando.
Genevae.

S. Non puto necessarium esse, colendissime *Calvine*, ut multis excusem, quod medius, puto, annus sit ex quo nihil ad te literarum dederim, quum id antea saepe sit a me factum, nec soleam propter tuas occupationes multas te sine necessitate obtundere. Quod autem nunc ad te scribam in causa est, quod audiam quaedam istic sparsa quae me nonnihil offenderunt. Ad quae solum, quantum ad me attinet, respondeo, me hic, quantumvis alioqui miserum et abiectum peccatorem, gratia et benignitate Dei ab annis plus quam viginti sic meo functum munere ut nullam impiam doctrinam vel docuerim vel defenderim. Est quidem facile, hoc praesertim tempore in tanta hominum licentia et perversitate, quidvis comminisci in proximos et spargere nos esse *Serveti* discipulos,[1]) reiicere disciplinam ecclesiasticam, contemnere literas et alia id genus: sed quae satis (gratia Christo) et nostra doctrina et labores, et pii non pauci, et angeli coelorum et Deus ipse testabuntur in die Christi a veritate esse aliena, ut huiusmodi calumnias magnopere curare non debeamus. Et quamquam ego natura ad lenitatem propendeam et maluissem, ut vere dicam, non solum propter conscientiam, sed etiam propter adversarios, *Servetum* ad resipiscentiam diutius servatum, nullus tamen est, non dico peregrinus, sed nec frater quidem symmysta mihi tam ex animo carus, qui vere possit dicere me eam ob rem aut aliam quamcunque tibi unquam aut ulli ex tuis esse obloquutum. Sed scis difficile esse omnium ora obstruere: tamen si quos hic scivi hoc nomine offensos, placavi et compescui quantum potui. Nec fuerat hic inter nos (ut sparsum quoque esse audio) ob *Servetum* aut eius doctrinam ortum dissidium, sed solum quod

2026. 1) *Tales revera in illis terris fuisse patet ex Defensione Petri Alexandri ad Principem Georgium d. d. Cal. Mart.* 1555. *Inter quos notatur aliquis Iac. Getheus. Sed magis Bellii quam ipsius Serveti asseclae dicendi sunt, si quid videmus.*

nonnulli ex nobis in administrandis sacramentis quaedam sine caeterorum consensu novaverant, quae nec Princeps nec superintendentes, nec caeteri fratres ad huius ecclesiae aedificationem facere iudicabant.[2]) Et quanquam illi serio affirmarent, se nihil in ea sine tuo et *Farelli* consilio egisse, tamen Princeps et sui nunquam adduci potuerunt ut crederent tantos Christi servos a ratione et iudicio sic esse alienos, ut altera parte non audita alteram in sententia confirmarent, nedum reae subscriberent: quemadmodum etiam se ea de re per literas ad me scriptas purgavit pius noster *Farellus.* Breviter, mi colendissime frater, quum scias et videas, mundum hunc totum, si unquam alias, sycophantis et delatoribus plenum, atque ex credulitate malas suspiciones, dissidia et alia innumera mala oriri in ecclesiis, obsecro te per D. Iesum ne ullis de nobis delationibus facile pateant aures tuae, sed sufferentes et amantes mutuo, diem Domini exspectantes nos mutuis precibus adiuvemus: quod me tibi pro mea parvitate praestiturum polliceor. Optime vale cum collegis tuis omnibus, quos mihi reverenter in Domino salutabis. Mombelgardiae 9. Octobris 1554.

Tuus ex animo
P. Tossanus.

Beraldus noster te salutat, cui Gymnasium exstruitur.

2027.

CALVINUS FARELLO.

(Edidit Beza Gen. p. 91, Laus. p. 693, Hanov. p. 779, Chouet p. 122, Amst. p. 55.)

Binas abs te literas[1]) paucis abhinc diebus accepi. Priores attulit hic noster *Raymondus,* alterae mihi a fratre meo sunt redditae. Verum iam ante *Raymondi* adventum abierat *Viretus.*[2]) Ad eum igitur utrasque misi ut ipse quoque ad eas quod visum fuerit, respondeat. Fratres, sicut dicis, commendemus Domino, quando aliud restat nihil.[3]) Caeterum hoc tempore de impetranda fratribus illinc aliqua levatione frustra cogitaremus: nisi forte novi quidpiam acciderit: quod nondum despero: itaque imminere occasioni statui. Sed adduci nequeo, ut satagam ante tempus. Ecce etiam de eo qui Gratianopoli[4]) tenebatur, tristem nuntium a fratre tuo *Claudio* audies: cuius literas ad te mitto. Quod me tantopere hortaris, ut istuc cum *Vireto* quam primum veniam: ego vero tibi non concedam, hoc tibi magis esse in votis quam mihi. Sed una est suscipiendae profectionis ratio, si *Viretum* Bernam usque comiter: quod facere tentabo. Sin vero haec spes me et illum frustrabitur: dimidium saltem eius quod optas assequeris. Imo plus dimidio. Nam me aliqua ex parte secum feret. Consilium interea fratribus non possum aliud dare, nisi ut collegam tuum[5]) coram magistratu admoneant, ut se patiatur in ordinem redigi. Quod si pervicaciter recusare institerit, denuntient sibi non esse loco fratris, qui communem disciplinam contumacia sua perturbet: semper hoc in ecclesia valuit, quod veteribus synodis fuit decretum, ut qui subiici communis disciplinae legibus noluerit, munere abdicetur. Neque hic quaerenda est hominum autoritas: quum spiritus sanctus de talibus pronunciaverit, ecclesiam non habere morem contendendi. Valere ergo ipsum iubeant, qui communis societatis iura respuit. Non puto eo usque Satanam istic aut alibi usquam valiturum, ut tantae unius hominis proterviae indulgeatur contempto fratrum omnium iudicio: quod importunitate sua vobis ipse tandem extorserit. Caeterum eventum gubernabit Deus. Utcunque cadat, vestrarum tamen partium omnino est, graviter hanc minime tolerabilem insolentiam severis remediis cohibere. Proderit tamen simul commemorare, quam improbe hactenus patientia lenitateque vestra abusus fuerit: ne ad contentionem subito prosiliisse videamini. Vale, frater integerrime et amice optime. Fratres omnes cum tua familia peramanter salutabis nomine meo. Dominus vos omnes conservet.[6])

---

2) *En tibi initium tristis illius inter Tossanum et Farellum et suos dissidii.*

2027. 1) *deperditas.*

2) *Cf. N.* 1924. *Die 27. Sept. verba fecerat in senatu.*

3) *Agit de Gallis. Combustus est postridie Idus Oct. in oppido Gray, Nic. Duchesne oriundus e Beaumont Campaniae gallicae, qui Lausannae degens sororem accersere voluerat: Nemausi Petrus de la Vau, Lutetiae Paulus Musnier Aurelianensis qui ex Anglia profugus Helvetiam petebat: paulo post m. Ianuario ibidem Io. Filleul et Iulianus Léveillé (Hist. d. Martyrs).*

4) *Fortasse est Rotomagensis Ric. Le Fevre qui Gratianopoli captus iam Non. Iul. Lugduni periit. De alio hoc anno martyre Gratianopolitano historia tacet.*

5) *Arcuarium, nisi fallimur, de quo Viretus N.* 2024.

6) *Hanc primis Octobris diebus huius anni tribuendam esse putamus, ex ep. Vireti argumento sumpto, quanquam non omnino certo. Ibi enim de consilio Calvini Bernam proficiscendi nihil.*

2028.

CALVIN A PAUL ALCIATI.[1])

Conseil sur l'administration du baptême.

(Copie Bibl. de Genève Vol. 145, fol. 115, avec la suscription: *A Messire Iehan Paule.* Lettres fr. I. 445. Cette lettre est indubitablement la même que celle que Bèze a insérée dans sa collection Ed. Gen. p. 321, Laus. p. 304, Han. p. 340. Chouet p. 440, Amst. p. 201 et qu'il dit avoir traduite du français. Trad. angl. III. 86.)

Sur le conseil que nous a demande nostre bien ayme frere messire *Iehan Paule*, nous avons pense que le meilleur estoit luy donner response par escrit, affin que ceux ausquelz le cas apartient en soient mieux certifiez.

Sil y a homme vivant soubz la tyrannie du pape, lequel sabstenant des idolatries et pollutions qui y regnent, desire aussi doffrir ses enfans purement a Dieu, et les faire baptiser selon la droicte reigle de lEvangile, cest ung zele sainct et louable. Car de faict cest une grande paovrete, quant ung tel thresor comme sont les enfans est donne de Dieu, si tost quon la receu, de le souiller aux superstitions que les hommes ont mesle au sainct bapteme. Mais devant toutes choses on doibt observer, puis que ce sacrement est une reception solennelle en lEglise de Dieu, ou bien ung tesmoignage de la bourgeoisie celeste en laquelle sont enrollez ceux que Dieu adopte pour ses enfans, quil nest licite de ladministrer sinon en compaignie de gens fideles. Non pas quil soit besoing davoir un temple publique, mais si fault il quil y ait quelque trouppeau assemble qui face corps dEglise, et que celuy qui baptise soit recongneu comme pasteur. Car si on baptisoit ung enfant en cachette sans tesmoings cela ne respondroit nullement a lordre institue par Iesus Christ, ny a la pratique des apostres. Il est doncques requis que lenfant soit baptise en compagnie qui continue a se separer des pollutions de la papaulte.

Quant ceux dont on nous a parle auront tel moien, et quilz seront disposez a sassembler au nom de Dieu, encores que ce ne soit pas en grand troupe, mais en petit nombre, nous prions Dieu quil les fortifie en ce bon zele quil leur a donne, de se desdier avec leur lignee a Dieu nostre pere, et a nostre redempteur Iesus Christ. Et quant nous aurons congneu quainsi est, nous mettrons peine, comme nostre debvoir est, de leur fournir ung homme propre et idoine a faire cest office. Le 11 doctobre 1554.[2])

Iehan Calvin,
au nom de tous ses freres.

2028. 1) Gianpaolo Alciati, de la famille de l'illustre jurisconsulte de ce nom, natif de Savigliano, seigneur de la Motte en Piémont, ancien militaire, réfugié à Genève pour la religion, reçu bourgeois en 1555. (*Galiffe, not. gén.* IV. 202.) *Il se déclara plus tard contre le dogme de la Trinité* 1557 (*Trechsel* II. 310) *et doit être mort à Danzig* (*Sandii bibl. antitr. p.* 27).

2) *La traduction latine de Bèze porte la date du* 1r *Octobre.*

2029.

CHECUS CALVINO.

Cum popularibus quibusdam Patavii haeret, tranquillus quidem sed et a publica religionis professione impeditus et ad otium sine bonis libris condemnatus.

(Ex apographo Bib. Paris. Coll. Dupuy Vol. 102, fol. 89.)

Doctissimo viro Domino Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis pastori amico suo in Domino carissimo. Genevae.

Magnum sane me studium civitatis et religionis vestrae tenet, qui in tam perdita et profligata republica[1]) versor, ut dicam ex magnitudine vitiorum vitia exhorrescere, et rarum aut nullum pietatis, honestatis aut humanitatis exemplum discam. Multi scio sunt privatim boni, sed quanti est in media et frequenti bonorum concione laudare Dominum! Hic etiam si honesti sunt, tamen hoc quod sunt profiteri non possunt: qui autem vel libidini sese aut alicui intemperantiae dederunt, non modo domi se eo gloriantur, sed etiam in vulgus sese venditant. Sed quum mihi necesse sit rerum mearum exitum[2]) aliquem videre, in quo conficiendo tardos amicos, acres inimicos habeam, hic mihi sedem cum reliquis Anglis permultis ad tempus statui: ubi inter tot mala, quae bonorum amicos vexant et sollicitant, ea libertas quae malis exitio est, nobis saluti exsistit. Dum enim fere quodlibet licet, quibus moderatus est animus et cum timore Dei coniunctus, hi ad nullum perniciosum cultum coguntur, sed quamvis bonarum rerum solatio destituantur, malarum tamen religionum venerationem refugere possunt. Hoc unum me male habet, quod boni

2029. 1) *Patavium ad Venetorum ditionem pertinebat. Cf. eius ep. N.* 1975 *et Strypii Vit. Checi p.* 96.

2) *Bona eius propter absentiam fisco adiudicata fuerant.*

aliqui et sancti libri hic non inveniantur, e quibus esse mihi quosdam vellem, quibus hanc hyemem consumerem. Quod si scirem qua ratione pecuniam solvere possem, aut apud quem Venetiis relinquere, etiam atque etiam abs te contenderem ut Biblia parva *Stephani*[3]) cum annotationibus, et si quid aliud in prophetas sit in quibus ego lubentissime versor, mihi huc mittenda cures. Sed ne id quidem fieri vellem ullis rationibus, nisi mihi simul etiam significes apud quem pecuniam Venetiis relinquam, quum certo sciam istic mercatores esse quosdam quibus aeque erit si tradatur pecunia ac si tibi praesentem persolvissem. Spero una cum saevitia hyemis, quorundam etiam immanitatem terminandam, et ineunte anno me aliquod rebus meis melius consilium capturum. Interim et res meas huc apportandas curo quas apud vos reliqui, et rerum meliorum exspectatione omnes fortunae tempestates quae nobilissimam insulam exagitant minus graviter fero. Dominus det suis aliquam miseriarum levationem et iactatam ecclesiam ad aliquam veram tranquillitatem reducat, et te ecclesiis, ecclesias sibi conservet. Optime in Christo valeas. Patavii 12. Octobris 1554.

Tui ex animo studiosissimus
Ioan. Checus.

Saluta precor D. *Marchionem*, D. *Normandie*, Rob. *Stephanum*, D. *Budeum*, fratrem ac sororem tuam.

2030.

HALLERUS BULLINGERO.

Nunciat adventum Fabri nomine Genevensium ministrorum de Zebedaeo et sociis querentis et novas inde nasciturus turbas praesagit.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 154, olim Scrin. B. Epp. Tom 32, fol. 203. - Simler. Vol. 83.)

Clarissimo viro D. Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae fidelissimo pastori domino et compatri suo pie colendo.

Zürich.

— — - — — — — — — — — — — —
— - Paucissimi senatorum sunt in urbe propter vindemiam. Genevenses huc miserunt unum ex ministris qui conquereretur apud senatum quod *Calvini* nomen, tanquam haereticum, a quibusdam ditionis nostrae ministris traducatur, et hoc ipsis esse intolerabile. Sed remissum est hoc negotium usque ad diem Martini, tum accusatores simul et rei aderunt. Ego valde metuo graves turbas. Sed invocato Domini nomine dabimus operam, ut quam commode fieri possit sopiantur. Tu si quid habes consilii, suggerito interea.

Bernae 13. octob. 1554.

Ioan. Hallerus totus tuus.

2031.

MELANCHTHON CALVINO.

Legit librum contra Servetum et approbat. Probat quoque senatus iudicium. Quod vero Calvinus eum rogat ut de controversia sacramentaria publice verba faciat, hoc iam deprecatur, satis superque sibi ipsi alioquin negotia facessi dicens.

(Manu scriptam non vidimus. Habet Beza Gen. p. 148, Laus. p. 306, Han. p. 341, Chouet p. 199, Amst. p. 92 et inde Corp. Ref. VIII. 362. Fragmentum epistolae affert Sturmius in Antipappo p. 133.)

Reverende vir et carissime frater, legi scriptum tuum, in quo refutasti luculenter horrendas *Serveti* blasphemias: ac filio Dei gratias ago, qui fuit βραβευτής huius tui agonis. Tibi quoque ecclesia et nunc et ad posteros gratitudinem debet et debebit. Tuo iudicio prorsus assentior. Affirmo etiam vestros magistratus iuste fecisse, quod hominem blasphemum re ordine iudicata interfecerunt. Quod vero in proximis literis[1]) me hortaris, ut reprimam ineruditos clamores illorum,[2]) qui renovant certamen περὶ ἀρτολατρείας,[3]) scito quosdam praecipue odio mei eam disputationem movere, ut habeant plausibilem causam ad me opprimendum. Cum doctis et bonis viris multa colloquutus sum de multis disputationibus, quas haec una controversia com-

3) *Plura hic ediderat biblia in minore forma, inter alia editione satis celebrata a.* 1545 *ubi Vulgatae novam Turicensium versionem adiunxit.*

2031. 1) *N.* 2000. *Cf. Schmidt, Mel. p.* 581 *sq. Planck, Lehrbg. V.* 2 *p.* 438 *sq. Etiam alii, inter quos Ulr. Mordeisen Electoris consiliarius ei silentium exprobrabant. Sed luctas lassus fugiebat.*

2) *Non Wigandi, quem Bretschneiderus hic notari putat, sed Westphali.*

3) *Hoc vocabulum, quod etiam Nostro arrisit, satis intimam viri mentem declarat.*

plectitur, de divinarum personarum proprietatibus, de patefactione Dei *διὰ λόγου καὶ πνεύματος* in vera conversione seu consolatione. De his tantis rebus maxime tecum loqui cuperem, quem scio amantem esse veritatis, et non habere animum occupatum odiis, aut aliis stultis affectibus. Sic ait Nazianzenus *Ἐκ φωτὸς τοῦ πατρὸς φῶς καταλαμβάνομεν τὸν υἱὸν ἐν φωτὶ τῷ πνεύματι ἁγίῳ.* Etsi pauca sunt eius scriptoris dicta de illa agnitione Dei quae lucet in vera consolatione, tamen hoc dicto delectatus sum: quod inserui huic epistolae, quia tibi quoque gratam fore eius mentionem arbitrabar. Haec nihil *πρὸς τὴν ἀρτολατρείαν.* Non despero nos colloquuturos esse, antequam ex hoc mortali carcere mens discedat. Etsi enim propter senectam a meta huius curriculi non procul absum, tamen quotidie nova exsilia exspecto. Oro autem filium Dei dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis et resuscitatum, custodem ecclesiae suae, ut te et nos omnes gubernet. Bene vale carissime frater. Die 14. Octobris 1554.

2032.

CALVINUS TOSSANO. [1]

Respondet ad nuperam eius excusationem qua se a suspicione Serveticae haereseos vindicabat. Talem quidem sibi nequaquam in mentem venisse Calvinus affirmat. Sunt tamen de quibus queri posset, etiam quoad fidei puritatem et in aliter sentientes lenitatem.

(Calvini Epp. ed. Genev. p. 138, Laus. p. 307, Hanov. p. 343, Chouet p. 186, Amst. p. 85.)

Ego vero, mi frater, non adeo sum morosus, quin amicis facile ignoscam, etiamsi nihil ad me toto anno scribant. Nam quia in hoc officii genere minus sum sedulus, vel saltem dum me alieni occupant, summis amicis interdum quod debetur non persolvo: libenter de mutua silentii venia cum ipsis paciscor. Ergo nisi alia suspicio animum meum pupugisset, nullas abs te literas mihi venire nunquam aegre tulissem. Caeterum multa fuerunt, quibus me offensum fuisse non dissimulo. De vestris dissidiis nemo fratrum tuorum privatim ad me scripsit. Per alios delatae sunt querimoniae. Ego non me ultra interposui, quam ut per eosdem nuncios suaderem quae pacis et concordiae erant. Certe eius generis fuerunt mea consilia, ut non minus habita fuerit a me amicitiae nostrae ratio, quam fides Christo et ecclesiae praestita. Quare non est cur me eorum pudeat, vel tu mecum expostules. Inquire obsecro, reperies nihil a me profectum, quod non tibi summopere placere debuerit. Atque utinam magis familiaris tuis symmystis fuisses. Res, ut opinor, momento transacta foret. Interea tuas ad *Farellum* literas [2]) legi, ex quibus olfeci animum tuum vel in me esse exulceratum, vel obliquis suspicionibus infectum. Excandescentiae vero et stomachi in eos, quibus, ut nunc scribis, suffragari me putabas, plenae erant. Cur, si amicitiam nostram laesam putabas, non statim conquestus es? Verum haec apud me occulta continui: ac ne minimae quidem offensionis signum dedi. Tantum dolebat, quod te a fraterna communicatione subduceres. De tolerandis haereticis quaenam esset tua sententia, ex quibusdam scivi. Tu quidem sic in umbra iudicas. At si tibi serio hic fuisset certandum, forte consilium mutasses. Sciunt tamen amici, quam placide et comiter tunc excusaverim, quod nobis parum esses propitius. Quamvis a nobis hodie dissentiat N. [3]) quia tamen et sincerus est Christi minister, et pietatis affectu regitur, deinde homo est probus et moderatus, nobis amicus esse non desinet. Ego illi propterea molestus non ero. Nunc tamen lecta nostra excusatione, si quidem eam in manus sumere dignatus es, te non fuisse mitigatum, nonnihil miror. *Serveti* vero te esse discipulum, quis unquam somniavit? Quidvis potius mihi esset credibile, quam eo vesaniae te esse abreptum. Nec vero arbitror, famam tuam verbulo attactam fuisse. Quod autem diaconum tuum [4]) passus fueris non tantum mihi et sanae doctrinae obloqui, sed in asserendis *Serveti* deliriis palam bacchari, quis non vitio tibi verteret? Iam ut ingenue omnia fatear, de aeterna Dei praedestinatione te non recte sentire, mihi dictum est. [5]) Ego etsi verebar ne quid esset, semper tamen minus esse credidi, quam audire cum acerbissima molestia cogebar. Porro, quum multis modis iniuriam mihi fieri putarem, non tamen sum tumultuatus: sed illas indignitates tacito moerore devorare malui, quam vel amicitiae nostrae veteris, vel coniunctionis fraternae vinculum scindere. Atque nunc te rogo, ut mihi saltem tacere liceat, dum

---

2032. 1) *Beza nomen suppressit. Henry* III. 354 *ad ministrum quendam Argentoratensem scriptam perhibet, nescio quid somnians. Nos incunctanter Tossano dicamus, collata huius ep. N.* 1926. *Plurima quadrant, et si quae hic attinguntur de quibus ille nihil dixerat, memineris Calvino quae Mombelgardiae gerebantur ex aliis fontibus optime nota esse potuisse. Singula inter se conferre iam tibi permittimus de iudicio tuo securi.*

2) *non exstant.*

3) *Quem innuat tu videas. Fortasse Sulzerum.*

4) *Etiam hic haeremus: sed de Gethaeo cogitamus.*

5) *Et quidem non absque causa. Imo postea magis patuit.* (*Henry. l. l.* 356.)

indigne non minus quam hostiliter vexor. Si decima tantum ex parte scias, quam atrocibus probris lacerer, pro tua humanitate ingemiscas miseriis, ad quas obdurui. Undique me canes allatrant. Haereticus passim vocitor. Quidquid fingi calumniarum potest in me congeritur. Denique me invidi et malevoli ex grege nostro infestius oppugnant, quam aperti hostes ex papatu. Non tamen ita sum meritus vel de ecclesia Dei, vel de ipsis, ut tam iniquam mercedem rependere debeant. Auctarium ut istinc accederet, non timui. De diacono tuo loquor, quem tua conniventia minime ali oportuit, quum non minus impie contra puram religionem insurgeret, quam improbe homini innoxio maledicebat. Et tamen non aliud postulo, nisi ut mihi permittas eius contumelias leniter ferre. Quanta fide et integritate Christo servieris, quam cordate functus sis tuo officio, quam constanter et labores et certamina quibus te exercuit Dominus, sustinueris, ego tibi testis sum: ac te in posterum perpetuo tui similem fore confido. Itaque nihil magis cupio, quam salvam inter nos benevolentiam manere, quo alacrius et sinceriore studio nos ultro citroque iuvare pergamus. Vale, eximie vir et colende frater. Dominus tibi semper adsit, te gubernet, ac tuos labores benedicat. Collegae mei te plurimum salutant. Genevae, 15. Octob. 1554.

Ioannes Calvinus tuus.

2033.

SIDEMANNUS [1]) CALVINO.

Calvinum quanquam ignotus homo alloquitur occasione oblata, et optat ut eius autoritate in ecclesiis misere turbatis concordia aliqua instauretur, ubi minimus quisque se Lutherum existimat.

(Ex Cod. Genev. 113, fol. 87, autogr.)

Reverendo et clarissimo viro D. Ioanni Calvino docenti evangelium de filio Dei Genevae, domino suo observando.

S. D. Qui has tibi reddit occasionem scribendi mihi ad te dedit. Percontanti enim diligenter de te tuisque rebus adeo satisfecit, ut inflammaverit etiam me ut ignotus ad ignotum literas dare auderem, etsi tu quidem mihi notissimus es tuis eruditissimis pulcherrimisque voluminibus quae quotidie ad ecclesiae amplificationem dignitatemque nobis emittis, quaeque ego maximi facio et ab omnibus sacrorum cultoribus accusatissime evolvenda esse censeo. Sed incredibilis foedaque iam multorum *φιλαυτία καὶ αὐθαδεία* est quae in his regionibus ecclesias vehementissime concutit, ut ex ipso grammatophoro non sine dolore cognosces. Optarim autem aliquid abs te scribi de concordia ad nostrates theologos. Nam forsan tua autoritate magis quam cuiusvis alterius moverentur. Miserum *Philippum,* [2]) quem tu non minus atque ego complecteris, modo non pedibus obterunt. Ah quid scribam, reverendissime vir? Si hic esses nihil moestius, squalidius et lacrymabilius cerneres quam ecclesias in istis regionibus: omnes propemodum spiritum *καὶ παῤῥησίαν Lutheri* somniant, quum nihilo magis ad eum conferendi esse videantur quam reliquae umbrae apud inferos ad Tiresiam vatem de quo noster Homerus: *ὅτι οἶος πέπνυται τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσι* [*ὅτι οἶος πέπνυται τῶν ἐν ᾅδου, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσι*]. Si *Iacobus* exspectare voluisset plura effunderem. Bene vale, vir incomparabilis decusque ecclesiae, ac *Sidemannum* in tuis amicis scribe. Erphurdiae 24 VIII b. 1554.

Martinus Sidemanus.

Ostendi *Iacobo* Carpathium veterem theologum graece manu scriptum item Thalassium [3]) quem tamen excusum alicubi esse suspicor.

2033. 1) *Martinus Seidemann professor nunc Erfordiensis postea Wittembergam vocatus obiit* 1558.

2) *Habes Philippistam.*

3) *Ioannes episcopus insulae Carpathi saec. VIII. ineunte scripsit Documenta spiritualia et Opus consolationum ad monachos Indiae quod latine ed. Is. Pontanus Ingolst.* 1604. 4. *Thalassius abbas monasterii Libyci Saec.* VII. *medio scripsit Hecatontades* IV. *de caritate continentia et mentis regimine, quae gr. et lat. leguntur in Ducaei et Morellii Bibliothecis* 1624 *et* 1644 *fol.*

2034.

DE DEFENSIONIS LIBELLO D. IOANNIS CALVINI ET TIGURINAE ECCLESIAE IUDICIA.

(Ex autographo Bullingeri in Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 105, al. Epp. T. I. fol. 612. — Simler. Vol. 83.)

Ad Ioannem Calvinum.

S. D. Legimus diligens illud scriptum tuum, *Calvine* domine honorabilis et frater in Christo ca-

rissime, pro consensione nostra contra Ioachimum *Westphalum*. Laudamus et probamus fidem et diligentiam tuam, imo et gratias agimus tuae pietati quod pro nobis et in communi causa tantopere laboraveris. Dominus rependat tibi pro sua fide et munificentia. Nos certe amamus et colimus te merito.

Quoniam vero inter alia diserte: *Ego nostra omnium sensa*, inquis, *tenere mihi videor, ut nihil aliud a me hic positum fuisse confidam quam quod singuli nostrum scripturi essent* etc. etc. condonabis nobis si libere, quid de tuis iudicemus et quid vel additum, vel detractum, aut mutatum cupiamus indicaverimus, ut revera te exacte sensum nostrum expressisse testari possimus.

Principio, in titulo Epistolae ad ministros ecclesiarum Helvetiae non praetereundum aut omittendum videtur Mülhusium [1]) quod et Bielensi ecclesiae subiungendum arbitramur. Deinde videris nimis acerbe antagonistas nostros impetere. Nam ter vel quater appellas ipsos nebulones, obiicis illis patrios boves et vicinum glaciale * oceanum. Apellitas *Westphalum* bestiam. Agnoscimus quidem illos esse dignos qui tractentur durius, sed neque a te neque a nobis, quos magis decet et ornat modestia. D. *Lutherus* huiusmodi acerbis conviciis effecit ut multi viri non mali prorsus dedignati sint eius libros legere. Cuperemus itaque scriptum illud tuum ita moderareris per omnia, ut simul retineatur et asseratur libera et simplex confessio veritatis et christiana modestia utque serviatur tempori nostro admodum insidioso et turbulento. Satis instructus est verbis *Westphalus*: huic, ut verboso et contentioso homini, cupimus ampliorem, quantum quidem fieri per nos potest, rixandi praecisam esse occasionem. Sunt in Saxonia et ad mare Balticum, versus septentrionem multa virorum bonorum millia, quorum amicitiam, ut recte in literis ad *Bullingerum* nostrum mones, retinere praestat. Metuimus autem, ne illi quoque se cogitarent perstrictos, ut homines glaciales vel frigidos, bestias et nebulones, nisi expunxeris ista, et potius nomen Ioachimi *Westphali* posueris diserte, ut omnes intelligant, nos contra *Westphalum*, reparatorem certaminis sacramentarii, agere.

Fol. 5 facie 1 [2]) eam, *Calvine*, D. *Luthero* doctrinam ascribis quam ipse, si viveret, nec agnosceret, nec agnoscent illam vel hodie Lutherani, scriptis viri illius sic fascinati. Ex his isti nullo negotio tua illa omnia refutare poterunt, evincereque te illum ipsum esse, quem *Lutherus* venturum praedixerit, qui scilicet verbis *Lutheri* conetur stabilire Schuermerismum. Certe tales omnes, dum viveret adhuc, anathemate percussit. Ergo quum nimis barbara et significativa sint eius scripta, ne Lutherani et ipsi barbari homines et ad conviciandum mirifice appositi, te et nos omnes apertae improbitatis et impudentiae accusent et convincant, suademus, ut ista omnia, quae incipiunt ab his verbis: *Quanta vehementia causam hanc egerit Lutherus* etc. etc. [3]) usque ad ea verba quae sequuntur: *Quaeritur quaenam sacramentorum efficacia sit* etc. etc. [4]) expungas atque omittas: quum et in Consensione nulla sit facta D. *Lutheri* mentio. Si vero alias huius viri honorifica fiat mentio, quae non possit rapi in accusationem iustam, non iniquos ea in re nos exhibebimus.

Nescis fortassis, care frater, quam crasse et barbare D. *Lutherus* de hoc spirituali epulo senserit et scripserit. Neque enim libros eius vel legere vel intelligere potuisti, quum huius generis pleraque germanice scripserit. Existimas forte, sic illum sensisse, ut quidam viri boni pacisque amantes illius verba interpretati sunt, ac extra contentionem ipsum sensisse asseveraverunt. Caeterum certissimum est *Lutherum* longe crassius sensisse quam isti fingant et crassitiem illam editis scriptis sic ursisse improbe, ut nulla possint commoda expositione moderari. Fecit hoc non tantum in certaminis principio, sed etiam in medio et fine. Id quod non sine dolore commemoramus. Semper enim illi meliorem optavimus sortem, ut qui agnoscimus multa huius viri merita beneficiaque exhibita ecclesiae Dei. Dolemus serio istum omnes medicandi rationes pertinacissime praescidisse. Mira haec tibi videntur, sat scimus, quia libros eius germanicos nunquam legisti. Ne ergo ignores quae in hac causa inprimis novisse utilissimum fuerit, certos aliquot eius locos recitabimus, ita ut summam fideliter reddamus, folium vero interim assignemus ut, si ita libeat, germanicae linguae peritum interpretem adhibeas, qui tibi verbum verbo reddat. Si vero libris istis cares, nos habemus tibique libenter mutuo dabimus.

Contra coelestes Prophetas 1525. (A. 3 facie 5.) Ita includit implicatque elementis Dei gratiam et spiritum sanctum ut diserte dicat: Deum conclusisse nemini se prorsus velle dare interna dona sine verbo et sacramentis, vel nonnisi per illa, ita ut qui careat externis, iam etiam internis destituatur.

Contra phanaticos spiritus: (C. 1 facie 2:) Docemus et credimus, quod in coena vere et corporaliter Christi corpus editur ac in nos ipsos percipitur. Quomodo autem hoc fiat, aut quomodo corpus sit in pane, id vero ignoramus neque scire debemus.

2034. 1) *Cf. Opp. Tom.* IX. *pag.* 5 *not.*
2) *Cf. edit. nostram pag.* 18.
3) *ibid. p.* 17.
4) *ibid. p.* 19.

(E. 3 facie 1:) Quod Deus loquitur, id potest efficere. Loquitur autem quod panis sit corpus suum, ergo potest efficere, et efficit ut panis sit corpus suum. Quamquam vero nunc non videamus, quo modo verum corpus sit in multis locis visibiliter, novit tamen et habet Deus rationes suas, quibus efficit, ut corpus sit in multis locis invisibiliter adde et visibiliter.

(H. 2:) Hoc demum est verum *tuto*:[5]) hoc est corpus meum, quum hoc ederis manducabis meum corpus, et alias non. Quare? quia volo me hic per verbum meum affigere, ne cogaris me quaerere ubi sum, ubique, id quod tibi nimis operosum esset. Nunc autem dicere licebit: hic te habeo, hic te teneo etc. *In Confessione magna* 1528 (ij. 3): Contendit modis omnibus hisce verbis: Hoc est corpus meum, nullam subesse figuram, nullum tropum, sed simpliciter intelligenda esse, credendumque panem esse corpus Christi. Qua de causa alibi panem eucharistiae nuncupat *Ein Fleischbrot*, id est, carnis panem vel panem carneum.

(V. 3.) Asserit glossam decretorum et Schwermeros perperam reprehendere palinodiam Berengarii qui adactus a Nicolao papa, confitetur: verum corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse, et sensualiter non solum sacramentum sed in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi, fideliumque dentibus atteri etc. Addit D. *Lutherus*: utinam omnes alii pontifices tam christiane egissent atque hic pontifex cum Berengario in hac confessione.

(V. 1. et T. ult.) Sentio cum Wickleffo remanere panem, rursus sentio cum sophistis adesse corpus Christi, contraque omnem acutam logicam assevero, duas distinctas substantias esse posse unam substantiam. Hoc ut dicam adigit me reverentia verbi Dei cui oportet nos simpliciter credere et adhaerere: *Dann hie gillt es im finsteren vnd blyntzlen gan, vnd schlächt amm wort hengen,* id est: Hic oportet nos occlusis oculis ingredi tenebras et simpliciter credere et adhaerere verbo. Et quia habemus verbum Dei: hoc est corpus meum: quae diserta sunt et clara, vulgaria et certa verba, quae nullus unquam fuerunt tropus neque in scriptura, neque in ulla alia lingua, necesse est illa fide recipiamus et omnem rationem sopiamus, vinctasque praebentes manus simpliciter praeeuntem dicentemque: hoc est corpus meum, sequamur etc.

(F. 2, G. 1 et 3:) Ne me vivente aut post mortem meam Schwermeri suum errorem meis scriptis fucare et confirmare tentent, nunc meam fidem confitebor, in qua perseverare cogito in mortem usque et in ipsa apparere coram tribunal Dei. Ergo, si me mortuo exoriatur, qui dicat: si adhuc viveret *Lutherus,* aliter hunc tractaret articulum, ut quem tunc nondum plene expendit, contra hunc dico nunc ut tunc, et tunc ut nunc, probe me articulum de sacramentis expendisse etc. Dico ergo et confiteor, corpus et sanguinem Domini vere in pane et vino ore corporis (*muntlich*) edi et bibi etc. Posthac evocat et adhibet sibi testes omnes sui saeculi homines, petitque ut et apud posteros huic Lutheranae protestationi ferant testimonium, et orent Dominum ut is *Lutherum* in hac confessione stabiliat. Addit: si vero per tentationem et mortis acerbitatem superatus aliud dixero, id quidem sanus nunc revoco et dico id esse falsum et suggestum a Sathana. *Darzu hälff mir mein Herr vnd Heyland Iesus Christus.*

Quid Marpurgi 1529 inter Partes actum sit et quatenus consenserint non ignoras.

Colligis tu quae D. *Lutherus* in scriptis suis potissimum urserit, haec videlicet, sacramenta non tantum esse externas confessionis notas, sed gratiae divinae symbola et promissionum Dei sigilla, testimonia utique spiritualis gratiae, ad fidem fovendam et confirmandam adeoque organa quibus Deus efficaciter agit in suis electis. Sacramenta item non esse inania vel vacua signa, quum in eis vere testetur Deus quod figurat et simul arcana virtute praestet atque impleat, quod testatur, coniungens illis sui spiritus efficaciam. Istis ad hunc modum collectis, mox subiungis:[6]) *His omnibus concessis, annon manum libenter porrigeret Lutherus?* Respondemus tibi: Mi *Calvine,* non porrigeret manum, quam vivens viventibus *Zuinglio* et *Oecolampadio* illa ipsa omnia concedentibus aut profitentibus noluit porrigere dextram.

Atque nunc etiam paucis demonstrabimus D. *Zuinglium* et *Oecolampadium* concessisse aut docuisse quae tu confitenda censes, ut concordia sarciatur. *Zuinglius* in libello *ad Principes Germaniae contra Eggium* (1530) ostendit eum finem et usum sacramentorum quem nos in nostra confessione repetendo posuimus, nempe ut per ipsa ad Christum eiusque communionem adducamur. Signa, inquit, sic a Christo ipso sunt instituta, ut etiam analogia sua plurimum polleant, ad inducendum in rem fide et contemplatione praesentem, et reliqua (B.). Item: Istam fidei contemplationem non credo satis grandem esse, nisi rem ipsam tam certe ac indubitate teneat, ac si naturaliter esset sensibus exposita etc. (B. facie 2.) Licet omnes creaturae invitent nos ad numinis contemplationem, at omnis ea invitatio muta est, in sacramentis autem vivens et loquens est. Loquitur enim Dominus ipse, loquuntur et

5) τοῦτο.

6) *Cf. Opp.* IX. 19.

elementa atque idem loquuntur et suadent sensibus, quod menti sermo et spiritus etc.

Rursus ibidem: Frustra non sunt sacramenta. Praedicant enim salutem a Deo datam, sensus huc convertunt, et subinde fidem exercent quam et proximo pollicentur, atque ad fraternam caritatem trahunt. Atque haec omnia dum fiunt, unus atque idem operatur spiritus, qui inspirando nunc citra instrumentum trahit, nunc cum instrumento, quo, quantum, et quem vult etc.

Idem *ad Regem christianum* (E. facie 2, fol. 36 et 37.) Christum credimus vere esse in coena, imo non credimus Domini esse coenam, nisi Christus adsit. Sed quod corpus eius ea dimensione edatur qua isti dicunt, id vero est a veritate et fidei ingenio alienissimum. Adserimus ergo non sic carnaliter et crasse manducari corpus Christi ut illi perhibent: sed verum Christi corpus credimus in coena sacramentaliter et spiritualiter edi a religiosa, fideli et sancta mente: quemadmodum et D. Chrysostomus sentit etc.

Idem in *Annot. in Ieremiam* (cap. 27). Constat quod quaecunque symbolis tribuuntur fidei sint principaliter, sed iusta et aequa ratione signis tribuantur, quum quod pars sacramenti sunt (quamvis inferior utpote externa. Constat enim ex spirituali et corporali sacramentum) tum quod idem significant sensibus, quod spiritus menti. Unde nemo tam rudis est, quem huiusmodi hyperochae offendant, Christi verum corpus in coena vere editur, quum panis et vinum praebentur. Verum enim corpus non falsum assumpsit. Vere edit mens fidelis, quum non simulate recipit Christum, quum vere fidit Christo, sed vide an non haec omnia quum symbolis dicantur, non tamen virtute symbolorum, sed spiritus ac fidei operatione fiant, ut alloeoseos virtute symbolis tribuatur alteri sacramenti parti quod fidei solius (dummodo rem ad vivum resecare volumus) esse cognoscitur. Verum ergo corpus quum edi dicitur, illud verum corpus quod coelo illatum est intelligimus, sed illud ipsum non naturaliter, hoc est quemadmodum ipsum naturale est, etiam naturaliter a nobis editur, sed spiritualiter hic edimus, quod istic naturaliter est etc.

D. Ioannes *Oecolampadius* in *secunda iusta et aequa ad D. Lutheri scripta responsione*, germanice data, per integrum caput 18 aliud nihil agit quam ut demonstret se et *Zwinglium* nunquam docuisse nudum duntaxat esse in coena panem, aut nudum in sacramentis signum.

In *Bernensi disputatione* (fol. 120, facie 2) dicit *Oecolampadius*: Nullo pacto negamus nos edere corpus Christi et bibere eius sanguinem, sed edimus et bibimus spiritualiter per fidem et eam quidem qua credimus nos Deo patri per mortem Christi reconciliatos esse: non per illam fidem qua creditur, corpus Christi adesse sub pane corporaliter vel substantialiter.

Idem in *Responsione ad Phil. Melanchth*: Sicubi panis Domini dicitur corpus Domini non contendimus. Nam et nos sic appellamus, non solum quod a Domino nostro Iesu Christo coena sancte initiata et instituta sit, sed etiam quod in ea sanctificatoris spiritus sancti mirificam operationem fidelium pectora experiuntur. Item: Non dicimus panem hunc nudum quidem signum in coena, sed efficax quodammodo operante spiritu sancto in fidelium coetu, ut fiat nobilius quoddam et sanctius corpus, nobis Christo capiti in unum corpus adunatis. Hoc quum dicimus, minime Christum a coena abesse asserimus. Ad haec non auferimus e coena alimentum vitae carnem et sanguinem Christi et Christum ipsum. Nam nisi animae nostrae hoc pabulo fuerint pastae, nequaquam vitam habiturae sunt. Praeterea nunquam a nobis negatum est, quin coena etiam fidei serviat, quum excitandae tum augendae. Et reliqua etc. Secundae responsioni germanicae D. *Oecolampadii* D. *Luthero* de Eucharistia datae, praefixa est D. *Oecolampadii* ad D. *Zuinglium* epistola, qua diserte testatur suum cum *Zuinglio* consensum, ut et hic non semel testatus est, se eadem in religione et eucharistia sentire cum *Oecolampadio*.

Caeterum quum ad hunc modum boni isti viri D. *Zuinglius* et D. *Oecolampadius* de eucharistia senserunt et ea quae tu, frater *Calvine*, collegisti concesserunt ac docuerunt, quid interea *Lutherus*? Porrexitne illis dextram? Minime gentium. Non enim desiit damnare quum ipsos tum ipsorum doctrinam, maxime quum audiret bello interceptum esse *Zuinglium*, *Oecolampadium* vero anthrace exstinctum. Inde vero gloriandi accepit materiam, asseverandique utrumque propter pravam de eucharistia doctrinam esse sublatum adeoque et damnatum. Idem Principes adhortatus est (1532) ut reliquias sacramentariorum vel eiiciant in exsilium, vel prorsus exstirpent gladio. Ubi etiam Quinquepagicis succenset quod doctrinam nostram non exciderunt penitus. Exstant huius rei testimonia in *Epist. Lutheri ad Marchionem Brandeburgensem* et in libro germanice edito contra *Missam privatam* quam ipse appellabat *die Winckelmäss* etc. quae omnia scripsit germanice. Porro quum ista non sint paucis cognita, sed toti prope orbi perspecta, annon divexandos et lacerandos crudeliter nos obiiceremus Lutheranis si communi nostro nomine ederemus, quae tu scribis de *Lutheri* sententia consensioneque eius cum his qui ista quae colligis concedant? Certe ex hac unica re plurima alia contra nos haud dubie spargerent, quae non modo nos, sed ministerium nostrum maxime redderent suspecta. Ut autem adhuc crassius loquentem audias *Lutherum*,

declarantemque amplius quidpiam se agnoscere in coena quam tu, frater, expresseris, pergimus adhuc paucula illis adiicere ex libris eius germanicis.

Scripsit insolentem et barbaram prorsus epistolam (1533) *ad Francfordienses cis Moenum*, in qua inter alia: Haec epistola, inquit, volo mihi sit testimonium coram Deo et hominibus, me plane non sentire cum vestris concionatoribus, si qui forte vestri sint, qui arbitrentur, vestros concionatores mecum facere. Nemo prorsus speret, se nostram ab illis doctrinam auditurum. Ore quidem fatentur, in sacramento esse verum corpus et sanguinem Christi. Hoc quum audiunt simplices, existimant, se ab ipsis nostram audire doctrinam, qua etiam existimatione freti accedunt ad mensam Domini, unde tamen nihil quam panem et vinum percipiunt. Nam doctores illi nec amplius quidpiam dant, neque amplius quidpiam sentiunt: caeterum mystica interpretatio haec interim praetexitur, verum corpus et sanguinem Christi in sacramento esse praesentia, sed non nisi spiritualiter, non corporaliter, ac percipi quidem duntaxat mente per fidem, non corporaliter ore corporis, quod merum panem et vinum percipiat. Contra tales ego fidele meum suggero consilium, sicuti et coram Deo fateor me illis debere, ne ad huiusmodi Zuinglianum doctorem quisquam accedat, et sacramentum ab eo percipiat, magis vero eligat tota sua vita carere sacramento, mori denique et affligi, quam cum illo participare. Quod si pastor ecclesiae fuerit ex numero bilinguium docentium Christum vere esse in sacramento et tamen de Zuinglianismo est suspectus, recta tu accedas ad talem pastorem et roga, diserte tibi exponat quidnam id sit, quod tibi suis exhibet manibus, et quod ore tuo percipis. Exclusa iam disputatione, quid corde credatur vel non credatur, simpliciter interroga: quid manus et os hic recipiat? Si est ingenuus Schuermerus qui tecum volet candide agere, tibi dicet: Ego quidem tibi verum panem et vinum offero, interim vero tu mente concipies et credes ipsum Domini corpus et sanguinem. Si autem est agyrtarum, praestigiatorum vel impostorum unus, qui ludunt sub pileolo, iam dicet: mumm mumm, ac implicatum dubiumque sermonem exscreabit* et dicet: Satis est si credas illud corpus quod ipse Dominus intellexit etc.

Sequutum est concordiae negotium per D. *Bucerum* (1536) quod tandem abiit in fumum quum confiteri nollemus Christi corpus corporaliter et essentialiter tam a fidelibus quam infidelibus percipi in coena.

In *parva et brevi Confessione* 1544 (D. 1 et 3): Cogor nullius Schuermeri, inquit, sivi *Oecolampadii*, sive *Zuinglii*, sive aliorum amicitiam et societatem agnoscere, neque illorum nomina, literas, libros aut quidquam ipsorum in corde meo scire, qui credere nolunt panem Domini in coena esse verum et naturale corpus Christi, quod impius Iudas ore corporis sui perinde ut sanctus Petrus et omnes sancti percipit; is nihil ad me scribat, nihil mecum agat, nullam concordiam vel communionem apud me speret. Atque hic murus aheneus esto, *Da wirt nichts anders ausz*.

Edidit *propositiones contra theologos Lovanienses* (1545). Quindecima vero sic habet: In eucharistiae sacramento venerabili, ADORABILI, est et exhibetur et sumitur vere et re ipsa corpus et sanguis Christi tam a dignis quam indignis. Vigesima septima sic habet: Haereticos serio censemus et alienos ab ecclesia Dei Zuinglianos et omnes sacramentarios qui negant corpus et sanguinem Christi ore carnali sumi in venerabili eucharistia. In hac autem confessione et condemnatione nostra mortuus est. Nam mox sequentis anni 1546 mense Februario migravit ex hoc saeculo.

Ista vero sunt maxime quae nos serio commovent, ut omnino putemus ea quae de *Luthero* inseruisti nostrae responsioni pro consensu nostro, longe maiori cum fructu et tutius quidem omitti, quam poni et evulgari, crabronibusque occasionem nos impetendi obiicere.

Iam quod attinet ad Confessionem Augustanam,[7]) monemus et hic tibi caveas, frater, ne rursus impingas frustraque existimes homines istos illa falso gloriari. Nam nostra sententia vere, non falso, illa gloriantur. Etenim indubitatum est illius Confessionis autorem fuisse primarium D. *Lutherum*. Quis vero credat in fervore contentionis *Lutherum* a semetipso dissensisse qui alibi palam iactitat, confessionem illam esse suam. Sed commode, inquis, licebit ipsam hodie exponere, doctis maxime et piis viris conniventibus neque refragantibus commodae expositioni. Caeterum hic quoque, care *Calvine*, tam crasse loquuti sunt et tam barbare egerunt, ut non possit ullus induci fucus. Iactitant enim consensum in hoc articulo Caesaris et Papistarum. Quinimo, ne ulla eis unquam pateret elabendi rima, ita se coniunxerunt Papistis, ut nunquam sine pudore ab illis amplius avelli queant: dum diserte confitentur se sequi doctrinam in hoc articulo romanae ecclesiae atque adeo receptum in tota ecclesia. Nolumus haec narrantibus credes: crede ipsorum *Apologiae* cuius haec sunt verba (fol. 91, M. 5): *Decimus articulus approbatus est* (a quibus, oro, nisi ab hostibus professis evangelii qui alios ipsorum articulos reprobarunt, hunc non item. Viderunt enim illos nihil variare ab ipsorum errore) *in quo confitemur nos sentire quod in coena Domini vere et substantialiter* (hoc concesso nihil litigant papistae

7) *De qua in Opp. l. l. p.* 19.

de transsubstantiatione sua quam intelligunt non omnino reiectam esse, utcunque exsecrentur Lutherani vocabulum) *adsint corpus et sanguis Christi et vere exhibeantur cum illis rebus quae videntur, pane et vino, his qui sacramentum accipiunt* (vide annon hoc quoque ad indignos torqueatur). *Hanc sententiam constanter defenderunt nostri concionatores* (audis illos iactare pugnas illas contra *Zuinglium* et *Oecolampadium* atque alios). *Et comperimus non tantum romanam ecclesiam affirmare corporalem Christi praesentiam, sed idem et nunc sentire et olim sensisse graecam ecclesiam.* Atque hic apponitur S. Cyrilli testimonium quod tamen sanctissimus et doctissimus vir D. Ioannes *Oecolampadius* illo ipso tempore demonstrarat nihil facere pro confirmanda ipsorum corporali et carnali opinione. Nihilominus hic repeti oportuit in gratiam papistarum. Verum audi quae sequuntur in Apologia: *Haec recitavimus non ut hic disputationem de hac re institueremus. Non enim improbat* (observa mihi hanc sententiam) *hunc articulum Caesarea maiestas, sed ut clarius etiam perspicerent quicunque ista legent* (vide ut iam omnem sibi viam redeundi praecludant) NOS DEFENDERE RECEPTAM IN TOTA ECCLESIA SENTENTIAM *quod in coena Domini vere et* SUBSTANTIALITER *adsint corpus et sanguis Christi et vere exhibeantur cum his rebus quae videntur, pane et vino.* Haec hactenus pro confessione sua Schmalkaldici vel Protestantes. Pluribus non est opus verbis, apud te praesertim.

(Folio 5, facie 2) 'In tua responsione scribis: *Nempe coalescere nos oportere* (inseri hic cuperemus unicam duntaxat voculam „per fidem") *in Christi corpus ut gratiae suae effectus* [8]) etc. Etenim Dominus nobis coniungitur per spiritum suum, nos fide illum recipimus etc. quod et in consensione expressum est.

(Folio 7, facie 2) Hunc totum locum ab his verbis: *quod dicimus non omnibus* etc. — usque ad haec verba: *Ac merito sorbonicum illud figmentum repudiamus,* [9]) sic placeret referre: quod dicimus non omnibus promiscue sed electis Dei tantum, ad quos interior et efficax spiritus operatio pervenit, prodesse signa clarius est quam ut longa refutatione indigeat. Interim in effectu sacramentorum et ipsius Dei operantis in verbo et sacramentis observamus discrimen inter spiritualem perceptionem corporis et sanguinis Christi et inter visibilem vel externam sacramenti perceptionem, itemque inter homines ipsos qui sacramenta percipiunt, ne ingrati et iniqui aestimatores gratiae Dei reperiamur, neque Deo sanctissimo imputemus quod est culpae humanae. Id quod veteres ecclesiae doctores ante nos fecerunt, veluti S. Augustinus tum alibi tum in 26 tractatu in Ioann. explanans Domini Iesu dictum: Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam: sic enim scribit: Hunc cibum et potum societatem vult intelligi corporis et membrorum suorum, quod est sancta ecclesia in praedestinatis et vocatis et iustificatis et glorificatis sanctis et fidelibus eius. Quorum primum iam factum est, id est, praedestinatio, secundum et tertium factum est, et fit et fiet, id est, vocatio et iustificatio: quartum vero in spe est, in re autem futurum est, id est glorificatio. Huius rei sacramentum, id est, unitatis corporis et sanguinis Christi alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum, in dominica mensa praeparatur et de mensa dominica sumitur, quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium, res vero ipsa, cuius sacramentum est, omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicunque eius particeps fuerit. Et initio tractatus eius ait: Daturus ergo Dominus spiritum sanctum dixit se panem qui de coelo descendit, hortans ut credamus in eum. Credere enim in eum, hoc est manducare panem, vinum. Qui credit in eum, manducat invisibiliter, saginatur quia invisibiliter renascitur etc. Ac postea: Et nos hodie accipimus visibilem cibum: sed aliud est sacramentum, aliud virtus sacramenti. Quam multi de altari accipiunt et moriuntur et accipiendo moriuntur. Unde dicit apostolus: iudicium sibi edit et bibit. Nonne buccella dominica venenum fuit Iudae? Et tamen accepit et quum accepit in eum inimicus intravit, non quia malum accepit sed quia bonum male malus accepit. Videte ergo fratres, panem coelestem spiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate. Deinde exponens verba Domini: Caro mea vere est cibus, quum inquit, exponit quomodo id fiat quod loquitur, et quid sit manducare corpus eius et sanguinem bibere, hoc est manducare illam escam et illum bibere potum, in Christo manere et illum manentem in se habere. Ac per hoc, qui non manet in Christo et in quo non manet Christus, procul dubio nec manducat spiritualiter carnem eius nec bibit eius sanguinem, licet carnaliter et visibiliter premat dentibus sacramentum corporis et sanguinis Christi; sed magis tantae rei sacramentum ad iudicium sibi manducat et bibit, qui immundus praesumpsit ad Christi accedere sacramenta, quae aliquis non digne sumit, nisi qui mundus est. De quibus dicitur: Beati mundo corde quia ipsi Deum videbunt etc. Plura huius generis leguntur et in tractatu 27 quae brevitatis causa verbotim non recitamus. His proxime subiungenda putamus quae mox sequuntur: [10]) *Ac merito sorbonicum illud figmentum* etc. Et reliqua etc.

Intelligis autem non admonitus, cur ista verbotim inserenda et quasi in medio operis collocanda

8) *Opp. l. l. p.* 19 *fin.*
9) *ib. pag.* 24.

10) *ib. pag.* 25 *med.*

existimem. Mirifice enim nostram sententiam exprimunt, explicant denique et confirmant, ut speremus, his nobis cordatiores facilius et arctius conciliatum iri.

Mox in eodem folio linea 4 sequitur: [11]) *Plane magica superstitio est.* Pro: *magica* reponendum putaremus *ingens*, vel simile quidpiam mitius. Eius generis est quod sequitur fol. 8, facie 1. *Itaque quod intentionem consecrantis necessario requirunt papistae, diabolicum figmentum esse non dubitamus.* [12]) Pro *diabolico* reponeremus *inane et exitiale.* Non quod ista non vere dicantur, sed quod sint innumeri inter papistas magnae spei viri, qui acerbis huiusmodi loquutionibus aut verbis offenduntur, quibus hactenus parci [13]) putamus, donec ad nos plene concedant. Neque vero dum voculae illae mutantur, deperit rei quidpiam, aut ullum patitur detrimentum veritas.

Rursus fol. 8, facie 1: *Sit igitur aut Iudas aut Epicureus aliquis* etc. [14]) Post ista ante haec verba: *Itaque quod intentionem* etc. inserendum putamus: Non quod curae nobis nihil sit, sancti an prophani sint ministri aut polluatur orneturve ministerium sanctum, sed quod significare volumus, nos virtutem sacramentorum nequaquam derivare ex dignitate vel indignitate ministrorum. Fatemur alioqui ministros indignos in ordinem redigendos et si res ita flagitarit ministerio abdicandos etc.

Eodem folio et facie: [15]) *Atqui reos non faceret Paulus corporis et sanguinis Domini, qui indigne manducant nisi* (legendum putamus *si* pro *nisi*) *fierent ipsi quoque participes Christi.*

Eodem folio linea ultima: *Quanto rectius Augustinus* [16]) etc. Etiam hoc loco inserenda arbitramur verbotim S. Augustini verba quod vehementer pugnent contra adversarios, sed et paucis illud Pauli explicent: non diiudicans corpus Domini, quod adversarii aliter interpretantur. Haec autem inseri cupimus: Multum interest, non quid accipiat, sed quis accipiat, nec quale sit quod datur, sed qualis sit ipse cui datur. Nam et bona obsunt et mala prosunt, sicut fuerint quibus datur. Quid ergo miraris si datus est Iudae panis Christi, per quem manciparetur diabolo, quum videas e contrario, datum Paulo angelum diaboli per quem perficeretur in Christo? Ita et malo bonum obfuit, et malum bono profuit. Recordamini unde sit scriptum: Quicunque manducaverit panem aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Et de his erat sermo, quum hoc apostolus diceret, qui Domini corpus velut alium cibum quemlibet indiscrete negligenterque sumebant. Hic ergo si corripitur, qui non diiudicat, hoc est non discernit a caeteris cibis dominicum corpus, quo modo non damnatur, qui ad eius mensam fingens amicum accedit inimicus? Si reprehensione tangitur negligentia convivantis qua poena percutitur venditor invitantis? Quid autem erat panis proditori datus nisi demonstratio, cui gratiae fuisset ingratus. Intravit autem Sathanas post hunc panem in Domini traditorem, ut sibi iam traditum plenius possideret, in quem prius intraverat, ut deciperet etc. Iam subiungeremus, quae sequuntur: [17]) *Alibi quoque celebre istud Christi dictum* etc. etc.

Et quod mox sequitur: *Desinant ergo imperiti homines pro Iuda litigare, ne sub eius persona propriam agere causam et Christum sine Christo appetere videantur.* [18]) Eam periodum sic ponendam monemus: Desinant ergo imperiti homines pro Iuda litigare, ne Christum sine Christo appetere videantur, omissis iis quae sunt in medio.

Folio 9, facie 1: *Imo nihil in sacra signa magis contumeliosum fingi potest quam eorum veritatem in praesenti tantum actione vigere* etc. [19]) Praeoccupandum hic omnino videtur ne adversarii ex hac inferant sententia: Extra usum itaque species panis et vini valere et iuste asservari etc. Cupimus itaque planius et plenius mentem nostram explicari ut omnes intelligant sentire nos virtutem sacramentorum significationemque in omnem se fidelium vitam extendere. Ipsas autem species in usu esse spiritu, verbo, institutione sanctificatas, extra usum vero non item, neque esse sacramenta et ideo non oportere illa asservari per superstitionem.

Eodem folio: *Neque enim dum Paulus Christum docet habitare in cordibus nostris per fidem loco verae habitationis imaginationem supponit, sed quomodo tanti boni possessionem cernamus* (addi desideramus: percipiamusque) *admonet.* [20])

Eodem folio facie 2: Semel et iterum dicis ineffabilem aut incomprehensibilem captuque nostro sublimiorem esse unitatem nostram cum Christo. At nos in initio Consensionis nostrae illam explicavimus. Videretur ergo ille locus sic esse exponendus: Sacram unitatem atque communionem, quam pii et fideles habent cum filio Dei incarnato, Domino nostro Iesu Christo e sacris literis edocti, non ex humanis commentis, eiusmodi novimus et docemus quod ille nos sibi coniungens, non modo vitam nobis suam instillat, sed unum quoque nobis-

11) *ibid.*
12) *ibid. p.* 26 *med.*
13) *sic!*
14) *ubi supra, sed fere init. paginae.*
15) *pag.* 27.
16) *ibid.*

17) *ib. in fine paginae.*
18) *Haec a Calvino mutata sunt. Vide ibid. not. ult.*
19) *pag.* 29 *fin. et pag.* 30 *not.* 1.
20) *pag.* 30 *fin. ubi nihil mutatum videbis.*

eum efficitur, sicut ipse unum est cum Patre. Quod ipse multis in locis evangelii secundum Ioannem, maxime vero Ioann. 17 cap. testatur. *Sed an ideo protinus somniandum*, et quae sequuntur.[21]) Abhorremus admodum a vocabulo *ineffabiliter*, *incomprehensibiliter* et similibus. Ipse enim scis antagonistas nostros deprehensos in hanc veluti latebram tutissimam sese recipere et huiusmodi nebulis errores suos pleros que contegere.

Eodem folio et eadem facie:[22]) *Qualis autem sit corporis et sanguinis Domini communicatio quaeritur? Carnalem isti palam et simpliciter asserere non audent.* (Imo audent, dicunt enim Christi carnem corporaliter edi ore corporis ineffabiliter, neque enim de modo inquirendum esse. Id quod superius intellexisti ex verbis *Lutheri*). *Spiritualem quum dicimus, fremunt* (quia hanc illi non agnoscunt, sed oppugnant ut quae non sit satis, neque exprimat doni Dei praestantiam et veritatem) *quasi hac voce realem, quam vocant, tollamus* (significanter dicis: Quam vocant, nimirum adversarii). At hi, quod indubitate constat, per reale intelligunt corporale: realiter praesens est, id est, ipsum corpus praesens est: realiter editur: id est, ipsum corpus corporaliter, id est, ore corporis manducatur. Nos ergo, mi *Calvine*, tollimus vocem realiter, quum dicimus spiritualiter. Ac nolumus omnino hanc vocem illis ex nostro consensu concedi, in illa significatione qua hactenus usi sunt, et utuntur etiam hodie. Dicis: *per reale intelligimus verum excludimusque falsum et imaginationem inanem.* Recte tu quidem. Sed isti non ita intelligunt, sufficiat ergo nobis tutum et scripturae et patrum omniumque saeculorum vocabulum: Spiritus et spiritualiter. Admoneantur autem isti nos per spiritum non intelligere nihil, vanitatem et imperceptibiles efficaciaque carentes phantasias, sed ipsam Dei sensibilem in mentibus et fructiferam adeoque vitalem operationem. Nam spiritus veritas est, non illusio aut vanitas. Spiritus ergo satis realis est, et satis doni magnitudinem exprimit, utcunque non admittamus illis hoc vocabulum, quo tam crasse utuntur atque in ipso omne suae caussae praesidium collocant. Ergo quod mox subdis: *Barbare loqui malumus quam pugnis materiam praebere,* circumspectius poni oramus. Principio enim admittendo vocem realiter pugnas adeo non vitabimus, ut nunc maxime instauremus. Deinde nolumus ita barbare loqui. Quae enim adigit nos necessitas barbaros loquendi modos invehere in nostras ecclesias, propter contentiosos istos? Si vero ipsis placeat loqui barbare in suis ecclesiis, assuetis rebus portentosis, atque adeo uti vocabulo: realiter: et per hoc intelligere id quod est vere, non false, per illusionem et imaginationem vanam, per nos quidem hoc illis est liberum. Non illa de causa litigabimus cum eis, modo nobis quoque liberum sit clare loqui et loquutiones religiosa expositione explicare: maxime quum orationis unicus sit finis, clare ea quae dicuntur intelligere etc.

Mox quum sequitur:[23]) *Eam quoque a nobis manducari, dum in corpus unum cum Christo* (rursus hic inseri cupimus voculam: per fidem) *coalescimus.* Neque arbitramur, id tibi iniquum videri quum eiusmodi loquutione usi sint scripturae et omnes sancti patres.

Folio 10, facie 2[24]) ab his verbis: *Nihilo sc. magis quam carnalem vel localem copulam solvendo* etc. usque ad novam periodum et ista verba: *Restat verborum Domini expositio* etc. placeret expungi et omitti omnia. Videtur enim esse repetitio unius atque eiusdem rei ingrata quae iam saepius et clare satis est exposita.

Eodem folio et facie eadem:[25]) *Si panis censeri corpus debet quia sic vocatur* etc. usque ad haec verba: *Placet illis verbum retinere* etc. et ipsa omnia expungi cuperemus. Principio ne morosi nostri adversarii nos novam rursus interpretationem, post innumeras nostras priores, afferre querantur. Deinde ne illi ipsi, aut nostrum nonnulli nobis obiiciant Bernensem Disputationem (fol. 120, 121, 129) quasi a nobis ipsis, et ab illa longe lateque dissideamus. Quae vero omittenda suademus, huiusmodi esse videntur, ut omissa detrimentum nullum bonae causae adferant.

Fortassis non inutile foret ad imitationem, imo confutationem *Westphali*, tabulam diversarum interpretationum concinnantis, illi opponere duas tabulas breves, in quarum priore similitudo et diversitas poneretur verborum Christi per Evangelistas et Apostolos: in posteriore veterum ecclesiae doctorum consignaretur interpretatio. Postremo videtur et hoc operae pretium, si libellus tuus vel responsio nostra in certa distingueretur capita: quem laborem tamen ipsi libenter suscipiemus, si et tibi non improbari intellexerimus. Specimen exhibuimus in Consensione ipsa apponendo in margine (quod et in textu fieri liceret) titulos vel argumenta rerum, puta: *finis Coenae Dominicae; Communio fidelium in Christo; effectus sacramentorum* etc. ita enim expeditius sese lector explicabit etc.

Titulum vel inscriptionem huiusmodi praefigere placeret: *Consensionis ministrorum in Ecclesiis Helvetiae Rhaetiae* (ac si placeret) *et Galliae quibusdam*

21) *Hic Calvinus explicationis loco pauca verba addidit p.* 31.

22) *p.* 32.

23) *pag.* 33 *init.*

24) *pag.* 34 *med.*

25) *pag.* 35 *med.*

de sancta Coena Domini, adversus intempestivam Ioachimi Westphali farraginem assertio christiana autore Ioanne Calvino ministro Ecclesiae Genevensis.

Ista sunt, venerabilis et dilecte frater, quae in responsione nostra vel addita vel sublata aut mutata optamus. Si videris nos non imprudenter admonuisse te istorum, age impende te nobis hactenus, ac librum recognitum remittas mature, oramus, ut eundem et aliis exhibeamus fratribus et principio quidem Bernatibus deinde Rhaetis et Basiliensibus postea etiam aliis ac ita editioni praeparemus. Sin aliud visum fuerit tuae caritati et illud ipsum quoque libenter ex te audiemus. Vale, honorande et carissime frater, Dominus benedicat tibi et symmystis tuis. Tiguri 24. Octobris anno 1554.

Pastores et lectores sacrarum literarum ministri ecclesiae Tigurinae tui semper ex animo.

Quoniam vero Tabularum mentionem fecimus specimen earum nunc tibi exhibemus.

Tabula I.

De pane dominico.

M.[26] Vescentibus autem eis, accepit Iesus panem (*καὶ εὐχαριστήσας*) et quum egisset gratias, fregit deditque discipulis et ait: Accipite, comedite hoc est corpus meum.

R. Et edentibus illis, sumpto Iesus pane (*εὐλογήσας*) quum benedixisset, fregit et dedit illis ac dixit: Accipite comedite, hoc est corpus meum.

L. Et accepto pane quum gratias egisset (*εὐχαριστήσας*) fregit et dedit eis dicens: Hoc est corpus meum quod pro vobis datur. Hoc facite in mei recordationem.

P. Dominus Iesus in ea nocte qua traditus est accepit panem (*καὶ εὐχαριστήσας*) et quum gratias egisset, fregit ac dixit: Accipite edite, hoc meum est corpus, quod pro vobis frangitur. Hoc facite in mei recordationem.

De poculo dominico.

M. Et accepto poculo gratiis actis dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus, qui est novi testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Dicam autem vobis, non bibam posthac ex hoc fructu vitis, usque in diem illum, quum illud bibam vobiscum novum in regno patris mei.

R. Et accepto poculo quum gratias egisset, dedit illis et biberunt ex eo omnes et dixit illis: Hic est sanguis meus novi testamenti qui pro multis effunditur. Amen dico vobis posthac non bibam de fructu vitis usque ad diem illum quum illud bibero novum in regno Dei.

L. Similiter et poculum postquam coenavit dicens: Hoc poculum novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis effunditur.

P. Similiter et poculum postquam coenavit dicens: Hoc poculum novum testamentum est in meo sanguine: hoc facite quotiescunque biberitis in mei commemorationem.

De vera manducatione corporis et sanguinis Domini.

S. Augustinus de Consensu Evangelistarum Lib. 3 c. 1. Ioannes de corpore et sanguine Domini hoc loco nihil dixit, sed plane alibi multo uberius hinc Dominum loquutum esse testatur. Id alibi ipse exposuit in aliis suis scriptis de cap. Ioannis 6.

Ioann. Dixit Iesus: Ego sum panis vitae, qui venit ad me non esuriet et qui credit in me non sitiet unquam. Amen dico vobis, qui credit in me habet vitam aeternam. Qui enim edit meam carnem et bibit meum sanguinem habet vitam aeternam et ego suscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus, qui edit meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet et ego in illo. Spiritus est qui vivificat caro non potest quidquam. Verba quae ego loquor vobis spiritus et vita sunt. Ioann. 6.

Porro si placet hic Archigeni nostro *Westphalo*, fabricetur et ex hac Evangelistarum et Apostolorum materia chaos, ut vocat, inexplicabilium et sese collidentium opinionum dissensionumque. Hoc quidem eo iure poterit, quo nostrorum sententias et expositiones in certamen et pugnas produxit, iure scilicet calumniae. Ingens est enim dissimilitudo in verbis Apostolorum et Evangelistarum de Coena Domini, dum hic plus, ille minus habet, dum hic illis alius aliis utitur verbis, dum hic aliqua ponit, alius omittit etc.

Matthaeus et Lucas et Paulus dicunt: *Quum egisset gratias.* Unus Marcus habet, *Quum benedixisset.* Lucas deinde plus quiddam dicit quam Matthaeus et Marcus, explicans quale corpus intellexit Dominus dicens: *Quod pro vobis datur.* Id aliter effert Paulus: *Quod pro vobis frangitur.* Idem addit sicut Lucas etiam: *Hoc facite in mei recordationem*, quo priores duo carent. Idem quoque Paulus, utcunque invertit ordinem verborum solemnium quae vocant consecrationis. Alii enim dicunt:

26) *Vix opus est ut te moneamus haec compendia literarum significare* Matthaeum, Marcum, Lucam *et* Paulum.

Hoc est corpus meum, Paulus *hoc meum est corpus*. Circa verba poculi longe maior cernitur diversitas. Matthaeus praefigit: *Bibite ex hoc omnes*; Marcus subiungit: *et biberunt ex eo omnes*; Matthaeus et Marcus de poculo dicunt: *Hic est sanguis meus*; Lucas et Paulus non vocant poculum aut vinum sanguinem sed *novum testamentum in sanguine*. Imo Lucas *Est* non habet, Paulus habet: *Hoc poculum novum testamentum est in meo sanguine*. Matthaeus et Marcus dicunt: *qui pro multis effunditur*. Lucas: *qui pro vobis effunditur*. Paulus plane omittit. Repetit Paulus quod Lucas non habet: *Hoc facite quotiescunque biberitis* etc. Addunt alii duo M. et R. *Non bibam posthac* etc. Paulus eius sententiae ne verbo quidem meminit. Lucas nonnisi per hysteron proteron commemorat. Quid quod Ioannes peculiare habet loquendi genus? Haec autem diversitas quum luce meridiana luculentior sit, quo modo posthac iactabunt adversarii nostri diserta verba et consensum ad literam? Annon dissonantiam percipiunt?

Nos autem asserimus, nihil inter se dissentire Evangelistas et Apostolos, sed sub diversis verbis et sententiis eandem omnino rem docere. Et cordatus minimeque excaecatus invidia videbit, si nostrorum expositiones recte expenderit, nihil eas inter se dissentire.

Tabula II.

Veterum expositio interpretum, Hoc est corpus meum etc.

Tertullianus contra Marcionem Lib. 4. Christus acceptum panem et distributum discipulis suis corpus suum illum fecit: Hoc est corpus meum dicendo id est figura corporis mei.

Hieronymus in Matth. 26 cap. Veritatem corporis sui Christus repraesentavit.

Chrysostomus Homil. in Matth. 83. Si mortuus Iesus non est, cuius symbolum ac signum hoc sacrificium est?

Theodoretus in Polymorpho dialogo 2. Mystica symbola corporis et sanguinis Domini symbola sunt. Et si divina mysteria corpus quod vere est repraesentant, ergo corpus etiam nunc Domini quoque corpus est.

Ambrosius in 1 ad Corinth. 11 cap. Qui morte Domini liberati sumus huius rei memores in edendo et potando carnem et sanguinem, quae pro nobis oblata sunt, significamus.

Augustinus in eandem loquutionum classem coniicit: sanguis est anima, petra erat Christus. Hoc est corpus meum. Lib. Quaest. 3 Levit. Quaest. 57; contra Adimantum c. 12; contra Advers. legis Lib. 2 cap. 9. Idem in Psalm. 3. Christus adhibuit Iudam ad convivium, in quo corporis et sanguinis sui figuram discipulis suis commendavit et tradidit.

Fulgentius, referente Haymone: Hic est calix, Novum Testamentum, inquit, id est: hic calix quem vobis trado Novum Testamentum significat etc.

Sunt etiam aliae veterum his non dissimiles expositiones quas his coniungere licebit.

Quid quod tertia potuisset parari tabula diversarum opinionum quomodo panis sit corpus Christi ex lectione 40 in canonem missae Gabrielis Biel et ex Sext. Decret. lib. de celebratione missarum c. Cum Marthae, et ex scripto Scoti super quartum sentent. Distinctio 11 quaest. 3. Ut vel ex iis appareat, quam variarint apud papistas sententiae antequam ab Innocentio definita fuit transsubstantiatio etc.

2035.

BIBLIANDER CONTRA WESTPHALUM.

(Ex eodem codice Turicensi fol. 408 et Simleri Vol. 83.)

In Ioachimi Westphali Hamburgensis Farraginem confusanearum et inter se dissidentium opinionum de coena Domini ex Sacramentariorum libris congestam et a. 1552 Consensui inter Helv. et Gall. Ecclesias inito oppositam annotatiunculae.

Ad caput nostrae Consensionis de expositione verborum Domini de Coena Domini: Hoc est corpus meum.

Sed offendit Ioach. *Westphalum* diversitas interpretationum quam *Zuinglius* et alii, quos Sacramentarios vocat, ediderunt de verbis solennibus coenae, idque illi videtur evidens et indubitatum argumentum falsae, haereticae, impiae pestiferaeque doctrinae Zuinglianorum.

Quid si ostendam in Tabula, quam ipse poetice appellat chaos diversarum opinionum de verbis Christi, nullam a nostris hominibus expositionem de mysticis verbis coenae Domini productam esse, quae vel pugnet cum divinis scriptis, vel quae adstruat haereticum dogma, vel quae non exemplum alicuius veteris probati doctoris in ecclesia Christi habeat, vel quae non sit verior commodior verbisque et rebus, quae in mysteriis et sacramentis exsistunt, convenientior, quam ipsius Ioachimi *Westphali* expositiones, aut etiam aliorum doctissimorum hominum qui Lanfranci papisticam opinionem asserunt, ne quid gravius dicam.

Agite ergo, excutiamus Farraginem a *West-*

phalo congestam incondite prorsus et intempestive productam in orbem christianum, ut non abs re chaos vocaverit, verum ipsius culpa, non christianorum catholicorum, quos ipse traducit haereseos titulo. Ita vero tabulam *Ioachimi* recitabo ut opponam annotatiunculas non aliunde quam ex libello *Westphali* primo, quia non omnes viderunt libellos ipsius, deinde ut appareat liquidius, qua diligentia, fide, candore, dexteritate versatus sit bonus ille vir in causa maxima. Numeros etiam opponam sententiis ut evidentior sit Zuinglianorum discrepantia scilicet, eorumque opiniones conferri et componi queant cum veterum theologorum expositionibus.

Tabula breviter et summatim ob oculos proponens chaos diversarum opinionum in verbis Christi: hoc est corpus meum.

1. *Τοῦτο* (quod coram oculis vestris aspicitis) *est corpus meum. Carolostadius* in dialogo scripsit: Et semper sic sensi Christum demonstrato suo corpore dixisse: hoc est corpus meum quod pro vobis traditur. Respexit autem ad demonstrationem Matth. XVI. Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo etc.

2. *Hoc significat corpus meum. Zuinglius* in Epist. ad Pomeranum. Videbam *τροπικῶς* dictum esse hoc est corpus meum, et loquutus de Batavi cuiusdam pii et docti epistola in ea, inquit, hanc felicem margaritam inveni: Est pro significat accipi.

3. 4. 5. *Hoc est signum, symbolum, figura corporis quod pro vobis datur. Zuinglius* in eadem Epistola: Consultius videbatur ipsam vocem, in qua tropus latet, adaperire ista sua clave quam solummodo dicere tropus est. Sic igitur docuimus: *est* pro symbolum est, figura est, significat, hic positum esse, neque nos piget huius expositionis. Ita exposuit in Subsidio et alibi.

6. *Haec est passio tolerata in corpore meo. Zuinglius* de coena Domini. Quum dico sacramentum corporis, nihil aliud intelligere volo quam panem significare corpus Christi, quod sedet ad dextram patris. Vinum quod in eucharistia percipitur signum esse sanguinis eius. Deinde conferens verba coenae et dictum servatoris Ioan. VI.: Panis quem ego dabo caro mea est: Caro, inquit, accipitur pro satisfactione mortis Christi. Mors enim et passio Christi quam in corpore sustinuit, sunt nostra redemptio. Ita intelligimus et haec verba Christi ut corpus intelligatur pro salutifera passione tolerata in corpore. Ibi *Ioachimus* Archigenes, qui novum chaos progenuit in margine annotavit enormem contradictionem. Videlicet magna rerum divinarum et humanarum confusio est et contradictio irreconciliabilis, si coniungantur in sermonibus de sacramentis, symbolum quod significat et res significata et rei significatae affectio et salutaris effectus.

7. *Hoc est signum quod admonet vos de corpore meo* quo modo pro vobis traditum vos vivificet. *P. Martyris* verba sunt in tractatione de Eucharistia: Nihil aliud egit in coena Christus quam quod propositionem transposuit. Et sicut antea dixerat (Ioh. VI.) corpus suum et carnem esse panem ita nunc e diverso ostendendo panem protulit: hoc est corpus meum. Sit itaque sensus: Do vobis panem ut edatis et interim propono vobis corpus meum in crucem agendum ut ipsum fideli memoria et mente attentissima apud vosmet ipsos spiritualiter comedatis, utque corpore editis panem ita mente vescamini carne mea. Ingens videlicet hic etiam piaculum sacramentarii cum Irenaeo et aliis ecclesiae doctoribus committunt, quod in sacramento duas res offerri et percipi docuerunt, alteram corpore, alteram fideli mente ac spiritu.

8. *Hoc est memoriale corporis mei.*

9. *Hoc est meum corpus quatenus pro vobis datum est.*

10. *Haec est commemoratio corporis quod pro vobis datur.*

11. *Hoc est symbolum vos ab uno eodemque corpore redemptos.*

Hae sunt opiniones pugnantes *Io. Oecolampadii* quae poterant coniungi (usque adeo discrepant) nisi magister noster gavisus fuisset ingenti farragine ac chao. Quod alibi etiam fecit, ut videamus, qua dexteritate hic etiam artifex illam tabulam suam fabrefecerit. *Oecolampadius* ad Theobaldum *Billicanum* ita scripsit: Accipere, comedere, ad panem referuntur: habere memoriam, ad corpus. Exposuimus ergo ut hoc, id est panis, sit corpus, id est memoriale vel figura corporis. Sed quo modo? In hoc sit memoriale, quia corpus vel quatenus pro nobis traditum est. Et postea: Sanguinem testamenti non possumus aliter interpretari quam commemorationem testamenti. Et alibi: Sanguis erit commemoratio sanguinis per quem testamentum confirmatum est, et corpus commemoratio corporis quod pro nobis traditum est. Haec vero dicit explanans quid sit: facite hoc in mei commemorationem. Et in scripto ad Ecclesiastas Sueviae, tractans verba D. Pauli 1. Cor. X.: Symbolum panis, inquit, quem mystico ritu partimur, testatur communiter nos redemptos. Et reliqua. Ubi *Ioachimus* non simpliciter deliquit male citando verba *Oecolampadii.*

12. *Haec est protestatio et μνημόσυνον meorum beneficiorum.* Martinus *Bucerus* in Apologia de Coena Domini loquitur in genere de sacramentis, symbola esse nostrae religionis, fidei protestationes et beneficiorum Dei quaedam *μνημόσυνα* i. e memoracula quaedam. Id *Ioachimus* torsit ad unicam sacramentorum speciem: quod et in *Calvini* sententiis fecit. Addidit autem *Bucerus:* Panis et vinum eucharistiae sunt signa corporis et sanguinis Christi,

eoque non impie interpretari posse verba Christi: Hic panis significat corpus Christi.

13. *Hoc est symbolum corporis mei quod dono vobis animo edendum, sicut panem trado vobis edendum ore.* Sententiam eandem *Petrus Martyr* expresserat. Scripsit autem *Bucerus* cap. XXVI. Matth. exponens multa pie et erudite super verbis coenae in eam sententiam et conferens dictum Salvatoris Ioan. VI., concludit: Ergo non est nisi spiritualis manducatio affirmanda. Et hic est ille *Bucerus* qui unus ex omnibus Zuinglianis sacramentariis *Ioachimo* videtur in viam rediisse.

14. Ponit etiam *Westphalus* multa verba ex confessione ministrorum Ecclesiae Tigurinae qua responderunt ad D. *Lutheri* ultimam confessionem. Quumque Tigurinorum confessionem vir moderatissimus dicat vehementem et acerbam insectationem in *Lutherum*, non tamen propositionem categoricam reperit aptam chao et tabulae isti demonstrativae. Gratificabor igitur *Westphalo* et augebo chaos opinionum ac ponam opinionem maxime adversam papisticis sacramentariis quam etiam *Westphalus* in margine vellicavit et perstrinxit: Quod panis in coena sit naturale Christi corpus vere et corporaliter, non est articulus christianae verae antiquae et indubitatae nostrae fidei.

15. *Hoc est symbolum quo vera corporis mei communicatio exhibetur fidelibus*, scripsit Henr. *Bullingerus* in Comment. 1 ad Corinth. (XI.). Panis et vinum ex institutione Domini symbola sunt quibus ab ipso Domino per ministerium ecclesiae exhib. etc. Caeterum quum hanc opinionem superius etiam posuerit M. *Ioachimus*, cur non potius talem opinionem posuit quam et in margine subindicavit?

16. *Hic panis eucharistiae, non communis aut pistorius, sed mysticus est*, ipsum corpus Christi significatione institutioneque.

17. *Hoc est sacrum symbolum gratiae et redemptionis meae, quod post me vobis relinquo. Bullingerus* explanans verba D. Pauli 1. Cor. XI. hunc in modum scripsit: Dominus Iesus carnem oblatam pro nostris peccatis in coelum transferens voluit prius totius negotii et gratiae suae, redemptionis et unionis sacrum quodpiam symbolum post se relinquere mortalibus: quod non animo tantum, sed sensibus etiam nostris ingereret redemptionem et unionem semel partam initamque. Perpende, lector, M. *Ioachimi* candorem et artificium quo tabulam istam fabrefecit.

18. *Panis et vinum in coena symbolice tantum est corpus et sanguis Christi.* Erat haec etiam sententia prius posita. Sed quia in margine illam notavit *Ioachimus*, et fortasse oblivione praeteriit, censui etiam redigendam in chaos. Posita est autem in tractatione de Sacramentis ecclesiae *Bullingeri.*

19. *Hoc est testimonium aut obsignatio memoriaque celebris traditi pro vobis corporis.* Haec sententia vel opinio in eodem sermone *Bullingeri* posita per *Ioachimum* mutilata est. Sic enim scripsit: Panis et vinum signum et sacramentum sunt testimonium aut obsignatio memoriaque celebris traditi pro nobis corporis ac effusi sanguinis. Erat haec opinio prius posita sicut et insequens et poterat omitti, si non magister noster delectatus fuisset bene dicta saepius ponere ac crambem istam saepius in farraginem ingerere.

20. *Hoc sacramento significatur passio et mors mea et communio cum omnibus sanctis.* Iunxerat haec *Bullingerus* cum verbis paulo ante recitatis. Sed *Ioachimus* diremit ac parum fideliter reddidit in tabula. Sacramento coenae dominicae significatur corpus Domini pro nobis traditum et sanguis eius pro nobis effusus etc.

21. *Hoc est mysticum corpus seu ecclesia sanctorum redempta meo corpore.* Hanc opinionem aliis verbis recitavit *Ioachimus* in margine: Haec est collectio seu societas sanctorum seu ecclesia redempta mea passione. Tractat autem *Bullingerus* verba Pauli 1 Cor. X. et non verba Domini de coena. Quem candorem declaravit etiam *Ioachimus* in opinionibus *Zuinglii* et *Oecolampadii.* Nam in *Zuinglii* opinionibus recitandis notavit in margine: Corpus pro Christi ecclesia. Et folio A. 5 in farragine: Certe *Zuinglius* quum haec verba: Hoc est corpus meum depravat, his commentis: hoc significat corpus meum, Item: corpus hic intelligitur pro passione in corpore tolerata, Item: corpus significat corpus mysticum seu ecclesiam, certe non verba sed sententiae inter se discrepant. Et si ex his tribus interpretationibus una est vera, tum aliae verae esse non possunt. Et reliqua. Atqui *Zuinglius* tractans verba Pauli 1. Cor. X. v. 17 sic loquitur: Quum celebratis et simul editis de pane et bibitis de calice Domini, significatis vos esse verum corpus et verum panem, videlicet corpus quod est ecclesia. Et reliqua. Estne sententia nova, impia, haeretica in ecclesiis Dei, ecclesiam sanctam catholicam dici corpus Christi? Aut pugnat haec interpretatio cum Apostoli verbis? Annon dicit Apostolus eodem loco: Unus panis et unum corpus multi sumus, qui de pane uno participamus? Annon ecclesia vetus offerendo symbola coenae offerebat coelesti patri ecclesiam? Recole, *Ioachime,* quo spiritu, quo consilio, quo artificio, quo candore et fide composueris tabulam et farraginem et chaos istud? Recogita quam haec deceant ministrum ecclesiae et Christi. Resipisce, fraterque noster habeberis.

Emensi iam sumus, ut vides, ultra mediam partem chaos istud tuum, et prospero pede, Domini videlicet spiritu nobis ter aperiente per obiectum

abs te pelagus Aegyptium vel mare rubrum. Itaque prospicientes iam solidum orbem citius pervademus reliquum chaos, ut castra tandem in Elim, ubi sunt XII. fontes aquarum et LXX. palmae tendamus.

22. *Hoc pane et vino monstratur communio quam mecum habetis.* Id male excerptum est ex libro *Calvini* de Coena Domini.

23. *Hic panis datur in symbolum communionis.* Id *Ioachimus* decerpsit e consensione ministrorum in ecclesiis Helvetiae et Galliae, more suo, id est neque christiana neque germanica fide, quod lectores ipsi non obscure cernunt legentes paulo attentius ipsam consensionem.

24. *Hoc symbolum est testificatio quae spirituales gratias figurat.* Id vero *Calvinus* in Catechismo generaliter scripsit de sacramentis. Ad quaestionem namque: Quid est sacramentum? respondetur: Sacramentum est externa divinae erga nos benevolentiae testificatio quae visibili signo spirituales gratias figurat ad obsignandas cordibus nostris Dei promissiones quo earum veritas melius confirmetur. Et reliqua.

25. *Haec est societas gratuito nobis delata, vis et usus illius in meo corpore.* Haec vero est interpretatio verbi Paulini 1. Cor. X. *κοινωνία* et non verborum Domini de coena: Hoc est corpus meum. Etiam reliquae sententiae vel opiniones, ut bellus iste farraginis sator, messor, congestor, pronus condus vocat, pari fide ex libris D. Ioannis *a Lasco* decerpta sunt. Is pro sua pietate, fide in Christum et ecclesiam, modestia, doctrina, ingenio *Ioachimi* huius operam aestimabit et quod res postulat ita, speramus, faciet. Ideo reliquum *Westphali* chaos pervolabimus.

26. *Haec est communio in corpore meo,* non iuxta substantiam suam naturalem sed iuxta meritum passionis et mortis meae et gloriam admirandae meae resurrectionis.

27. *Haec est qualitas mei corporis vobis delata* a quibus substantiam corporis accepi.

28. *Haec est coenae instituta forma,* caeremonia ipsaque externae coenae actio.

29. *Hoc totum quod nunc instituo, nempe haec coena est corpus meum* i. e. societas, sive communionis nostrae sacramentum in corpore meo.

30. *Haec est communio seu ius donatum mea morte in corpore meo.*

31. *Haec est visibilis externae voluntatis meae contestatio.*

Habes ergo, *Ioachime*, tabulam et chaos tuum maiori diligentia et fide explicatum quam ipse scripseris. Quid vero censes porro faciendum esse? Nisi displicet tibi, Neptuno vel potius Iesu Christo, servatori nostro, qui verbo compescuit saevum mare, tabulam hanc votivam suspendamus et iam paulisper in coelesti solo, per Elysios campos perque coelum empyreum sententiarum solidarum et certissimarum de coena Domini spatiabimus.

2036.

BULLINGERUS CALVINO.

Mittit ei Turicensium iudicia et annotationes, praesertim Bibliandri, huiusque tabulam, omnia ad Defensionem Consensus pertinentia.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 129, olim Scrin. B. Epp. Tom. 30, fol. 300. — Simler. Vol. 83.)

S. D. Brevitate temporis exclusus et mole negotiorum oppressus afflictaque valetudine debilitatus non possum omnia quae volo tecum conferre. Ex paucis ergo, pro tua prudentia, existimabis reliqua. Magnam iniisti gratiam apud omnes nostros scripta responsione. Agnoscimus omnes nos tibi multum debere. Et quidem pro illa nostra in te fiducia bona mittimus ad te cogitationes nostras, orantes ut boni consulas. Sincero enim animo scribimus haec quae vides. Maiorem partem ego ex sententia quum mea tum aliorum exaravi. Eadem est enim omnium nostrum sententia. Iuvit me D. *Theodorus*[1]) ex communi quoque sententia scribens quae vides eius manu exarata. Ita vero festinavimus ut non licuerit describere. Valde ergo te oro, mi domine et frater, ut postquam eo scripto usus fueris remittas. Placeret hanc tabulam manu *Theodori* exaratam et alias (si ita tibi videatur) praefigere declarationi nostrae Consensionis, mox post epistolam ad ministros ecclesiarum Helveticarum, nisi alius tibi videatur locus opportunior.[2]) Forte sub finem, post expositionem verborum Domini. Vides, mi frater, nos ex animo operam nostram tibi coniungere. Tu vide ne diu differas, sed omnia parata mature remittas. Conabimur apud Bernenses[3]) primum, deinde apud alias ecclesias fideliter agere. Fortassis, quum pro sententia nostra responderint, tibi partes dabuntur agendi cum tuis et vicinis. Metuimus Basilienses.[4]) Si qui tamen se separaverint consultabimus in commune, ne

---

2036. 1) *Bibliander.*
2) *Calvinus eam non recepit.*
3) *Quod tamen non fecerunt et Defensio edita est ut privatum Calvini opus.*
4) *quia iam ante Myconius aegre tulerat se in illo negotio praeteritum fuisse.*

illorum separatio fraudi sit futura bonae causae communi. [5])

Causa Locarnensium tantum non enecat me. Video enim strenue urgere 7 cantones, [6]) contra non admodum ferventi zelo urbes quasdam ardere. Hodie hic celebrantur comitia urbium. Multa desidero. Dominus adsit nobis. Ora pro nobis Dominum. Vive et vale aeternum. Salutant te nostri omnes. Tiguri festinantissime 25. Octobris 1554.

Tuus Bullingerus.

2037.

CALVINUS FARELLO.

Defensionem Consensus ei probari gaudet. De Turicensibus idem sperat, item de aliis, exceptis Bernensibus. Porro alia nonnulla attingit, rumorem de semetipso haereseos damnato, de ducissa Ferrariensi iam ab evangelio alienata etc.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 78. Habet Turretinus Cod. 108, fol. 18, Bern. Epp. VI. 355 et Simler. Vol. 76 ad 6 Oct. Anglice versa legitur in ed. Philad. III. 87.)

Eximio Christi servo Guillelmo Farello ecclesiae Neocomensis fido pastori, fratri et symmystae integerrimo.

S. Consensus nostri defensionem sic tibi probari vehementer gaudeo. Utinam Tigurinis idem sit iudicium. Caeterum, ut mansuefactos video, mihi spes propemodum certa est, ad subscriptionem non fore tardos nec difficiles. [1]) De Bernensibus diffido, ne suo more excusent, per senatum non licere. Neque vero sola eos mollities impediet, sed quod obscurum dissidium taciti fovere malunt, quam ingenue inter se communicare quid sentiant. Si tamen Tiguri adepti erimus quod spero, vel importune urgendi erunt ut accedant. Tuarum etiam partium tunc erit, apud *Bullingerum* instare ut aliquid extorqueat. Optimum *Blaurerum* fore nostrum non dubito. Neque solum pro sua pietate et doctrina nobis subscribet, sed etiam pro singulari humanitate et immodico erga me amore, sicut tu, liberaliter exile scriptum laudibus extollet. Basilienses nihil aliud morabitur quam blandum *Sulceri* ingenium, cui omnes mulcere ac delinire placet. Verum haec omnia Deus gubernabit.

Nescio an tibi scripserim quam pudendis rumoribus streperet tota vicinia, me haereseos damnatum, nos misso Ioanne *Fabro* apud senatum Bernensem graviter conquestos esse: ac tunc quidem senatus rem sibi curae fore promisit. Nihildum tamen responsum est. [2]) De Ducissa *Ferrariensi* tristis nuncius ac certior quam vellem, minis et probris victam cecidisse. [3]) Quid dicam nisi rarum in proceribus esse constantiae exemplum? *Budaei* nostri frater qui Regis cubicularius erat tandem huc appulit. [4]) Quamquam valetudinarius est, cupit tamen brevi te invisere. Interim te cum reliquis amicis peramanter salutat. De turbis Argentinensis ecclesiae [5]) nos esse anxios aequum est. Satagere non modo esset inutile, sed noxium. Quiescam igitur. Collega novae Catechismi editioni fratrum nomen non praetexit: tantum iactat magnam esse penuriam. [6]) De rebus nostris per eum scribere decrevi. Hostes enim nisi obviam eatur nescio quid praevideo moliri. Nostrorum segnities expergefieri nequit. Vale, integerrime frater. Dominus tibi semper adsit teque virtute sua sustentet ac spiritu regat. Genevae calendis Novemb. 1554.

Ioannes Calvinus tuus.

2038.

SEYLERUS [1]) CALVINO.

Filium iusserat Geneva transeuntem Calvinum salutare. Quem quum ille domo et urbe absentem non

5) *Lutheranorum de hac Defensione et Turicensium annotationibus iudicium sumere poteris ex Moenckebergii libro: Westphal und Calvin* p. 31.

6) *qui iam bellum parabant. Quum Räuchlinus praefectus declarasset se non permissurum ut quidquam in religione mutaretur, triginta viri protestati sunt se huic decreto non obtemperaturos esse.* (*Meyer, Locarno* I. 326.)

2037. 1) *Vides eum usque librum suum communi nomine edere voluisse.*

2) *Cf. N.* 2020. 2023. *Quum Bernenses nihildum responderint rumores isti de damnato haeretico certitudinis aliquam speciem prae se ferre poterant.*

3) *Post adventum inquisitoris Orris in coenobio quodam quasi captiva tenebatur et ut libertatem recuperaret haeresim abiuravit, non sine sera poenitentia.*

4) *François, Sieur de Villeneuve, reçu habitant* 1554, *bourgeois* 2. *Mai* 1555. (*Galiffe* II. 85.)

5) *Gallicanae.*

6) *Haec satis obscure dicta. Catechismus iste Genevensis esse nequit. Collega ergo quis? An Argentoratensis? Verum Genevae adfuisse videtur quum* per eum scribere *Calvinus decrevit.*

2038. 1) *Gereon Seyler archiater* (*Stadtphysicus*) *Augustae Vindelicorum, commercio epistolico cum Luthero, Spalatino, Argentoratensibus, multisque aliis eius aetatis coryphaeis iunctus. Infra m. Maio* 1556 *leges epistolam eius ad Bullingerum.*

invenerit ipse nunc paucis se ei commendat. Queritur de Lutheranorum superstitionibus ad papismum proxime accedentibus et Calvini libros recentiores sibi mitti cupit.

(Ex autographo Cod. Genev. 113, fol. 96.)

Doctissimo atque pientissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae episcopo dignissimo domino et amico colendissimo.

S. Filio meo in Gallias per Genevam proficiscenti, *Calvine* doctissime et pientissime, dedi in mandatis ut post salutatos Tigurinae ecclesiae episcopos et ministros, te quoque inviseret et mea officia tibi offerret. Nam post unum aut alterum colloquium quod in comitiis Ratisponensibus tecum habui (tum enim in aula illustrissimi principis *Landgravii* egi)[2]) semper te amavi, constantiam tuam magni feci et eruditionem tuam praedicavi, lucubrationes tuas doctissimas et pientissimas expassis ulnis non tantum amplexatus sum, sed plerisque bonis viris ad tua legenda et te amandum autor fui. Sed spe mea frustratus sum: filius enim te neque domi neque in urbe tum invenit, quum illac transiret. Quare consultum fuit literis istis meum erga te testari animum et illis laconicis, nam propter tabellarii inopinatum abitum plura scribere non licuit. Licebit postea quum rescivero te hoc laconismo non esse offensum. Tum enim declarabo quantum laboret ecclesia propter hostes utrinque a dextris et sinistris saevientes. Lutherani namque suis impanationibus superstitiosisque incantationibus ecclesiam non minus conspurcant quam papistae eam plane exstirpare et nefariis nugis atque praestigiosis fascinationibus perdere conantur. Quid enim tristius pio accedere poterit quam si occulatior * viderit novis absolutionibus privatis, quorundam peccatorum, quae praecipua vocant, enumerationibus, mirisque circa synaxim et plus quam idololatricis caeremoniis novum parari ad papismum aditum? Nunc autem rogo ut libellum tuum de missae canone,[3]) item alium de novis martiribus * si latine sint conscripti opera istius optimi viri et de te optime mereri cupientis ad me transmittas: nam solvet meo nomine libentissime. Rogo praeterea ut si molestum non sit operum tuorum quae ab anno 53 ad praesentem mensem publicasti ad me catalogum mittas. Dabo operam ne te locatae in me operae poeniteat. Vale, ornatissime vir, et ecclesiae ut diu sis superstes sedulo per Christum a Deo optimo maximo precabor. Augustae 1. Novemb. ao. 54.

Geryon Seylerus
Augustanae reip. medicus.

---

2) *haec in margine.*
3) *Quem Calvini librum hic designet, nisi ipsum falli dicamus, omnino nescimus. Liber de Martyribus nullus esse potest nisi Crispini.*

2039.

HALLERUS BULLINGERO.

Scripsit ad Zebedaeum pro pace et conciliatione. Bernenses Defensioni Consensus non subscribent.

(Excerptum ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 154, olim Epp. Tom. 32, fol. 206. — Simler. Vol. 83.)

— — — — — — — — — — — — — — — — —

— — Quod *Calvinum* attinet scripsi serio ad *Zebedaeum*: spero fore ut componamus hoc negotium.[1]) Quid contra *Westphalum* scripserit videre cupio. Subscriptio aegre a nobis obtinebitur[2]) propter diversa corrupte iudicantium iudicia. Nescio tamen quid adhuc futurum.

Bernae cal. Novemb. 1554.

Tuus Ioan. Hallerus.

2040.

BEZA CALVINO.

Bolsecus ἀρχέκακος novas movet turbas. Ipse Bernam profecturus est sed invitus ut magis non possit.

(Ex autographo Cod. Goth. 404, fol. 717. — Edidit Bretschneider. p. 110.)

Eximio servo Dei D. Ioanni Calvino patri mihi observandissimo et Genevensis ecclesiae fidelissimo pastori.

Genevae.

S. Habeo tibi magnam gratiam de utrisque tuis literis quarum alteras primo quoque tempore curabo Tubingam perferendas. Caeterum περὶ τοῦ

2039. 1) *Cf. N.* 2016. 2030.
2) *Quod dudum Calvinus ita futurum suspicabatur.* (*N.* 2037.)

ἀρχεκάκου fefellit te homonymia. Quum enim de *Hieronymo* illo intelligerem, qui his malis praebuit occasionem, tu contra de re ipsa dictum illud accepisti. Sic igitur habe, quantum ex illius nostri oratione colligere potui, sperare me, si modo urgeatis, fore ut ille istinc quoque pellatur et in ipsius caput tota haec tempestas redundet. Illinc tamen quid boni pro certo sperem nihil habeo, usque adeo videntur *πεπωρωμένοι*. Audisti enim, opinor, quale nuper responsum Tononienses nostri tulerint. Nos igitur, qui duriora etiam petimus, nihilo mitius exspectamus. Cras enim mihi iterum eundum illuc est cum D. *Iacobo*,[1]) id est iterum ludenda opera et tempus frustra consumendum, cuius tamen iacturam aegerrime fero, vel propter annotationes illas in quibus vix unum perpetuum diem mihi pergere licet, quin centies interrumpar. Certe nullam unquam profectionem magis invitus suscepi. Sed parendum est. Roga Dominum, obsecro, ut animum nobis suggerat, qui futuris tempestatibus ferendis sufficiat. Nam, ut nunc res sunt, alterutrum necesse erit, vel ut illi audiant et ferant quae nolunt, vel ut aliis cedamus. Si id acciderit, videat Dominus et iudicet. Si nos terra non ceperit, at certe coelum nobis patet. Quum rediero faciam te de omnibus certiorem. Quod de *Ducissa* scripsisti mihi videbatur parum probabile, et existimo te ex quodam ipsius domestico qui hac iter fecit alia multo etiam tristiora audisse. Quid facias? fecisti officium. Dominus novit qui sint sui, ut nullus ex iis pereat etiamsi interdum absorptus videatur. Sigillum tuum ad te remitto. Bene vale, mi pater. Dominus Iesus te salvum et incolumem praestet. Lausannae 4° Nonas Novembris.[2])

Th. Beza
filius tibi in Domino addictissimus.

2041.

FARELLUS CALVINO.

Respondet ad literas paucis ante diebus scriptas singula ibi tractata retractans, verum ita ut quae ille paucis et lucide expresserat hic concionabundus amplificet.

(Ex autographo Cod. Paris. Dupuy 102, fol. 88. Lectio passim dubia.)

Quam praestantissimo Christi servo Ioanni Calvino pastori ecclesiae Genevensis et ob insignem pietatem et veritatis eximiam doctrinam ab impuris canibus oblique impetito, ita recte et reverenter a piis omnibus excepto et dilecto.

Genevae.

S. *Blaurerus* nondum remisit Defensionem consensus sed vult transscribere ut literis indicavit, quas ad te mitto ut videas quid pius vir sentiat de opere. Et sane ego si sperassem tamdiu exemplar apud eum futurum, paulo cunctantius legissem, ubi quam citissime percurri, partim raptus amore eorum quae dicuntur, quae me quam avidissime cogebant legere, partim quod eo ipso die volebam *Blaurero* reddi ut videret, iamque meridies praeterierat. Relictus est affectus mirus ex lectione. Ago gratias Domino quod te ita utatur: utinam possem idem super collega, qui nimis sibi placet in eo in quo mihi displicet. Mirum quod sapere non possit. Nostrum nemo quod cupit probavit. Recte fecit quod non praetexerit fratrum nomen. Formula consensus, quam oportebat pridem edi, tamdiu latuit et aegre in lucem venit, et Defensio quae legi ab omnibus deberet, adhuc premitur ne prodeat, et tibi exspectandi sunt aliorum calculi, et ea quae latere debebant et potioribus cedere, tantum non erumpunt invitis sanioribus consiliis. Probe tenes ingenia eorum quibuscum agendum est. Verum * supra omnes difficultates est eluctandum. Is qui dedit supra spem, ut tandem consensionis ratio haberetur, efficiet ut quod superest absolvatur, quum sit Domini opus. Non tantum quid velint aut refugiant mortales attendendum, quam quid possit Dominus. Instemus precibus et fratres hortemur: non frustra id fiet. Quando iudicaveris expedire ut agam cum Tigurinis indicato: agam quod iusseris, non ut par esset sed ut dederit Dominus.

Multum placet fratrum[1]) Bernam petiisse. Si non verbis facta respondent tamen prodest indicasse quibus oportet, nec audebunt perditi tam libere pios lacessere. Tuum erit interea gaudere quod ista ob Christum feras, quodque tam gravis Satanae sis ac suis. Multo enim latius[2]) tibi est et bonis omnibus, male audire a malis quam ab eis probari, nemo enim Christi servus bene audivit apud improbos. Sentient miseri in quem insurgant. Moses magos habuit adversarios, Biliamum, et quid non foris

---

2040. 1) *Valerio.*
2) *Ad annum* 1554 *referimus quo tempore controversia cum Bolseco recrudescebat et Lausannenses etiam Bernae sua negotia parum feliciter persequebantur. De Ducissa Ferrariensi quod dicit illustrari potest ex N.* 2037.

2041. 1) *Sic Codex, sed lege:* fratrem, *scil. Io. Fabri de quo saepius supra. Vel intercidit vox:* legationem.
2) *sic. An scribere voluit:* laetius?

passus et domi quid expertus est in populo, sed potissimum a factione Choraica? de Christo quis non stupescat? Sed quid non agerent impii in Dominum, qui tam sunt amari in servos? Non miror si domi tibi sint qui toties victi sperant posse vincere invictum in te Christum. Utinam cordatius aliquando agant qui istis resistere debent.

Lapsus infelicis *Ducissae*, cui Dominus sit propitius, moeroris est plenus. Sed hunc dolorem pii *Budaei* optatus adventus lenit. Faxit Christus, quanto sua praestat ecclesia supra impiam synagogam Antichristi, tanto hic ecclesiae redditus se ipsum superet in omni pietate et sanctificatione. Dominus istum servet cum toto piorum sancto coetu, tibique adaugeat dona sua quibus nomen ipsius illustres et copiosissimum suorum exercitum, quem tibi Christus tibi* commisit, non tantum istic curandum sed passim, quam studiosissime pascas solido verbi quam purissimo pabulo, verbo, scriptis, ut fructum quam uberrimum reportes, et insignior sit Christi triumphus de omnibus adversariis qui quantumcunque improbiores insurgant et magis ac magis tibi sint molesti, et minus domari posse videntur, te non frangant sed magis alacrem reddant. Vide si qui inter eos sanari possint, ut potenter aliis resistant, hos benigne abducas a malis et reddas ecclesiae. Sed quid ego? quid nihil ago . . . .[3]) novi apud te, per quem Dominus tam eximie operatur? Condona amori nostro: si optem claudus ocyssissime* currentem perficere cursum supra omnium spem, quum hoc gloriae Christi serviat. Vale. Ovibus Christi . . . .[3]). Dominus omnia tibi quam prosperrima faciat. Cupio collegas salvos, et pios qui pro Christo tam sancte laborant. Ne praeteream inter hos *Budeum* cum fratre, tum suo tum tuo, *Normandium* et reliquos. Nostri te salutant.

Neocomi 9. Novembris 1554.[4])

2042.

CALVINUS MINISTRIS TURICENSIBUS.

Exponit quid in sua Defensione consensus iis autoribus et quatenus mutarit, simul cur in quibusdam in sua formula perstiterit.

3) *Hinc aliquid elicere prae literaturae exiguitate non valemus.*
4) *Subscriptio abscissa videtur.*

(Ex Autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 105, olim Scrin. B. Tom. I. fol. 624. — Simlerus Vol. 83. — Apographon exstat Parisiis in Bibl. nat. Coll. Dupuy Vol. 102, fol. 22 v. Anglice in ed. Philad. III. 89.)

Eximiis Christi servis Tigurinae ecclesiae pastoribus et doctoribus, fratribus et symmystis colendissimis.

S. Literas vestras,[1]) integerrimi et apprime observandi fratres, septimo huius mensis die recepi. Laborem meum, sicuti sincero animo a me susceptus fuit, vobis probari mirifice laetor, proque vestro isto candore et humanitate gratiam habeo. Vestra autem fiducia adeo non displicet, ut sit potius hic gaudii cumulus, libere vos mecum et absque dubitatione, ut inter fratres decet, mecum agere. Vos quoque vicissim mihi tam aequos fore confido, ut, sicubi a vobis dissentiam, non modo veniam detis, sed ne rationes quidem meas placide admittere gravemini. Quamquam mox ostendam, vel nullum, vel perquam exiguum atque id in paucis et levis momenti capitibus esse discrimen. Quod autem vestra sensa mihi sic comperta esse dixi, ut nihil contineat scriptum meum, nisi quod singuli dicturi essent, consulto hanc consensus nostri iactantiam *Ioachimi*[*2]) calumniae opponere volui, de mutuis inter nos dissidiis. Caeterum non tam apud vos quam publice hoc profiteri animus fuit ubi vestro iudicio scriptum ipsum limatum esset.

In epistola quae asperius in *Ioachimum* videbar dixisse correxi:[3]) nec quidquam restare puto quod vos offendat. Quamquam nebulonem alio sensu vocaveram quam putastis. Neque enim sceleratum vel furciferum intellexi, sed, ut loqui solebant veteres, nihili hominem, vel tenebrionem. Expunxi quoque bestiae nomen et quod odiose in eius patriam totumque maris illius tractum videri poterat in duobus locis a me dictum esse.

De homine autem ipso miror, cur velitis nomen eius adscribi. Scripserat mihi venerandus frater noster, D. *Bullingerus*, aliter sibi videri. In hac sententia nunc quoque maneo. Nam et plus dignitatis erit in causae tractatione, si nullius privati hominis fiat expressa mentio: et homini garrulo non tanta respondendi occasio dabitur, et praestat quosdam tacite perstringi qui sunt in simili causa, quam unum adversarium deligere. Nec vero tantum honoris homini superbo habendum esse arbitror, ut celebretur: dicerent etiam permulti, nos levi de causa fuisse commotos, si unius tantum obscuri hominis accusationi actionem nostram viderent oppo-

2042. 1) *N.* 2034.
2) *De hac nostra ep. v. Henry p.* 307 *et Moenckeberg p.* 33.
3) *Cf. quae Turicenses reprehenderunt cum editione nostra.*

citam. Ad haec non quadraret libellum nominatim dirigi in eum cuius dicta quaedam obiter tantum attingo. Nam amplus gloriandi campus ei pateret, non fuisse sibi responsum. Praestabit igitur digito sic monstrari, ut in medium prodeundo anxie in ipso ingressu laboret. Itaque quid de tabulis[4]) agendum sit, dubito, quia vereor, ne parum rationi consentaneum sit quum alia, imo totam summam breviter percurram, copiosius in uno articulo insistere. Verum si commodus locus se offeret, rem vestro arbitrio permitto. Solum ostendere placuit, nisi plena libri refutatio in medium prodeat, de homine et eius ineptiis parce, et quidem nomine suppresso, videri mihi dicendum. Fiet etiam forte hoc modo, ne tam facile vicinos in belli societatem impellat, quos procul dubio clamose accerseret, si nomine esset lacessitus.

De *Luthero*[5]) satis fuisset me uno verbo moneri. Neque enim me latet, quantopere in nos insanierit: neque memoria exciderant quae in Apologia vestra legi, neque mihi de venerabili et adorabili altaris sacramento ignotum erat portentum. Sed quum videam hominem nativa alioqui intemperie elatum tales spumas evomere, prout aliunde erat impulsus, sepultis illis contentionibus, sumpsi quod ad pacem aptius erat. Prudenter vos quidem cavendum esse prospicitis ne adversarii insolentius in nos irruant. Itaque locum sic correctum invenietis, ut plane vobis arrideat.

De confessione Augustana cur non penitus vobis assentiar, optimi fratres, paucis accipite:[6]) Ut ea prodierit a *Luthero*, quod mihi non est probabile, quorundam tamen assidua instigatione Wormatiae effectum est ut verbum ex hoc capite eraderet *Philippus*. Quum igitur oblata esset nova editio, clamitarunt papistae, nos et Zuinglianos esse et falsarios. Magnus turbarum metus, quas Deus mirifice praeter spem sedavit. Marchio enim *Brandeburgius* qui tunc belli contra Turcas gerendi provinciam ambiebat, unum ex Principibus *Anhaltinis* furtim ad *Lutherum* misit qui non modo ipsum a nobis distraheret, sed eius in nos violentiam accenderet. Atqui unum hoc saltem in vita sua edidit moderationis specimen, quod proditore illo valere iusso, eius fraudem et nequitiam ultro nobis detexit. Ex ordinis nostri hominibus qui aderant, unus erat *Brentius* durior, qui tamen iam nonnihil mansuefactus erat. *Crucigerum* vero prorsus nostrum reddideram. Hic *Landgravius*, qui ob suam digamiam male sibi conscius se *Carolo* serviliter dediderat, ne eadem digamia, vel potius dysgamia, in discrimen veniret, animum subito collegit. Ita haec mitigatio omnium fere suffragiis recepta fuit. Nam *Ampsdorphii* clamor, qui in *Bucerum* exarserat, non tantum contemptus, sed etiam derisus fuit. Quanquam autem nihil inde esset periculi, ut tamen vestro timori succurrerem, locum mutavi: prorsus omittere confessionis mentionem visum non est: ut qui nobis accedent, non putent, se ab ea discedere. Privatis interea scriptis diserte ianuam praeclusi: in quibus est Apologia, quae autori quoque suo ita displicet in hac parte ut nos sibi minime cupiat subscribere vel suffragari.

In eo loco ubi nego, promiscue omnibus prodesse sacramenta, sed ubi Deus efficaciter pro suo beneplacito agit: ignoscite, si neque expunxi, quae recte et tempestive a me scripta putabam, neque ad verbum intexui quaecunque inserta velletis. Nam illa Augustini descriptio, ubi dicit corpus Christi esse societatem fidelium, ut est mutila et obscura, suspicionem multis non malis iniiceret, oblique et astute, quod de capite Christo dicendum erat, traduci ad ecclesiam. Verum, si omnia propius expenderitis, sic a me correcta vel inflexa reperietis quae vobis non placebant, ut facile constet, non fuisse praefractum, vel consiliis vestris immorigerum. In quatuor etiam vel quinque proxime sequentibus locis vobis satisfactum esse confido.

Cum modo ineffabili et incomprehensibili non pugnat illa quam posuimus definitio. Neque enim si quid nobis verbo suo Deus aperuit protinus sensu nostro comprehendi vel lingua exprimi potest. Bene enim nobiscum agitur si bonorum spiritualium altitudinem nunc animae nostrae delibant. Atqui quum nostra cum Christo unio, altitudinem, profunditatem, latitudinem et longitudinem, quas Paulus praedicat in Epistola ad Ephesios, in se contineat, plenam eius notitiam necesse est in diem ultimum differri, quo videbimus facie ad faciem. Mentiar ergo si profiteri audeam, me penitus modum tenere. Et quid sibi vult illud Pauli magnum mysterium, nisi ut nos rei magnitudine obrutos in admirationem attollat? Quare non est cur abhorreamus a vocibus quarum usum simplex rei, de qua agitur, natura necessario postulat. Miracula quae superstitiosi homines fingunt, si respuere vobis in animo est, consentio. Sed nihil mysterii agnoscere, id vero ab arcana spiritus virtute, quam toties celebramus, nimis dissidet. Caeterum paucis verbis mutatis scrupulum exemisse videor.

In voce quoque *realiter* lecta mea correctione non amplius, ut spero, haerebitis. Quia silentium pro latebris habitum esset, eam prorsus omittere meo iudicio non licebat. Pertinacius autem negando,

4) *Epistolae Turicensium subiunctis; vel etiam de Bibliandri annotationibus id dici poterat.*

5) *Haec Henry omnino alio sensu sumpsit ac scripta sunt et eum sequutus est Moenckebergius. Pestalozzius vero* p. 390 *hunc locum silentio praeterit.*

6) *Diligenter animadvertas, b. l., memorabile factum quod hic narratur, alias vix notum. Cf. etiam Opp. IX. p.* 19 *not. et Schmidt Mel. p.* 372.

quod concedere nulla ratio vetat, in idem morositatis vitium incidissemus, in quo illi merito a nobis damnantur. Ac miror, quum in quibusdam plus aequo timidi sitis, quomodo hic vobis in mentem non venerit offensio, quam plerique boni et docti ex frivola repugnantia conciperent. Nam sermones cum multis habiti hoc mihi extorserunt, ne de vocula ista contenderem. Diserte interea cavi, ne vel ambiguitas captionis esset occasio, vel frustra hactenus aut de nihilo quispiam nos pugnasse insimulet. Denique ex animi vestri sententia locum restitutum esse confido.

Nunc superest, observandi fratres, ut mediam hanc rationem, etsi a vestro praescripto paululum deflectit, aequi bonique consulatis. Me certe non retinuit αὐθάδεια, quominus sine exceptione vestro consilio parerem. Sed quum mihi per vos licitum esse confiderem quid ecclesiae Dei expediat, tanquam unum ex vobis, pro mea parte discernere, hoc iure fretus, proponere non dubitavi quod hic videtis. Quod si me eventus frustretur, laborem hunc meum supprimi praestabit, quam me ultra esse vobis molestum. Valete, observandi fratres. Dominus vos spiritu suo regere et pios labores vestros benedicere pergat. Collegae mei reverenter vos salutant. Genevae 13. Novembris 1554.

Ioannes Calvinus vester.

2043.

RABOTTUS CALVINO.

Calvino gratias agit de officio quodam sibi praestito.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 53.)

A monsieur, monsieur maistre Iean Calvin
A Geneve.

Ab eo tempore quo huc veni semel ad te dedi literas,[1]) domine mi observandissime et pastor. Quibus ope Domini tuo me paruisse consilio nosti. A te quidem nullas accepi: nec ad hoc te invitare sum ausus ob quotidianum munus tuum et ingentia negotia quae peragenda assidue in manus tuas incidunt: quae vix ullam requiem unquam spiritui tuo concedunt atque patiuntur. Nihilominus quod inde mei memoria ex animo tuo haud exciderit satis ex D. Georgio *D'aubret* his diebus deprehendi. Nam rerum mearum curam (tuo favore) suscepturum mihi pollicitus est. Quare quum immensas tibi gratias habeam, hoc a te denuo exorare desidero, quo his perlectis literis cum eo iterum huiusce rei unicum tantum verbum facias: ut quum Lugdunum appulero (quod Deo dante spero propediem) et aequiori animo negotia mea suscipiat et ad alia mihi auxilium praestet. Illud non sum iter facturus quin te invisam et de aliquibus tecum conferam. In quibus interim tuis summopere egeo precibus apud Dominum, quem rogo ut magis atque magis stabiliat cor tuum et te salvum atque incolumem custodiat. Et vale, mi Domine, filiumque tuum ex animo amplectere, quaeso, quem omnibus mandatis tuis paratissimum semper iuvenies. Argentinae Idib. Novemb. 1554.

Tuus animo et studio filiolus
Guillielmus Rabottus cognominatus
Georgius de Salen.

2043. 1) *deperditas. De Rabotto ipso v.* 1379. 1389. 1849.

2044.

CALVINUS GRAYO.

Tristem casum nobilissimae eius familiae deflet, salutem ipsi concessam gratulatur, animum eius pia alloquutione erigere conatur et pro Tremellio et suis, qui et ipsi in britannica rerum conversione male affecti fuerunt, intercedit.

(Authenticum non exstat exemplar. Plura tamen apographa ad manum fuerunt: Genevensia duo Cod. 107a, fol. 79 et 108, fol. 19; Bernense Epp. VI. p. 357 et Simleri Vol. 83. Quae varie inter se differunt et textum non ubique sanum praebent: quem tamen alterum ex altero emendantes nullo negotio restituere potuimus. Edidit Soc. Parkeriana latine in Epp. Tigur. N. 339 p. 464, anglice Tom. II. p. 715. Exstat et in edit. Philad. III. 94.)

Illustri Domino nec virtute sua minus quam nobilitate claro D. Ioanni Grayo[1]) mihi apprime honorando.

S. Etsi fieri vix potest, clarissime Vir, quin domus vestrae calamitas, quae tristis et funesta pas-

2044. 1) *John Gray, ducis Suffolciae frater, et Ioannae tristi suo fato celeberrimae patruus, postridie Non. Febr.* 1554 *occasione seditionis Wyatianae in Turrim Londinensem coniectus postea autem dimissus est.* (*Strype eccl. mem.* III. 1 *p.* 136. 145.) *Ioanna pridie Idus eiusdem mensis supplicio affecta fuit, eius pater undecim diebus post, denique huius frater Thomas.*

sim bonis omnibus fuit, plus quam acerbum tibi inflixerit doloris vulnus, et hodie adhuc gravissimo te moerore excruciet: tamen ut christiano homine dignum est, sub hac ingenti tentationum mole te infractum firmumque semper stetisse et adhuc stare confido. Nam etsi pias mentes pro carnis infirmitate graviter levioribus quoque machinis interdum concuti videmus, nunquam tamen prorsus labefactatur quae in Christum recumbit fides. Atque ita non dubito quin violenta ista tempestate abreptus, defixa in coelo anchora, fortiter illos undarum impetus exceperis et constanter sustinueris, qui te centies alioqui obruere poterant. Restat etiam aliquid maius, ut crucis militiam ad extremum usque persequaris. Neque enim Dominus tam duro certaminum genere te ad breve modo tempus exercuit, ut specimen excelsi animi ederes, sed etiam ut post hanc, qua fortunae tuae amplitudo et splendor concidit, deiectionem placida et aequabili animi moderatione residuum vocationis tuae cursum peragas. Ad haec te quoque ad eam regulam, quam Paulus nobis suo exemplo praescribit, assuefacere voluit, ut non minus humilitatem ferre discas quam excellentiam. Quo autem rarior et magis difficilis est haec virtus, si in ea profeceris, non male compensata erit naufragii huius iactura. Etsi autem illustrissimo Duci fratri tuo, neptique singulari et aeterna memoria digni exempli feminae gratulor, quibus datum est in morte ipsa victrices animas in Dei manum fidelemque custodiam reponere, mihi tamen hoc in tristissimis tot nunciis non vulgaris solatii loco fuit, quod te audierim e mediis mortis faucibus ereptum nobis superstitem adhuc manere. Ac dolorem ex falso interitus tui rumore conceptum primi mihi nuper mitigarunt Immanuel *Tremellius* et *Antonius* [2]) eius gener, qui quum tuam in se liberalitatem et multa humanitatis officia laudarent, in clade nobilissimae familiae magnam sibi causam esse dixerunt privati sui incommodi deflendi. Inter alia etiam questi sunt, primo illius procellae impetu sibi ereptam fuisse suppellectilem, unde sperabant aliquod in suo exsilio inopiae levamen: Nunc, quum sis restitutus, tuam illam quam tot modis experti sunt humanitatem implorant, si qua forte subsidii, quo plurimum egent, recuperandi spes sit ac suppetat ratio. Quanquam autem sine meis precibus suae illis doctrinae et pietatis commendatio abunde sufficit, hoc officium benevolentia erga me tua fretus illis negandum non censui, nec vero dubito quin meae fiduciae facile ignoscas. Vale, clarissime vir et illustrissime, mihique observande Domine. Deus pater Iesu Christi et noster suo praesidio te tueatur, spiritu gubernet, fortitudine sustineat, omnique benedictionum coelestium genere locupletet. Genevae 13. Novembr. 1554.

Io. Calvinus tuus.

2) *Chevallier cf. N.* 1971.

2045.

MARTINENGUS BULLINGERO.

Laelium Socinum anti-trinitarium denunciat et omnem suae ecclesiae cum eo communionem abnuit. Item iuvenem Italum Turici studiis operam navantem quem eadem haeresi infectum putat.

(Ex autographo Cod. Turic. Archiv. Plut. VI. Vol. 161, olim Scrin. B. Epp. T. 36, fol. 297. Simler. V. 83. Trechsel II. 180.)

Doctissimo et piissimo viro, D. Heinrico Bullingero apud Tigurinos ecclesiastae fidelissimo mihi plurimum observando.

Tiguri.

S. Quod antehac nullas ad te literas dederim, non est quod mireris, optime *Bullingere*, nam quod ad mutuam amicitiam alendam fovendamque attinebat, quae sola mihi aderat occasio, satis superque esse iudicavi si per *Calvinum* nostrum salutationes referrem, sicut per ipsum a te subinde eas accipiebam. Sed quando ampla occasio se mihi modo offerat, non potui praetermittere, quin has, qualesquales sint, ad te mitterem. Ea vero haec est: Fortassis a te desiderari poterat, et meum officium id postulare videbatur, ut te de *Laelio* [1]) nostro alioqui notissimo commonerem, ne unius hominis intuitu tota nostra natio suspicione, eaque gravi, notaretur. Id quod tamen ab omnium mentibus longissime abesse debet. Nam tibi persuadeas eius opiniones et chimaeras, imo blasphemias et monstra, nobis displicere et abominationi esse. Sed cur distulerim, haec fuit causa. Nam non putabam apud vos diutius mansurum. At quum videam eum pergere, non potui nec debui amplius dissimulare. Accedunt duae causae quae me alioqui satis mea sponte currentem instigant et impellunt. Una quidem est, quod per literas ad me, diaconum et seniorem ecclesiolae nostrae nuper datas, blasphemias suas

2045. 1) *Vergerius ad Bullingerum* 6. *Sept. ap. Porta, l. l. supra N.* 2018: Etiam scripserunt ad me fratres Laelium se continere non potuisse quin aperuerit se et bene multa dixerit contra nostra dogmata. Utinam non ita sit. Audio ivisse Basileam. Si ita est quaerit suos *etc. Similia Gallitius ad eundem* 17. *Sept. ap. Hottinger helv. KG.* III. 791. *Cf. N.* 2050.

plus quam antea effutivit: praeterquam enim quod omnes nos in errore ac tenebris esse dicat, quum tamen ecclesia nostra per omnia cum vestra consentiat, audet velut gigas de sacrosancta trinitate verba faciens dicere, imo gloriari: turrem hanc a fundamentis evertam. Altera vero est, quod quum apud vos agat noster quidam Italus,[2]) probus alioqui iuvenis, is, ut suspicamur, et fere ex eius literis ad civem quendam suum scriptis compertum habemus, ex eius calice bibit. Nam et ipse de tripartita quadam chimaera,[3]) quam nobis impingit, mentionem facit. Id vero nobis timorem incutit ne idem cum aliis iuvenibus vestris faciat. Tuum erit dispicere et prospicere ne quid hac in re damni ecclesia vestra et praesertim iuventus patiatur. Nam de vobis ministris et doctoribus quis vel minimum timorem habere queat vel debeat? Addo quod haec apud vos mansio timenda est, ne sicut ipsi maximum favorem conciliat, ita apud alios non sit maximi damni, ut non habeatur saltem pro ita pestilente et deplorato: alioqui a vobis non sustineretur, nedum ab aliquibus laudaretur. Haec sunt quae ad te scribenda in praesentiam necessaria esse existimavi. Ea tuae prudentiae ac pietati consideranda relinquo, et sicut de me, sat scio, omnem candorem tibi persuadebis, ita Dominum ardentissimis votis rogabo ut spiritu consilii sui ac fortitudinis velit te regere ac gubernare. Bene vale, mi *Bullingere,* et scito me ex animo te amare et observare.

Datum Genevae die 14. Novembris.[4])

Tuus Celsus Martinengus.

2046.

LE SÉNAT DE BERNE AUX MINISTRES DES CLASSES FRANÇAISES.

Injonction de s'abstenir de tout ce qui pourrait troubler la paix de l'Eglise et particulièrement des actes ou paroles qui ont motivé les plaintes de ceux de Genève.

(Archives de Berne, Welsch Missiven-Buch D. fol. 30, avec cette inscription: *Den weltschen Classen.*[1]) Ruchat VII. 299.)

Ladvoyer et Conseil de Berne. Nostre salutation, honnorables docts scavants chers et aymes. Ilz nous ont nobles saiges et prudents nous chers amys et combourgeois Sindicques et Conseil de Geneve par lettres[2]) faict entendre, comme par leurs prescheurs soyent advertis pource que avec grand scandale de Levangile leur doctrine par aulcuns de nous prescheurs et aultres soubiectz soit este blasmee, dont pour remedier a tel mal Ilz avoient delibere de recourir vers nous pour en faire plaintiff,[3]) et nous prier dy mettre ordre. Or pour ce que le bruict de telles diffames est grand et maulvais et que redonde a grand opprobre pour toute la crestiente, leur a semble bon que les dicts ministres eussent recours ver nous etc. Sur ce nous ont lesdicts ministres de Geneve escript au contenu du double de leurs lettres cyenclos. Or ayants lesdictes lettres bien entendues et la mattiere consydere, principalement les diffamations et blasmes en jcelles mentionez en avons receuz tresgrands deplaisirs et regrets veuz que par jcelles les esglises non seulement sont troublees mais aussy offensees et scandalisees, et commune paix, union, tranquillite Chrestiene amittie et fraternite ruynee, et ensemble grand et petits mervileusement scandalisez. Dont eussions bien pense et nous confie que les personnaiges nommes esdictes lettres se feussent de cela depourttez et bien consydere la consequence, pour obvier es troubles, fascheries, divisions, dissensions, noyses et plusieurs aultres maulx provenans de ce eis * Esglises aussy es docts et jnstruictz en la saincte escripture, pareillement au simple peuple, voyre feussent estez recors des remonstrances et admonitions es derniers chapittres par nous commis faictes pareillement a nous ordonnances, estatus, mandements, edictz et exhortations, pour entretement * de paix, union tranquillite, concorde, cis * Esglises aussy fraternelle dilection, par cydevant esmanees, Dont par justes raysons lesdicts transgresseurs auroient bien merite nostre griefve punition, et mesmement banissement hors nous pays et terres lannee passee menassee.[4]) Touttesfoys, pour ce coup leurs voulans de singuliere grace pardonner, esperans que cy apres ne commettront telles ou semblables faultes, avons tous generalement et ung chescun particulierement expressement mandans et commandans en tant que desyres devitter nostre male grace griefve punition et susdict bannissement que doresnavant vous ayes a depourter de tieulx et semblables oultraiges, blasmes, envies, diffamations, offensions, scandales, concertations vaines et frivoles disputations, ce soyt publicquement ou secretement

---

2) Io. Perrinus (*Simler.*).
3) *Cf. Serveti Cerberum. Opp.* VIII. 746. 827.
4) *Simlerus adscripsit.* 1554.

2046. 1) *On remarquera que l'édit s'adresse à toutes les Classes et n'entre dans aucun détail personnel. Evidemment le Conseil voulait rétablir la paix par le silence. Comp. la pièce suivante.* (*Ruchat* VI. 122.)

2) *Cette pièce ne s'est point trouvée aux Archives.*
3) *Comp.* 2020 *suiv.*
4) 7. *Août* 1553. *Ruchat* VI. 496.

de faict parolles et escript, Ains aveoq voz freres Chrestiens, serviteurs et ministres de la saincte parolle de Dieu vivre entretenir paisiblement et unanimement en Iesu Christ nostre seul Saulveur etc. lequel prions a ce vous donner sa grace. Datum 17. Novembre 1554.

2047.

LE SÉNAT DE BERNE AU SÉNAT DE GENÈVE.

Il proteste de son désir de conserver la paix entre les églises, déclare qu'il a pris des mesures pour l'assurer de son côté et insinue qu'à Genève on ait à en faire autant.

(Archives de Berne. Welsch Missiven-Buch D. fol. 29 avec cette inscription: *Gennff. Calvinus schalltung predicanten.*)

Nobles etc. Nous avons aujourdhuy prins devant nous yeulx vous lettres dattees le second aussy celle des ministres de vostre Eglise de quattriesme doctobre dernierement [1]) passe, touchant les plaintiffz que faictes daulcuns nous ministres et soubjectz blasmans et diffamans les vostres, singulierement maistre Iehan *Calvin* chose redondante a grand scandale et vitupere de levangile, nous prians y remedier et mettre ordre necessaire et en seurte pourveoir que tel desordre ne regne en noz pays. Or ayants bien entenduz les contenuz desdictes lettres et la matiere consydere pour responce vous signiffions que sommes tres desplaisants et en avons sy grand regret que non plus, pour aultant que tousiours avons taches et employez toute diligence dentretenir paix union Chrestienne tranquillite et repos de leglise de nostre seigneur, et a ce effect reprimez et deffenduz par edictz et commandements expres touttes disputations agues scandaleuses doctrines faulses perverses et novelles, aussy les parolles livres et escripts diffamatoires, suscitantes questions, noises, troubles, differens, contentions, et ce pour avancement et entretement * de la pure et simple doctrine de Ihesu Christ nostre seul saulveur. Et devez estre asseurez que a layde et par la grace de Dieu tousiours demourerons en ce constans vous tresaffectueusement prians en charitte Chrestienne vous admonestans que de vostre coste vous y mettez bon ordre [2]) pourvoyes et ayes advis que vous et vous ministres par leurs parolles livres escriptures publiquement ne secretement offensent diffament ne mesprisent nous ne nous ministres, Esglises, ne aulcuns de nous soubiectz, ains tiennent et embrassent comme membres de Ihesu Christ et freres Chrestiens. En quoy de nostre costez ny aura faulte Dieu aydant, lequel prions que par sa grace en ce a vous et a nous veuilliez * assister. Datum 17. Novembris 1554.

Ladvoyer et Conseil de Berne.

2047. 1) *N.* 2020. — *Nous avons déjà dit que celle du conseil ne s'est pas retrouvée.*

2) *Avis au lecteur.*

2048.

HALLERUS BULLINGERO.

Novae et variae ex sua Africa, quam vocat, molestiae. Primum Lausannenses denuo pro disciplina instantes et denuo repulsam ferentes. Deinde Sampaulinus cum novo tractatu de praedestinatione. Tum Calvini querelae de suis calumniatoribus et Bolseci machinationes. Iam et ex Defensione Consensus Turicensis novae ambages orituræ videntur.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 154, olim Scrin. B. Epp. Tom. 32, fol. 204. — Simler. Vol. 83.)

Clarissimo viro D. Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori fidelissimo domino ac compatri carissimo suo.

Tiguri.

S. Novi nihil habemus nisi quod nostra semper nobis novi aliquid affert Africa. Fuere hic legati classis Lausannensis Iacobus *Valerius* et Theodorus *Beza* [1]) qui gravissime pro disciplina ecclesiastica obtinenda et instituenda laborarunt. Sed frustra, ut antea saepe. Tentarunt varia, quorum quaedam boni speciem habent optimam, et eximii fructus spem prae se ferunt. Alia vero, meo iudicio, non obscure tyrannidem sapere videntur. Et quamvis de bonis illis viris optime sperem, tamen posteritatem subinde bonis institutis abutentem pessime pertimesco. Nihil, ut dixi, impetrarunt. Minitantur nunc, quoniam legationibus nihil proficiant, se sic liberaturos suas conscientias, ut tandem pro causa dicenda accersiti audiantur, qui nunc audiri non

2048. 1) *De hac legatione Beza N.* 2040. *Hallerus ipse in Ephem. de his nihil.*

possint. Quantum nobis facessant negotii in hoc, facile coniicere potes.

Paulo post ipsorum discessum ecce adest Franciscus *Sampaulinus* Viviacensis minister. Is libellum senatui offert de Praedestinatione scriptum quo suam declarat sententiam, simulque docet qua moderatione ministris utendum in explicandis locis hanc materiam concernentibus. Cupit ut edatur liber: se enim inde motum, ut scriberet ipsum, quod audiat nomen suum in Gallia passim tanquam haereticum propter hanc opinionem traduci. Ea ergo sibi purgatione opus fuisse ad tuendam ministerii sui dignitatem. Simpliciter vero se omnia tractare (quod et facit) neminem taxare, bonorum conscientiis se velle hisce mederi etc. Ego, antequam libellum senatui offerret, meam ei dixi sententiam, seu quid mihi videretur. Sed quoniam acquiescere noluit, libellum obtulit. Liber a senatu ad nos transmissus. Hodie hac hora imus ad Senatum, expositori quid nobis videatur, et senatum officii sui admonituri. Si edatur liber hic, habebit mox qui respondendo carpant aliquid. Sic ignis contentionum invalescet. Nos suademus senatui ne patiatur quidquam hoc tempore edi, scribi aut disputari a suis de hac materia. Libellum nec approbamus nec reprobamus, ne imprudentes involvamur huic contentioni. [2])

Eadem opera suscipiemus quoque hodie Genevensem causam agendam, quod *Calvinus* a quibusdam nostratium tanquam haereticus traducitur. Dabimus operam ut senatus sic suam interponat autoritatem, ne illi forte committantur. Si senatus ad classes scribat speramus fore ut conquiescant. Fiet etiam mentio *Hieronymi* medici, qui solus omnium fere videtur turbarum autor esse, nec unam modo haeresim spirare. Putat enim de nullo christianae doctrinae dogmate nos satis dextre sentire. Multorum animos a studio pietatis odio *Calvini* avertit. Neque vero senatum fatigaremus hisce, si non prius ea de re Genevenses ad ipsum retulissent, et summa nos necessitas urgeret. Si tantisper maneat nuncius hic donec quid decretum sit cognovero, subiiciam deinde.

Calvini scripto contra *Westphalum*, non satis caute usus est D. *Blaurerus*. [3]) Passus est enim illud venire in manus Christophori *Piperini*, qui descriptum huc detulit et hic a *Mauritio* symmysta nostro lectum est me nescio. Is tamen mihi postea confessus est. Vereor ergo ne, si nunc aliquid mutet, ipsos nescio quid suspicaturos. Quamvis suspicentur, quidquid velint, convenit, ut quae disputationi nostrae adversa sunt mutentur. Alias confirmabuntur illi qui putant *Calvinum* neque Consensum illum cum nostra ecclesia recte satis servare. — — — — — — — — — — — — — — —

Sampaulinus dicit mihi *Bezam* edidisse figuram quandam orbicularem, qua demonstret omnia etiam mala ab ipso Deo tanquam prima omnium causa propendere. Eam non vidi. Si nactus fuero mittam ad te. [4]) — — — — — — — — — — — — — — — — — Claudere cogor literas inscius adhuc eorum quae hodie decreta sunt, nisi quod Francisco *Sampaulino* interdictum ne quid edat. Quid de *Zebedaeo* et reliquis statuatur, ignoro adhuc. — — — — — — — — — Bernae 17. Novemb. 1554.

Tuus Hallerus.

2049.

VERMILIUS BEZAE.

Gratias agit ei de libro sibi misso, sibi ipsi gratulatur ob mutuam benevolentiam qua cum autore iungitur et hortatur ad pergendum.

(Describimus ex Appendice Locorum theologicorum Tig. editorum 1580, fol. 583. Ed. 1587, fol. 1093.)

Librum, [1]) eximie vir atque in Christo amabilis frater, ab *Himmanuele* [2]) nostro accepi, quem illi quum a nobis [3]) discederet mihi tradendum dederas. De munere igitur quum ob ipsius dignitatem ac meritum gratias ago, tum quod iam viam patefactam sentio qua nostram per Christum ac eius evangelium

2) Mense Nov. lis erat Lausannensibus ministris cum F. Sampaulino min. Viviacensi, eo quod in negotio praedestinationis videbatur aliquantum ab ipsis discrepare. Res fuit composita sed ita ut neutri parti satisfieret. Conscripserat ipse libellum quo quid sentiret in hac materia explicabat, et petebat ut concederetur illi vulgare istum. Sed magistratus noluit et librum ad se recepit. Interdictum quoque est aliis ne quid de hac materia ederent, sed neque Viretus neque Beza hoc servarunt. Viretus hoc tempore minister erat Lausannae existimationis maximae. (*Haller, Ephem. p.* 105.) *Cf. etiam N.* 2016. *Sampaulini libellus MS. exstat in Archivis Bernensibus.*

3) *Cf. N.* 2041.

4) *Exstat in Bezae tract. theol.* I. 170 *ss.:* Summa totius christianismi s. descriptio et distributio causarum salutis electorum et exitii reproborum ex ss. literis collecta (cum brevi explicatione tabulae). *Heppe, in sua Vitae Bezae hoc opus ad a.* 1555 *refert; hunc annum forte typographus in titulo indicavit. Editionem principem non vidimus. Haagius laudat:* Briève exposition de la table ou figure contenant les principaux points de la religion chrestienne. Laus. 1560. 16.

2049. 1) *De haereticis puniendis.*

2) *Tremellio.*

3) *lege:* vobis.

benevolentiam non ita in nobis ipsis tacite claudamus, verum illam mutuis crebrisque posthac et literis et salutationibus colamus. Abs te quidem hoc pulcherrimum et iucundissimum coniunctionis genus incepit: quare non aequum fuit ut in me desineret. Illud igitur alacritate ac voluptate qua par erat excepi, et ut continuetur nunc pauca haec scribere volui, quo tibi primum istam felicitatem stili, doctrinae ubertatem ac sinceritatem fidei gratuler. Quae dona porro egregia quum tibi a Deo collata ad utilitatem ecclesiae intelligas, illis nunc sedulo utitor, quando gregi Christi maxime sunt necessaria, et dum aetas ad id faciendum integra est. Sed eum monere qui per se ipsum satis sapiat quia est supervacaneum, ideo pluribus id non faciam. Alterum quod tibi significandum existimavi est, me ac (ut arbitror) mecum omnes pios et quotquot ecclesiae salutem amant gratias tibi agere ingentes, ob susceptum in scribendo laborem, quod idem tibi calcar addit velim, ut pergas quemadmodum coepisti, et quo sunt plures veritatis hostes eo tu maiores copias et robustiores adversus eos acies instruas. Deus te nobis incolumem diu servet ac largiatur ut Christo et ecclesiae feliciter vivas. D. *Viretum* meo nomine salutari cupio, cui significabis gallicanae huius ecclesiae causam tandem felicem exitum habuisse.[4]) Argentinae 18. Novembris 1554.

2050.

CALVINUS BULLINGERO.

Privatim ad eum fere eadem scribit de annotationibus Turicensium partim receptis partim neglectis quae nuper ad omnes. Plura se non mutaturum denuo affirmat. Melanchthonis timiditatem et Socini audaciam pariter notat.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 105, olim Scrin. B. Epp. Tom. I. fol. 626. — Simler. Vol. 83. Versio angl. ed. Philad. III. 96.)

Ornatissimo viro et fratri mihi colendissimo D. Heinricho Bullingero Tigurinae ecclesiae fido pastori.

S. Observationes vestras,[1]) colendissime et integerrime frater, quibus ostenditis quae vobis non per omnia in scripto meo placuerint, una cum appositis rationibus legi. Quando autem vobis curae fuit non solum folia et paginas sed etiam lineas notare, oblivione factum arbitror ut mihi non remissum fuerit exemplar. Ego tamen singula diligenter cum suis locis contuli et conatus sum, quoad licuit, non modo consiliis vestris obtemperare, sed etiam vobis morem gerere. Si nondum satisfactum est, laborem meum facile patiar sepultum iacere: quaecunque autem excogitata fuerit melior ratio, eam libenter amplectar. Caeterum ut in actione communi meis partibus deesse nolo, ita sic mihi videor defunctus ut nihil ultra privatim mihi tentandum sit. Nam si qua se offerret melior ratio libenter me adiungam. Si tamen haec forma, ut nunc vestro admonitu correcta est, placuerit, non erit in editione diu cessandum. Undique enim subinde affertur fama, nullum insaniendi modum facere panici Dei patronos.[2]) Atque ex *Philippi* literis,[3]) quas nuper accepi, intelliges, quam formidabilis sit ipsorum insania probis hominibus, sed non satis animosis. Qui tamen adeo timidi sunt necessitate coacti, si a nobis accedat stimulus, aliquid forte audebunt. Certe in urgendo *Philippo* properandum est. Meae interim tarditatis deprecanda est culpa quam tamen precarius amanuensis totam sustinet. Est autem optimus vir, nuper Regis secretarius, qui post oblatam mihi suam operam, sponsae quae ex Gallia advenit magis fuit addictus quam ut mihi libere vacaret. Neque tamen exemplar meum, quod unum servaveram, et quidem lituris plenum, e manibus sibi extorqueri passus est.[4]) Verum sat cito si satis bene: praesertim quum morae compensatio in manu vestra sit. De Basiliensibus idem semper timui, quod tu. Forte homini,[5]) quem nosti mollem et blandum, animum addit transscripta ex *Philippi* literis pars illa quae ad praesentem causam pertinet. Rogo tamen ut *αὐτόγραφον* mihi statim remittas. Bernates protinus assensuros nihil dubito.[6]) Instandum modo erit, ne metuant.

Quam modeste se istic contineat *Laelius*[7]) nescio: virus quidem suum, quod hactenus aluit, tandem evomet, sicut apud nos. Semper olfeci prodigiosum esse ingenium:[8]) opinionem tamen meam vicit.

---

4) *In hoc fallitur vir egregius. Disceptationes illae minime sopitae erant, ut deinceps videbis et tandem eo pacto finierunt ut Garnerius munere se abdicare coactus fuerit.* (*Diar. Marbachii ad Mart.* 1555.)

2050. 1) *Cf. N.* 2034 *et seqq. et* 2042.

2) *Ἀρτολατρείας Melanchthonianae latina versio.*

3) *N.* 2031.

4) *Fuit is Io. Budaeus* (*non Franciscus de quo Simlerus cogitat, qui eum Regis Cubicularium fuisse dicit*) *Sieur de Vérace. Duxit Ionvillaei sororem Mariam.*

5) *Sulzero.*

6) *Cf. Halleri praecedentem.*

7) *Relege Martinengum. N.* 2045 *et Bullingerum N.* 2009.

8) *Orelli in Baseler wiss. ZS.* III. 3 *p.* 44 *hoc sic accepit quasi Calvinus Socino ein ausserordentliches Genie tribuisset. Cf. etiam Trechsel* II. 181.

Quando autem nullis humanis remediis cicurari possunt tales furiae, Dominus eas virtute sua compescat. Vale, eximie vir et frater mihi semper observande. Dominus te ac domum tuam tueatur suo praesidio et spiritu gubernet. Saluta meo nomine generos et filias. Genevae 23. Novemb. 1554.

Ioannes Calvinus tuus.

2051.

MINISTRI GENEVENSES BERNENSIBUS.

Responso senatus Bernensis minime sibi satisfactum querentes denuo instant ut illi apud eundem bonae causae patrocinentur et praesertim Bolseci crescentem maledicendi audaciam notant. [1])

(Autographon descripsimus Bernae in Cod. bibl. civicae MSS. hist. Helv. III. 34, fol. 231 in quo tamen inscriptio et subscriptiones solae manu propria. Exstat praeterea in Cod. Gen. 107a, fol. 80 et 81 bis et in Cod. 108 fol. 20. tum Bernae in Arch. Epp. VI. p. 359, denique apud Simlerum Turici Vol. 83.)

Eximiis Christi servis ecclesiae Bernensis pastoribus fratribus et symmystis observandis.

S. Scitis, colendissimi fratres, quum nuper apud clarissimum senatum vestrum de quorundam iniuria conquesti essemus, qui doctrinam nostram sine pudore et modestia infamant, fratrem qui istuc mandato nostro profectus erat [2]) cum bona spe esse dimissum, Senatui rem fore curae. Diu exspectavimus. Tandem allatum est responsum quod nos peraeque suspensos tenet ac prius eramus. Rescripsit Senatus vester nostro, pugnas istas et hostiles morsus graviter sibi displicere et quum antehac pluribus edictis contentiosas disputationes, novorum dogmatum iactantiam, libros infamatorios et alia certaminum semina prohibuerit, se nunc quoque in sententia manere. Nos deinde vult [3]) esse admonitos ut vicissim ab omni insectatione abstinentes pacem cum ditionis suae ministris colamus. Videtis generaliter tantum damnari maledicentiam et intemperiem quae ecclesiae quietem perturbant: praesentem vero causam ne verbo quidem attingi. [4]) Quanquam autem vobis nuper Senatum rogatu nostro adire palamque hanc causam suscipere visum non est, forte quia vestro iudicio res nondum maturuerat, nunc tamen iterum per sacram ministerii nostri coniunctionem obtestari cogimur ut duo nobis praestare ne gravemini. Primum ut doctrinae nostrae testimonium reddatis [5]) contra quam improbi homines sine ratione latrant. Deinde ut doceatis, quam sit necessarium petulantiam hanc compesci. [6]) Aequior est haec postulatio quam ut maiore verborum circuitu aut vehementia putemus vos esse urgendos. Quod si quid valebunt preces nostrae, ut certe confidimus, statim id agendum erit: quia tabellarius hic literas nostras defert, quas non ante legi expediet in curia quam oratio vestra audita fuerit. Saltem danda erit opera ut actio vestra senatus consultum praecedat. Ergo si prodesse nobis in animo est, postridie quam redditae fuerint hae literae in senatum venire operae pretium erit, ne sero id fiat transacto iam negotio. Quantam ex senatus vestri silentio audaciam conceperit *Hieronymus*, paucis indicare placet ut vos eius furor ad quaerendum remedium magis animet. Ab eo tempore non destitit palam clamitare in mensis privatis, in cauponis, in viis publicis, *Calvinum* esse hominem nequam et haereticum. Ac nuper in magna turba quibusdam civibus nostris probrose obiecit, quod haec civitas impium haereticum foveret. Duobus etiam verbi ministris dixit, magnam iniuriam *Serveto* factam esse et bonam causam iniusta *Calvini* tyrannide fuisse oppressam. Nec vero mirum est, perditum nebulonem tantum sibi licentiae sumere, quum videat idem licuisse verbi ministris. Qualis brevi dissipatio nos maneat, nisi mature obviam eatur, ipsi pro vestra prudentia expendite. Valete, integerrimi fratres. Dominus vos spiritu prudentiae et fortitudinis instruat, et praesidio suo tueatur. Genevae. 27. Novembris 1554.

Fratres et symmystae vestri ecclesiae Genevensis ministri et pastores [7])

Ioannes Calvinus.
Abelus Pouppinus.
Franciscus Bourgoinus.
Michael Copus.
Raymondus Chalvetus.
Ioannes Faber.
A Sancto Andrea.

2051. 1) *Etiam senatus Genevensis iterum scripsit, sed epistolam eius frustra quaesivimus. Cf. Acta Senatus ad 27. Nov.*
2) *Io. Fabrum.*
3) *Apogr.* avet.
4) *i. e. Bolsecum et Zebedaeum non nominatim et contumeliose damnari, quod ipsi voluerant.*
5) *Sed hoc ipsum C. non ut optasset assequi poterat, quum Bernae non omnes ipsius praedestinatianismo faverent.*
6) *i. e. ne quis contra illud dogma amplius mussitare auderet. En vindices libertatis conscientiarum.*
7) *Subscriptio abest ab exx. Genev.*

2052.

CALVINUS FARELLO.

Mittit ei quas nuper ex Saxonia acceperat literas, denuo Melanchthonis mollitiem notans et Saxonum se invicem etiam lacerantium rabiem. Porro refert quae Bernenses rescripserint et quo pacto ipse Turicenses ad subscriptionem suae Defensionis adegerit.

(Amanuensis manu scripta legitur in Cod. Genev. 107ᵃ, fol. 82 ubi tamen subscriptio et postscriptum abscissa sunt, quae tamen Turretinus ante oculos habuisse videtur quum suum describeret exemplar Cod. 108, fol. 20 v. Habent etiam Epp. Bernenses VI. 361 et Simler. Vol. 83. Farellus pro more in fronte ep. diem et annum adscripsit.)

Praestantissimo Iesu Christi servo Gulielmo Farello Neocomensis ecclesiae fido pastori, optimo fratri et symmystae carissimo.

S. Quia nuper, quum istac transiret nuncius e Saxonia ad me revertens, literas resignare tibi visum non est, earum quas a *Philippo* accepi [1]) exemplar nunc tibi mitto, unde cognosces quod pridem te non latuit, quanta sit hominis mollities, cui ne ultima quidem necessitas liberam vocem extorquet. Nobis enim subscribens quid sentiat palam non audet profiteri. Quum de aeterna Dei electione acriter eum pupugissem [2]) ad frigidas quasdam naenias deflexit, ut illud totum caput nullo verbo attingeret. Utinam propius accederet. Nam trium horarum colloquio plus quam centum epistolis proficerem. Porro ex literis *Burchardi* cancellarii [3]) intelliges quam strenue *Ampsdorphius* [4]) cum suis sodalibus insaniat. Sed hoc non miror. Quod vero sic infatuata est Saxonia ut eorum nutu regatur, miserum ac deplorandum. Se interea mutuo lacerant qui tam hostili fervore in nos invehuntur. Nam *Sarcerius* coacta synodo Georgium *Maiorem* damnavit, primum scholae Wittebergensis theologum, et libro publice edito excommunicavit, [5]) quem sequuti Magdeburgenses aliique vicini. Iustificationis etiam doctrina aliis certaminibus misere discerpitur.

Hic nihilo melius res habent quam pro more. Tandem allatum est Berna responsum, [6]) quo iocose eluditur nostra querimonia. Cras tamen proficiscetur nuncius, [7]) ut spero, qui aures rursus vellicet. Defensionem Consensus nostri, ut in gratiam Tigurinorum a me correcta fuit, postquam legeris, eius copiam facies venerando fratri nostro D. *Blarero* quem amanter meo nomine salutabis. Nisi valde morosi erunt illi, iam pacatos fore confido. Certe mature obviandum esse duxi, ne me pertinacius urgerent. Vale, optime et integerrime frater. Dominus tibi semper adsit, te spiritu suo gubernet, tuosque sanctos labores benedicat. Salutant te amici: tu etiam vicissim salutem istic fratribus dices. 27. Novembris 1554.

Ioannes Calvinus tuus.

P. S. Has dictare coegit dolor capitis, vel saltem gravedo quae mihi a prandio molesta fuit.

2052. 1) *N.* 2031.
2) *N.* 2000.
3) *N.* 2025.
4) *Quem a Io. Friderico Isenacum vocatum etiam eius filii, maxime Io. Fridericus* II. (*der Mittlere*) *pari studio prosequuti sunt.*
5) *Famosa est controversia Maioristica quam vocant, de necessitate bonorum operum, quam fusius enarrare huius loci non est. Hic sufficiat in memoriam revocare, Amsdorfium acerrimum Maioris fuisse adversarium, Steph. Agricolam vero, ministrum in Helbra, fortissimum armigerum. Contra quem Erasmus Sarcerius superintendens Mansfeldianus Islebiae duas synodos celebravit* 1554. *Exstant:* Der Prediger in der Herrschaft Mansfeld Antwort auf St. Agricolae ausgegangene Schluszreden und Schmähe-Schriften die neue Lehre in unsern Kirchen das gute werck zur Seeligkeit nöthig seyen belangende 1553. Acta oder Handlung des löblichen Synodi in der Stadt Eiszleben den 13. Febr. 1554 wider etliche falsche Lehren darin verdammet. Eiszl. 4. (*Salig A. C.* III. 43.)
6) *N.* 2047. *Reg. du Conseil* 26. *Nov.*
7) *Vide praeced. Not.* 1.

2053.

CALVINUS VERMILIO.

Mittit ei Defensionis Anti-Westphalianae exemplar, quale iam post Turicensium correctiones constitutum fuit.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 177, olim Epp. Tom. 47. fol. 225. — Simler. Vol. 83.)

Eximio theologo D. Petro Martyri ecclesiae Argentinensis doctori fidelissimo

Straszburg. [1])

S. Consensus nostri defensio, quam nuper tibi miseram, fratribus nostris placuit, sed non sine exceptione. [2]) Quia locos notarunt in quibus aliquid mutatum cuperent, non eorum consilio solum obtemperare sed voto etiam morem gerere studui. Nunc ergo exemplar eorum rogatu correctum rursus ad te mitto. Quanquam autem non prorsus sequu-

2053. 1) *Inscriptio in Codice autogr. non legitur. Unde Simlerus habuerit nescimus. Certe C. non scripsit germanice.*
2) *quod, ut vides, aegre ferebat, quum tamen passim non acquiescere non posset.*

tus sum quod dictaverunt, placatos tamen esse confido. Reliqua ex D. *Sturmio*[3]) intelliges, quia plus temporis nunc ad scribendum non datur. Vale, ornatissime vir, et eximie Christi serve. Dominus te semper tueatur ac regat. Genevae 27. Novemb. 1554.

Ioannes Calvinus tuus.

2054.

CALVINUS MINISTRIS HELVETICIS.

Praefatio Defensioni Consensus Turicensis praemissa.

(Edidimus in Tom. IX. Operum pag. 5—14. Scripta fuit IV. Cal. Dec. 1554 et incipit a verbis: *Iam elapsi sunt anni quatuor* etc. Iam quum in praecedenti epistola N. 2042 ipse autor Turicensibus id suadentibus concessisse dicat, ut e textu suo omnia iniuriosa epitheta expungeret, non abs re erit te monere eadem in gallica versione minime deleta fuisse: quod ex variantibus lectionibus margini editionis nostrae adscriptis facile cognosces. Versio anglica Philad. III. 79 perperam hanc ad 6. Octob. refert.)

2055.

GADIUS[1]) CALVINO.

Commendat ei negotium nobilis cuiusdam Itali nunc in Rhaetia commorantis cuius bona et reditus in potestate papae sunt ideoque in praesenti discrimine versantur.

(Ex autographo Cod. Paris. Bibl. nation. Coll. Dupuy 102, fol. 91.)

Clarissimo et egregie docto viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori vigilantissimo mihique plurimum observando.

Genevae.

Iam diu, optime *Calvine,* quum ab Italia discessissem et Tigurum pervenissem, scripsi ad te quid in Italia egissem, et praecipue quod ibi multos offendissem Servetanos: quamobrem te hortabar ut aliquid scriberes: quod etiam fecisti antequam literas meas acciperes, ut postea statim cognovi. Nunc, ut ad illud veniam quod me impulit ut ad te scriberem, scias velim, quum Deo placuerit ut ad hos Italiae fines vocatus fuerim pro verbo Dei concionando, quoad carnem pertinet, multum affligi, etsi quoad spiritum non parum videar lucrari, quum videam Deum se ostendere hominibus, ad quos accersitus sum, ita ut numerus fidelium quotidie crescat. Inter quos est quaedam familia ex nobilioribus,[2]) cui non solum cives, sed et vicina oppida plurimum credunt, eamque colunt et observant. Haec sub regno Antichristi multa bona habet: quum ergo placuerit Deo ut illis in animum mitteret, a regno illius omnibus modis perversissimo liberare, ecce dominus huius familiae ad me venit, petitque consilium quid in hac re faciat, quomodoque se gerat. Cui respondi me hoc consilium petiturum esse a te, viro peritissimo ac fidelissimo. Placuit id tum sibi, rogavitque ut ad te quam primum scriberem. Nam sibi persuadet consilium quod dederis et bonum fore et fidele. Ut autem probe scias, quomodo res haec se habeat, D. *Celsum,*[3]) qui istic est poteris interrogare. Sic autem, ut ego quoque brevibus ostendam, se habet. Olim testamento haec familia haeres constituta fuit facultatis, quae singulis annis praebet reditum[4]) aureorum 300. Is reditus excipitur ex fundis qui adhuc sunt sub regno Antichristi. In testamento hoc pactum positum est, ut huius familiae dominus obligatus sit habitare ibi unde excipitur reditus: quod si non habitaverit, bona illa ad ecclesiam papisticam perveniant. Quum haec ita se habeant, illic habitare posse salva pietate non videt: bona illa omnia nollet amittere: quid faciat nescit. Multa ille tentavit, sed frustra: hoc tamen illi successurum videtur, ut scilicet ex illo testamento eximatur conditio illa habitandi illic ubi sunt bona. Id autem sperat consequi posse per amicos quos habet magnos apud ipsum papam: Nam si conditio illa eximeretur e testamento, certo scit sibi non defuturos qui emerent haec bona. Sed alia difficultas oritur. Nam dicit se certo scire papam non sibi hoc concessurum, nisi cum hac additione, ut scilicet ecclesiae praebeat singulis annis saltem aureos 30: quod an possit fieri salva pietate nec ne, nescimus. Decrevi igitur ad te scribere, rogareque ut si in hac re aliquod remedium tuo consilio afferre potes, id velis pro tua in omnes fideles humanitate et pietate facere: id autem,

3) *Haec produnt epistolam aliquam deperditam.*

2055. 1) *N.* 1763. 1778. *Fuit tum temporis minister in Teglio, quod tunc fere caput erat Vallis Tellinae haud procul a Tirano situm. Ibi a.* 1620 *protestantes una nocte crudeliter caesi perierunt. Pro tempore quieti degebant Locarnensibus feliciores. Ipse Gadius a.* 1556 *fuga sibi consulere coactus mox rediit.* (*Meyer, Locarno* II. 199. *De Porta* I. 2 *p.* 264.)

2) *Nomen memoriae proditum non est. Porta de hoc negotio tacet.*

3) *Martinengum* (*N.* 2045).

4) *autor ubique scribit:* redditus.

quanto citius factum fuerit, eo gratius erit. Scito, mi carissime *Calvine*, si aliquod remedium huic rei inveniri poterit, id magno usui futurum huic nostrae ecclesiae. Nam hic dominus magna et eruditione et autoritate praestat apud omnes huius vallis homines. Caeterae fere omnes viae tentatae sunt, ut superius scripsi, sed frustra: sicut velle relinquere partem horum bonorum xenodochiis, communitati et eiusmodi. Papa in his omnibus difficilem se ostendit, praeterquam in conditione 30 aureorum, de qua superius scripsi. Hic nobilis dominus praeter haec bona alia pauca habet, liberos multos habet, fidem non multam. Quamobrem difficile illi videtur hoc posse pati, ut papa haec omnia bona sibi eripiat. Vide igitur quaeso, mi *Calvine*, quid in hac re possis fratri consulere. Quidquid consulueris, id faciet. Cito igitur, quoad fieri potest, literas tuas mitte. Scio multa te habere negotia pro tua Gallia, multas habere curas et sollicitudines continuas pro ecclesia tibi commissa, sed te etiam rogo ut pro nostrae etiam Italiae beneficio tempus aliquot horarum absumas. Id si feceris, quod te facturum confidimus, et nobis qui te plurimum amamus, et Deo Opt. Max. cui aeque omnes debemus, gratissimum erit. Fratres qui hic sunt te salutant, rogantque ut tu cum ecclesia tibi commissa pro se Dominum Deum ores. Vale, meque ut soles, ama. Tilii, ex Valle Tellina. Die xxix Novembris M. D. LIV.

Tuae humanitati deditissimus
Paulus Gadius Cremonensis.

2056.

HALLERUS CALVINO.

Fuse narrat quid ipse et collegae apud suum senatum in causa Calvini et Genevensium egerint et quid ab eodem obtinuerint. His pro tempore ut contenti sint monet, suumque in Calvinum propensum animum egregie attestatur, Bolseci partes se nunquam suscepisse sed etiam in docenda praedestinatione moderationem commendasse fatetur.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 44. Inscriptio desideratur.)

S. Quoniam ad me privatim scripsisti, [1]) colendissime ac carissime frater, et mihi necesse fuerit ad illas tuas respondere, visum fuit fratribus meis, ut simul quoque ad communes illas vestras literas [2]) per hunc nuncium missas responderem. Hoc vero eo libentius suscepi, quod haec res mihi admodum cordi sit et quod de tua benevolentia erga me sic certus sim ut sciam te quae scribo optime consulturum. Apparet ex vestris vos quid hic in causa illa vestra sit actum non plene rescisse: itaque operae pretium est ut ea principio latius tibi exponam. Legatus vester, dilectus frater noster Ioan. *Faber* importuno satis tempore huc venerat. Quo responso remissus sit repetere non est opus. Nos quod illi polliciti eramus praestare satagentes, tandem quum nobis quoque mora nimis longa necti videretur senatum nostrum accessimus, occasione aliunde non incommoda data. Ibi pro officio nostro senatum diligenter de omnibus quae necessaria videbantur admonuimus, exponentes quae nobis vobiscum pax sit et concordia, quam non sint ferendi qui illam turbare conentur. *Hieronymum* nobis videri huius incendii facem esse. Illo ablato meliora nos sperare omnia: ministros ditionis nostrae severiter esse cohercendos, et praesertim haereseos infamem appellationem non esse ferendam: illam enim multas turbas etiam antiquis temporibus in ecclesia peperisse. Et, ut simul dicam, maximo serio causa haec et a nobis proposita et, quantum animadvertere potui, a senatu quoque audita fuit. Tandem hoc conclusum: primo ut *Hieronymus* ille ditione Bernensi cedere iubeatur, et eius rei exsequutio praefecto Tononiensi committatur. [3]) Deinde classibus scribatur singulis, praesertim Morgiensi [4]) (cuius etiam nos peculiarem feceramus mentionem, imo eorum quoque qui ex ea notabantur), ut deinceps singuli earum ministri ab eiusmodi criminationibus abstineant, nisi et ipsi non modo ab officio turbari sed ditione quoque tota eiici velint. Et ut indignitatem rei et causam huius edicti intelligerent omnes, decretum est simul ut literarum vestrarum apographum ad singulas classes mitteretur. Erant quidem, ut intelleximus, quibus videretur aequum esse ut rei accerserentur et audirentur ipsi quoque. Sed hoc maiorum turbarum plerisque occasio futura videbatur, praesertim si utrinque committeremini, et longum res habitura exitum. Et, ut verum fatear, nos quoque timuimus ne si hoc fieret graviore motu concuteretur et dissiparetur ecclesiae etiam nostrae concordia. Itaque visum est principibus tantisper reliquis reis parcere et severo interdicto et iam factas criminationes abolere et futuras quoque simul avertere. Postremo decretum est ut ea de re vestri quoque admonerentur

---

2056. 1) *Non exstat.*

2) *N.* 2051.
3) *Quod tamen demum anno sequenti factum est, quum m. Aprili iussus sit Bolsecus intra tres menses solum vertere.*
4) *Cui adscripti erant Zebedaeus Neodunensis minister et Angelus Bursinensis.*

et rogarentur ut eandem vicissim erga nostros pacem colant. Quibus hoc factum sit verbis, aut quomodo ea a vobis sint intellecta nescio: apparet ex vestris vobis neutiquam satis esse factum. Hoc quamvis nobis mirum non sit propter duos illos in ministerio agentes, tamen non dubitamus quin si rem, ut et a nobis et a magistratu acta est, cognovissetis, etsi non per omnia, tamen plus quam hoc modo, fuissetis contenti: praesertim si scire potuissetis, eum qui antesignanus erat huius causae eiectum fuisse. Quoniam ergo facile apparuit ex vestris, vobis neque hoc neque quid ad classes scriptum sit cognitum fuisse, visum est nobis hoc significare, et literas vestras, quas nunc denuo ad senatum nostrum scripsistis tamdiu apud D. *Gironum* [5]) qui earum potestatem habet, supprimere, donec aliud a vobis responsum habere possimus. Nobis enim iuxta petitionem vestram eadem de re iterum ad senatum referre operae pretium non videtur, quum hoc praestiterimus ante. Deinde veremur ne si vestrae illae nunc offerantur senatui, senatus vel indigne ferat vobis non satis esse factum, vel accersat illos reliquos (de tertio [6]) enim quaestio amplius non est) haud dubie maius incendium accensuros. Itaque per Dominum oramus et obtestamur vos, ut in praesentiarum his quae acta sunt contenti sitis, et patiamini literas illas vestras ad senatum nostrum nunc datas aut apud nos supprimi, aut ad vos remitti. *Hieronymus* hic nihil vobis hic * amplius negotii facesset. Reliqui, etiamsi idem quod ille meruissent, tamen quoniam sine maiore motu deturbari non potuerunt, facile in officio continebuntur, postquam quam indigne eiusmodi criminationes senatus ferat, et simul quoque quid passuri sint si deinceps tales proferant, quum ex senatus literis tum ex *Hieronymi* exemplo iam cognoscant. Nos stipulamur et promittimus nos persequuturos, tanquam nobis ipsis illatam iniuriam, si quem ipsorum deinceps tale quid committere cognoverimus. Date hoc nobis in praesentiarum et paci ecclesiae nostrae, ut non ulterius persequamini quae alias bono iure poteratis. Curabimus nos ut illi quoque cognoscant, quid a nobis, si sui similes esse perrexerint, exspectent. Et quamvis fortassis nimium vobis videbimur temerarii, qui ausi fuerimus literas vestras tantisper impedire, et nimium quoque faciles qui graviores metuamus turbas, tamen facile nobis condonabitis si quo animo id fecerimus intelligatis. Exspectabimus igitur vestrum responsum [7]) et tum quidem, si omnino ita placeat, offerri eas curabimus. Speramus tamen vos preces nostras non dedignaturos. Ad classes quid sit scriptum a D. *Vireto,* cui ea de re scripsi quoque, intelligetis.

Quod eas attinet quas ad me privatim dedisti, [8]) cogor ad postremum primo respondere. Tam abest ut ego unquam in animum induxerim, nedum dixerim, Dominos nostros non modo personam *Hieronymi* sed doctrinam quoque tuendam suscepisse, ut ipsum non modo semper tanquam superbi, inflati et turbarum cupidi hominem ingenii aversatus sim, sed hanc ipsam quoque causam contra ipsum coram senatu qua potui fide ex decreto fratrum agendam susceperim, atque eo deduxerim ut ipse nunc senatus decreto proscriptus sit. Sic senatus, sic ego personam et doctrinam eius tuendam suscepimus. Hoc verum est, in praedestinationis negotio piam moderationem mihi probari eiusque me saepe admonere fratres, alienas autem opiniones et ecclesias scindendi studium mihi neutiquam probari. Quorum utrumque in ipso deprehendo.

Caeterum quod fasciculum illum tuum [9]) attinet curabo illum diligenter. Et quamvis quid pro Consensionis vestrae defensione scripseris nondum viderim, tamen quoniam scio qualia sint quae a te proficiscuntur, tibi ecclesiarum nostrarum quoque nomine magnas ago gratias qui veritatis patrocinium tanto animo suscipias. Tu perge, ut facis, eandem veritatem nobiscum tueri. Papistae saeviunt passim. Lutherani paulo propitiores sunt nobis. Miras in Germania tragoedias excitant et suum spiritum produnt. Illis contra eundum est, nisi veritatem cui servimus velimus deperditam. Nimis certe, nimis persuasi fuimus ipsos sentire nobiscum et spiritualiter omnia diiudicare. Apparet vel ex uno illo *Westphalo* quam crassa sit eorum opinio. Augustae alter eorum ministrorum qui ex Saxonia venerat, [10]) et prae caeteris ecclesias dogmate illo turbabat, depositus et ad suos remissus est. Sic veritas suos adhuc illic quoque assertores habet. Sed quid tuam pietatem hisce nugis turbo? Boni quaeso consule, si quid ineptius scribam, et scito dona tibi a Domino concessa in maxima apud me esse et admiratione et veneratione. Dominus ea tibi augeat ad nominis sui gloriam et te diu nobis et ecclesiis suis servet incolumem. Ora pro nobis et ecclesiis nostris Dominum: versamur enim in periculo belli non exiguo contra confoederatos nostros suscipiendi.

---

5) *archigrammateus tunc erat reipublicae.*

6) *Bolseco, non Fonseleto cuius omnino hic nulla mentio fit, utpote homuncionis nihili.*

7) *N.* 2073.

8) *Quarum argumentum ex hoc Halleri responso fere restitui potest.*

9) *De Defensione Consensus loquitur, quam per ipsum Calvinus correctam et emendatam ad Turicenses mittebat, antequam cum Bernensibus communicaret.*

10) *In ministrorum a.* 1552 *Augusta remotorum locum suffecti sunt postea Petr. Ketzmann, Iac. Reuchlin s. Richillin et Guil. Haussmann* (*Salig* I. 661). *Utrum horum hic innuat nescimus.*

Dominus iram suam a nobis avertat. Amen. Salvi sint fratres tui omnes. Nostri te et illos diligenter salutant. Bernae 4. No. Decemb. 1554.

Tuus ex animo
Ioannes Hallerus.

2057.

CALVINUS REGI POLONIAE.

Hortatur eum ut fortiter et sincere reformationem ecclesiae in suo regno promoveat et in eum finem papae dominatum, Petri principatum fictitium, pontificum ab evangelio defectionem severe impugnat, et hac occasione suam ipsius doctrinam de ecclesia administranda exponit.

(Legitur in Thesauro Bezano ed. Genev. p. 189, Laus. p. 309, Hannov. p. 345, Chonet p. 187, Amst. p. 85. Anglice in ed. Philad. III. 99.)

Etsi ego ante annos quinque, Serenissime Rex, quandam librorum meorum partem Vestrae Maiestati publice dedicaveram, [1]) ut pietatis semen, quod iam tunc cordi vestro divinitus insitum audieram, magis ac magis excitarem: nunc tamen minime auderem homo ignobilis, privatas tam inclyto Regi literas offerre, nisi venerandus frater noster, [2]) cui hoc debeo, et cuius ut fidelis erga M. V. observantia mihi nota est, ita non dubito quin sensus vestros probe compertos habeat, me suo consilio et hortatu animasset. Quia ergo spopondit non ingratum M. V. fore hoc meum officium, temeritatis culpam non sum amplius veritus. Iam vero quia absurdum foret, ab evangelii ministro in conspectum tanti Regis vacuas literas venire: illud idem argumentum, quod continet publica mea in Epistolam ad Hebraeos praefatio, quia nullum vel melius, vel Regia persona dignius, vel tempori aptius occurrit, mihi sumendum putavi. Sic enim persuasus sum, pro ea, quam filio Dei communi magistro defertis, reverentia, ab eius servo moneri, vobis non fore grave aut molestum. Et certe haec modestia decet omnes Christi discipulos, a summo usque ad infimum, a regibus ipsis ad plebem usque, coelesti eius doctrinae libenter et placida animi mansuetudine se submittere. Nam et hoc modo secundum Davidis praeceptum osculantur regnorum omnium principem et caput terreni reges, dum per homines, quibus docendi munus iniunxit, loquentem audire non respuunt. Caeterum, quod mearum partium vicissim esse arbitror, operam dare studebo, ne vobis fastidio sit mea prolixitas.

Ac primum horribiles tenebras, quae passim grassantur, errorum colluviem, qua obruitur totus fere mundus, abusus et corruptelas quibus foedata est religio, non attingam, ne in supervacua rei cognitae tractatione M. Vestram frustra occupem. Neque enim ad rudem quempiam et sincerae pietatis ignarum mihi habendus est sermo: sed apud Regem purioris doctrinae luce praeditum, ut non modo a crassis vulgi superstitionibus sit ipse liber, sed etiam quam exitialis sit labyrinthus ille, quo maior pars generis humani tenetur implicita, recte iudicet. Nam quum gregarios quoque discipulos lucernis similes esse velit Christus, quae in sublimi positae fulgorem suum longe emittunt: quid a rege exiget quem in summo dignitatis fastigio locavit ut aliis omnibus praeluceat? Nam quo magis honorifica est solii cui praeestis altitudo, eo difficilius est parem gerere animum, ut locus hominis virtute ornetur, et de reddenda apud Deum ratione magis sollicite cogitandum. Quod si obscuris hominibus timendum est, ne hoc vivificum semen torpore suffocatum degeneret, vel prorsus intereat, quid M. Vestrae agendum est, cui non satis est uberem ex se fructum proferre, nisi eandem sementem ad multa hominum millia propagare studeat? Memineritis ergo, praestantissime Rex, in persona vestra lucem toti Poloniae divinitus esse accensam, quae sine gravi culpa diutius latere nequit.

Itaque haec prima sit cura, et hoc primum studium, subiectas vobis ditiones ex foeda papatus dissipatione ad Christi obsequium colligere. Erumpat tandem heroica ista, quae nimis diu intus sopita

---

2057. 1) *Ep. ad Hebraeos N.* 1195.

2) *Nulli dubitamus hic eum de Fr. Lismanino Franciscano Corcyrensi loqui qui fuerat defunctae Reginae matris Barbarae Bonae poenitentiarius et Regi evangelium amplectendum commendaverat. Cum eo bis per hebdomadem Calvini Institutionem legebat et in exteras terras missus ut libros coemeret et claros Evangelicorum coryphaeos inviseret etiam in Helvetiam venit, ubi diutius Genevae commoratus autore Calvino uxorem duxit, et Regi epistolas misit,* quas celeberrimi in Helvetia viri ad eum scripsere, quarum autographa 30 annis a morte Regis in manus Budsinii pervenerunt, ita ut eius industriae conservationem illorum debeamus. Horum apographa hic omitto quum iam dudum lucem viderint. Moneo tamen amantes veri ex officio viri christiani et fidelis scriptoris, ut qua ratione in legendis celebrium autorum scriptis circumspectos eos esse oporteat videant, non bona fide in edendis illis epistolarum gravium autographis ab infestis veritati hominibus actum esse. Nam ne quid dissimulem: epistola quam ad Regem Augustum Calvinus Nonis Dec. 1554 dederat, satis cordate contra pontificiam arrogantiam scripta exstat quidem inter epp. Calvini pag. 139, sed Lismanini nomen initio epistolae parum candide agens editor eius omisit. *Verba sunt Lubienecii Hist. Ref. Pol. p. 44 cf. Salig. A. C. II* 586. *Beza nomen omisit quia L. postea ad antitrinitarios transiit. Propter matrimonium suum Lismaninus in Polonia excommunicatus est et eo redire non potuit. Anno demum* 1555 *id ei concessum* (*Krasinsky, Gesch. d. Ref. in Polen p.* 108).

iacuit, virtus, et in re tam praeclara memorabile sui documentum praebeat. Neque vero me fugit, aut quam arduae sit molis opus, aut quam multiplices et magnae difficultates instent, quas suo more ingeret Satan. Sed quum hic pro gloria Dei de Christi regno, pro sacrorum puritate, pro humani generis salute pugnetur, ea est causae excellentia, quae et molestias omnes absorbeat sua laude et obstacula facile superet. Imo quid agendum sit, ipsi veritatis hostes suo exemplo praescribant. Nam quo acrius ad eam opprimendam eniti eos videt M. Vestra, eo turpius esset insanum eorum ardorem non saltem cordata strenuitate aequare. Ruant igitur quam maximo poterunt impetu, machinas omnes admoveant, ignea quae Satan illis suppeditat et virulenta iacula torqueant, tam insidiis denique, quam aperto Marte grassentur: adeo ad frangendum generosum pectus, et coelesti spiritus Dei virtute praeditum haec omnia valere non debent, ut totidem sint potius ad piam contrarii studii et conatus aemulationem stimuli. Huc accedit, quod quum Deus proprium opus suum esse asserat, collapsam ecclesiam, cuius est unicus fundator, restituere, haud dubie statuendum est eum nobis laborantibus minime defore.

Caeterum, quia vobis certamen est non solum cum domesticis hostibus sed qui se religionis antistites, custodes sacrorum et ecclesiae patres ac tutores esse iactant: perplexa forte in hoc metu haerebit Vestra Maiestas, ne quid praeter officii sui rationem tentet. Et certe hoc filiis Dei propositum esse debet in omni actione, ac penitus fixum, ne vocationis suae metas transsiliant. Ergo ne quis vanus terror vos impediat vel moretur, paucis quatenus timendum sit disseram. Ut suam hierarchiam nobis assidue obtrudunt papistae: ita non dubito quin eodem apud vos clypeo se muniant. Nam quia nos in singulis doctrinae capitibus longe superiores vident, ad hanc miseram latebram victi confugiunt: quamvis corruptissimus sit ecclesiae status, non licere tamen laicis eius vitia attingere. Nec subterfugio contenti, cristas erigunt: quia Petro datus est in ecclesiam primatus, et totus clerus papalis continua successione ab ipsis apostolis huc usque descendit, ad ipsos solos spectare ius et potestatem spiritualis regiminis. Quare haec duo breviter discutere operae pretium fuerit. Neque tamen de primatu Romanae sedis quasi ex professo hic tractabo: quia hanc causam sic mihi egisse videor ut iam non sine summa impudentia sibi arroget papa quod antea solebat: totius scilicet ecclesiae se esse caput. Nam quum Paulus ad unitatem nos hortari volens, unum Deum, unam fidem, unum baptismum, unum spiritum, unum dominum et unum ecclesiae corpus esse docet, (Ephes. 4, 5) minime quod ad id probandum maximi ponderis erat, omittere debuisset, unum esse summum pontificem, cuius autoritas totam ecclesiam in coniunctionis ordine retinet. Fuisset igitur haec turpis oblivio, non monere fideles ut sub uno capite divinitus sibi praefecto maneant: si hoc verum fuisset, datum in omnes ecclesias uni homini esse primatum. Sed alibi (Gal. 2, 7) satis idem se ipsum explicat, dum sibi eundem inter gentiles apostolatum esse asserit, qui Petro datus erat inter Iudaeos. Hic certe non modo statuitur aequalitas inter duos, sed talis fit partitio, ut proprie loquendo minime ad nos pertineat Petri apostolatus. Denique in illo quem nuper citavi loco (Ephes. 4, 11), modum regendae ecclesiae a Christo sancitum definiens, non dicit vicarium unum ab eo creatum esse, qui absentiam eius in terris suppleret: sed apostolos, pastores et doctores fuisse institutos, qui in commune secundum mensuram gratiae unicuique datam laborent. Certe si unum omnibus praeesse vellet Deus, non aliqua spiritus portione eum donaret, sed plenitudinem conferret. Cavillum autem illud, quod Petro datae fuerint claves, ideo in praesentia non refuto, quia plus satis alibi ostensum fuit, papae nihilo magis prodesse ac si id cuivis apostolorum dictum foret. Quae enim illi cognatio vel affinitas cum Petro, ut se pro haerede gerat? Nam quod loco ius datum esse obtendit, plus quam ineptum est. Cur enim Hierosolymae potius non esset sedes primatus, ubi filius Dei sine controversia summus pontifex sacerdotio functus est? Verum haec, ut dixi, aliunde petere satius est, ubi plenius sunt exposita: quemadmodum et illud, nihil minus Christo fuisse propositum, quam unum inter apostolos principem erigere. Nam summo pontifici, qui sub lege viguit, ideo abrogata fuit dignitas, ut nunc solus Dei filius emineat tanquam caput, omnibus in ordinem membrorum coactis. Ac sacrilega audacia illud apostoli dictum papistae ad probandum idoli sui tyrannidem detorquent: Translato sacerdotio necesse esse transferri legem (Hebr. 7, 12). Neque enim illic apostolus disputat, honorem summi pontificis ab homine ad quemvis hominem translatum esse, sed residere in unico Dei filio contendit, ita ut non alius quaerendus sit successor: quia secundum ordinem Melchisedech ordinatus est sacerdos, ut fine careat (Hebr, 7, v. 15. 17). Et nobis quidem abunde sufficere deberet una Dei voluntas, sicuti vera est legitimae gubernationis regula, et lex inviolabilis. Sed accedit etiam, quod neque possibile est neque expedit unum esse in terris totius ecclesiae caput: quia et hoc humanae infirmitatis modum longe excederet, neque aptari posset ad communem usum. Denique sola ambitio et superbia primatum hunc, quem nobis opponunt Romanenses, fabricavit. Vetus quidem ecclesia patriarchias instituit, et singulis etiam provinciis quosdam attribuit primatus,

ut hoc concordiae vinculo melius inter se devincti manerent episcopi. Quemadmodum si hodie illustrissimo Poloniae regno unus praeesset Archiepiscopus, [3]) non qui dominaretur in reliquos, vel ius ab illis ereptum sibi arrogaret: sed qui ordinis causa in synodis primum teneret locum, et sanctam inter collegas suos et fratres unitatem foveret. Essent deinde vel provinciales, vel urbani episcopi, qui peculiariter ordini conservando intenti forent. Sicuti hoc natura dictat, unum ex singulis collegiis deligendum cui praecipua cura incumbat. Sed aliud est, moderatum gerere honorem, quatenus scilicet hominis facultas se extendit, quam totum orbem terrarum immenso imperio complecti. Nugatorium ergo est, quod de uno capite Romanenses garriunt: quia nec sacra Dei ordinatio est, nec veteris ecclesiae usu receptum, Christo, quem unicum omnibus praefecit coelestis pater, adiungi secundum caput.

Iam quamvis iure in Romanum pontificem competeret summus honor: eo tamen se privavit ipse, quum et a fide apostolica defecit, et locum deseruit sibi divinitus commissum. Nam ut primus sit inter episcopos, ipsum esse episcopum oportet. Porro, quum episcopi titulo indignum esse constet, qui officio docendi non fungitur: quid de eo sentiendum, qui non solum deposito onere docendi profanis pompis exsultat, sed Christi doctrinam non minus crudeliter quam impie exstinguere conatur? Si vult a Paulo aliquid mutuari papa, sit minister Christi, et dispensator mysteriorum Dei. Si Petri elogiis vult se ornare, sit fidelis gregis pastor, et testis passionum Christi. Ab his vero quum sit ex professo alienus, ac ne simulet quidem se unum esse ex verbi Dei ministris: ultro se a primatu, si quo alioqui fuisset ante praeditus, abdicat. Ad haec, quomodo ecclesiarum mater erit Roma, quae ecclesia nihilo magis censeri meretur quam Babylon? Ecclesiae anima est doctrinae puritas: quam Romae esse prorsus abolitam quum certo certius sit, sequitur illic restare duntaxat mortuum cadaver. Denique nihil absurdius, quam pro religionis antistite coli in Christi grege, qui manifestus est veri et germani christianismi hostis.

Porro longe fallitur Maiestas Vestra, si exspectat, dum ad rite formandum regni Polonici statum eius sectae autoritas interveniat, quam delectat vasta et horrenda confusio. Regnare cum sua caterva non potest papa Romanus nisi oppressa ecclesia, foedato Dei cultu, lacerato ordine, imo tota pietate deleta. An igitur sperandum est, ut qui ecclesiae exitio pascitur, remedium sanandis eius morbis vel afferat ipse, vel adhiberi consentiat? Nec vero, si pio et christiano Principi res confusas in melius restituere cordi est, vel unius momenti remoram afferre debet pastorum ignavia, si in munere suo cessant. Tantum abest, ut iuste sanctos eius conatus impediat contumax eorum superbia qui pastores falso vocitantur. Inane ergo terriculamentum est, nihil in ecclesiae reformatione nisi ex papae nutu movendum vel tentandum esse. Quin potius, quod exoriente primum evangelio experti sunt apostoli, hodie quoque impleri oportet: Christum ab architectis reprobari, hoc est, qui praesulum titulo se venditant: quia tamen constitutus est in caput anguli, minime aequum esse ut impiis eorum obstaculis cedat.

Superest nunc altera quaestio: ut legitima sit successio, a quibus ordinandi sint pastores? Ego quia magnopere referre video, nihil in ecclesia confuse geri, ne hoc modo cuiusque libidini fraena laxentur, et nobis a spiritu Dei diserte per os Pauli esse praescriptum, ut decenter et composite fiant omnia, ordinarium ministerium reverenter semper colendum esse censeo. Sic igitur fert vera ratio, et Dei mandatum, ut nemo se temere ingerat, nec privatus quisque sibi pastoris munus usurpet, sed ut pastorum iudicio electus, et gregi oblatus ipso consentiente approbetur. Huc accedat solennis manuum impositio, quam ordinationem vocant. De qua sola dum tantopere nobiscum litigant papistae, satis ostendunt quod praecipuum erat se negligere, nempe electionem. Et sane apud eos tam frigida est examinis cura, ut merus sit ludus coniunctus cum Dei ludibrio. Tantum in caeremoniae pompa insistunt: nec contenti vetusto illo ritu manuum impositionis, unctione consecrant suos sacerdotes: cuius neque in scriptura fit mentio, neque usus in apostolorum ecclesia traditus. Quum vero eam ex faece iudaismi hauserint, ubicunque vigebit purior religio, cum aliis papatus corruptelis abolenda erit.

Sed alia superstitio longe deterior est, quod suos sacrificos non ad pascendi vel docendi munus ordinant, sed ut sacrilega audacia ius et officium Christi ad se rapiant et usurpent, dum eos instituunt ad peragendum missae sacrificium, quo fingunt Deum placari. Quare totum sacerdotium papisticum non solum impia est veri ministerii profanatio, sed exsecrabilis in Christum contumelia: ut quisquis est sacerdos papalis, donec titulum illum abiecerit, Christi servus esse nequeat. Itaque quamvis indelebilis secundum eos sit character, eradi tamen et deleri necesse est, ut puros habeat sacerdotes Dei ecclesia. Altera etiam ignominiae nota merito piis detestabile est papale sacerdotium. Nam quum se-

3) *Hoc privilegium prudenter Noster uni concedit et simul episcoporum nomen et dignitatem minime respuit, quia aliter procedendo Poloniae reformationi ipse maxima et insuperabilia obiecisset obstacula. Talis erat regni constitutio et tam exigua regia potestas ut contradicentibus episcopis nihil omnino effici potuisset.*

cundum vetustos canones quisquis ab haereticis vel schismaticis ordinationem petit, eodem se crimine implicet, non ignorat V. Maiestas quales iam multis saeculis fuerint cornuti unctores. Nunc quisquis in illorum ordinem se cooptari appetit, an non oblique in horrendam illam dissipationem consentit, cuius illi coram Deo et angelis rei sunt? Nondum tamen soluta est quaestio: quia si promiscue fas non est, quosvis ad pastorum munus ascendere, rite vocari et institui necesse est qui se probare volent legitimos et honore dignos. Hic, fateor, optandum esset, ut valeret continua successio, ut functio ipsa quasi per manus traderetur. Sed memoria tenendum est, quod prius attigi, quum ecclesiae anima sit doctrinae puritas, frustra quae ecclesiae propria sunt, et ab integro eius statu dependent, apud eos homines requiri quos constat esse professos evangelii hostes. Quia autem papae tyrannide abrupta fuit vera ordinationis series, novo subsidio nunc opus est ad ecclesiae instaurationem. Frustra quidem superbiunt papistae vinculo illo, quod ab illis ruptum esse dixi. Quid enim aliud est papatus, quam a Christo defectio? Qua autem fronte se apostatae iactabunt successores? Remedium vero affert Deus ipse, dum idoneos et probos doctores excitat, qui ecclesiam in deformibus papatus ruinis iacentem aedificent. Atque omnino extraordinarium fuit hoc munus, quod Dominus nobis iniunxit, dum opera nostra ad colligendas ecclesias usus est. Qui ergo ita praeter spem hominum insolito modo repente apparuerunt sincerae pietatis vindices, eorum vocatio a communi regula aestimari non debet. Caeterum hac lege divinitus vocati sunt, ut ecclesiis recte compositis alios pastores substituant in suum locum.

Quare, praestantissime Rex, quidquid de haereditario sacerdotii iure garriat papalis clerus, ne impediant futiles istae nugae, quo minus coelestibus auspiciis opus omnium maxime praeclarum et coram Deo et angelis laudabile aggrediatur Maiestas Vestra, ut Christus unus in sua ditione cum pura evangelii doctrina emineat. Haec vero et proba et utilis esset agendi ratio: quia nunc lupi pastorum locum occupant, et nimis violentum remedium videri posset, si pastores sola Regis autoritate creati vocationem aliam non haberent: ut Maiestas Vestra tantum doctores institueret, qui passim evangelii semen spargerent. Esset autem hoc temporale munus, quantisper res incompositae manerent ac suspensae. Neque enim fieri potest, ut protinus mutetur publica ecclesiae gubernatio. Sed hoc exordio, quod dixi, vel praeludio, commodus ad renovandam ecclesiam transitus fieret. Denique non reformatio esset ecclesiae, sed quaedam solum praeparatio. Rebus autem maturis, regia autoritate et suffragiis ordinum constitui posset in posterum certior ratio de pastoribus creandis. Caeterum, quia sanae doctrinae hostes piis et sinceris doctoribus ianuam praecludere summa vi tentabunt, manum illis adiutricem a Vestra Maiestate porrigi necesse foret, ut libere plebem ab erraticis superstitionibus ad rectum pietatis cursum deducerent. Sed quia iam longius progressum me esse video, quam initio statueram, ut taedium Vestrae Maiestatis praeveniam, finem hic faciam scribendi. Dominus coelestis pater manu unigeniti filii sui Vestram Maiestatem dirigat, praesidio tueatur, virtute sustineat ac spiritu gubernet, Rex praestantissime. Genevae Nonis Decembris 1554.

2058.

GARNERIUS BULLINGERO.

A magistratu Argentoratensi Augustanae subscribere iussus a Calvino ne id facere dubitet monitus iam et Turicensium de eadem re sententiam audire cupit.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 117c. olim Scrin. O. Tom. III. Fol. 475. — Simler Vol. 83.)

Vera pietate et eruditione insigni viro D. Henrico Bullingero suo in Domino praeceptori et maiori.

Tiguri.

S. P. Ergo tandem finis imponetur huic nostrae tragoediae,[1]) pater ac praeceptor in Christo venerande, hac tamen lege, ut ego una cum tota hic nostra gallicana ecclesia approbem atque recipiam Augustanam confessionem, idque simpliciter absque huius aut alterius interpretatione. Iam me non adigit noster senatus ad alicuius interpretationem, sed ad ipsam confessionem simpliciter. Nunc superest videre, num hoc praestare possimus sana conscientia, num praedicta confessio pura sit et sincera. Ego quidem illam perlegi, at quum mihi non fido, ad praeceptorem meum D. *Calvinum* hac de re scripsi qui in haec verba mihi respondit:[2]) „Augustanae Confessioni cur subscribere dubites, non video. Si ecclesias Saxonicas tibi obtendant, in

---

2058. 1) *Ex Marbachii diario nihil lucis huic negotio affertur. Etiam quae nuper Martyr scripserat* 2049 *alia praesagiebant. Mense Martio* 1555 *inter ecclesiam gallicanam et quinque commissarios post longas negotiationes concordia aliqua sancita fuit, non diu tamen duratura.*

2) *Utraque epistola desideratur.*

promptu est responsio, multos esse in Saxonia non minus turbulentos quam crassos homines, tibi satis esse si cum *Philippo* et similibus sentias. Nam hic licet timide mentem suam occultet, prorsus tamen noster est: pudebit, opinor, eos qui tibi molesti sunt ulterius iactare", etc. Consilium et iudicium D. *Calvini* non contemno, imo magni facio. At quum in ore duorum vel trium stat omne verbum, atque istam vestram Tigurinam ecclesiam semper plurimi feci, tuum quoque inprimis, deinde omnium tuorum symmystarum iudicium et consilium peto in hac parte, idque non meo tantum sed omnium nostrum nomine, neque enim minimi ponderis erit apud nos vestrum iudicium, quum non dubitamus vos agi spiritu Dei. Itaque per eundem spiritum, qui coniunxit nos, atque per servatorem nostrum Iesum Christum rogamus ut dignemini nobis significare vestrum iudicium, qui vobis probetur praedicta confessio, Augustana scilicet, atque quid nobis sit agendum in hac parte, consulere, idque quam celerrime fieri poterit, quo huic nostrae afflictae ecclesiae labenti in tempore succurratur ac medeatur, sicque fiet, ut nos vobis satis devinctos devinctiores reddatis. Valete, perpetuo felices. Orate, quaeso, pro incolumitate huius ecclesiae: nos quoque vicissim pro vobis omnibus orabimus. Dominus Deus te una cum tuis symmystis omnibus diu incolumem ecclesiae suae servet ad laudem et gloriam sanctissimi nominis sui. Amen. Argentinae 10 Decembris 1554.

Tuus tui studiosissimus
Ioannes Garnerius.

2059.

KNOXUS ET WHITTINGHAMUS CALVINO.

Enarrant formam caeremoniarum qualis in libro Anglorum liturgico praescripta est, scilicet eam et papisticam perstringentes.

(Genevae in Bibliotheca civica exposita est sub vitro. Subscriptiones autographae sunt.)

Summa pietate ac eruditione praestanti viro D. Ioanni Calvino theologo praeclarissimo.
Genevae.

Quum tam variis ac multiiugis occupationibus obrueris, lectissime vir, quas homines partim singuli partim universitatis christianae causa tibi imponunt, non immerito mirantur omnes te unum posse tot tamque praeclaris monimentis vacare quae tuo nomine eduntur, quaeque edita sunt. Ex quorum numero quum ego me esse profiteor, haud raro quidem eorum reprehendo importunitatem, qui privatas publicis, domesticas rationes communibus anteponunt, parum interea animadvertentes dum sibi quisque satisfacere cupit, quantum impediant omnium utilitatem. Hac ergo saepe ratione deterritus, haud temere, neque quidvis ad te scribendum putavi, ne quam aliis culpam amici fere tui omnes impingimus, mihi ipse asciscerem. Nunc vero quum res sit oblata eiusmodi, quae et nostra omnium mirum in modum intersit et ad publicam tranquillitatem permagni referat, subacto tuo ingenio ac limato iudicio ponderari, non potui absque summo flagitio reticere quod alioqui scripsisse non tam fuisset necessarium. [1])

2059. 1) *Ut sequentia melius intelligas libet nonnulla ex aliis fontibus collecta afferre.* (A brieff discours off the troubles begonne at Franckford in Germany a. D. 1554 abowte the Booke off common prayer etc. 1575. *recusum Lond.* 1846. 8. *e quo nonnulla excerpta leges in Knoxii Opp. ed. Laing. Tom.* IV. *Edinb.* 1855. *Cf. M'Crie, the life of J. Knox. Ed.* 3. *Edinb.* 1814. I. 143 *seqq. et F. Brandes, J. Knox, Elbf.* 1862, *p.* 109 *sq.*). — *Die* 27. *Iunii* 1554 *Francofurdiam venerunt* Edm. Sutton, W. Williams, W. Whittingham and Tho. Wood with their companies, *Anglorum primi qui ibi manserunt. Ante eos advenerat Pollanus cum suis exsulibus Gallis cui etiam templum concessum fuerat. Eiusdem templi usus Anglis permissus (prid. Idus Iulii) ipsis Gallis intercedentibus, hac tamen lege ut horum doctrinae et caeremoniis sese conformarent,* least they shulde thereby minister occasion of offence. *Die* 24. *Sept. scripserunt Knoxo Genevae studiis operam navanti* (*N.* 1934) *item Haddoni et Levero, alteri Argentorati alteri Turici degenti, eosque rogarunt ut ministerium apud ipsos capesserent.* (*Knox, Opp.* IV. 12. *M'Crie, l. l.* I. 399.) *Invitus quidem Knoxus, sed Calvino hortante Francofordiam se contulit m. Octobre. Interea Francofordienses populares suos Argentorati et Turici commorantes invitaverant ut se ipsis adiungerent, qui tamen quum aliam liturgiam quam anglicanam (Book of. c. Pr.) se recepturos negarent, illi magistratui fide obstricti iis accedere non potuerunt quamvis de ipsa liturgia in eadem essent atque caeteri opinione. Exstant de ea re epistolae mutuae m. Nov. et Dec. scriptae. Iam sic pergit narratio in libro supra primo loco laudato:* At length it was agreed that the order of Geneva (whiche was then alreadie printed in Englishe and some copies there amonge them) shulde take place as an order moste godly and fardeste off from superstition. But Maister Knox beinge spoken unto as well to put that order in practise as to minister the communion, refused to do either the one or the other: affirminge that for manie considerations he coulde not consente that the same order shulde be practised till the lorned men of Strausbrough, Zurick, Emden etc. were made privy. Neither yet woulde he minister the communion by the Booke of Englande, for that there were things in it placed (as he saied) onely by warrant of man's authoritie and no grownde in Godd's Worde for the same, and had also a longe tyme verye superstitiously in the Masse byn wickedly abused. But yff he migth not be suffered to minister the sacraments accordinge to his conscience he then requested that some other might minister the sacra-

Post igitur errores nostros et varias peregrinationes Francfordiae divino beneficio ecclesiam impetravimus, ad quam dum cuperemus populares nostros aggregare, undiquaque iam disiectos ac fusos, non modo non laetanter receperunt nuncium, sed paene probris affecerunt, indignum facinus clamitantes nos patriam deseruisse, totos scilicet esse Genevenses factos ac anglicam liturgiam, id est, ut ego quidem interpretor, miscellanea quaedam ex variis centonibus consarcinata, repudiasse. Adeo ut huius reprehensionis fama, ad omnes locos ubi nostri degerent perveniens, plurimos qui antea neutram in partem inclinabant propter opinionem doctrinae (quam ampla stipendia nonnullis domi conciliaverant) ab hoc praeclaro instituto deflexit ac retardavit. Tandem ut praeter opinionem suam nos a sententia non posse dimoveri cernerent, pergunt nos autoritate tua premere, quod scilicet te huius quasi partus susceptorem ac fautorem parvi faceremus. Quibus ego contra ac plane affirmare, te nunquam induxisse in animum ut res tam frivolas tamque ridiculas ac papisticas approbares, imo, praeterquam quod illae naeniae longissime abhorrerent ab ingenio tuorum gravissimorum voluminum, etiam e suggestu quam saepissime et vehementer invectum, detonantem, fulgurantem in caeremoniarum ineptias, ac huismodi papistica *ἀδιάφορα*, quae nostri pulchro (si diis placet) nomine *αὐτάφθορα* appellant, audiverim.

Sed libet iam gustum praebere atque eadem perstringere quae D. *Knoxeo* et mihi diligenter examinantibus per amplum volumen fusa destruere potius quam aedificare videbantur. Principio se offerunt matutinae preces quas minister alba veste, quam superpellicium vocant, indutus, ab aliqua scripturarum sententiola exorsus (utpote: Si dixerimus quod peccatum non habemus, nos ipsos etc. aut huius generis) hortationem aggreditur. Hanc excipit confessio quam clara voce plebs ministro praeeunte exprimit. Huic adiungitur absolutio. Itaque his peractis recitat orationem dominicam. Post deinde: Domine labia mea aperies, resp. Et os meum annunciabit laudem tuam etc. Sequitur in liturgia: Venite exsultemus Domino etc. Atque mox treis psalmi, una cum: Gloria patri etc. Sequitur vero lectio quae integrum veteris Testamenti caput continet. Post hanc autem: Te Deum laudamus etc. vel: Benedicite omnia opera etc. Altera deinde lectio ex Novo Testamento, nisi forte festi celebritas statas lectiones habeat. Atqui certe in templis cathedralibus plano cantu lectiones proferunt. Post haec: Benedictus Dominus Deus etc. adiicitur. Hoc loco admonet autor ut per integrum annum hunc ordinem servent. Postremo: Credo in Deum, per ministrum erecto in pedes populo pronunciatur. Quo rursus finito omnibus in genua convolutis: Dominus, inquit, vobiscum. Resp. Et cum spiritu etc. Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson. [His nugis laudes quas papistae habent post Tedeum compensant].[2]) Pater noster ab omni audientia clare pronunciatum. Tum sacrificus erectus: Ostende, inquit, nobis Domine misericordiam tuam. Resp. Et salutare tuum etc. Domine salvum fac Regem. Resp. Et exaudi nos in die etc. Sacerdotes tui induantur iustitia. Resp. Et sancti tui exsultent. Salvum fac populum tuum Domine. Resp. Et benedic haereditati tuae. Da nobis pacem, Domine, in diebus nostris. Resp. Quia non est alius qui pugnet etc. Cor mundum crea in nobis, Deus. Resp. Et spiritum sanctum tuum etc. [His ineptiis utuntur papistae post completorium]. Conclusionis vice habentur tres collectae, prima diei, secunda pro pace, i. e. Deus autor pacis, tertia pro gratia impetranda. Atque hic caute admonet hanc collectarum rationem per totum annum observari oportere.

Imo vero, quam ob rem potius non deceat hunc ritum communem nobis esse cum papistis, atque idcirco ineptum, superstitiosum, impium? Haeccine est reformatio? Hiccine typus absolutissimus quam caeterae omnes ecclesiae tantopere expetunt, ut nostri perinde iactitare solent? O sacrum sane ac perdisertum opus, dignum medius fidius quod a decemviris conservetur!

[Preces vespertinae. Diaconi et presbyteri tenentur quotidie vespertinas et matutinas preces

ments, and he woulde onely preache. If neither coulde be admitted, he besought them that he might be discharged. But to that the Congregation woulde in no wise consent. Whiles these things were thus in handlinge came M. Lever, before elected, who assemblinge the Congregation requested that he might withe their consentes appointe suche an order as shulde be bothe godly withowt respecte of the Booke of Geneva or anye other, requestinge farther that for so muche as that office was of so great importaunce and that he had not byn in the like before, that he might betweene that and Easter have a triall of them, and they of him, and so at the ende of that terme either take or refuse: whiche time of triall, as it was willingly graunted him, so when they understoode that the order whiche he woulde place and use was not altogether suche as was fit for a right reformed churche, they woulde in no wise yelde to the same. Knox, Whittingham and others perceyvinge that theis beginnings woulde growe to some what yff it were not staid in time drewe forthe a platt (*i. e. a model, plan or summary*) of the whole Booke of England into the Lattin tonge, sendinge the same to Mr. Calvin and requestinge his judgement therin, and shewinge him that some of their countriemen went abowte to force them to the same and woulde admit no other, sayinge that it was an order moste absolute, and that yff ever they came into their countrie they woulde do their beste to establishe it againe. — *Sequitur deinde, omisso exordio anglice versa haec ipsa epistola, paulo decurtata inde a verbis:* Principio se offerunt *etc.*

2) *Haec in margine sicut et alia quae infra similiter uncis includimus.*

dicere]. Vespertinae preces eodem ferme ordine peraguntur, nisi quod primam lectionem sequatur Magnificat anima mea etc., secundam autem: Nunc dimittis etc., atque pro: Deus autor pacis, habetur: Deus a quo etc. Ad haec die Dominica, feria tertia ac item quinta Letania quaedam in usu est in hunc modum: Pater de coelis, Deus etc. Fili redemptor mundi deus etc. Atque mirum profecto est quantum hic applaudant quod papae * detestentur uno aut altero versu [3]) atque sanctorum invocationem omittant. Caetera coniurationem per mysterium incarnationis, per sanctam nativitatem et circumcisionem, per baptismum et tentationem statuunt: A subitanea et improvisa morte, Agnus Dei, ter Kyrie eleyson etc., Pater noster, Domine non secundum peccata nostra facias nobis. Resp. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. Oremus. Deus misericors pater qui contritorum non despicis gemitum etc. [Pro blasphemo habetur qui ista non colat.]

His multa in hanc sententiam connectuntur quae brevitatis causa praetereo. Ratio autem coenae sic se habet. Ternarius ad minimum numerus idoneus est ad celebrandam coenam. Saeviente tamen peste aut contagione aliqua ministro soli permittitur ut domi cum aegroto communicet. Primum itaque minister ad hunc modum se accingere debet. Linea veste, ut in reliquis sacris, indutus boreale latus * mensae astat. Deinde Pater noster de more habito collectam recitat. Tum vero loco Kyrie eleyson habentur decem praecepta, ita tamen ut unicuique praecepto populus respondeat: Domine miserere nostri et dirige corda nostra ad custodiendam legem hanc. Post autem repetita praecepta collecta sequitur quam diei nominant, altera pro Rege. Mox epistolam et evangelium (quae 73 ingentia folia implent, reliquus autem liber ne 50 quidem), eadem videlicet quae a papicolis accepta ad dextram et sinistram (Christi) contendimus. [4]) Festa praeterea omnia aeque sunt in usu ac apud adversarios, paucis tantummodo postpositis. Tum pergit ad Credo in Deum, atque item ad concionem (sed surdo canit liber: nam vix aliquibus in locis per septennium habetur una) aut ad homiliam saltem quae conceptis verbis scribitur. Quo peracto parochus festa indicit et ieiunia, si qua forte incidant, perorans tandem cum exhortatione aliqua ad eleemosynam: ad quam rem liber suppeditat magnam sylvam sententiarum ex scripturis in hunc finem depromptam. Notatio vero hoc loco habetur ne quis defraudet parochum suo iure, praesertim illis festis quae ad oblationes assignantur. Sequitur precatio pro statu ecclesiae militantis, negligentes hortatur ad communicandum, communicaturos vero confirmat et recreat. Paulo post confessionem flexis genibus habent: tum ille erectus remissionem peccatorum precatur adiecta ex scripturis consolatione. Progrediens deinde: Sursum, ait, corda! Resp. Habeamus ad Deum. Gratias agamus etc. Resp. Dignum et iustum etc. Vere dignum et iustum est etc. usque ad: aeterne Deus. Hic additur praefatio secundum festum. Postea ait: Idcirco cum angelis et archangelis etc. Ac ita desinit in: Sanctus, sanctus, sanctus, ad: Hosianna, usque: in excelsis. Iam rursus flectit genua sacrificus, nostram indignitatem publico nomine confitens, Deique vicissim misericordiam depraedicans rogat ut nostra corpora Christi purgentur corpore nostraeque animae suo perluantur sanguine. [Haec vice Memento inseruntur]. Erigitur hic denuo atque precationem quandam aggreditur ad hoc institutum fabrefactam in qua etiam continentur verba institutionis. Itaque primus communicat: mox vero panem daturus prostrato alteri ait: Accipiens vescere ac recordatus Christi pro te passi animum tuum per fidem ciba ac gratias age. Poculum deinde praebiturus similiter ait: Bibe ex hoc, recordatus Christi sanguinem pro te fusum, ac gratias age. Circiter finem: Pater noster etc. ut antea, omnibus voce ministrum subsequentibus. [Hic invertit ordinem missae.] Conclusio habet gratiarum actionem cum: Gloria in excelsis Deo etc. ut apud papistas. Quod si contingat nullam fieri communionem, omittuntur verba institutionis, caetera ordine praedicto peraguntur.

In Baptismo rogantur susceptores, infantis nomine, renuncientne Satanae eiusque factis, pompae mundanae ac concupiscentiis: deinde, credantne articulis fidei. Quibus quidem concessis: Visne, inquiunt, baptisari in hanc fidem? Etiam, inquit, volo. Post paucula puerum prehendit intingitque, at caute et sobrie, ut est apud autorem [5]); cui etiam crucem in frontem signat, qua scilicet adultus admoneatur intrepide fidem confiteri. Quae certa ratione defendi queant consulto transsilimus, ne omnia pertractantes nihil praeter tegmen relinquamus. Susceptores dimissurus praecipit ut ad episcopum puerum deferant, quam primum [6]) articulos fidei, orationem ac mandata teneat. De privato baptismo et coena, licet ab autore nostro usurpata, nihil attinet scribere.

Ad confirmationem tres, inquiunt, hortantur causae, quarum haec est gravissima ut per impositionem manuum et preces (id quod ad apostolorum exempla faciunt) [apostolorum simiae] vires accipiant ac defensionem adversus omnes tentationes

3) *Haec satis obscure dicta in textu anglico omittuntur.*
4) *Etiam haec ex anglico exemplari refingi nequeunt.*

5) as it is in the Booke.
6) to be confirmed as soone as he can saie the articles of the Faithe *etc.*

peccati insultusque mundi et diaboli, atque eo aetatis constitutis maxime convenit, quos partim infirmitas carnis, partim mundi impetus et Satanae fraudes adoriantur. Sed ne aliquis in hac confirmatione error insit rhapsodiam quandam catechismi assuunt. Ea autem fidei articulis, oratione dominica ac mandatis, hoc est duobus plus minus foliis perficitur. [Nemo papista est tam teter qui ab isto catechismo abhorreat.] Incipit autem confirmatio ab hac sententia: Auxilium nostrum a Domino. Resp. Qui fecit coelum et terram etc. Sit nomen Domini benedictum. Resp. Ex hoc nunc etc. Domine exaudi orationem etc. Resp. Et clamor etc. [ut apud Romanenses suffraganeos]. Tunc manum imponit: Protege, inquiens, Domine hunc puerum etc. Consarciens etiam ex altera quadam: hoc signo nos commonefieri gratiae erga nos divinae.

Huic subiungitur coniugii ratio, cuius caeremonias eo usque perferimus quoad risum non excitent. Caeterum quis sanus saltem toleraret, ut maritus annulum super librum deponeret quem sacrificus arreptum tradit marito in manum, iubetque ut in quartum uxoris digitum induat, hac verborum forma utens: Hoc annulo te duco, corpore meo te honoro, et cum omnibus meis bonis te dito: in nomine patris et filii etc. His ita finitis coram mensa dominica prostratis sacrificus ait: Kyrie eleyson etc. Pater noster. Domine salvum fac servum tuum et ancillam tuam. Atque ita paucis recensitis ad coenam perduci eos oportet.

Visitatio infirmorum incipit etiam ab illa sententia: Pax sit huic domui. Resp. Et omnibus habitantibus in ea. Caetera ut in reliquis praefationibus et responsis.

Funeri dat obviam [7]) sacrificus ad ingressum coemeterii, vel cantans, vel submisse efferens: Ego sum resurrectio et vita etc. Ioh. 11. Ego scio quod redemptor meus vivit. Iob. 19. Nihil in hunc mundum intulimus etc. 1 Tim 6. Ad tumulum pervenientes: Homo natus de muliere etc. Iob. 9. Quum terra iniicitur: Committimus, inquit, terram terrae, pulverem pulveri etc. Audivi vocem de coelo dicentem etc. Additur 1 Cor. 15 caput. Post deinde: Kyrie eleyson. Pater noster etc.

Purificationem, quae a nostris gratiarum actio appellatur, quum improbamus, nos calvinizare fingunt, atque ipsi, dum eam defendunt, non vident se iudaizare. Nam praeterquam quod per omnia cum haereticissimis papistis conveniant, etiam pro agno aut turture iubetur nummum offerre.

Ex [8]) multis ac paene infinitis pauca pro temporis ratione corrasimus. Omnia enim quis potest? Speramus quidem ac valde rogamus (quae tua est fides ac studium ad amplificationem coelestis regni), tuo ut consilio ac rationibus circumsepti constantius propellamus humanae sapientiae tela, quae licet in specie amentata [9]) adversus tamen propugnaculum divini verbi contorta tanquam obtusa et fracta decidunt.

Iam postremo superest ut propter humanitatem tuam hoc commune, et D. *Knokei* et meum, studium aequo animo feras, quum necessitas eiusmodi incumbat ut aut tua autoritate muniti vincamus, aut doctrinae ac scientiae opinione confossi pereamus. Deus te diu ad ecclesiae utilitatem servet ac dirigat. Francofordiae 11. Decembris.

Tui demisissimi discipuli Angli
Io. Knokeyus [10])
Gul. Whitinghamus [11]).

7) *Lectio dubia. Anglus praebet:* The priest meetethe the corse *etc.*

8) *In libro* Brieff discours *sequens corollarium ita sonat:* Other thinges not so muche shame itself, as a certeine kinde of pitie compelleth us to keepe close, in the meane season nothinge diminishinge the honor due to those reverende men, who partely beinge hindred by those times and by the obstinacie and also multitude of adversaries (to whom nothinge was ever delightfull besides their owne corruptions) beinge as it were overflowen, did alwaies in their minde continually as muche as they coulde strive to more perfect thinges. *Hic finitur documentum. Autor libri haec addit:* That this Description is verye favourably put downe yf ye conferre it with the Booke of Order in all points and the Usage of the Booke in many churches of this realme, yow can confesse no lesse. And hereof ye maie gather what M. Calvin woulde have written yf they had noted all the abuses of the same.

9) *sic.*

10) *manu propria.*

11) *qui totam scripsit epistolam.*

2060.

BLAURERUS BULLINGERO.

Calvini Defensionem laudibus extollit.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 163, olim Scrin. B. Epp. Tom. 28 fol. 423. — Simler. Vol. 83.)

Summa doctrina pietateque viro D. Heinricho Bullingero domino ac fratri suo venerando longeque omnium carissimo.

— — — — — — — — — — — — — — — —

— — Legisti, nihil dubito, *Calvini* scriptum adversus istos irrequietos (ne quid gravius dicam) sacramentariorum et Schwermerorum, ut vocant

insectatores. Illud profecto sic mihi probatur ut certo mihi persuadeam te maximum operae pretium facturum si quam primum in multa millia exemplaria excudendum et ubique divulgandum cures. Hoc certe, nisi aequiores paulo et placatiores eos reddat, nihil video reliquum quo citra veritatis iacturam satisfieri cerebrosis istis capitibus possit. Quamquam ut nihil apud hos proficiatur, mirificam tamen lucem allaturum videtur hoc scriptum omnibus iis, quae in Consensione vestra, propter brevitatem cui omnino argumenti ratione studendum erat, non satis dilucide scribi, minus autem a multis etiam paulo cordatioribus intelligi potuerunt. — — — — — — — — — xj Decembris 1554.

A. B. T.

2061.

CALVIN A UN PRISONNIER.

Exhortation à la constance et à la résignation.

(Copie contemporaine, Bibl. de Genève MS. 107a, Fol. 315. Copie de Turretin MS. 108, Fol. 189. Copie à Berne, Archives Epp. VI. p. 127. Simler. Vol. 69, année 1549. — Impr. dans l'éd. de Cologne p. 185. M. Bonnet l'a omise, peut-être parce-qu'elle se trouve presque littéralement reproduite au 13. Nov. 1559. — Bèze l'a traduite en latin: Ed. Gen. p. 155, Laus. p. 332, Hanov. p. 372, Chouet p. 209, Amst. p. 96. Comme Bèse affirme lui-même qu'il ne donne qu'une traduction, il n'y a pas lieu de poser la question de l'original. Les latinismes du français ne prouvent rien.)

La dilection de Dieu nostre Pere, la grace de nostre Seigneur Iesus Christ soit tousiours sur vous par la communication de son saint Esprit. Amen.

Trescher frere. Iacoit que nous nayons pas cognoissance de vous sinon par le rapport daulcungs de ceste Eglise qui nous ont declare que vous estiez prisonnier pour la parolle de Dieu du Seigneur, toutes fois nouz contentans bien de ceste marque qui est la marque des enfans de Dieu, nous avons bien voulu vous escripre ceste, esperant que comme elle sort de ceulx qui estiment la cause, pour laquelle ilz ont entendu que vous estiez prisonnier, estre la leur, vous ne la lirez pas sans en recepvoir consolation et confirmation. En premier lieu nous vous prions au nom du Seigneur de reputer en vous mesme de quel abisme vous aves este retire et a quel honneur vous estes maintenant esleve, asscavoir pour servir de tesmoing a la verite du filz de Dieu, contre laquelle par cydevant du temps de vostre ignorance, vous aves si obstinement combatu. Reduisez en memoire le bien qui vous est faict, quand les peines et afflictions que vous endures et lesquelles iustement pour vos demerites vous pourroyent estre envoyees, ce bon Dieu les qualifie en telle sorte quil les fait servir a la gloire de son fils et avancement de son Evangille. Quant a la pesanteur dicelles souvienne vous tousiours de ce qui peult les adoulcir, cest que si Dieu promet dassister a ceulx qui sont chastiez pour leurs meffaictz, quant ilz linvocqueront combien plus sera-t-il propice et favorable a ceulx qui souffrent pour sa verite? et afin que vous ne trouviez estrange quil vous faille tant souffrir, pensez combien est le nom de Dieu plus precieux et le regne de Iesus Christ que nostre vie, voire que tout ce qui est au monde. Davantage comme desia est dict, cest ung grant honneur que Dieu nouz faict en nous donnant les marques de son filz qui sont plus honorables que tous les sceptres et les couronnes des princes terriens, voire devant luy et devant ses Anges, quelque contumelie et honte quelles ayent devant les hommes. Nous considerons bien cependant que vous nestes pas de fer ne dacier et quil ne se peult faire que vous ne sentiez de grandz assaulx en vostre chair; mais puys que iusques icy vous aves senty lassistance de ce bon Dieu, comme nous avons attendu quil augmentast iournellement en vous ses graces ne doubtez point quil ne poursuyve son oeuvre et mesme la vertu de son Esprit, que vous aves desia sentie, vous soit en confirmation pour ladvenir, que, comme il prolonge vous afflictions, il vous continuera aussi sa grace pour vous faire perseverer en patience. Le tout est que vous laissant gouverner par sa parolle, vous attendiez lyssue avec contentement, telle quil luy plaira donner. Car comme nouz debvons estre prests de le glorifier par la mort, aussi fault il que nous soyons disposez a vivre, voyre en languissant tant quil luy plaira. Nous disons cecy pour ce quil y a desia long temps que vous estes prisonnier, et ne scaict on pas quand sera la fin, a cause de quoy la chair debile pourroit vous faire perdre couraige. Mais a lencontre de telle tentation proposez vous incessamment devant les yeulx celluy sans la providence duquel rien ne se faict, qui a les temps et les moyens en main et finalement tournera le tout au bien et salut des siens. Comme il congnoit nostre portee il est fidelle pour donner bonne yssue de toutes nous tentations. Cependant que vous vous porterez fidelement en ceste affaire de nostre seigneur [1]) et poursuyvrez constamment en ce combat vous donneres grant ioye a lEglise: car cest la

---

2061. 1) *Les copies mettent:* en ces assaults de nostre salut.

resiouyssance de tous les membres de Jesus Christ quant ilz voyent que son nom est magnifie par la constance invincible de ses martyrs, maulgre la contradiction des iniques. Et non seullement les fidelles qui le sont en ce monde ont de quoy sesiouyr mais aussi les anges du ciel. Les hommes ont en cela avantaige cest quilz sont daultant plus confirmez comme au contraire linconstance et laschette des paovres malheureux qui renoncent la verite congneue est cause de subvertir la foy de plusieurs infirmes. Vray est que nous en parlons a ceste heure estants hors des coups, mais non pas fort loing, et ny a nul de nous qui scaiche iusques a quant. Parquoy tous ensemble apprenons de regarder au Ciel et ne nous iamais lasser, iusques a ce que nous ayons acheve nostre course. Pour faire fin nous prierons tous ce bon Dieu et Pere de vous tenir tousiours la main forte pour vous donner victoire en vous combatz vous guider par son sainct esprit, vous avoir en sa protection et finalement vous faire sentir quil a le soing de vous tellement que vous y puissiez avoir ferme repos. Apres nouz estre recommandez a vos bonnes prieres . . . . . .

2062.

HALLERUS BULLINGERO.

Calvinus nondum contentus, ipse fortassis aderit causam suam acturus.

(Excerptum ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 154, olim Scrin. B. Epp. Tom. 32. fol. 207. Simler. Vol. 83.)

— — — — — — — — — — — — — — — —

— — Quod res nostras concernit, non possum te onerare Gullicis concertationibus audiendis. Veremur ne *Calvinus* huc veniat, [1]) iniuriam suam persequuturus. Parum enim illi satisfactum etiam proxime, quod *Zebedaeus* et ille alter de gradu deiecti non fuerint. Misi tibi proxime libellum eius contra *Westphalum* quem tamen nondum vidi — — — —

Bernae, 12. Decemb. 1554.

T. J. H.

2062. 1) *Venit, sed demum m. Martio.*

2063.

VIRETUS FARELLO.

Multa et varia de negotio Calvini apud Bernenses, de Bolseco, de causa Monbelgardensi, de ipsius profectione ad Orbanos etc.

(Ex autographo bibl. pastorum Neocomensium Epp. Vireti fascic. VIII. N. 16.)

Praestantissimo Christi servo Guilielmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fidelissimo fratri et symmystae venerando.

Neocomi.

S. Remitto ad te literas de quibus scripsisti proxima tua epistola una cum exemplari literarum senatus Bernensis ad nostram classem, in quam sententiam arbitror ad alias classes omnes scriptum esse. Quod scribis de *Hieronymi* exsilio mihi paulo ante literis *Halleri* significatum fuerat, quas etiam ad te mitto [1]): ut ex iis intelligas quid a *Calvino* et collegis postulet. [2]) Scripsit et ad *Calvinum* eadem de re, et in eandem fere sententiam. Remitte has *Halleri* literas, una cum exemplari literarum Genevatium ministrorum, quod ad nos cum senatus Bernensis literis missum est. Transiit hac hodie *Hieronymus* cum Tononiensibus multis. [3]) Suspicor illum Bernam proficisci, ut aliquid tentet, si possit. Dominus sanam mentem iis det qui rerum potiuntur, ut huiusmodi pestibus repurgent ecclesiam.

De causa Monbelgardensi [4]) non parum tecum sollicitus sum. Quid sit capiendum consilii non sat scio. Scribam ad te nostram ea de re sententiam quum *Beza* noster Geneva redierit, qui de rebus omnibus cum *Calvino* commentabitur. Proficiscor hodie Orbam. [5]) Arbitror te admonitum a *Roberto* de exitu postremae legationis.

Hic tibi vale dicturus eram, si eo die Orbam profectus fuissem et si nuncius advenisset quo die exspectabatur, nempe proximo Mercurii die. Sed ut me prohibuit coelum inclementius ne iter arriperem, ita et nuncius pluribus praepeditus negotiis

---

2063. 1) *nobis deperditas.*
2) *Scilicet nimia et intolerabilia!* (*N.* 2056).
3) *Multos hosce bene notes.*
4) *quaenam haec fuerit aliquatenus ex N.* 2032 *colligere poteris.*
5) *Postridie Cal. Dec. Bernenses per ministrum Robertum Lovat ordinem ref. ecclesiae promulgandum curarunt. Monachi m. Martio* 1555 *abierunt. Viretus fortassis eodem se conferre voluerat quia in vicinia plures vici reformationem expetierant et revera obtinuerunt* (*Buchat* VI. 75, *Pierrefleur* 309).

quam suspicabatur reditum differre coactus est. Memini de literis *Halleri*, quas ad te missurus eram, quia sperabam illas referendas per hunc tabellarium cui dederam *Calvino* reddendas, quod et *Calvino* scripseram. Sed uterque oblitus est. Atque haec est causa cur nunc eas ad te non mitto, alias missurus, ubi mihi redditae fuerint. Salutat te uxor et tota familia et fratres omnes. Salutem multam dico collegae *Maturino*, germano tuo, *Dommartino* et amicis caeteris. De Anglia nunciantur tristissima omnia. Nulla se spes ostentat futurae tranquillitatis, sed certa ut videtur exspectatio horrendae lanienae, nisi Dominus tyrannorum consilia illudat, aut eorum corda mutet. Illam igitur ecclesiam afflictissimam commendabis Deo tuis precibus. Vale. Lausannae 14. Decemb. 1554.

Tuus Petrus Viretus.

2064.

BULLINGERUS CALVINO.

Nova recensio Defensionis sibi et collegis acceptam declarat, suadetque ut Genevae prius, tum etiam Turici imprimatur. A subscriptionibus vero colligendis abstinendum. Quis fuerit exitus negotii Locarnensium magno cum dolore docet. Denique nova quaedam ex Germania affert.

(Ex autographo duplici, altero ab autore sibi ipsi scripto Arch. Tur. Plut. VI. Vol. 105, Fol. 627 (α), altero cum sigillo et inscriptione ibid. Vol. 129, Fol. 318 (β), olim. Epp. Tom. I. et XXX. — Simler. Vol. 83.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino, Genevensis ecclesiae fido pastori domino colendissimo et fratri nostro longe carissimo.

S. D. Tuae quidem datae sunt 13. Novembris, nobis autem 12. tandem [1]) Decembris redditae, id quod commemoro ut intelligas quantopere nobis fuerit festinandum. Postridie enim quam tuae erant allatae adveniebat D. Guilhelmus *Prevotius*, [2]) Gallus, qui videbatur maxime idoneus et tutus tabellio cui nostra responsio crederetur. Legimus librum remissum [3]) singuli una cum adiunctis tuis literis, ex quibus intelleximus quod et in ipso tuo [4]) libro deprehendimus, quid quasve ob causas mutaveris vel non mutaveris, quod mutandum admonueramus. Agimus autem gratias tuae humanitati quod hactenus voto nostro obtemperaveris, ac ut liber edatur per te concorditer omnes consentimus: sed et mutuam nostram operam in defendenda Consensione [5]) tibi pollicemur, multumque nos tibi debere fatemur, qui in communi causa primus in aciem prodieris. Consultavimus quidem diligenter de mittendis libri tui exemplis ad ecclesiarum illarum omnium ministros quibus tu librum tuum inscripsisti, ut ab his assensum vel subscriptionem ipsorum impetraremus. Caeterum quum expendimus, quales ex illis non pauci sint et quanto possit iniici rei salutari remora, aut etiam oriri suspicio dissensionis apud adversarios nostros, visum est omnium tutissimum fore, si tu quam primum prelo subiicias, excusaque exempla ad fratres alios et ad nos mittas. Quod vero nos nullam tuo libro subiecimus epistolam, sicut factum est in Consensione, nulla id alia causa factum est, [6]) quam ne alii se praeteritos, [7]) te nobiscum duntaxat egisse suspicarentur, [8]) indeque et tibi et nobis oboriretur invidia. Alioqui si tibi ita placeat, et nostram adiungi velis, non deerimus nostro officio: sicuti nunc quoque nostram operam polliciti sumus, si tuus labor nostraque Consensio fuerit contra antagonistas defendenda. Si [9]) felicissime res cessisset et fratres plerique placidos se nobis praestitissent, vix tamen intra duos aut tres menses absolvissemus. [10]) At cunctandum in re tanta nobis non videtur. Speramus autem nullos prorsus edito libro [11]) se oppondituros. Iam ut apud vos typis excudatur [12]) ea maxime de causa videtur, ut ita praescindatur occasio Lutheranis dicendi, quod in edita Consensione factum scimus, Tigurinos quaedam infarsisse contra *Calvini* sententiam. [13]) Porro [14]) si *Froschoverus* intellexerit nihil se offensurum typographum, qui apud vos primus excuderit librum tuum, imprimet forte [15]) et ipse eundem. Utile autem atque adeo necessarium videtur, [16]) ut coniungatur nostra Consensio libro tuo.

Brevior fortassis sum quam in re tanta conveniat, sed multae mihi causae sunt cur brevibus

---

2064. 1) demum (α).
2) *N.* 1498. 1686 (*Haag*, VIII. 320).
3) *Defensionem a Calvino secundis curis emendatam quam deinde Bullingerus m. Martio Turicensi prelo submisit.*
4) tuo *om.* α.

5) nostra *add.* α.
6) scias (α).
7) ac *add.* α.
8) arbitrentur (α).
9) Etsi (α).
10) rem illam perfecissemus (α).
11) nullos edito iam libro (α).
12) apud vos edatur (α).
13) nobis utile videtur, ne Lutherani rursus dicant nos quaedam adiecisse quae non sint ex C. sententia (α).
14) Porro *om.* α.
15) impresserit, excudet fortassis (α).
16) foret libro tuo coniungere Consensionem (α).

ista communi omnium nomine expediam, angustia temporis, [17]) valetudo afflicta et acres capitis et colli dolores: moeror item gravis conceptus ex Locarnensi negotio. [18]) Scissae sunt urbes evangelicae. Berna, Basilea, et Schaffhusium recepit * sequestrium capita. Tigurum hactenus recipere noluit. Capita fere huiusmodi sunt: 12 respublicae Helvetiorum vel 7 nomine 12 iubento eos qui novam receperunt religionem hac relicta concedere rursus ad veram et antiquam religionem. Quicunque vero noluerit migrato intra 3 menses etc. Addunt sequestres pacis capita proxime a bello nostro pacta ita iubere. Id vero nolunt agnoscere nostri, sed modis omnibus asserunt, pacis capita liberam permittere religionem. Praeterea nolunt aliis autores esse abnegationis, nolunt nomine ipsorum 7 respublicas apud fideles Locarnenses praedicare nostram religionem esse novam, papisticam veram et veterem. Aliae urbes autem putant, ibi nullum esse periculum quum 7 respublicae sua opinione illa sic pronuncient. Grave est nostris mulctare illos exsilio qui nihil mali fecerunt. Urbes satius esse putant, exsilio illos quam incendio et omnium facultatum depraedatione mulctari. Nostri utrumque iniquum esse contendunt, neque mala facienda ut veniant bona. Breviter nolunt consentire ut ipsorum religio in aliis eandem religionem habentibus puniatur et proscribatur et locus praecludatur spiritui et gratiae Dei. Atque haec coram omnibus confoederatis semel et iterum professi sunt. Iam vero audimus novam adventare legationem ex omnibus evangelicis urbibus et sequestribus et Rhaetis qui persuadeant nostris ut se non separent, sed in illa consentiant capita. Cras exspectantur affuturi. Quid futurum sit, novit Dominus, quem oro ut nos ab omni malo protegat. Odi civiles illas in religionibus moderationes, sciens quid Solomoni evenerit 3. Reg. II. etc. Valde metuo, si ita pergamus omnes in exsilium nihil mali meritorum, et in proscriptionem veritatis consentire, ne et nobis veritatem subducat, et nos nostrosque in exsilium mittat iustissimus Dominus. Orate pro nobis Dominum. Pessime audimus passim apud omnes ceu cerebrosi et pertinaces, qui moderationem aequam religionis praetextu crassi respuamus etc.

Venit iam etiam a Ravenspurgo Ioannes quidam *Willingus* concionator, quem inde eiecerunt Ravenspurgenses, Ulmenses, Memmingenses, Uberlingenses et nescio qui alii urbium legati, quod videatur sacramentarius, addunt seditiosus. Nam quum magistratus Ravenspurgensis ipsum inaudita causa civitate vellet eiicere, cives se opposuerunt magistratui, postulantes ut audiatur priusquam eiiciatur. Hoc factum civium dicunt esse seditionem et *Willingum* seditionis autorem. Legati urbium se interposuere sequestres et communi sententia approbarunt magistratus decretum.

Comitia Augustae iam futura certo dicuntur [19]) et in his quoque multa iactitant statuenda pro reparatione papismi. Tam scilicet feroces reddidit adversarios unius Angliae regni casus. Sed vivit Dominus, omnium regnorum potens dominus, manet in aeternum Christi veritas.

Pro *Melanchthonis* literis [20]) maximas ago gratias, quas et hic remitto. Vicissim exhibeo tibi D. *a Lasco* literas et libellum, [21]) sed ea lege ut remittas.

De *Laelio* diligenter inquiram. Condona mihi, obsecro, turbatum hoc scriptum. Non licuit relegere et multa simul me premunt et angunt. Omnes fratres te et symmystas salutant amicissime et vobis benedictionem Domini imprecantur. Vale aeternum, colendissime et carissime frater. Salutant te mei generi et tota mea domus. Tiguri 15. Decembris 1554. [22])

Tuus ex animo
Bullingerus.

2065.

BULLINGERUS CALVINO.

Describit ei quae nuper ex Germania ipsi nunciata sunt de Lutheranismi progressibus et crescente barbarie, id quod Defensionis editionem properandam flagitat. Novissima de Locarnensium negotio addit.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 117b, olim Scrin. C. Epp. Tom. II. fol. 299. — Simler. Vol. 83.)

17) *Hic subsistit exemplar prius* (*a*), *cum subscriptione:* Ioanni Calvino. Decemb. 14. Anno 1554.

18) *Postridie Cal. Dec. Comitiis Basileae habitis factum est ut ultra* 60 *familiae Locarnensium solum vertere coactae sint, quae in vallem Tellinam se contulerunt* (*Haller, Ephem.* p. 106. *Meyer, Locarno* I. 363 *sqq.* 375).

19) *Celebrata sunt d.* 29. *Dec.* (*Sleid.* III. 480).

20) *N.* 1931.

21) *Cf. Kuyper,* II. 707. *N.* 104. *Coeperat contra Westphalum scribere, verum quominus pergeret domestica tempestas impedivit.* Edidi tamen, *inquit,* brevem confessiunculam doctrinae meae quae calumniis impetebatur. Haec rursus a nonnullis oppugnari coepta in coetu demum publico ministrorum huius patriae a me defensa est. (*De Christi communione Opp.* I. 233.) Nunc sub prelo est Ratio gubernandi nostram in Anglia ecclesiam cum eius ritibus ac caeremoniis. (*Emdae* 5. *Oct.*)

22) *Prior pars epistolae scripta erat postridie Idus.*

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori domino suo colendissimo et fratri carissimo.

S. D. Superioribus diebus in haec verba scribit ad me quidam ex consiliariis Ducis *Othonis-Hainrychi* Bavari et Palatini: „Lutherana barbaries radices agit. [1]) Augustani, Ulmenses et reliqui apud nos nullos nisi extreme Lutheranos admittunt ad ecclesiae ministerium. Ut olim romana, sic modo Wittembergensis et Saxonica ecclesia in omnibus respicitur et ab omnibus. Damnantur viri pii haereseos, populus id indigne fert, qui rectius antea institutus adhuc orthodoxe sentit. Nuper Lutherani inter se synodum celebrarunt, unanimiterque decreverunt corporalem, carnalem mortalis naturae Christi praesentiam in pane etc. Unde iam palam omnes non idem confitentes anathemate percutiunt et nominatim Zwinglianos, Oecolampadianos, omnesque qui verba Christi: hoc est corpus meum, expediunt per tropum, etc. Illa insolentia miras excitat turbas. Dissipatur ecclesia, plebecula simplex moeret, de doctrina tam priore quam posteriore multi dubitare incipiunt, multi ad papistas rursus deficiunt. Retulit mihi quidam superioribus diebus: una septimana quinque personas in desperationem incidisse, ac sibi ipsis mortem consciscere volentes partim ereptos, partim mortuos esse inventos etc. Cuius mali non alia allegatur causa quam gravamen conscientiarum. Ea tam grata sunt papistis ut approbent Wittembergensem crassitiem, nimirum ut et veritatem ipsam, quantum in eis est, et saxonicos doctores tandem proterant. Pater coelestis misereatur nostri.“ [2]) Haec vir ille. Quae tibi, honorande et colende mi frater, in hoc communicare festino, ne differas editionem. Dominus servet te.

Hodie auditi sunt a Senatu et Ducentis legati Bernensium, Basiliensium, Schaffhusianorum, Rhaetorum, Claronensium, Apptzellanorum. Postularunt consensum nostrorum in exsilium Locarnensium (sicuti ultimis ad te literis significavi) ne illi atrociora experiri cogantur. Iam vero quum haec scribo post duodecimam meridianam totam hanc diei partem in hac causa expendenda consumpserunt: audio senatum et plebem a curia descendere senatoria, nec consensisse. [3]) Literae iam obsignandae fuerunt. Posthac quum habuero certiora communicabo. Vale. Tiguri 18. Decembris anno 1554.

Tuus Bullingerus.

2065. 1) *In Germania septentrionali Flaciani sensim vicerunt et superiores evaserunt, si Saxoniam exceperis electoralem ubi pro tempore Philippistae primas tenebant. Verum etiam in regionibus meridionalibus Lutheranismus praevalere coepit. Habuisti in praecedenti epistola exemplum Willingii. Quomodo Nic. Gallus Melanchthonem anathematisaverit tralatitium est. Ulmae Frechtus magis ac magis eodem inclinabat, cum eo Veesenbeckius, usque dum Rabi fanatismus triumphum egit* (*Keim*, *Ref.-Gesch. v. Ulm* p. 350 *seq.*).

2) *Autor laudatus est G. Laetus* (*Simler ad Idus Nov.*).

3) *Ad haec cf. Meyer*, *Locarno* I. 383 *sq.*

2066.

GRATAROLUS BULLINGERO.

Denunciat ei Perinum Castellionis discipulum Turici nunc degentem studiosum. Et Socinum obiter eadem creta notat. Ipse Basileae fere nullum habet amicum quia non ab eorundem partibus stat.

(Excerptum ex autogr. Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 155, olim Scrin. B. Epp. Tom. 33. fol. 63. Inscriptio abscissa. — Simler. Vol. 83.)

— — — — — — — — — — — — — — — — — Monitum te paucis velim venisse istuc et habitare studiosum quendam et eruditum iuvenem quem Bernenses alunt, nomine *Perinum* [1]) qui iuratus discipulus est *Castaleonis*, nempe hominis (ut norunt qui volunt) Servetiani et Pelagiani. De *Laelio* Italo nihil dico, quod illum fortasse non minus quam ego noveris, et ex Geneva audire potueris. Velim tamen omnes bene habere, si Deo ita placet. Sunt aliqui hic qui negant ea *Servetum* dixisse quae illi *Calvinus* adscribit et ferunt aegerrime combustos esse eius libellos, quos multa pecunia redimerent. Sed desino ulterius loqui, ne frustra, ut hactenus feci, in me istos sycophantas, et mendaces atque hypocritas concitem. Nihil tamen dixi, quod sustinere iuridice non queam. Hic iam nullos fere amicos habeo, quod Servetanus, aut Coelianus, aut Castalioneus, aut Lutheranus, [2]) aut hypocrita et adulator non sim. Sed de his satis — — — — — — — — — — — — — — — — — — — Ex Basilea 24. Decembris 1554.

Tuus ex animo
Gulielmus Gratarolus.

2066. 1) *Facile de eo ipso cogitaveris de quo Martinengus N.* 1945.

2) aut Lutheranus: *haec verba in autographo deleta.*

2067.

BULLINGERUS GARNERIO.

Consilium quaerenti de subscriptione Confessionis Augustanae ab Argentoratensibus requisita ita dat ut in articulo de coena sibi a crasso caveat Lutheranismo, in caeteris vero candide formulam recipiat.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 117a. olim. Scrin. C. Epp. Tom. 1 fol. 369, autoschediasma sine inscriptione et subscriptione. — Simler. Vol. 83.)

Multis ab initio expono,[1]) cur videantur Principes et Urbes tantopere requirere consensum in Confessionem Augustanam: quia instent iam Comitia et videatur sibi abunde cautum, si dicant concorditer illam se recipere: quod istam dudum Caesar ferre nec improbasse videatur, quum mihi potius videantur hostes veritatis non tam requirere ut fidem profiteamur secundum Confessionem Augustanam, quam ut nullam profiteamur et in veterem viam redeamus. Quocirca adhortandos omnes ad constantiam in confessa veritate. Lapsu enim Anglicani regni confirmatos episcopos magna tentaturos. Unde aequum esse, ut et nos praeparemur ad pugnam. Non defuturum Dominum.

Confessionem Augustanam te sano sensu admissurum respondere posses, si nemo videlicet te cum ecclesia adigat fateri Christum adesse corporaliter et carnaliter percipi, sed ita adesse et percipi, ut hactenus et vetus a tempore apostolorum ecclesia et vestra credidit adesse et percipi. Hac in re non imprudenter egisse audio D. *Petrum Martyrem* requisitum et ipsum:[2]) qui quum quotidie tecum sit, eius quoque consilio uti poteris. Dissidiis et contentionibus pii non debent ullam occasionem: proinde nihil concedunt imprudenter unde postea oriri possunt dissidia et concertationes. At nisi candide et sincere agamus in omnibus, nescio quomodo hoc esse possimus quod dicimur. Speramus brevi editurum D. *Calvinum* scriptum publicum, quo tueatur et illustret nostram consensionem contra calumniatores, occasionemque suppeditaturum filiis pacis redeundi in viam iustam deserendique illam carnalem de coena Domini opinionem et concertationem. Dominus Iesus adsit nobis et servet in sancta sua veritate in finem usque. Serius scribo. Citius non potui. Benedicat ecclesiae suae et tibi Dominus.

2067. 1) *Haec tantum adumbratio est responsi Garnerio dandi ad suam ep. N.* 2058.

2) *Scil. quum ad professionem theologicam vocaretur.* (*Schmidt, Verm. p.* 140 *et Marbach, Diar.*)

2068.

CALVINUS FARELLO.

Turicenses probarunt posteriorem Defensionis recensionem et ut edatur sine subscriptionibus postulant. Genevensis senatus antea censurae subiiciendam praesumpsit sed graviter ei responsum est.

(Ex authographo Cod. Genev. 107a. fol. 86, coll. c. exx. Turretini Cod. 108, fol. 21, Bernensi Epp. VI. p. 362, et Simleriano Vol. 83.)

Praestantissimo Christi servo Guillelmo Farello Neocomensis ecclesiae fido pastori, fratri et symmystae integerrimo.

S. Mitto ad te Tigurinorum literas[1]) ex quibus intelliges quod tibi iucundum fore scio, placuisse illis sine exceptione posterius meum scriptum, deinde mutati consilii rationem. Nam promiserant se operam daturos, ut liber sua et aliorum subscriptione ornatus in publicum exiret. Nunc postulant ut quam primum edatur. Quanquam autem prospicio non omnibus gratam fore meam confidentiam, videor tamen non absque validis rationibus ex eorum voto properare, quas tibi suo tempore exponam. Parum tamen abfuit quin Vulcano dicaverim. Nam quum senatui obtulissem, decretum fuit ut censoribus daretur.[2]) Adeo excandui accepto responso, ut quatuor syndicis testatus sim, si mille annorum mihi esset vita, nihil posthac me editurum in hac urbe. Ad eorum contumelias pridem occallui. Sed hoc nimis indignum fuit, quum literas exhibuissem, quibus sancte Tigurini se obstringunt et omnes collegae mei idem asseruissent, alios adhuc censores quaeri. Adde quod recenti vulnere cor laesum hanc bilem promptius evomuit. Nam vix credas quam improbe nuper *Besae* illuserint,[3]) hoc est triduo ante quam ista ignominia me afficerent. Nunc dubito quid meae Harmoniae facturus sim:[4]) sed ne in vitium incurram quod fugere soleo, ne scilicet meas molestias in te exonerem, non ultra progrediar. Vale, eximie Christi minister et frater integerrime. Saluta meo nomine omnes symmystas et tuam familiam una cum *Dommartino* et reliquis amicis. Dominus vos omnes regat et tueatur perpetuo. Genevae 26. Decembris 1554.

Ioannes Calvinus tuus.

2068. 1) *N.* 2064.

2) *Reg. du conseil* 24. *Dec. Iam postridie sine mora concessum est.*

3) *Litem Besae cum Guyrodo et Bosco typographis de Psalmis illustrant acta senatus ad* 22. *Nov.* 14—21. *Dec.*

4) *scil. cuinam dicaturus. Nuper Ioannem senatui Genevensi dicaverat. Fortassis etiam Harmoniam eidem nuncupare decreverat, quam tamen senatui Francofurtensi inscripsit.*

2069.

CALVINUS WOLPHIO.

Per Lismaninum quem ille commendaverat gratias agit de propenso in se animo et simul quibus curis et molestiis tantum non obruatur gemens declarat, unicam liberationis spem in appropinquante morte praevidens.

(Ad manus erant exemplaria Ionvillaei in Cod. Genev. 107a. fol. 84, Turretini Cod. 108, fol. 87, Bernense Epp. VI. p. 380, Turicense olim Hottingeri Epp. III. nunc F. 88, fol. 28. et Simleri Vol. 86 qui ad a. 1555 refert. Vers. angl. III. 109.)

S. Quum rarum erga me amorem literae tuae omni ex parte spirent quem non aliunde quam ex vero pietatis affectu manare interpretor, eas mihi suaves ac iucundas fuisse mirum non est. Etsi autem optimus D. *Lismaninus* [1]) apud me commendatione non egebat et negotium de quo mecum acturus erat per se abunde erat commendatum, mihi tamen et pro homine amico et maxime pro communi ecclesiae utilitate grata fuit tua sedulitas, dedique operam ut volebas, ne dubitaret se perinde abs te diligi ut ipse te mutuo amat. Expeditionem quam suscipit, tam confido prosperam et fructuosam fore, quam alacriter ab eo suscipi gaudeo. Statum nostrum [2]) melius ipse coram exponet, quam literis referre commodum sit. Recte quidem divinas me assiduis certaminibus assuefieri, ut torpori non sit locus. Sed crede mihi, minus negotii mihi exhibitum est a *Serveto* et nunc a *Westphalo* et similibus ingeritur, quam ab hostibus domesticis, quorum sunt innumerabiles copiae et implacabilis furor. Si daretur optio, praestaret semel a papistis exuri quam a vicinis sine fine et modo lacerari. Invident scilicet meis delitiis, noluntque tranquillum vivere quem et ingenti negotiorum mole prope obrui et tristissimis curis misere distrahi, et importunis flagitationibus inquietari vident. Unum solatium est, quod ab hac duriore militia brevi mors vacationem dabit. Omnia igitur prospere esse, et praesertim exitialem motae a vicinis contentionis flammam repente exstinctam esse vehementer gaudeo. [3]) Dominus vos perpetuo favore prosequatur, incolumes servet, spirituque suo regat. Vale, eximie vir et carissime frater, cum uxore et familia. Genevae 7. Calendas Ianuarii 1555.

Ioannes Calvinus tuus.

2069. 1) *Nomen a Beza cancellatum et simpliciter N. superscriptum, in Cod.* 107a *scil. prelo destinato exemplari. Cf. quae adnotavimus ad N.* 2057. *De Lismanino vide etiam sequentem.*

2) *Alludit ad novas contentiones hoc ipso tempore circa Consistorii autoritatem ortas.*

3) *Simlerus in margine:* De causa iuramenti loquitur, *nempe formula in renovando foedere usurpanda.*

2070.

CALVINUS BULLINGERO.

Lismanini laus. Defensio iam sub prelo. Westphalus paulo asperius tractatus.

(Autographon praebuerunt Archiva Turic. Plut. VI. Vol. 166, olim Epp. Tom. 24, fol. 21. — Plura exstant apographa Genevae Cod. 108, fol. 37 et 111b. fol. 1; Bernae Epp. VI. p. 381 et 515; et Turici ap. Simlerum Vol. 86, i. e. ad a. 1555. Versio anglica Philad. III. 110.)

Ornatissimo viro D. Heinricho Bullingero ecclesiae Tigurinae fido pastori, fratri integerrimo et observando symmystae.

S. Quum expeditio ista ad quam vocatur optimus vir D. *Lismaninus* [1]) valde necessaria, hominis vero fides et integritas nobis sit cognita: fecisti pro tua pietate, venerande frater, et solito erga Christi ecclesiam studio, quod eum cohortatus es, ne quam moram traheret. Caeterum ubi ad nos appulit, iam propensior erat eius voluntas quam ut longo sermone opus fuerit. Currenti tamen, quod aiunt, calcar addere conatus sum quo et celerius et alacrius pergeret. Interea vero dum hic fuit, ex literis D. Ioannis *a Lasco* [2]) cognovi hominem esse in procinctu, per quem Regi et proceribus scribit. Dominus pios servorum suorum conatus benedicat, ne optabili successu careant.

Refutatio *Westphali* nunc excuditur [3]) et brevi in lucem exibit. Principium tibi ostendet *Lismaninus* noster. Quia videbam nihil eum magis captare quam ut nobiscum immensas copias in certamen

2070. 1) *Ad ea quae supra ad N.* 2057 *dedimus haec adde: Itinera sua usque ad Venetias, Patavium, Mediolanum, Lugdunum et Lutetiam extendit. In Poloniam rediit aestate* 1556. (*Salig. A. C.* II. 571. 605. *Lubieniec. l. l. p.* 18 *ss.*) *Idem p.* 42*:* Ne cum horrido cucullo in Poloniam rediret, uxorem duxit autore Calvino et Socino sed contradicente Budzinio ministro suo et ob oculos ponente Regis indignationem, qui eum sumptibus suis in exteras regiones ad omnia exploranda ablegarit et tantorum conatuum alium eventum quam monachi nuptias expectet, tum et successum eiusmodi matrimonii, quod magis aedificata subruere quam aliquid aedificare possit, infaustum. Sed surdo cecinit. *Caetera supra.*

2) *deperditis.*

3) *Ianuario absoluta.*

committeret, huic malitiae obviam ire visum est. Itaque artem adhibui, ut quam paucissimos offenderem. Ex lectione facile tibi patebit, quantum operae in deflectenda eorum qui sunt adhuc sanabiles invidia ac etiam mollienda indignatione positum sit. Hominem ipsum paulo asperius me quam putabam tractasse nunc deprehendo.[4]) Sed quia fratres quidam sibi immodicam vehementiam videri negarunt me persuaderi non aegre passus sum. Si tempus tulisset optassem libellum antequam ederetur abs te lectum. Forte enim admonitus aliquid mutassem. Sed tanta fuit festinatio ut dictaverim tantum, alius relegerit, inde prelo mox commiserim. Spero tamen nihil fore, quod tibi valde displiceat. Legationis quae Bernam missa est sollicite exitum exspectamus.[5]) Quum ante dies novem inchoata sit actio, nihildum certi allatum est de progressu. Vale, eximie vir et mihi ex animo colende frater. Saluta meo nomine D. *Pellicanum*, D. *Gualtherum*, D. *Theodorum*, generos tuos etiam et familiam. Dominus vos omnes tueri et regere pergat. Collegae mei plurimam vobis salutem dicunt. Genevae 7. Calendas Ianuarii 1555.

Ioannes Calvinus tuus.

His literis scriptis reversi sunt Berna nuncii re infecta. Ergo nova ratio ineunda erit: ad cuius moderationem pro virili enitar, meque facturum spero ut nostri ad durissimum postulatum se inflectant. Quia tamen pro furciferis satagere pergunt, vereor ne tandem illudant. Sed omnia tamen experiri fixum est.

2071.

CALVINUS LASCO.

Ex literis a Rege Poloniae acceptis satis videt ei stimulos addendos esse ut reformationem serio aggrediatur. Ecclesiae Francofordiensis dissidia ipsum excruciant, maxime vero Anglorum minime velatum odium. Addit quaedam de causa matrimoniali sibi proposita.

(Impressa exstat in Andreae Alciati Epistola contra vitam monasticam, cui accedit Sylloge epp. clar. virorum L. B. 1695. 8. pag. 451. Ep. 172. Apud Kuyperum desideratur.)

4) *Nimis sero et frustra admonitus.*

5) *In Actis Senatus de ea nihil. Pertinet ad negotium de foedere renovando. Legati erant Bonna, Curtet, de l'Arche et Roset qui solus germanice callebat. Cf. Grenus ad 7. Nov. et 23. Dec.*

Clarissimo et eximiae pietatis doctrinaeque viro D. Ioanni a Lasco, fideli servo Christi symmystae et fratri observandissimo Ioannes Calvinus S. P.

De statu ecclesiae in variis Europae partibus.

Tertio post die quam mihi literae tuae redditae fuissent,[1]) clarissime vir et venerande frater, commode se hic nuncius obtulit, si modo otium ad scribendum fuisset. Malui tamen inter angustias aliquid breviter scribere, quam ut prorsus vacuus ad te veniret. Si nuncius, quem in Poloniam mittere decreveras, iam profectus est, gaudeo. Nec dubito ita esse, quia iam tibi ad manum erat. Utcunque Rex cupiat bene compositas esse ecclesias tamen ex cunctatione eum frigere apparet. Atque ut in sinum tuum omnia familiariter deponam: quum prolixe ad eum de reformatione scripsissem,[2]) literas nuper eius nomine scriptas et Regis sigillo clausas accepi,[3]) ex quibus satis intelligo parum esse ad tantam rem animi, nisi acriter pungatur, quod te prudenter animadvertisse exhortatio tua demonstrat. Mihi humanum eius responsum eius iterum acuendi occasionem simul et fiduciam dedit. Ita omnino fore spero, ut diversis stimulis incitetur. Idem etiam apud multos proceres tentabo.

Westphali refutatio excuditur, quam videbis propediem. Quia mihi videtur deploratus, non magnam illius rationem habendam mihi esse duxi. Ne quos sanabiles offenderem studui mihi temperare.[4]) Gallicae ecclesiae[5]) dissidium me vehementer excruciat. Si venissent meae literae ante D. *Sechelii* discessum redditus fuisset placatior. Quando amissa est ea opportunitas, nunc aliis pacificandis operam dedi. Si quid aliud censebis in me positum, opera mea nusquam deerit. Anglorum iracundiam deferbuisse gaudeo, si tamen contentione deposita animum ad moderationem adiiciant. Qui ad nos migrarunt nihil movebunt turbarum, nam et se ostendunt sanis consiliis morigeros, et ego, uti hactenus coepi, fovendae pacis autor illis esse non desinam. Ut profugos fratres et Christi exsules prohibere hospitio non fuit christianae pietatis, quantum tamen odii apud Francofordienses contraxerim, amarulentia epistolae ad me scriptae ostendit.[6]) Autorem nominare nihil attinet, cuius tamen stylum facile agnosco. Et certe quod ad ipsum spectat veterem suum hospitem tot aculeis configere non

2071. 1) *de quibus et in praecedenti.*

2) *N.* 2057.

3) *non exstant.*

4) *Cf. not. 4 praeced. ep.*

5) *Non Emdensis aut Vesaliensis sed Francofurtensis ut ex sequentibus colligimus, maxime mentione Secelii.*

6) *Etiam hanc desideramus.*

fuit humanum. Sed quia multi sunt subscriptores, quin sit communis offensio, mihi dubium non est. Praetextu honoris mea autoritas odiose aliquoties perstringitur, ac si tyrannice ecclesiam Dei gravarem. Sed contumeliose multa mihi exprobrant, quorum nullam culpam sustineo. Sannis etiam non parcunt. Sum illis andabata. Nolo alia persequi, neque expedit. Tantum huius rei te volui admonitum, ut si ita tulerit occasio, literas ipsorum significes mihi testes fuisse nimiae erga suos conterraneos acerbitatis, ut pervicax odium taceam.

De pio viro, quem uxor, postquam a patria profugit, frustrata est, ac nunc obstinate coniugalibus officiis fraudat, nihil est quod ad consilium tuum addam. Circumspecte dixisti nihil tentandum, nisi accederet causae cognitio. Neque enim privato consilio tam sanctum vinculum solvi potest, ac res esset pessimi exempli, nisi causa probe cognita liberari eum a priori fide. Tantum cognitionem postulet, ut publica autoritate ad novum coniugium transeat. Vale, vir clarissime et mihi ex animo observande frater. Dominus te spiritu suo regere, virtute fulcire et praesidio tueri pergat, hancque infirmam valetudinem tuam sustentet. Optimo fratri nostro Petro *Datheno* [7]) salutem plurimam. Genevae 7. Cal. Ian. 1555.

Ioannes Calvinus tui studiosissimus.

2072.

HALLERUS BULLINGERO.

Bolsecus a Senatu denuo mansionem impetravit. Inde novi clamores orituri. Calvinus Luthero et Bucero nimium se accommodat et Lutheranos magis confirmat quam refutat.

(Ex autographo Bibl. Turic. civ. F. 62, olim Epp. Tom, 27, fol. 297. — Simler Vol. 83.)

Clarissimo viro D. Henrycho Bullingero, Tigurinae ecclesiae pastori fidelissimo, domino et compatri suo colendissimo et carissimo.

M. Heinrich Bullinger zu Zürich.

— — — — — — — — — — — — — — — — — — — —
— — A Geneva iterum turbas exspecto. *Hieronymus* ablegatus erat quia *Calvinum* haereticum vocitaverat. Rediens vero ad senatum mansionem denuo (in odium *Calvini*, sat scio) impetravit. Hinc habebimus turbarum satis. Ita foris pugnae nobis perpetuo, ut ille ait, intus terrores. Sed qui consolatur humiles consolatur etiam nos. Illi sit laus. Fratri meo [1]) propter occupationes nihil scribo. Saluta illum meo nomine una cum tuis omnibus. Tuas ad *Calvinum* curabo et illa quoque quae D. *Gualtherus* misit Lausannam mittenda. Vestram libertatem erga *Calvinum* valde probo: videtur enim nimium semper *Lutherum* et *Bucerum* defendere et se alterius huius flexiloquis orationibus nimium accommodare, quum tamen satis manifestum sit, qua in re impegerint ambo. Lutherani tam sunt crassi ut nihil supra, et eiusmodi accommodatis sermonibus confirmantur in errore magis, quam ut inde educantur. Larva ergo illis abstrahenda, ut quantopere caecutiant in re plana et perspicua cernere queant. Tibi pro his omnibus summas ago gratias. — — — — — — — — — — — — — —
— — Bernae 28. Decemb. post Natalem Servatoris 1554.

Tuus Ioannes Hallerus.

2073.

MINISTRI GENEVENSES BERNENSIBUS.

Denuo instant de Bolseco querentes, imo de Bernensi senatu deque ministris, quod hi illi epistolam suam alteram non tradiderint, novaque crimina contra exosum nebulonem afferunt.

(Plura exstant exemplaria: Autographon in Cod. Goth. 404, fol. 21, cuius tamen pars prior et maior a Ionvillaeo scripta

---

7) *Dathenus a.* 1531 *Casselis in Flandria natus, apud Carmelitas Yperiis educatus, a popularibus in Anglia degentibus vocatus ministerio functus erat ibique uxorem duxerat. Nunc Emdenae apud Lascum fuisse videtur de quo aliunde non constat. A.* 1555 *cum eodem Francofurti munus eccl. capessivit* (*Ter Haar, P. Datheni vita. Traj.* 1858. *Kurtze u. wahrh. Erzelung welchermassen d. frantz. u. niederl. Christen in Frankfurt* 1554 *die öffentl. Predig verstattet u. verbotten worden p.* 10 *etiam in Frkf. Rel. Hndl.* II. 127).

2072. 1) *Wolfgango natu minori. Turici ut frater et ipse sua studia persequutus primum minister fuit in Meilen ad lacum, postea ad summas aedes Turici* (*Gross-Münster*) *et praepositus. Obiit* 1601. (*Scheurer in Mausol. Bern.* II. 6.)

est; Authenticum Bernam missum in Archiv. Bern. Codd. hist. helv. III. 34, fol. 176; unde sumpsit Simlerus Vol. 83. — Ex Gothano ediderunt Cyprian, Abgedr. Unterricht etc. 1722, p. 390, Schlosser, Beza p. 297 et Bretschneider p. 36.)

Eximiis Christi ministris pastoribus et doctoribus Bernensis ecclesiae fatribus nostris colendissimis.

S. Ex quo intelleximus [1]) *Hieronymum* indicto exsilio Bernam fuisse profectum, literas vero nostras fuisse suppressas, merito timuimus quod accidit. Et certe nihil a nobis scriptum erat, quod senatum offenderet. Nam quid egisset tunc nobis prorsus erat incognitum. Nondum ad classes perlata erant edicta. *Hieronymi* nulla mentio. Nos etiam praeteritis iniuriis, quas conquesti eramus nobis esse illatas, [2]) oblique in crimen trahebamur. Perinde enim ac si nostra culpa exortae essent turbae, moneri nos volebat senatus vester ut fovendae paci et cavendis dissidiis operam daremus. Necesse ergo nobis primum fuit modeste nos purgando falsam suspicionem diluere: deinde etiam ostendere quam iusta fuisset nostra querimonia. In utroque ita nobis moderari studuimus ut facile constaret nos pio consensu fore contentos. In *Hieronymum* vero novum crimen proferebamus, eum [3]) coram duobus verbi ministris dixisse: *Serveto* factam iniuriam. Qua voce non privatim laesus est *Calvinus*, neque etiam communiter tota haec ecclesia, sed senatus vester aperte proscinditur, cuius hortatu de impio illo sumptum fuit supplicium. Nunc si de integro scribamus, merito timendum est ne sibi litem intendi existimet senatus: scitis autem quam indigne laturus sit, secum de venia concessa expostulari. Clamabunt etiam qui nobis parum propitii sunt, nos vindictae cupidos in miserum exsulem esse implacabiles. Nulla igitur ratio nobis videtur reliqua esse, nisi ut vobis hanc causam suscipere libeat. Erit autem honesta et favorabilis eius actio, si libere exponitis quod res est, ut molestia ipsos levaretis, retentas a vobis fuisse literas nostras. Nos vero iam conqueri publicae infamiae expositam esse nostram doctrinam, nullam haberi ministerii nostri rationem: hoc denique probrum non residere in nobis, sed in commune evangelium redundare. Amplam quoque materiam vobis dabit indomita hominis rabies, qui antequam domum reversus esset quasi in posterum quidvis audendi [4]) permissa esset impunitas, Claudium *Molinaeum* [5]) verbi ministrum conviciis et minis tam contumeliose vexavit, ut novam sibi poenam accersiverit hoc facinore. Ut vero centies illi senatus ignoscat, hoc tamen minime ferendum vobis est, tacito praeiudicio rectam [6]) fidem gravari, cui maledicere et quam suo more traducere huic improbo [7]) nebuloni permittitur. Hoc vero magis etiamnum plausibile erit, vestros [8]) parcere illi non posse, quin suum honorem prostituant: quia *Servetum* suo patrocinio defendens, ipsos palam crudelitatis reos fecit. [9]) Ergo vos iterum rogamus et per Christi nomen sanctumque ministerii communis vinculum obsecramus ne officium hoc nobis [10]) praestare gravemini. Addere etiam licebit alios quoque iam non obscuros emergere huius datae impunitatis fructus. Nam procax et effrenis [11]) quaedam mulier quae ob alia maleficia hinc bis in exsilium eiecta fuit, palam Rollae [12]) clamitat me esse haereticum quia Deum faciam peccati autorem, et nuper *Graverius* [13]) vobis non ignotus, non in pagi sui latebris sed in hac ipsa urbe in sutoris taberna iactare [14]) non dubitavit. Quid tandem futurum est, nisi mature haec protervia compescitur? Ipsa vero necessitas, ut speramus, vobis ad iustae et piae causae defensionem satis acer erit stimulus. Valete, ornatissimi viri et nobis observandi fratres. Dominus semper vobis adsit, vos gubernet ac tueatur. Genevae IV. Calend. Ianuarii 1554.

Ioannes Calvinus vester,
fratrum omnium nomine. [15])

Quum has claudere vellem, allatus est Tononio nuncius, nebulonem illum, quasi non tantum data venia esset restitutus, sed etiam iussus strenue me proscindere, plenis buccis me adhuc vocare haereticum, quod etiam se in faciem optimo fratri nostro D. *Hallero* se dixisse iactat.

2073. 1) *Respondent ad N.* 2056 *cf. etiam* 2046 *seq.*
2) nobis esse illatas *om. Schl.*
3) eum . . . . . dixisset *Schl.*
4) audiendi *Schl.*
5) *Buchat* III. 242 *habet aliquem ministrum nomine:* Camus dit du Moulin.

6) certam *Schl.*
7) impio *Br.*
8) *sic a secunda manu Ionvillaeus; primum habebat:* Senatum. *Inde Schl.* senatores vestros.
9) *Sequentia Calvini manu in Cod. Gothano.*
10) vobis *Schl.*
11) infamis *Schl.*
12) Rollae *om. Schl.*
13) *In omnibus exx. ita hoc nomen scriptum est ut dubitare possis utrum* Graverius *an* Granerius *legendum sit. Priorem formam praebent editt. in N.* 1704; *posteriorem, si quidem de eodem dictum fuerit, Herminj.* IV. 375. *Bretsch. legit* Granertus, *Schl.* Genebrardus.
14) instare *Br.*
15) *Subscriptio abest a Cod. Gothano sicut et postscriptum.*

2074.

VIRETUS FARELLO.

Enixe eum rogat ut Mombelgardenses adeat eorum ecclesiis in discrimine positis prospecturus.

(Ex autographo bibliothecae pastorum Neocomensium. Epp. Vireti Fasc. IX. N. 1.)

Praestantissimo Christi servo Guilelmo Farello ecclesiae Neocomensis pastori fidelissimo fratri ac symmystae venerando.

Neocomi.

— — — — — — — — — — — — — — —

Audio magnum esse periculum ne fidi ecclesiae ministri et qui sinceriore fidem [1]) veritatis causam sustinent in comitatu Mombelgardensi non pro eo ac meruerunt tractentur. Audio a fide dignis testibus [2]) nihil iam iactari ab iis qui illic inter ministros primas tenent, [3]) aut qui horum partes fovent, quam principis et magistratus autoritatem et edicta. Quae certe ratio bonis, ut par est, non solum valde displicet, sed etiam portendere aliquid videtur indignum eo munere cui isti praefecti sunt. Qua autem via commodiore his malis impendentibus obviam iri possit hoc tempore non video, nisi si te eousque contuleris visendae ecclesiae causa, et salutandi principis, si adfuerit. [4]) Nam ut nemo est te hac ex parte liberior, ita nullus est qui iustiorem possit praetendere causam et occasionem, ut taceam autoritatem, qua merito apud principem et ecclesiam totam valere debes. Etenim quum illis primus pastor a Deo missus sis [5]) sub patris huius ducis dominatu, quis non abs te dignum laborem dignamque curam tuo officio tuaque aetate susceptam fateri cogetur, si ecclesiam invisas cui multum debes et quae tibi vicissim multum debet, his praesertim annis qui tibi spem tam longam non promittunt, hoc praestari abs te posse si diutius distuleris. Alia eiusmodi quam plurima, quae afferri iure possunt. Vide igitur quid magis censeas expedire. Haec mea est sententia cui audio *Calvinum* et *Besam* non refragari. Tua enim praesentia tuaque exhortatio, si aliud non efficiat, profecto pios confirmabit et aliqua ex parte eorum retundet conatus qui non sincere ambulant in via Domini nec rectum in ea cursum tenent. Sed de his satis. — — — — —
Lausannae 4. Ianuar. 1555.

Tuus Petrus Viretus.

2074. 1) *lapsus calami.*
2) *fortassis Alexandro qui exsul Lausannam se receperat. Vide eius defensionem N.* 2128 *et Kirchhofer, Farel.* II. 125 *seq.*
3) *Tossano scil. Qui paulatim propius ad disciplinam Wirtembergensem adeoque ad Lutheranismum se convertebat, nempe Comiti Georgio morem gerens. Iam a.* 1554 *quatuor ministri, qui potius Helvetiorum partes amplexi erant et Germanorum librum Agendorum repudiabant dimissi fuerunt.* (*Cf. N.* 1933. 1959. 1964.) *Etiam erant qui Serveto favere dicerentur, i. e. qui Bellii placita sua fecerunt.* (*N.* 2032. 2063.)
4) *Quod vero Tossanus quominus efficeret impedire conabatur.* (*Kirchhofer l. l.*)
5) *Iam a.* 1524 *Farellus Mombelgardiae fuerat.*

2075.

FARELLUS CALVINO.

Plura sunt quorum eum cura remordet, plures etiam de quibus querelas suas effundit: ita tamen ut, quid sibi voluerit si Calvinus bene intellexit, id nobis sufficere debeat.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 110, cum quo contulimus exx. Cod. 116, fol. 36, Bernense Epp. VI. p. 377, et Simleri Vol. 84.)

Insigni admodum servo Domini Iesu Christi Ioanni Calvino magno illustratori doctrinae pietatis fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

Vix credebam ita habere ut bonus vir hac transiens referebat, tam facile omnia Tiguri transacta.[1] Sed literae quas misisti[2] magno gaudio me perfuderunt, agoque gratias Domino quod tam benigne nobiscum agat. Quod addis de intemperie istorum, nescio an vesaniam vocem quod ita insaniant, persimiles nostris qui olim hic praeerant: qui quum nihil prorsus nossent in literis, tamen volebant de illis iudicare an recte scriberet is quem *Corderius* secum habebat, et nemo eorum quidquam norat, ne literam quidem unam nominare poterat. Sane non minus ineptos puto eos qui censurae tui operis designati sunt.[3] Sed quid facias cum insanis iudiciis et tam insolentibus, praeterquam admireris clementiam illam coelestem, quae tam perditis et tam corruptis hominibus sua tam insignia dona largitur, quae pars conculcat pedibus, non secus quam porci immundi, pars ut canes lacerat: vix est invenire qui agnoscat et excipiat ut decet. Optarem te haec accipere ex manu Domini, et patri misericordiarum gratias agere super eo quod dat, nempe ut labor tuus tam probetur Tigurinis. A *Blaurero*[4] quam maxime commendatur, et non dubito quin ii qui mecum faciunt non * admirentur. Sed absurdissimum est quod isti audent, et sane est intolerabile. Verum ideo non tibi excidere debet quod improbissimi volunt, neque id praestandum quod valde optant. Quid enim volunt aliud quam ut tu istic nusquam compareas, vel, si id non possint, ut taceas? si in totum non potest, in parte: quod si id non assequuntur, saltem nihil scribas et nihil istic edas. Quibus indignum te vel in minimo servire, sed contra nitendum, firmius in Domino statuas haerere, potentius pro Domino loqui, contra omnem improbitatem, et plura istic in lucem edere. Nam ubi invenies omnia magis commoda? Harmoniam tuam[5] adeo necessariam et quam maxime utilem, et alia quae apud te habes in prophetas, quid diutius latere sines? Cur non aedificabis ecclesias? Quum isti tam improbe te conveniant, optarem te potius tacere et mox ad alia agenda convertere, quam subito recipere aliquid quod nobis tantum incommodet, et tandem eos tangere et pungere ut decet tam amentes.

Quod cum *Besa* actum est,[6] quid miremur fautores *Serveti* non esse amicos *Besae*, quum tui, imo Christi, sint quam infensissimi hostes. Dominus Iesus, qui tam clementer peccatores exspectat, istos et istis similes, quorum non parvus est passim numerus, tangat et immutet prorsus, vel omnino tollat, et nobis det nullis frangi, nullaque improbitate ita moveri, ut quidquam nobis excidat unde minus illustretur nomen Domini, et minus propagetur doctrina pietatis. Condonabis, si sus Minervam, ut dicitur, audeam. Sed non fert amor tui ut taceam. Lubens te invisissem, si per inclementiam coeli et viarum incommoda licuisset. Quod si nunc censeres expedire, nihil omnino morarer, Christus faxit tibi omnia secunda.

Tigurinorum animus et rectum iudicium de non proscindendo Christo et commendando Antichristo deque tuendis iustis et non plectendis valde me recreat.[7] Potentissimus Dominus eos roboret et hostes suos protinus prosternat, et miseram mundi sapientiam et prudentiam fuget ab iis qui Christi censeri volunt, detque ut solam omnes sectentur coelestem et ea nitantur. Vale bene, et piam sume ultionem de impiis: nimirum quanto plus te impedire student, tanto magis incumbas gloriae Christi, quod et facis. Quamvis ista indigna admodum sint tamen longe alia superanda sunt. Sed quid in Christo non licet sperare agere et pati? Effecit hactenus supra omnem spem, efficiet multo maiora. Stemus intrepidi: nostra non est pugna, non conserimus manus, Dominus est qui pugnat. Spectatores magis sumus quam actores. Lacrymosa satio iam supra quam credi potest messem nobis affert quam gratissimam, omni gaudio plenam.

Iube collegas salvos esse, *Budaeos*, *Normandium* cum fratre, *Trecium* et quidquid est piorum. Collega te salutat, *Dommartinus* et frater. Neocomi 4. Ianuarii 1555.

Tuus Farellus.

2075. 1) *Vide Calvini ep. ad Farellum N.* 2068.

2) *Bullingeri N.* 2064.

3) *Scil. quatuor syndici, vide Acta Senatus ad* 24. *Dec. Qui tamen iam sequente die impressionem permiserunt, ut huic querendi occasio omnino adempta videatur. Examen enim a talibus iudicibus non nisi pro forma institui poterat.*

4) *Cf. N.* 2060.

5) *N.* 2068.

6) *Vide ibidem et Acta Senatus* 14. 17. *et* 18. *Dec. Guyrodus psalmos quosdam suos Besanis admiscuerat.*

7) *Haec pertinent ad Locarnensium negotium.* (*N.* 2065.) *Turicenses edictum quo exsilium iis decretum fuit ratum habere recusarunt et a. d. III. Non. Ian. cives senatusconsultum unaniter approbarunt.* (*Meyer, Locarno* I. 390.)

2076.

FARELLUS BULLINGERO.

Gratulatur ei ipsius et senatus Turicensis in causa Locarnensium fortiter praestitum auxilium.

(Ex autographo Cod. Bibl. Carol. Turic. Archiv. Hotting. Tom. VII. nunc Bibl. civic. F. 42, p. 95. — Simler. Vol. 84.)

Quam praestantissimo Christi servo Heinricho Bullingero pastori ecclesiae Tigurinae pietatis ac affectionis quam studiosissimo in Domino multum observando.

Gratias ago patri misericordiarum omnipotenti Deo qui te et istum sanctum senatum potenter corroboravit in tuenda evangelii gratia, quod nullo metu, nullis minis, nullis denique rationibus adduci potuistis ut subscriberetis tam nefandis contumeliis, quibus facies redemptoris fulgentissima et evangelium salutis conspuitur, ex tam foedis et foetidis ipsius Antichristi humoribus, qui tam abest ut concoqui unquam possint quod potius aeternum sint alimentum ignis aeterni qui semper horrende cruciabit impios. Quam te amplexor, mi optime *Bullingere*, et tuos collegas, et pium senatum. Utinam ii qui olim ad me scribebant pressi non prorsus dissimili causa (quibus respondi: ubi Dominus loquutus est non esse opus consilio, parendum esse tantum verbo) fortia, ut quidam dicebat, sequuti fuissent consilia magis quam tuta iuxta sensum humanum. Precor patrem Domini nostri Iesu Christi ut det vobis, cum omni modestia et contemptu omnium quae sunt humana, perseverare quam constantissime in gloria Christi asserenda semper magis et magis, faxitque ut solida fide nixi, cum Abrahamo spe contra spem fulcti, plene obtineatis victoriam ope praesentissima victoris Christi adiuti. Mi *Bullingere*, non est quod te conficias super tam gravi contritione Israelis, quae sane satis defleri non potest. Deplorati sunt paene omnes et ultro iram Domini provocant. Sed vivit Christus cuius causa agitur: quae si prodatur a multis, tamen in paucis suam exseret vim, excitabitur ob insolentiam hostium tam arrogantem.

Tu valetudinem tuam cura et te nobis, imo ecclesiae Christi serva. *Calvinus*, qui tantum non crucifigitur et domi et foris (tam pii sunt plerique et tam amantes Christi, ut nihil videant audiant et ferant libentius quam tantum servum Christi quam venenatissimis impeti iaculis: hoc est evangelium, haec est pietas pastorum et iudicum!), is, inquam, *Calvinus* supra modum me recreavit, indicans tuam et cordati senatus constantiam et pium in consensione tuenda affectum et defensionis approbationem. In tot et tantis malis quantum consolatur nos Dominus! Scio vos perrecturos et perseveraturos in hac tam sancta concordia et vera caritate: siquidem amici eiusmodi per Domini clementiam fuco et fraude carent, nec aliud ore aliud corde sentiunt et loquuntur, sed sincere omnia, ut decet veros Dei servos. Utinam omnes ita pergerent et sentirent. Sed praestat paucos esse quam nullos. Ego, quum aliud non possim, Deum flagitabo ut suos servet et semp er magis magis * crescere et proficere faciat in omnibus quae serviunt pietati. Vale, vir integerrime. Dominus te et tuos servet incolumes in gloriam sui nominis. Opto collegas salvos, et optimum *Habium*. [1])

2077.

TINOTERIUS [1]) MINISTRIS GENEVENSIBUS.

Eorum consilium sibi expetit quoad controversiam Francofordiae inter profugos Anglos de liturgia et caeremoniis obortam.

(Ex apographo codicis Parisiensis, Bibl. nat. coll. Dupuy Vol. 102, fol. 117.)

G. et P. Quod studia vestra hisce meis literulis interturbem, ornatissimi viri, urget non mea solius sed multorum necessitas. Orta est inter vestrates, * Anglos intelligo, super caeremoniarum observatione non levis concertatio. [2]) Contendunt enim non pauci liturgiam in ecclesia anglicana paulo ante mortem Eduardi regis publicis legibus receptam deberi * etiam in ecclesiola quae hic Francofordiae erigi coepta est observari per omnia. Habent hi (prout varii sunt) quibus id persuadeant argumenta varia: Aestimationem et famam patrum illorum per quos edita sunt * huiusmodi liturgia, pro cuius nunc defensione (ut asseritur) vincla patiuntur, praetexunt nonnulli. Sunt qui ecclesiae anglicanae faciem nisi patriis caeremoniis fucatam agnoscere non possunt. At sunt qui verentur ne,

---

2076. 1) *Consul Turicensis inde ab a.* 1542 *cum collega Io. Rud. Lavatero, olim Zwinglio, nunc Bullingero arctissimo amicitiae vinculo coniunctus. In conventu Badensi praecipuus. causae Locarnensium propugnator.* (*Meyer*, *Loc.* I. 216 *ss.*) *Obiit a.* 1561 *vigesimo consulatus sui anno. Caeterum epistolam hanc, quae suo fine carere videtur, quum Farellus ubique diem et mensem adscribere soleat, eodem tempore scriptam esse patet quo praecedens.*

2077. 1) *Nomen viri alibi non occurrit, citra dubium in coetu Anglorum Francofordiae degentium quaerendi.*

2) *Vide N.* 2059.

si a receptis ritibus recedatur, levitatis et inconstantiae, quasi nullius certae religionis sequaces, arguamur. His et pluribus, quas scribere non libuit, rationibus fulciuntur caeremoniarum patroni, quibus sic mordicus haerent viri alioqui graves et eruditi, quasi una cum illis omnis vera religio naufragium esset factura. Sunt qui contra pro virili nituntur, affirmantes eradicari deberi* plantas illas e quibus superstitio verius quam vera pietas colligi possit. Et ex hoc numero me unum esse negare non possum. Non quod mihi schisma placeat, aut ulla (Deum testor) me moveat privata libido, sed quod actiones Christi (de sacra illius coena contenditur) caeremoniis ab hominibus excogitatis velle ornare mihi temerarium et impium videtur. Addo quod simplicitas actionum Christi, quantumvis ridicula carni videatur, quam laboriosa et superstitiosa pietatis ostentatio evangelicae luci mihi visa est consonantior. Quales autem sint caeremoniae illae, pro quibus conservandis ad ecclesiolae huius dissipationem acerrime contenditur, ex literis illis quas in mense Novembri[3]) ad D. *Calvinum* dedit frater noster Gulielmus *Wittingamus* intelligere potestis, ornatissimi viri, quas oro et obsecro ut per otium legere, nec non super hoc negotio ad me vestra iudicia rescribere ne denegetis. Non quod exactam rerum futilium a vobis refutationem petam (iniquum enim id esset), sed ut libere per vos pronuncietur, an tali caeremoniarum farragine ecclesiam Christi onerandam iudicetis. Quod si feceritis, vel me revocabitis ab errore (error enim id multis dicitur quod asseram Christi sacramenta administrari deberi* iuxta puritatem verbi sui, non iuxta hominum constitutiones), vel morosulis aliquot, qui me singularem in hac pertinacia proclamitant, silentium imponetur. In rebus tam leviculis D. *Calvino* negotium facere me puduit, quem tamen per vos meo nomine oratum velim ut, si ad graves illos viros anglicanae nationis qui Tiguri sunt scribendi se offerat occasio, ut illis ad mentem revocare dignetur,[4]) evangelium Christi non esse interturbatum propter caeremonias humanitus excogitatas, simulque ut ab illo sciam, egone possim ab hac vocatione illaesa conscientia desistere, quum videam labores meos ad dissipationem magis huius gregis quam aggregationem facere. Ex his si me propediem certiorem vestra reddant scripta non me solum sed et pios aliquot eadem hic anxietate laborantes magna molestia liberabitis. Valete, ornatissimi viri et fratres in Christo colendissimi. Dominus Iesus vestra consilia dirigat suo spiritu, laboresque vestros ad laudem suae gloriae benedicat. Amen. Francofordiae Ianuarii 4*. 1555. Raptim.

Vestri omnium deditissimus
Ioannes Tinoterius Scotus.

3) *imo Decembri: aliam enim ac modo laudatam non est quod quaeras.*

4) *Talis ep. Calvini non exstat. Scripsit ad Francofordienses N.* 2091.

2078.

HALLERUS VIRETO.

Bolseci negotium paucis attingit, suum ipsius coram senatu transactum pluribus, denique et Locarnensium res deploratas.

(Ex autographo Cod. Genev. 113, fol. 63.)

Praestantissimo viro D. Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fidelissimo fratri ac symmystae suo coniunctissimo et carissimo.

Miror me nullas abs te recipere literas, frater carissime. Exspecto enim quid tibi videatur in *Hieronymi* causa amplius esse agendum.[1]). Scis enim procul dubio illum restitutionem a senatu impetrasse. Sed quoniam prius fratres Genevenses instare apud senatum volebant, nunc vero hoc maxime operae pretium mihi esse videtur ut pergant.[2]) Fac, quaeso, sciam quid constituant ipsi, aut quid tibi videatur. Neutiquam enim ferri poterit tam manifestus hostis in ecclesiarum nostrarum sinu.

Quid vero mecum agatur te mirari puto.[3]) Siquidem proxime tibi scripsi quid mihi intendatur a quibusdam. Hoc tandem erupit. Proxime enim ad senatum vocatus adversarios habui *Negelinum* et *Wingartnerum*, qui iure mecum agere voluerunt nisi senatus suam interposuisset autoritatem. Se enim taxatos esse solos putabant, eo quod Badenae legati fuerunt, quum tamen mihi nunquam in

2078. 1) *qui scil. veniam in ditione Bernensium commorandi sibi concedi petebat.* (*N.* 2072.)

2) *Ipse ergo de eodem iam aliter sentiebat quam hucusque. Sed nuperam Genevensium epistolam N.* 2073 *nondum legisse videtur.*

3) *Haec ad negotium Locarnensium spectant, in quo legati Bernenses Badenae Naegelinus et Wolfg. a Weingarten vexillifer acriter Turicenses Haabium et Escherum urgebant ut exsilium illorum ratum haberent: sed frustra. Hallerus vero hic cum Bullingero fecisse videtur. Unde illae lacrymae. Verum scriptores qui Halleri vitam enararrunt de his nihil habent. Nonnulla praebet Meyer, Loc.* I. 359. 375 *sq. ex epistolis.*

mentem venerit. Quod dixi de communi causa, dixi ut ostenderem quantum esset peccatum consentire in res malas. Et quoniam inter alia Pilati usus eram exemplo, se putabant hac appellatione notatos.[4]) Pilati esse nolebant. Ego vero, ut me in senatu excusavi, ita plenius totum negotium quam prius in suggestu exposui. Tandem composita est omnis inter nos a senatu controversia.

Interea tamen boni fratres Locarnenses migrare coguntur. Nostri in hoc consentiunt. Tigurini adduci non potuerunt ut consentirent. Hinc gravissimae inter ipsos et nostros quoque simultates. Quae lites prius quoque fuerunt, tamen nunc recruduerunt, cum maximo ecclesiarum dispendio. Miserant nostri ad illos legationem, una cum reliquis aliquot pagis, ne * illos in sententiam suam pertraherent: sed per Domini gratiam perstiterunt illi in proposito, et ob hoc magnum sustinent periculum. Sed quoniam nos iniquis conditionibus bellum devitare nolumus, vereor ne priores huic involvamur. Pessime certe se habent omnia, et dum homines intueor prorsus despero. Sed est alius qui suae ecclesiae in se speranti non deerit.

Eas quas D. *Bezae* hic mitto iam pridem scripseram: sed is qui receperat se eas accepturum relictis illis hic * abiit. Tandem eas mitto. Tu eas quas vides a D. *Bullingero* ad *Calvinum*[5]) dirigi cito illi mitte, et scribe ei, quaeso, Tigurinos perstitisse in sua sententia. Alias nihil habeo quod nunc scribam, nisi quod te Domino commendo, tibique tuisque et fratribus omnibus annum prosperum et felicem a Domino precor. Bernae 7. Ian. 1555.

I. Hallerus tuus.

2079.

FARELLUS VIRETO.

Inter alia multus est in Bolseco notando eiusque fautoribus ironice perstringendis. Porro negotium Comitis Grueriae attingit.

(Ex autographo Cod. Genov. 115, fol. 118. — Habet etiam Cod. Bernensis Epp. VI. p. 150 et iterum p. 541, denique Simlerus Vol. 84.)

4) *Eodem argumento usus erat Bullingerus* (*Ruchat.* VI. 95 *et infra N.* 2082).

5) *Tales non exstant.*

Eximio Christi servo Petro Vireto pastori ecclesiae Lausannensis summa fide opus Domini curanti fratri et symmystae quam carissimo.

Lausannae.

S. Expediebat sane ut te convenirem, sed tu Orbae expectabaris [1]) et id Grandissoni quoque audiebam et credebam te venturum, quumque non modo itineris difficultas prohiberet et dies conventus me revocaret, huc redire coactus fui. Consilium tuum valde probarem, quia ante aliquot menses data fuit opera, ut aliqua occasione mihi eo pateret accessus. Sed nihil potuit effici. Qui autor esse deberet, ut eo citius concederem, hoc summopere vitat, prorsus officii obliviscitur a malis male persuasus. *Sorellus* eo mittitur, qui minori invidia causam aget. Ubi redierit plenius et certius licebit consulere.

Monachus [2]) plus nocet larva medici quia [3]) priori obfuerit. Gratum fecit aliquibus, si me laceravit. Utinam me tantum arroderet et non in Christum et *Calvinum* insurgeret. Recta sunt illa iudicia, quae plus favent monacho, quam mihi, et non auditum damnant, siquidem monachus pridem eis notus fuit et multa Dominus per eum egit in ecclesiis erigendis et quid non? Ego hodie primum apparui, ecclesias arroganter turbavi, piam doctrinam oppugnavi, servis Domini temere sum adversatus, et rem admodum gratam pontificiis egi restituendo liberum arbitrium. Sed pudet haec commemorare quae vel caecis in tanta luce non possunt non esse pervia. Tu, quum male audires ob tuam Orbam, quid aliud poteras quam gratiam habere Domino et tantam admirari amentiam? Ego quid aliud possum? Ut supra modum recreor in Tigurinis [4]) et precor ut Christus det potentius perseverare, ita placet *Hallerum* melius affici et non despondere animum. [5]) Adaugeat ei Dominus vires, detque ut plene suum peragat munus. *Calvino* non est opus consilio. Spero eum acturum ut decet. Ego super calumniis monachi non video quid agere possim. Domino committam causam. Si intellexero quid expediat, adnitar pro virili.

Gruanum [6]) negotium non parum nocet eccle-

2079. 1) *Ecclesia quidem Orbana iam ineunte m. Decembri reformata fuerat. Erant tamen variae adhuc transactiones peragendae cum monasteriis et circa dividenda bona ecclesiastica, ita ut demum post plures menses omnia fuerint composita.* (*Ruchat* VI. 78.) *Eadem fere de reformatione Grandissoniensi dicenda quae hoc ipso tempore facta erat et iam ad vicinos pagos extendebatur.*

2) *Bolsecus.*

3) *S. corrigit:* quam. *Codex habet compendium idem ac supra V.* 6, *alibi non usitatum.*

4) *propter approbatam Defensionem cf. N.* 2075.

5) *Alludere videtur ad ea quae hic quoque in praecedente attingebat.*

6) *Comes Michael Grueriae* (*Greyerz*), *magno aere alieno civitati Bernensi et Friburgensi obstrictus, post multas dispu-*

siis. Nam Orbae sacrificuli omnia inficiunt, quantum possunt. Mulierculae peccatis onustae, licet clausae, tamen suo ipsarum foetore nihil non implent. Monachi Grandissoni non minus incumbunt malis. Sed omnes improbi luent pro meritis poenas. Nos liberabit Christus qui te servet et tuos: quos salvos esse iubeo, collegam quoque *Bezam* cum reliquis. Vale. Neocomi 9. Ianuarii 1555.

Complutum fuit hypocaustum et cum libris hoc epistolium, quod boni consules. 7)

Tuus Farellus.

2080.

CALVINUS MINISTRIS TURICENSIBUS.

Tradit iis Defensionem suam doctrinae de sacramentis et exponit qua de causa non ante editionem libelli eorum iudicium sibi expetierit.

(Exemplar authenticum asservatur in Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 105, olim Scrin. B. Epp. Tom. 1, fol. 629. — Exstat praeterea manu Ionvillaei scripta in Cod. Gen. 107a. fol. 90 ubi in margine legitur: *Has literas misit una cum defensione doctrinae de sacramentis singularum ecclesiarum pastoribus.* Tum in Cod. Turretini 108, fol. 32, in Cod. Paris. Dupuy 102, fol. 19, Bernae in Cod. Epp. VI. p. 365, denique apud Simlerum Vol. 84.)

Ornatissimis viris et fidelibus servis Iesu Christi ecclesiae Tigurinae pastoribus et doctoribus fratribus mihi apprime observandis. 1)

S. Quum satis clare et ingenue consilium meum in epistola exposuerim quam typis excusam mitto, pluribus vos morari nihil attinet, optimi et vere colendi fratres, nisi forte ut hoc ipsum excusem, quae vobis privatim scribere debui ante fuisse in publicum edita quam vos fecerim conscios. Et sane istud facere initio decreveram, sicut magis consentaneum erat. Verum iusta ratione ad mutandum consilium mihi videor adductus. Nam ut longa de his rebus concertatio quosdam timidos reddidit, verebar ne deliberando multum temporis nobis efflueret. Primum hoc singulis venire in mentem poterat: Cur nos hic hortatur, quam nos potius ipsum? Deinde, ubi proposita esset defensionis ratio, varie disputare promptum erat, quanto vel aptior vel plenior, vel magis polita vel arguta fingi posset. Interea videbam quam difficile esset post extractum tempus falsam infamiam, qua ecclesias nostras gravare non desinunt homines importuni, abstergere. Quod si de cavenda temeritatis vel nimiae confidentiae nota fuissem valde sollicitus, ad causam suscipiendam nullus aditus patebat. Itaque me ad exiguum tempus invidiae exponere malui quam committere ut diutius nobis tacentibus Dei veritas et quae in ipsa fundata esset ecclesiarum nostrarum fides non solum atrocibus probris laceraretur, sed communi omnium ludibrio subiecta foret. Quanquam vestra aequitate confisus nullam hic sinistram opinionem metuo, quando neminem vestrum esse arbitror qui pro sua prudentia non videat quam utilis et opportunus sit hic meus labor. Optandum quidem erat ab alio suscipi cui et eruditio et dexteritas maior suppeteret: quia tamen praestabit mediocri opera levatam esse bonam causam quam oppressam iacere, vobis non ingratum hoc meum officium fore spero. Restat ut non solum recte nos sentire mundus intelligat, sed infirmi consensu nostro animati liberius nobis accedant, pervicaces autem fracti quiescant. Quanquam autem doctrinam, quae vobis omnibus citra controversiam probata esset, fideliter complecti studui, non tamen postulo ut mihi quisquam subscribat. Vestrae hoc prudentiae relinquo. Caeterum omnino publicum nostri consensus testimonium tot quae subinde renovantur calumniis opponi necesse est. Quod verum esse cognoscitis id nullius admonitu vobis curae esse par est. Quare praestat ut ad id mature et strenue curandum sibi quisque hortator sit et simul ad opus se accingat. Valete, eximii viri et observandi fratres. Collegae mei vobis plurimam salutem dicunt. Dominus vos gubernet et spiritu suo ac virtute tueatur. Genevae 4. Idus Ianuarii 1555.

Ioannes Calvinus vester.

---

tationes comitiis Badensibus habitas, creditoribus tertiam Comitatus sui partem dudum oppigneratam Bernensibus reliquam Friburgensibus cessit. Hi hoc ipso tempore illam inter se partiebantur et Bernenses, ut res facilius componeretur, Friburgensibus in negotio Orbano et Grandissoniano faciliores se praebebant, ita ut monachi ex illis locis non tam brevi manu ablegari potuerint.

7) *Autographon maculas aquae pluvialis ostendit.*

2080. 1) *manus Calvini. In apographis legitur:* ad ministros eccl. Tigurinae et caeterarum ecclesiarum Helveticarum, *vel simpliciter:* Ministris Helvetiis.

2081.

BEZA CALVINO.

Praeter alia scribit de Calvini libro senatus censurae subiecto deque Beraldo Mombelgardiae retinendo.

(Ex autographo Cod. Goth. 404, fol. 729. Edidit Bretschneider p. 101.)

Eximio Christi servo et patri mihi inprimis observando D. Ioanni Calvino.

Genevae.

S. et pacem a Domino.

Quid nobis sit constitutum puto te intellexisse ex *Vireti* nostri literis. [1]) Tantum vereor ne, quia classis nostra in tria colloquia distributa est, dum subsignandae literae singulorum fratrum manu ultro citroque mittuntur, tempus nobis elabatur. Urgebo igitur quantum potero et literarum exemplar ad te mittam. [2]) Quod de *Zebedaei* concione brevissime scripsisti, quia non potuimus intelligere, fac ut copiosius primo quoque tempore nobis exponas. Cupio etiam scire quis fuerit eius contentionis exitus de qua ad nos scripseras. Tibi quidem hanc summam iniquitatem bilem movisse non miror. [3]) An enim hoc est aliud quam ecclesiasticae doctrinae censuram ad se traducere? quod ne papistae quidem faciunt, [4]) adeo ut res ista non omni modo ratione sed etiam exemplo careat. Sed his quoque Dominus providebit. A te vero magnopere peto, aut ipsa potius ecclesia Dei flagitat, ne quorundam improbitate et audacia victus vel tantillum de pristino tuo ardore remittas. Nam ut isti non modo insanire sed etiam furere incipiant, quid nos tamen promeriti sumus, qui quotidianis tuis scriptis et erudimur et confirmamur? Perge igitur quaeso et obtestor, mi pater, et quod toties re ipsa es expertus, hoc tibi persuade, communes nostras preces infinitis partibus validiores fore ad te confirmandum, quam omnes istorum Satanae emissariorum conatus ad te deturbandum.

Caeterum ecce tibi alteras ad me *Beraldi* [5]) nostri literas, ex quibus intelliges acriore remedio illic opus esse quam initio putaris. Si quid habes consilii, non dubito quin iis mature significes per quos haec administrari posse ac debere videantur. *Beraldo* cogito in eam sententiam rescribere, ut fortiter pergat in officio et de nobis omnia sibi polliceatur quae a fratribus et amicis exspectari possunt. Certe apparet in eius literis mirus ingenii candor: quorum hominum maxima est hodie penuria. Itaque omnibus modis retinendum et confirmandum censeo. [6]) Quin etiam, nisi aliter tibi videtur, aliquam tui mentionem faciam in meis literis, ut se a te quoque diligi sentiat.

Quod superest, ego et uxor magnopere nos tibi commendamus. Spero enim eam esse gravidam, quod tamen nondum ausim prorsus affirmare. Bene vale, mi pater. Dominus Iesus perpetuo tibi adsit, teque indies magis ac magis confirmet. Lausannae pridie Idus Ianuarii.

Th. Beza plane tuus.

2082.

CALVINUS BULLINGERO.

Consilium suum epistolam Defensionis libello praemissam Helveticis ecclesiis non nisi typis exscriptam tradendi vindicat et vindicandum commendat. Simul queritur de Locarnensibus indigne desertis.

(Ex autographo Cod. Turic. Archiv. Plut. VI. Vol. 105, olim Scrin. B. Tom. I, fol. 628. Simler. Vol. 84. Versio anglica in edit. Philad. III. 114.)

Eximiae pietatis et doctrinae viro D. Henrico Bullingero ecclesiae Tigurinae fido pastori fratri observandissimo et carissimo symmystae.

S. Vestrum consilium [1]) mihi probatum est. Nam literis ultro citroque missitandis multum temporis fuisset consumptum, et multi in re integra fuissent morosiores, quos spero aequos et morigeros fore. Itaque libellum typographo statim excudendum dedi. Caeterum, nisi culpam praestatis, invidia non carebit haec festinatio. Sed ubi vestra autoritas intercesserit, mihi nemo erit molestus. Praesertim apud fratres Bernenses vos instare necesse est, nisi me sinistris omnium sermonibus et tandem clamoribus et turbis expositum vultis. In Rhaetis, Sangallensibus et Schaffusinis nihil negotii vobis fore suspicor. *Sulcerum* [2]) metuo ne retineat

---

2081. 1) *Si revera haec ep. ad annum* 1555 *pertinet, de quo fortasse dubius haerebis, Vireti illas literas deperditas esse dicas oportet, item eas in quibus Calvinus de Zebedaeo scripsisse dicitur. Haec omnia satis obscura.*

2) *Si quid videmus classis Lausannensis ad Bernensem senatum contra Bolsecum scribebat.*

3) *Iniquitas ista fuit quod Senatus Calvini Defensionem syndicis inspiciendam commiserat antequam prelo subiiceretur.*

4) *Optime Beza hic ministris orthodoxis solis vindicat libertatem scribendi, idque papistarum exemplo.*

5) *Franc. Berauld, cel. Nicolai Beraldi ICti Aurelianensis Besae magistri filius, Lausannae professor erat a.* 1549 *quo tempore Beza eo primum venit.* (*Baum* I. 132.) *Postea Mombelgardiae fuit prof. litt. graecorum; a.* 1557 *denuo Lausannae fuit, a.* 1559 *Genevam concessit.* (*Haag.* II. 189.)

6) *Mombelgardiae, ubi nostri Tossanum infesto animo intuebantur.*

2082. 1) *Cf. N.* 2064. 2065.

2) *dudum lutheranizantem. Rhaetos laudat Galitium, Comandrum, Fabricium, Campellum: Schaffhusanos Vogtium, Grübelium, Rügerum. Sangallenses in nostro thesauro nominatim non occurrunt.* (*Erant autem Io. Kessler, c. filio, Ant. Zili et Val. Fortmüller.*) *Idem de Mylhusinis dicendum.*

Saxonum gratia. Sunt tamen satis validae rationes quae ecclesiam illam, nisi prorsus obliviscatur sui, nobis concilient. Scripsi omnibus eadem forma, cuius unum ad vos exemplar mitto, ne quid oriatur zelotypiae, si forte inter se communicent. Fasciculos singulis ut reddendos cures supervacuum est rogare. Nihil enim tibi oneris iniungo quod non ultro postulaveris. Quanquam autem Basiliensibus magis vicini erant Milhusini, quia tamen mihi ignoti sunt eius urbis pastores, nec mihi dubium erat quin apud eos plurimum valeret addita a vobis commendatio, hanc quoque provinciam tibi relinquere visum est.

Locarnensium fratrum causa merito et te et nos omnes acerbissimo moerore vulneravit. Primum ipsos a suis patronis deseri turpe fuit, sed hoc maius flagitium quod evangelii professores eiusdem fidei socios ad perfidam abnegationem suo nomine revocari sustinent. Atqui longe praestabat pios fratres carnificinae decies exponere. Praepostera enim clementia est, ut vitae hominum parcatur, ludibrio exponere sacram Dei veritatem. Et adeo non pudet istos sui dedecoris ut aliorum virtutem prope conviciis frangere conentur. Utinam brevi audiam, qua decet severitate a vestris repulsos esse, ut tandem aliquid sentire incipiant. Nimis enim stupidos esse oportet qui necdum tanto flagitio moventur. Miseros fratres aliqua saltem consolatione levare cuperem, ut intelligerent aliquam nobis sui esse curam: nisi quod ignotus est eorum status propter locorum distantiam, et vos sedulo his partibus defunctos esse non dubito.

Vale, praestantissime vir et mihi ex animo colende frater. Dominus te et collegas regere et tueri pergat, sanctum zelum vestrum benedicat, ut per vos triumphet de perfidis istis Pilatis, qui, dum flagellant Christum ut a cruce eximant, gravitatem vestram iniuste notant contumaciae nomine. Domi uxorem generos et filios saluta. Genevae Idibus Ianuarii 1555.

Ioannes Calvinus tuus.

2083.

VIRETUS CALVINO.

Iudicium suum profert de Lasci confessione sacramentaria.

(Ex autographo Cod. Genev. 111a, fol. 109.)

Eximio Iesu Christi servo Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fratri et symmystae plurimum observando.

Genevae.

S. Remitto ad te *Martyris* et *Alasconis* literas.[1] De confessione *Alasconis*[2] nescio an tuo praeiudicio adducar ut idem iudicem quod tu. Metuo sane ne non multum faciat ad concordiam. Etsi studuit brevitati, potuit tamen in brevi confessione rem tractare minus ieiune et aride, et rationem atque fructum nostrae cum Christo communionis et eiusdem exhibitionis tradere commodius. Retinui exemplar tuarum literarum ad Helveticas et Rhaeticas ecclesias,[3] ut ad *Farellum* transmittam. Quia me ad amicos remittebas qui tuas mihi literas reddiderunt, percontatus sum de iis quae tantum attingebas. Sed vix potui quidquam certi intelligere, nisi quod audivi aliquid deliberari super ea re cuius causa anno superiore consultae sunt ecclesiae Helveticae, et quod quidam de consistorio minus essent honorifice loquuti, de quibus eratis conquesturi. Nescio an haec sint quae intellexeris. Miror quod nullus adhuc librorum[4] quos recens curasti excudendos, interpretationem concordiae continentes, ad nos usque pervenerit. Fac igitur ut ad nos mittantur. Multum mihi laborare videtur *Alasco* ut quae abs te dicta sunt commode interpretetur. Nescio an satis intelligat veram rationem nostrae cum Christo verae communicationis. Videntur quaedam ab eo dicta quasi recta peterent quod scripsisti de vera communicatione Christi substantiae nobiscum. Nisi valde fallor magis commovebit Lutheranam camarinam. *Martyr* videtur etiam multa metuere[5] quae satis explicata sunt. Sed movetur stupore et pertinacia adversariorum. Salutant te collega, *Beza* et caeteri fratres. Salutat uxor et tota familia. Vale optime ac diutissime. Lausannae 15. Ianuarii 1555.

Tuus Petrus Viretus.

2083. 1) *deperditas. Etiam epistola Calvini ad quam hic alludit desideratur.*

2) *Confessionem de communione Christi m. Maio ediderat* (*Kuyper*, I. 285); *vide eius epp. ad ducem Borussiae, ib.* II. 701 *et Bullingerum* II. 706 *cui eam a. d. III. Non. Oct.* 1554 *misit. Vide omnino Kuyperi praef. ad Opp. Lasci* I. 101.

3) *ad Defensionem pertinentium.* Cf. N. 2080.

4) *exemplarium ipsius Defensionis.*

5) *in ea ipsa epistola iam supra laudata.*

2084.

HALLERUS FRATRI.

Mittit ei Calvini fasciculos literarum et libellorum ecclesiis distribuendos.

(Excerptum ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 154, olim Epp. Tom. 32, fol. 213. — Simler. Vol. 84.)

D. Wolphgango Hallero fratri suo carissimo ministro ecclesiae Tigurinae.

— — — — — — — — — — — — — — — — — —

Mittit hos fasciculos *Calvinus*. Inscriptum Milhusianis Basileam mittere poterat: sed quoniam omnes iussit Tigurum mitti, mitto omnes. Forte enim rationes suas habet cur Tigurinis hunc quoque transmittat. — — — — — — Bernae 15. Ianuarii 1555.

Frater tuus.

2085.

CALVINUS MOLINAEO.

Maxime in domesticis rebus versatur raptim et obiter tractatis, et Defensionis exemplar ei mittit a Turicensibus scilicet flagitatae.

(Exstant exemplaria Ionvillaei in Cod. Genev. 107a, fol. 94, Turretini in Cod. 108, fol. 83 v., Bernense in Cod. Epp. VI. p. 370 et Simleri Vol. 84. Anglice versa exstat in edit. Philad. III. 119.)

Eximio viro et iurisconsulto primario D. Carolo Molinaeo amico honorando.

S. Incommode hoc accidit quod literae meae vel incuria medici cui datae fuerant vel malitia perierint: quas ego scribens minime de tam subita migratione cogitabam. Nam etsi odiosum est inter rixas versari, quia tamen iam primi insultus abs te superati fuerant et mitigatus erat fervor, sperabam, si quae molestiae restarent, fore tolerabiles. Gaudeo tamen novam habitationem [1]) tibi placere, et loci istius aerem tibi esse salubrem atque iucundum. Certe quum semel transirem [2]) visa est satis amoena regio. Morum asperitas vereor ne tibi sit ad deferendum [3]) difficilis. Reperies tamen quorum humanitas te oblectet: imo quorum suavis convictus reliqua incommoda condiat. Uxoris et familiae adventum vix sperare audeo: [4]) nam quamvis a rege obtineas, mihi tamen vir quidam unus ex aulae primoribus, [5]) et quidem tibi amicus, asseruit, se magnopere falli si uxor voto tuo obtemperet. Sed Domini est cor eius inflectere. Atqui huius rei te volui admonitum, partim ut eius animum explores, partim ut strenue instandum esse scias et enixe laborandum, ut e nido cui affixa est eam avellas.

De *Clemente* [6]) recte sentis: frigida sunt deliria profani hominis, qui ne tenui quidem sanae piaeque doctrinae gustu imbutus philosophaster videri appetit. Quo magis putida est eorum improbitas qui tam insulsos nugarum architectos pro sanctis patribus obtrudunt. Defensionem nostrae doctrinae, qua Saxonum intemperiem compescere volui, qui de sacramentis novas iterum pugnas concitant, tibi legendam mitto. Scripta fuit Tigurinorum rogatu, qui subscriptione addita me ad eius editionem hortati sunt. Vale, eximie vir et frater mihi honorande. Dominus tibi semper adsit, te gubernet ac tueatur. Salutant te amici. Genevae 15. Calendas Februarii 1555.

Ioannes Calvinus tuus.

2086.

LEVERUS [1]) BULLINGERO.

Genevae studiis operam navans eorum rationem reddit et sibi a patrono auxilia quaedam literaria expetit.

2085. 1) *Tubingensem quo Molinaeus m. Dec. 1553 concesserat.* En 1555 la haute réputation de du Molin, qui attiroit à ses leçons et à ses consultations tous les peuples d'Allemagne, avec telle affluence qu'ils estoient contraints de loger aux hostelleries, toutes les maisons bourgeoises estant remplies, et l'augmentation de gages de conseiller que le Duc lui donna liberalement, luy attira l'envie des autres professeurs. Il partit au mois de may 1555. (*Brodeau* p. 29.)

2) *Fortasse quum Argentorato Ratisbonam proficisceretur, aut in reditu.*

3) *Sic Ionvillaeus et Turretinus. Uterque tamen emendantes legunt: devorandum. Neutrum suo Calvino dignum videtur. Caeteri tamen hoc receperunt.*

4) Louise de Beldon sa femme demeura à Paris pendant ses deux voyages d'Allemagne (*Brodeau, Vie de du Moulin* p. 30).

5) *Simlerus conicit hic agi de Budaei fratre cubiculario Regis. Quod an recte dixerit vir clar. tu videas. Duo Budaei fratres in Gallia remanserunt: Dreux-Budé, seigneur de Marly la Ville, Conseiller au Parlement de Paris, fratrum natu maximus, item quartus Antonius, seigneur de Trossy et de la Motte S. Loup.*

6) *Romano, Recognitionum autore quem dicebant. Nam Homiliae eo tempore incognitae viris doctis erant.*

2086. 1) *olim praepositus collegii S. Ioannis Cantabrigiensis.*

(Ex editione Epp. Turicensium quas edidit Societas Parkeriana 1848. N. 80, pag. 103 anglice vero T. 1, p. 157. Exemplar autographon olim neglexeramus.)

D. Henrico Bullingero viro doctissimo et piissimo ac fidelissimo pastori ecclesiae Christi.
Tiguri.

Salutem plurimam in Christo Iesu. Pro vera paterna pietate et beneficentia, quam et apud alios Anglos religionis causa exsulantes,[2] et apud me, ut apud filium tuum, collocasti, dignas et debitas gratias referre non possumus: sed quantum possumus sedulis precibus pro te, pro ecclesia tibi commissa, pro familia tua et pro tuis omnibus Deum orabimus. Faxit Deus ut semel factis declaremus nos a vobis didicisse pie et humaniter atque benigne peregrinantes Christi causam tractare.

Quoniam te patrem mihi exhibuisti, quaeso accipias a me ut a filio tuo vivendi et studiorum meorum rationem. Solutus et liber ab omni publico munere dego: sermones et lectiones *Calvini* omnes et aliorum aliquas audio: in edendo libello vulgari nostro sermone anglico, qui iam est sub prelo et Deo volente brevi in Angliam mittetur,[3] quod reliquum est temporis adhuc impendo. Posteaquam hunc libellum emiserim decrevi legendis prophetis quantum potero temporis et studii tribuere. Sane maiori cum alacritate et fructu in illo studio prophetarum proficiscerer, si te aliquando aliquo modo consulere liceret. Quare, colende pater, qui nunquam mihi quidquam negasti, nunc quaeso aliqua tua scripta ad intelligentiam prophetarum conducentia et adhuc non impressa sic amico meo magistro *Spensero*[4]) communices, ut illa ille pro me exscribenda curaret, quemadmodum illa quae scribis in Apocalypsin Ioannis curat. — — — — — — — — Genevae 17. Ianuarii.

Tuus tui in Christo studiosus
Thomas Leverus.

---

2) *Turici coetum ecclesiasticum constituerant, in quo inter alios Leverus ipse, tum Jewel, Horn, Parkhurst, Humphrey, Beaumont, Mullings etc.* men of great note and eminency afterwards in the church of England. (*Strype, Mem.* III. 1, 232. 409.)

3) A little book: The right way from danger of sin and vengeance in this wicked world unto godly wealth and salvation in Christ. (*Edd. angl.*)

4) *Thomas Spencer, ipse quoque exsul Turici degens.* (*Strype l. l.* 233.)

2087.

CALVINUS TOSSANO.

Nonnulla de Tossani conditione et officio praefatus Defensionem suam doctrinae de sacramentis traditam commendat et cur Monsbelgardensium nomen eidem non praefixerit declarat.

(Autographon non exstat. Describimus exemplar Ionvillaei ex Cod. Genev. 107ᵃ, fol. 90 v., ex quo deinceps derivata sunt caetera recentiora, scil. Turretini Cod. 108, fol. 32, Bernense Epp. VI. p. 368, et Simleri Vol. 84.)

Eximio Christi ministro D. Petro Tossano ecclesiae Monsbelgardensis pastori symmystae colendissimo.

S. Quanquam mihi fere ignotus est rerum vestrarum status, quantum tamen ex dubio rumore colligere licet, ne qua inter te et fratres obscura resideat simultas[1]) nonnihil vereor: quae nisi mature purgetur, tandem in apertum dissidium, non sine gravi totius ecclesiae iactura, erumpere necesse erit. Quare te, mi frater, cuius est reliquis praeire, pro nostra amicitia rogo, pro iure communis ministerii, moneo et obtestor, ut pios fratres, quibus curae esse vides Christi gloriam, quo summo poteris studio tibi concilies: improbos vero nebulones,[2]) qui suis loliis agrum Domini inficiunt severe profligando gravitatem tuam cordatissimo cuique magis probabis, quos tolerantiae tuae mollities urit ac cruciat. Hoc tantum de rebus perplexis, vel non ita compertis, parce attingere libuit, ne amici officium silendo praetermitterem. Certe, ut non prorsus arrideat consilium, libertas tamen a sincero amore profecta, ut arbitror, te non offendet. Caeterum brevem doctrinae nostrae defensionem contra *Lutheri* simias ad te mitto. Quum de vestro consensu satis persuasus forem, nomen tamen vestrum inscribere non sum ausus, ne vos invidiae, imo violentiae eorum exponerem quos scio alioqui parum in hac causa esse propitios. Vale, frater colendissime. Dominus te spiritu suo regat virtuteque sustineat. Saluta symmystas nostros. Genevae 15. Calendas Februarias 1555.

Ioannes Calvinus tuus.

2087. 1) *Satis circumspecte et moderate alludit ad diuturnam illam et acriorem Farelli cum Tossano disceptationem quae sequuta est dimissionem quatuor ministrorum in Blamont, Désandans, S. Julien et Valentigney* (*Cf. N.* 2074.)

2) *Etiam in Servetica causa istorum suspicionem incurrerat.* (*Kirchhofer*, II. 126.)

2088.

CALVINUS MINISTRIS ARGENTORATENSIBUS.

Primum questus se ab illis neglectum fuisse, et suam erga eos mentem non mutatam testatus Defensionis libellum iis mittit et commendat.

(Autographon sine inscriptione et subscriptione exstat in Cod. Genev. 107a, fol. 91. Ibidem fol. 93 v. est Ionvillaei exemplar, Cod. 108, fol. 33 Turretini, Bernae Epp. VI. p. 369 quartum, quintum in Cod. 84 Simleriano. Versionem anglicam praebet Ed. Philad. III. 116.)

S. Quanquam in vobis nuper fui deceptus, non tamen et vos amare et sanctam vobiscum vereque fraternam coniunctionem expetere desino, et quidem eam ad extremum usque fovere studebo, quoad in me erit. Quod me deceptum fuisse conqueror absque stomacho dictum accipite. Nam quum nuper D. *Marpachio* ita scripsissem [1]) ut vobis omnibus communes essent literae, non indignus mihi videbar cui responsum aliquod daretur. Atqui ne verbo quidem me salutare quisquam dignatus est. Certe non ita inter vos sum versatus ut contemni debeam, nedum contumeliose reiici. Neque tamen haec offensiuncula, licet animum meum leviter pupugerit, mihi alienationis erit causa quin vos amare, colere bona fide pergam, quin etiam vicissim fiducia vestrae erga me benevolentiae fretus, quia nostram de sacramentis doctrinam turbulenti quidam homines flagellant, brevem eius explicationem nunc a me editam vobis offero, ut si vestro iudicio probetur maior ad nostram amicitiam confirmatio accedat. Equidem mihi nefas esse arbitror ab ea ecclesia, cuius olim fui minister, discessionem facere. Itaque quod istic semper ingenue professus, et quod sanctis Christi servis *Capitoni* et *Bucero* probatum fuit, in hoc quoque scripto sincere complexus sum, et eam moderationem tenui quae vestrae aequitati, nisi fallor, satisfaciat. Hoc porro meum officium si vobis iucundum fuisse intellexero, erit ut mihi gratuler. Valete, eximii viri et mihi ex animo honorandi fratres. Dominus vobis semper adsit, vos gubernet suo spiritu vestrosque pios conatus et gravitatem qua nuper summa cum laude usi estis benedicat. Genevae 15. Calendas Februarii 1555. [2])

2088. 1) *N.* 1998.

2) *De die non est quod dubites collata sequenti quanquam in autographo primum pro* 15 *scriptum sit* 17. *Consentit quoque Turretinus. Ionvillaeus vero, de vera lectione ambigens, scripsit* 1.. Cal. *Omnino errat Anglus qui praebet* 18. *Ianuar. Subscriptio nulla adest in autographo.*

2089.

CALVINUS VERMILIO.

Praeter nonnulla ad Lascum et Melanchthonem spectantia duo maxime tractat et fusius quidem quam pro more: Martyris observationes in libellum contra Westphalum eiusdemque vocationem ad ecclesiam italicam Genevensem.

(Describimus exemplar Ionvillaei ex Cod. Genev. 107a, fol. 92, collatis tribus apographis Cod. 108, fol. 34, Bern. VI. p. 371, et Simleri Vol. 84. Inscriptio authentica non servata est, sed Ionvillaeus margini adscripsit: *D. Petro Martyri*. Anglice l. l. III. 121.)

S. *Tremellius* noster, ut tuas literas de manu, quod aiunt, in manum ipse mihi redderet, diutius apud se eas retinuit. [1]) De mora tamen nihil fuit iacturae nisi quod serius ad illas respondeo. Nam quominus in locis quos annotasti aliquid mutarem aliud mihi obstitit quam nuncii tarditas. Prudenter quidem admones quantum in ambiguis loquutionibus sit periculi, nec intempestive optimi *Buceri* exemplum profers. Siquidem nostra similis esset ratio. Verum quam longe distemus nihil apud te exponere attinet. Ille enim *Lutheri* et similium ferociam demulcens adeo serviliter se demisit ut in singulis verbis perplexus haereret. Alia quoque necessitas eum ad tergiversandum coegit, quod tegere parum ingenue volebat prioris inscitiae [2]) dedecus, quemadmodum ex me saepe audivit. Neminem enim esse puto qui liberius atque etiam acrius in hac causa eum exagitaverit, quo citra ambages sincerius quod sentiebat verum esse profiteri auderet. Sed ille placandis Saxonibus addictus nunquam in lucem prodiit. Hinc factum est ut coelum terrae misceret: ego vero neque coelos imaginor qui terram occupent, neque immensum corpus Christo affingo, nec contortam synecdochen fabrico in verbis Domini, ut panis corpus eius contineat, nec de substantiali manducatione flexuose disputo: sed rebus obscuris lucem afferre conor, dubias certe distinctionibus explico, et diserte absurda omnia commenta repudio de quibus illi hactenus nobiscum litigarunt. Nec vero in eorum gratiam sermonem inflectere propositum fuit quos ego novi prorsus implacabiles et quibuscum palam confligo.

Nunc ad eos locos descendo de quibus me admones. Quanquam verum esse quod scribis fateor de primo in Christi communionem ingressu, eodem

---

2089. 1) *In Helvetia fuerat m. Septembri* (*N.* 2008) *Argentorati redux erat Novembri* (N. 2049). *Posteriorem Martyris ep. ad Calvinum a Tremellio novo quodam itinere allatam habemus nullam.*

2) imprudence (*angl.*)

(Ex editione Epp. Turicensium quas edidit Societas Parkeriana 1848. N. 80, pag. 103 anglice vero T. 1, p. 157. Exemplar autographon olim neglexeramus.)

D. Henrico Bullingero viro doctissimo et piissimo ac fidelissimo pastori ecclesiae Christi.
Tiguri.

Salutem plurimam in Christo Iesu. Pro vera paterna pietate et beneficentia, quam et apud alios Anglos religionis causa exsulantes,[2] et apud me, ut apud filium tuum, collocasti, dignas et debitas gratias referre non possumus: sed quantum possumus sedulis precibus pro te, pro ecclesia tibi commissa, pro familia tua et pro tuis omnibus Deum orabimus. Faxit Deus ut semel factis declaremus nos a vobis didicisse pie et humaniter atque benigne peregrinantes Christi causam tractare.

Quoniam te patrem mihi exhibuisti, quaeso accipias a me ut a filio tuo vivendi et studiorum meorum rationem. Solutus et liber ab omni publico munere dego: sermones et lectiones *Calvini* omnes et aliorum aliquas audio: in edendo libello vulgari nostro sermone anglico, qui iam est sub prelo et Deo volente brevi in Angliam mittetur,[3] quod reliquum est temporis adhuc impendo. Posteaquam hunc libellum emiserim decrevi legendis prophetis quantum potero temporis et studii tribuere. Sane maiori cum alacritate et fructu in illo studio prophetarum proficiscerer, si te aliquando aliquo modo consulere liceret. Quare, colende pater, qui nunquam mihi quidquam negasti, nunc quaeso aliqua tua scripta ad intelligentiam prophetarum conducentia et adhuc non impressa sic amico meo magistro *Spensero*[4]) communices, ut illa ille pro me exscribenda curaret, quemadmodum illa quae scribis in Apocalypsin Ioannis curat. — — — — — — — — Genevae 17. Ianuarii.

Tuus tui in Christo studiosus
Thomas Leverus.

---

2) *Turici coetum ecclesiasticum constituerant, in quo inter alios Leverus ipse, tum Jewel, Horn, Parkhurst, Humphrey, Beaumont, Mullings etc.* men of great note and eminency afterwards in the church of England. (*Strype, Mem.* III. 1, 232. 409.)

3) A little book: The right way from danger of sin and vengeance in this wicked world unto godly wealth and salvation in Christ. (*Edd. angl.*)

4) *Thomas Spencer, ipse quoque exsul Turici degens.* (*Strype l. l.* 233.)

2087.

CALVINUS TOSSANO.

Nonnulla de Tossani conditione et officio praefatus Defensionem suam doctrinae de sacramentis traditam commendat et cur Monsbelgardensium nomen eidem non praefixerit declarat.

(Autographon non exstat. Describimus exemplar Ionvillaei ex Cod. Genev. 107a, fol. 90 v., ex quo deinceps derivata sunt caetera recentiora, scil. Turretini Cod. 108, fol. 32, Bernense Epp. VI. p. 368, et Simleri Vol. 84.)

Eximio Christi ministro D. Petro Tossano ecclesiae Monsbelgardensis pastori symmystae colendissimo.

S. Quanquam mihi fere ignotus est rerum vestrarum status, quantum tamen ex dubio rumore colligere licet, ne qua inter te et fratres obscura resideat simultas[1]) nonnihil vereor: quae nisi mature purgetur, tandem in apertum dissidium, non sine gravi totius ecclesiae iactura, erumpere necesse erit. Quare te, mi frater, cuius est reliquis praeire, pro nostra amicitia rogo, pro iure communis ministerii, moneo et obtestor, ut pios fratres, quibus curae esse vides Christi gloriam, quo summo poteris studio tibi concilies: improbos vero nebulones,[2]) qui suis loliis agrum Domini inficiunt severe profligando gravitatem tuam cordatissimo cuique magis probabis, quos tolerantiae tuae mollities urit ac cruciat. Hoc tantum de rebus perplexis, vel non ita compertis, parce attingere libuit, ne amici officium silendo praetermitterem. Certe, ut non prorsus arrideat consilium, libertas tamen a sincero amore profecta, ut arbitror, te non offendet. Caeterum brevem doctrinae nostrae defensionem contra *Lutheri* simias ad te mitto. Quum de vestro consensu satis persuasus forem, nomen tamen vestrum inscribere non sum ausus, ne vos invidiae, imo violentiae eorum exponerem quos scio alioqui parum in hac causa esse propitios. Vale, frater colendissime. Dominus te spiritu suo regat virtuteque sustineat. Saluta symmystas nostros. Genevae 15. Calendas Februarias 1555.

Ioannes Calvinus tuus.

2087. 1) *Satis circumspecte et moderate alludit ad diuturnam illam et acriorem Farelli cum Tossano disceptationem quae sequuta est dimissionem quatuor ministrorum in Blamont, Desandans, S. Julien et Valentigney* (*Cf. N.* 2074.)

2) *Etiam in Servetica causa istorum suspicionem incurrerat.* (*Kirchhofer*, II. 126.)

2088.

CALVINUS MINISTRIS ARGENTORATENSIBUS.

Primum questus se ab illis neglectum fuisse, et suam erga eos mentem non mutatam testatus Defensionis libellum iis mittit et commendat.

(Autographon sine inscriptione et subscriptione exstat in Cod. Genev. 107a, fol. 91. Ibidem fol. 93 v. est Ionvillaei exemplar, Cod. 108, fol. 33 Turretini, Bernae Epp. VI. p. 369 quartum, quintum in Cod. 84 Simleriano. Versionem anglicam praebet Ed. Philad. III. 116.)

S. Quanquam in vobis nuper fui deceptus, non tamen et vos amare et sanctam vobiscum vereque fraternam coniunctionem expetere desino, et quidem eam ad extremum usque fovere studebo, quoad in me erit. Quod me deceptum fuisse conqueror absque stomacho dictum accipite. Nam quum nuper D. *Marpachio* ita scripsissem [1]) ut vobis omnibus communes essent literae, non indignus mihi videbar cui responsum aliquod daretur. Atqui ne verbo quidem me salutare quisquam dignatus est. Certe non ita inter vos sum versatus ut contemni debeam, nedum contumeliose reiici. Neque tamen haec offensiuncula, licet animum meum leviter pupugerit, mihi alienationis erit causa quin vos amare, colere bona fide pergam, quin etiam vicissim fiducia vestrae erga me benevolentiae fretus, quia nostram de sacramentis doctrinam turbulenti quidam homines flagellant, brevem eius explicationem nunc a me editam vobis offero, ut si vestro iudicio probetur maior ad nostram amicitiam confirmatio accedat. Equidem mihi nefas esse arbitror ab ea ecclesia, cuius olim fui minister, discessionem facere. Itaque quod istic semper ingenue professus, et quod sanctis Christi servis *Capitoni* et *Bucero* probatum fuit, in hoc quoque scripto sincere complexus sum, et eam moderationem tenui quae vestrae aequitati, nisi fallor, satisfaciat. Hoc porro meum officium si vobis iucundum fuisse intellexero, erit ut mihi gratuler. Valete, eximii viri et mihi ex animo honorandi fratres. Dominus vobis semper adsit, vos gubernet suo spiritu vestrosque pios conatus et gravitatem qua nuper summa cum laude usi estis benedicat. Genevae 15. Calendas Februarii 1555. [2])

2088. 1) *N.* 1998.
2) *De die non est quod dubites collata sequenti quanquam in autographo primum pro* 15 *scriptum sit* 17. *Consentit quoque Turretinus. Ionvillaeus vero, de vera lectione ambigens, scripsit* 1.. Cal. *Omnino errat Anglus qui praebet* 18. *Ianuar. Subscriptio nulla adest in autographo.*

2089.

CALVINUS VERMILIO.

Praeter nonnulla ad Lascum et Melanchthonem spectantia duo maxime tractat et fusius quidem quam pro more: Martyris observationes in libellum contra Westphalum eiusdemque vocationem ad ecclesiam italicam Genevensem.

(Describimus exemplar Ionvillaei ex Cod. Genev. 107a, fol. 92, collatis tribus apographis Cod. 108, fol. 34, Bern. VI. p. 371, et Simleri Vol. 84. Inscriptio authentica non servata est, sed Ionvillaeus margini adscripsit: *D. Petro Martyri.* Anglice l. l. III. 121.)

S. *Tremellius* noster, ut tuas literas de manu, quod aiunt, in manum ipse mihi redderet, diutius apud se eas retinuit. [1]) De mora tamen nihil fuit iacturae nisi quod serius ad illas respondeo. Nam quominus in locis quos annotasti aliquid mutarem aliud mihi obstitit quam nuncii tarditas. Prudenter quidem admones quantum in ambiguis loquutionibus sit periculi, nec intempestive optimi *Buceri* exemplum profers. Siquidem nostra similis esset ratio. Verum quam longe distemus nihil apud te exponere attinet. Ille enim *Lutheri* et similium ferociam demulcens adeo serviliter se demisit ut in singulis verbis perplexus haereret. Alia quoque necessitas eum ad tergiversandum coegit, quod tegere parum ingenue volebat prioris inscitiae [2]) dedecus, quemadmodum ex me saepe audivit. Neminem enim esse puto qui liberius atque etiam acrius in hac causa eum exagitaverit, quo citra ambages sincerius quod sentiebat verum esse profiteri auderet. Sed ille placandis Saxonibus addictus nunquam in lucem prodiit. Hinc factum est ut coelum terrae misceret: ego vero neque coelos imaginor qui terram occupent, neque immensum corpus Christo affingo, nec contortam synecdochen fabrico in verbis Domini, ut panis corpus eius contineat, nec de substantiali manducatione flexuose disputo: sed rebus obscuris lucem afferre conor, dubias certe distinctionibus explico, et diserte absurda omnia commenta repudio de quibus illi hactenus nobiscum litigarunt. Nec vero in eorum gratiam sermonem inflectere propositum fuit quos ego novi prorsus implacabiles et quibuscum palam confligo.

Nunc ad eos locos descendo de quibus me admones. Quanquam verum esse quod scribis fateor de primo in Christi communionem ingressu, eodem

2089. 1) *In Helvetia fuerat m. Septembri* (*N.* 2008) *Argentorati redux erat Novembri* (N. 2049). *Posteriorem Martyris ep. ad Calvinum a Tremellio novo quodam itinere allatam habemus nullam.*
2) imprudence (*angl.*)

tamen sensu quo Paulus docet Christum indui in baptismo dicere non dubitavi nos inseri in eius corpus. Si quis aliorsum torqueat facilis ex aliis locis erit solutio. Imo quum data opera libellum hac de re ediderim, minime vereor ne quid dubitationis iniiciant. De efficacia spiritus quam in sacramentis exstare dixi, quod addis libenter amplector, idque satis clare alibi testatus sum. Sed in tam brevi compendio longior explicatio locum, meo iudicio, non habebat. Neque tamen pauca verba interponere molestum fuisset: verum quia antequam rescriberes iam Tigurini fratres libellum suo calculo ac subscriptione probatum remiserant et celerem eius editionem urgebant, vix putavi iam mihi esse integrum sine maxima necessitate aliquid corrigere. Hic me pudor vel metus continuit ne quid adiicerem, praesertim quum nulla vehementior cogeret ratio. Illa etiam loquendi forma visa est tolerabilis: ubi Christi corpus sub pane dari concedo, adhibita sanae intelligentiae luce, quae et localem praesentiam et circumscriptionem et ubiquitatis portentum excludat. Non quod mihi displiceat abs te posita moderatio, sed quia verebar ne hoc ipsum in crimen verterent sinistri interpretes, quod nimis anxie cavendo signum diffidentiae praeberem. Porro adeo non obstringar huius libelli editione, ut liberior mihi in posterum facultas, simul ac quidquam adversum increpuerit, sit futura.

Caeterum candore tuo magis delector, ut tam sollicite excusare nequaquam operae pretium fuerit susceptum abs te meo rogatu officium. Potius deprecatione utendum mihi foret quod tuo consilio non paruerim: quam tamen non adeo fore difficilem tua humanitate confisus video. Mihi certe neque αὐθάδεια neque fastidium in mora fuit quominus sine controversia insererem quae suggerenda duxisti. Sed quum mihi Tigurinorum testata esset voluntas, cavere rursum volui ne quae mutatio Basilienses nobis redderet minus propitios, neque profecto hoc Tigurinos latuit: molliter tractandum fuisse *Sulzerum* et quosdam similes, qui ad Saxones nimis alioqui inclinant. Neque tamen cuiusquam vel inscitiae vel morositati obtemperandum fuit, quin pure et absque fuco veram doctrinam assererem. Fateor. Nec sane periculum video ne quisquam me flexuose loquutum obiiciat, vel cristas erigant adversarii verborum meorum praetextu. Quia autem vester ille pavo [3]) fastum suum nuper silendo prodidit, nescio an rursus eum pungere expediat. Quod si tamen omnium animos simul tentare tuo et D. *Sturmii* iudicio nihil nocebit, brevem epistolam dictavi [4]) quae de hac re nonnihil eliciat. Reddendane sit an supprimenda vestro arbitrio permitto. Tantum partibus meis deesse nolui. Nam ut apud illum et beatum ventrem [5]) nihil proficiam, sunt tamen in collegio quatuor saltem vel quinque [6]) quos a nobis minime aversos esse arbitror.

Quum huc usque scribendo progressus essem, ecce mihi redduntur tuae posteriores [7]) et alterae D. Ioannis *a Lasco,* quas tamdiu in itinere retentas fuisse miror. Conquer tur optimus vir se ab adversariis odiose mea autoritate premi, nescio quorsum, nisi ut me in suas loquendi formas adducat: quod fieri non potest. Nec vero molestum illi esse debet, quum sibi repudiare permittat quae ex scripturis de gratuita Dei praedestinatione tradimus, non recipi a nobis quae nullo idoneo testimonio probat. Actio est illi corpus Christi vel symbolum corporis, non panis. Quid ergo de calice dicendum erit? Fruatur ergo suo sensu, modo ne plus a me exigat quam sim praestando. Quidquid disputationum in suis literis agitat in hoc cardine vertitur, naturale Christi corpus nobis in cibum non dari. Quasi aliunde quam a naturali corpore petenda sit vita. Atqui in hoc potius capite insistere decebat ne qua fingatur substantiae vel transfusio vel commixtio. Ad hunc quidem ipse quoque scopum nobiscum haud dubie collimat: sed tamen aliquantulum vereor ne paucorum verborum illecebris captus suam loquendi formam nimis praecise urgendo homines morosos exasperet. Haec ego in tuum sinum. Vellem enim, si fieri posset, omnem proterviendi occasionem hostibus adimi. Hostes non sine acerbissimo dolore vocare cogor, qui fratrum loco esse debebant. Quamvis autem eorum pervicaciam cordate refutari expediat, nostrum tamen docendi modum sic cuperem temperari ut eorum morositati apud omnes aequos et sanos extremam invidiam conflaret.

De *Philippo* non sum valde anxius. [8]) Fieri potest ut amico parum prudenti literas meas ipse ostenderit, quae si eum pupugerunt bene est. Nihil certe continent quod me scripsisse poeniteat. D. autem *Sturmio* assentior qui cuperet illinc quovis modo extractum. Et hoc sibi optabile esse videt. Sed cogitationibus variis distractus nunquam se, nisi aliunde avulsus, eximet.

Sed nunc de te potius agendum, quia res maturior est. Quum te *Celsus* noster ab Italis qui

---

3) *Marbachius.*

4) *praecedentem ad Argentoratenses.*

5) *scil. Beatum Gerungium; qui quidem minime cum Marbachio caeterisque collegis faciebat, verum non magis Calvino probabatur, quum pro retinendo Interim satageret. Quod hic tali cognomine ornatur, ex eo facile conieceris eum etiam alias ob causas male famatum fuisse.* (*Marbach, Diar. passim. Roehrich* III. 93.)

6) *Inter quos Sturmium et Hubertum certissime censebis.*

7) *Hae quoque non exstant, tam Martyris quam Lasci.*

8) *Cf. N.* 2003. 2004

hic habitant expeti intelligeret, sicut eruditio tua et pietas merentur, non modo libenter accessit eorum voto, sed sedulus quoque hortator fuit.[9]) Non multum morae interpositum fuit. Censuerunt omnes te rogandum, ut si liber esses hanc provinciam velles suscipere. Ego ut me suasorem interponerem ab illis quidem sum rogatus, sed nihil est quod libentius faciam. Nec vero, si mediocris antehac fuisset ad manum conditio, inciperem nunc demum. Sed fecit publici aerarii inopia ne quid tibi offerre possem, quando vix tenuem victum suis ministris urbs ipsa suppeditat. Etsi autem quod statuerunt conferre fratres non amplum stipendium efficiet, scio tamen hinc nihil tibi fore morae quominus precibus nostris obtemperes. In hoc vertitur tota consultatio: sitne tibi liberum stationem istam in qua nunc es relinquere. Desiderium adventus tui quo me ardere sentio, ut mihi quodammodo sim suspectus, facit. Et certe pro tua prudentia clarius ex re praesenti iudicas quid factu sit utile, quam ut alieno consilio indigeas. Caeterum, nisi sanctiore vinculo te istic constringi sentis quam ut tibi integrum sit migrare, dubitandum tibi non est quin obeunda tibi sit haec vocatio, quam non minus certo confidimus utilem fore quam a Domino esse persuasi sumus. Est quidem pusillus grex sed vere electus, ut florem Italiae in eo conspici posse arbitrer. Nec vero timendum est, ne qua tibi aemulatio negotium facessat. Nam de *Celso*[10]) nostro spondeo, qua est ingenii mansuetudine, non minus placidum quam fidum tibi fore adiutorem. Tibi vero nihil fore optabilius certo scio, quam ut fratris loco vicissim amplectaris omni humanitate et modestia in quo filii pietatem senties. Quod superest, exspectabimus quid tibi per conscientiam liceat. Neque enim nisi solutum accersere audemus, praesertim quum te istic Dominus in functione honorifica utiliter exerceat.

Quum Germanis tam parum hactenus profuerint arma sua, non miror si ex sua spoliatione nihil sentiunt iacturae. Imo, quum coelesti praesidio eos propria socordia ultro pridem nudaverit, nunc a Domino eos obstupefieri non dubito, ut in perniciem suam conspirent. Ecclesiolae gallicae, etsi nondum plena pax contigerit, pacatiorem statum gratulor. Vale, clarissime vir et mihi plurimum observande frater. D. *Sturmio* et *Sleidano* plurimum salutem. Dominus vos regere pergat, tueri et modis omnibus benedicere. Genevae 18. Ianuarii 1555.

Ioannes Calvinus vere tuus.

9) *Martyrem huic vocationi non cessisse sed anno sequenti Turicum se contulisse constat.*
10) *Martinengo.*

2090.

BULLINGERUS CALVINO.

Refert quid circa exemplaria Defensionis fecerit. Tum pluribus agit de rebus Locarnensium et narrat qualis rerum status sit in Anglia.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 83. Edidit Beza sed minus accurate imo truncatam Genev. p. 172, Laus. p. 334, Hanov. p. 374, Chouet p. 232, Amst. p. 106. Simlerus Vol. 84 textum typis editum describit.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae fido pastori domino honorabili et fratri carissimo suo.

Genff.

Literas tuas, honorande domine et frater, ad me peculiariter scriptas, tum eas quas communes esse voluisti,[1]) una cum Defensione tua accepi iamiam, ideoque nondum exhibui fratribus, cras exhibiturus. Nihil tamen dubito illos omnia libenter lecturos, non sine gratulatione et gratiarum actione. Commode vero literas et libellos aliis destinatos ecclesiis coniunxisti. Nam illa ipsa hora qua redduntur, commodum transmittere potui Curiam in Rhaetiam, Sangallum et Schafhusium. Singulis meas adiunxi literas, quibus ipsis sanctum opus commendo. Spero illos brevi tibi gratias acturos. Et quoniam eo ipso die tabellio Bernam profecturus erat, huic quoque meas tradidi, quibus D. *Hallero* exposui quid facto opus putem, maxime si biliosi contentionis finem ducere velint. Scis illum 4. Ianuarii in ius vocatum dixisse causam. Visus est quibusdam potentioribus audacius loquutus de causa Locarnensium. Audio tamen rursus absolutum.[2])

Nostrates in causa Locarnensi[3]) concordes per omnia legatos ad se missos, uti prioribus tibi indicaram, ita dimiserunt, ut ne pilum quidem de sua cesserint sententia, copioseque illis exposuerint, cur non possint per omnia consentire in sequestrium cum ipsis sententiam: praeterea miserunt legatos in omnia oppida sua, in omnes comitatus et praefecturas, habitisque in urbe et agro maximis coetibus, exposuerunt omnibus quid actum sit in causa Locarnensi, cur consentire noluerint, quid periculi sit. Et quod mirum est, concordes veluti ex uno ore omnes, magnis interim a se itineribus distantes, ut nemo quidquam de syncretismo vel suspicari possit, responderunt: Placere sibi ex animo, quod stabiles in

2090. 1) *N.* 2080.
2) Scis. . . . absolutum. *Haec a Beza cancellata in edd. non leguntur. Caeterum cf. N.* 2078.
3) *Cf. N.* 2064 *seqq etc. Edd. habent:* Nostrates cum Locarnensibus.

vera religione permaneant, neque socios religionis ad defectionem fidei sollicitari sustineant, orareque ut sic pergant: se enim et facultates et sanguinem et vitam sponte et liberaliter depossituros, si quis vi velit ad iniqua et cum vera religione pugnantia adigere. Interea adsunt duo legati a Locarnensibus missi, doctor quidam medicus, et nobilis quidam.[4]) Referunt in senatu Calend. Ian. convocatos in coetum fideles, et his ex charta recitata esse sequestrium capita, additam amicam adhortationem a locumtenente (nam praefectus noster iussus est se non immiscere huic negotio) et scriba, ut in viam redeant.[5]) Indicatum praeterea legatos brevi venturos qui totum absolvant negotium. Caeterum patresfamilias circiter 80 destinasse solum vertere una cum suis familiis, nisi clementiora audierint a legatis venturis a 7 rebuspublicis vel undecim, ideoque ipsos iam missos legatos parandis hospitiis. Quoniam vero commodissima foret migrantibus Vallis Tellina Rhaetis subiecta, orabant amplissimum senatum, literas ad Rhaetos scriberet, quibus ipsis peteret hospitium.[6]) Senatus hac postulatione et expositione prorsus commotus, consolatus est legatos, aperuitque urbem et agrum suum migraturis. Quia vero illi se Rhaetiam incolere malle significabant, et ideo literas ad Rhaetos commendatitias postulabant, amplissimus senatus duos illis adiunxit ex senatu viros autoritate et senio reverendos et Rhaetis acceptos.[7]) Hi una cum legatis Curiam profecti sunt, paraturi fidelibus hospitia. Dominus bene vertat. Ego toto hoc anno de omnibus quae facta sunt, fideles Locarnenses frequentibus literis diligenter admonui, et adhuc consolari non cesso. Dominus adsit illis et roboret spiritu suo, eorumque misereatur.

Angliam recepisse papam et papatum non nescis. Usus est diabolus in illa recuperanda duobus eximiis organis: in regno quidem, *Vintoniensi* episcopo,[8]) extra regnum, Reginaldo *Polo* cardinali, qui iam et primas regni et archiepiscopus Cantuariensis creatus est. Receptus est solenni pompa Londini ad S. Crucem in aede Paulina.[9]) Proiecerunt se ad eius pedes magnates et absolutionem benedictionemque apostolicam supplices postularunt a bestia, confitentes se 15 annis a catholica romanaque ecclesia abscissos per vepreta haereticorum aberravisse. Orationem habuit in caeco illo coetu *Vintoniensis*, qui et ipsam revocavit orationem, quam olim sub rege *Heinrycho* de obedientia edidit. Cardinalis quum venisset ad reginam *Mariam* destitueretur que salutandi formula tanta reparatione digna, placuit uti verbis archangeli, Ave Maria gratia plena, Dominus tecum etc. O caecas hominum mentes, o pectora caeca! Veni, veni D. Iesu et vindica contumeliam tuam et assere gloriam tuam. Fratres nostri episcopi et nobiles adhuc incarcerati tenentur, brevi forte tradendi iudicio spirituali quod iam reparatur, mox brachio saeculari. In vincula coniiciuntur quotidie innumeri. Inhibetur sub poena capitis ne cui exsuli feratur auxilium. Iactat *Vintoniensis* effecturum se, ut exsules omnibus eiecti locis, cogantur tandem fame perire, adeoque proprios ungues rodere. Qui apud nos versantur Angli, valde tristantur: sed consolamur ipsos. Orandus est sedulo Dominus, afflictae suae ubique ecclesiae dexter et propitius adsit.

Polonus[10]) qui hasce tibi fert literas ad aliquot menses apud nos paravit D. Francisco *Lysemanno*[11]) hospitium. Dixit illum tibi esse carum, caeterum aerem adversum, ut locum mutare cogatur propter perpetuam adversam valetudinem. Adiecit te modo tractare, aut brevi tractaturum, quaestiones an in terris possit ecclesia regi sine temporali capite? quorum sit constituere episcopos et ecclesiarum ministros? Regem enim ad haec capita postulare responsionem. Spem praeterea esse Regem reformaturum brevi ecclesiam. Si vero sit hoc ut dicit et tu expositionem istarum quaestionum paras, oro ut mihi communicare digneris. Sed iam dudum fui tibi molestus inepta mea garrulitate. Condona hoc mihi. Vale. Salutant te et tuos symmystas nostri symmystae omnes. D. Iesus servet te nobis diu incolumem. Iterum vale, domine honorande et frater in Christo carissime. Tiguri, 18. Ianuarii 1555.

Utinam[12]) hic plura haberemus tuae Defensionis exemplaria, aut *Froschovero* nostro cum bona gratia et concessione D. *Roberti* liceret illam hic

4) *Medicus fuit Thaddaeus Duno, alterius nomen non servatum est* (*Meyer*, I. 429). *Adfuerunt in senatu pridie Idus Ian. quo die legati Helvetiorum Locarnum appulerunt evangelicis exsilium edicturi.*

5) *Locumtenens erat Bapt. Bricio vir aetate provectus et mitioris satis indolis.* (*Meyer* 191). *Praefectus erat Iesaias Rüchlin, senator Turicensis, qui iam Locarnum reliquerat a collegis instructiones sibi expetiturus, antequam advocaretur.*

6) *Hoc vero adversarii impedire cupiebant, ne evangelicorum iam ibi constitutae ecclesiae inde novas vires acquirerent.* (*Meyer* I. 426).

7) *Io. Edlibach, thesaurarium et Bern. de Cham praefectum in Wädenschwyl* (*Meyer* 429).

8) *Steph. Gardiner filius spurius Lionelli Woodvil episcopi Sarisberiensis et hactenus regiae familiae affinis* (*Weber* II. 294) *Poli aemulus.*

9) *d.* 24. *Nov.* (*Strype, Mem.* III. 1. *p.* 323, *Weber p.* 245.)

10) *Sequentia omnia usque ad:* Condona hoc mihi, *in edd. non leguntur.*

11) *Lismannino qui mense Martio Turicum venit* (*Pestalozzi Bullinger* 455.)

12) *Haec quoque Beza suppressit.*

recudere. Ego pro exemplo et pro piis tuis laboribus omnium nomine maximas ago gratias. Dominus benedicat tibi et servet te.

2091.

CALVINUS ANGLIS FRANCOFORDIENSIBUS.[1])

Hortatur eos ut ne propter caeremonias aliasque res minime ad fidem pertinentes in ipso exsilio ecclesiae aedificationem retardent.

(Manu scripta non exstat. Habet Beza Ed. Genev. p. 158, Laus. p. 336, Hanov. p. 376, Chouet p. 213, Amst. p. 98. — Anglice legitur in Edit. Philad. III. 117 et in Opp. Knoxii IV. 51.)

Hoc vero me graviter excruciat et valde absurdum est, inter fratres ob eandem fidem a patria exsules ac profugos dissidium oriri; et quidem hac de causa quae vel sola debuerat in hac vestra dispersione, quasi sacrum vinculum, vos simul devinctos tenere. Quid enim vobis in hac tristi et misera clade potius agendum erat, quam ut a patriae visceribus avulsi ecclesiam vobis adoptaretis, quae animis et linguis coniunctos materno gremio exciperet ac foveret? Nunc vero de precandi forma et caeremoniis quasi in otio et delitiis litem a quibusdam moveri, idque obstare quominus in unum ecclesiae corpus istic coalescatis, nimis meo iudicio intempestivum est. Neque tamen eorum constantiam reprehendo qui, ut pro iusta causa depugnent, inviti in contentionem trahuntur: sed pertinaciam, quae sanctum formandae ecclesiae studium moratur et impedit, merito damno. Equidem ut in rebus mediis, ut sunt externi ritus, facilem me ac flexibilem praebeo, ita non semper utile esse iudico, stultae eorum morositati, qui nihil de consuetudine sua remittunt, obsequi. In Anglicana liturgia, qualem describitis, multas video fuisse tolerabiles ineptias. His duobus verbis exprimo, non fuisse eam puritatem, quae optanda fuerat: quae tamen primo statim die corrigi non poterant vitia, quum nulla subesset manifesta impietas, ferenda ad tempus fuisse. Sic ergo a talibus rudimentis incipere licuit, ut doctos tamen probosque et graves Christi ministros ultra eniti, et aliquid limatius ac purius quaerere consentaneum foret. Si hactenus in Anglia viguisset sincera religio, aliquid in melius correctum multaque detracta esse oportuit. Nunc quum eversis illis principiis alibi instituenda vobis sit ecclesia, et liberum sit formam, quae ad usum et aedificationem ecclesiae maxime apta videbitur, de integro componere: quid sibi velint nescio, quos faecis papisticae reliquiae tantopere delectant. Amant ea quibus assueti sunt. Hoc primo et nugatorium et puerile est: deinde multum interest haec nova institutio a mutatione. Ego vero, si quorundam infirmitas ad summum gradum non conscendat, ut vos ultra modum rigidos esse nolim, ita rursus alios monitos esse cupio, ne sibi in sua inscitia nimis placeant: deinde ne sua pervicacia sancti aedificii cursum retardent. Tertio, ne stulta eos aemulatio abripiat. Nam quae illis rixandi causa, nisi quia pudet melioribus cedere? Sed ego frustra ad eos[2]) sermonem converto, qui forte non tantum mihi tribuunt, ut consilium a tali autore profectum admittere dignentur. Si metuunt sinistrum in Anglia rumorem, quasi ab ea quae illis exsilii causa fuit religione desciverint, longe falluntur. Potius enim fideles, qui illic residui sunt, haec magis ingenua sinceraque professio expendere coget, in quam profundam abyssum ceciderint. Nam eos gravius suum praecipitium vulnerabit, ubi vos ultra medium cursum, unde retracti sunt, progredi viderint. Valete, integerrimi fratres et fideles Christi servi. Dominus vos tueri ac regere pergat. Genevae, 15. Calendas Februarii 1555.

2091. 1) *Respondet ad N.* 2059. *Exstat vetus translatio huius ep. in:* Brief discourse of the troubles begun at Frankford 1554 *recusa* 1846 *p.* 34; *excerpta quaedam vide ap. Laing, Knox* IV. 28. *Inscriptio a Beza suppressa anglice sic decurrit:* To the godly and lerned men Maister John Knox and Maister W. Whittingham his faithfull brethren at Frankford *etc. Haec translatio minus severe de illis controversiis iudicat quam authenticum latinum exemplar. Editor Laing de hoc laudat* Dyer's Life of Calvin p. 427. *Libellus ille cuius titulum modo exscripsimus haec habet p.* 36: When this letter of Calvin's was redd to them of the congregation it so wrought in the hartes of many that they were not before so stowte to maintaine all the parts of the Booke of England as afterwards they were bent against it. *Interea nonnulli ex eorum coetu, Knoxus, Whittinghamus, Gilby, Fox etc. novam composuerunt liturgiam Genevensi similem, quae etiam Genevae* 1556 *excusa fuit* (*Knoxii Opp.* IV. 141 *sq.*). *Haec tamen quum caeteris minus placeret, idem Knoxus cum Whittinghamo, Levero etc. aliam conscripsit quae postridie Non. Febr. a coetu recepta est:* Some parte taken forthe of the Englishe Booke and other things put to, as the state of that churche required. And this Order by the consent of the congregation shulde continewe to the laste of Aprill folowing. Yff anie contention shulde arise in the meane time the matter then to be determined by theis five notable learned men, to wete, Calvin, Musculus, Martyr, Bullinger and Vyret. This agremente was put in writinge. *Haec valuerunt usque ad adventum Rich. Coxi aliorumque qui a. d. III. Id. Mart. appulerunt* (*M'Crie, life of Knox. I. p.* 147).

2) *Knoxii adversarios.*

2092.

VIRETUS CALVINO.

Zebedaeum et Angelum Bernam vocatos nunciat; quid hoc significet ambigit, quid inde exspectandum suspicatur. Item Bolseci iactantiam notat.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 46.)

Praestantissimo Christi servo Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori vigilantissimo fratri et symmystae plurimum observando.

Genevae.

S. Rediit Berna Claudius *Molinaeus* [1]) qui se occurrisse narravit *Zebedaeo* et *Angelo* Bernam proficiscentibus apud Molendinum. [2]) Audiverat prius Bernae a *Musculo* vocatos esse a senatu, saltem *Zebedaeum*, ob quandam concionem. Illam esse suspicamur de qua ad nos scripsistis [3]): sed qualis fuerit nemo nostrum intelligere adhuc potuit. Nescio an de eadem conquesti sitis [4]) apud Bernenses. Quae autem spes nobis sit concipienda de hac illorum profectione non video. Vocantur sine antagonistis. Quum egregie teneant calumniandi artem, non solum illis erit facile sese omni periculo subducere, sed etiam magnam invidiam suis mendaciis et calumniis bonis omnibus conflare. Hunc ego exspecto fructum.

Monachomedicus [5]) apud pastores Tononienses palam iactavit se in os dixisse *Hallero*, te esse a se vocatum haereticum, seque paratum esse quod dixerit tueri. Cognosces ex *Halleri* literis ad me [6]) quid ipse hac de re testetur. Valde metuo ne parum propitios habeamus eosdem illos qui *Hallero* negotium facessere voluerunt. [7]) Sed suam causam Dominus tuebitur. Velim te scribere paulo latius rationem quam nobis sequendam esse censes in hac agenda causa de qua scripsistis. Scio quoties frustra Bernam profecti sumus, et quibus conditionibus inde remissi, et quibus cachinnis irrisi ab adversariis, qui nos illusos et irrisos iactant a senatu, ut magis elevent ministerii nostri autoritatem. Pergendum tamen erit Deo duce. Nostri te omnes amantissime salutant, nominatim uxor et tota familia. Remittes *Halleri* literas per primum nuncium. Vale. Lausannae 22. Ianuarii.

Tuus Petrus Viretus.

2092. 1) *N.* 2073.
2) *Moudon, Milden. — De Zebedaeo et Angelo v. Halleri ep. proxime sequentem.*
3) *Quae epistola desideratur. Caeterum v.* 2081.
4) *Revera sunt. V. Hallerum modo laudatum.*
5) *Bolsecus.*
6) *N.* 2078.
7) *Propter negotium Locarnense. Vide ibidem.*

2093.

VIRETUS FARELLO.

Relata refert de Zebedaeo Bernam vocato deque Bolseco contra Calvinum deblaterante, aliosque rumores aeque magni momenti attingit ἐν παρόδῳ.

(Ex autographo bibliothecae pastorum Neocomensium Epp. Vireti fasc. IX. N. 2.)

Insigni Christi servo Guilielmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori vigilantissimo fratri et patri suo plurimum colendo.

Neocomi.

S. Nescio an audiveris vocatos fuisse Bernam *Zebedaeum* et *Angelum*. [1]) Causam non satis teneo. Scriptum est ad me Orba, vulgo iactare *Zebaedeum* [2]) cum alio quodam Bernam proficisci ac eo ferre *Calvini*, tuam et meam imaginem, nimirum quia nos pingendos curavimus ut adoraremur, quemadmodum quidam nos calumniantur. Scripsit ad me *Hallerus*, *Hieronymum* fassum esse apud se, *Calvinum* vocatum fuisse a se haereticum: imo etiam, nisi fallor, addidisse, se id paratum tueri quod dixerit. Certe *Hieronymus* ipse apud ministros Tononienses id se dixisse *Hallero* gloriatus est, et *Hallerum* renunciasse senatui, ac omnem movisse lapidem adversus se *Hallerum*. *Hallerus* autem scribit *Hieronymum* negasse in senatu, [3]) vocatum unquam fuisse a se *Calvinum* haereticum. Vides ut sibi constet nebulo. Exspectamus quid simus audituri post reditum *Zebedaei* et *Angeli*. Facile erit illis causam agere sine adversariis. Dominus perdet omnes qui loquuntur mendacium et qui in eo delectantur. Misissem ad te postremas *Halleri* literas ad me, si ad manum habuissem, sed sunt apud *Calvinum*.

Nescio an audiveris quomodo nostri Orbani Friburgi excepti fuerint. [4]) Non teneo totam his-

2093. 1) *Cf. Ruchat* VI. 122. *Trechsel* 1. 197.
2) *sic.*
3) *Id in nupera quidem Halleri epistola non legitur, et Bolsecus hoc ipso demum die a. d. IX. Cal. Febr. a senatu auditus fuit. Si ergo hic non aliquis latet error, iam m. Novembri citatum fuisse crediderimus.*
4) *Fortasse haec pertinent ad causam inter Christophorum Hollard evangelicum et Pierrequin Violet catholicum coram Friburgensibus actam de iniuriis, de qua Pierrefleur p.* 326.

toriam: quare non audeo incerta scribere. Salutant te uxor, tota familia et fratres omnes. Multam dico salutem collegae tuo et amicis caeteris. Vale. Lausannae 24. Ianuarii 1555.

Tuus Petrus Viretus.

2094.

HALLER AN DEN BERNER RATH.

Gutachten über den Handel mit Zebedaeus und Consorten, und über Bolsec.

(Eigenhändiges Concept in einem Heft in kl. 4° auf der Berner Bibliothek MSS. helv. hist. III. 34, fol. 233 flgd. — Abschrift bei Simler Bd. 84.)

Fürtrag für m. gn. herren Zebedaei Angeli vnd Hieronymi Bolsati medici halben von vns gmeinlich beschähen vff den 24. tag Ianuarii 1555.

Gn. v. herren: Ir hend vns da 2 büchli[1]) mitt eim zädel vnd etwas ingelegten articklen von *Zebedaeo* zugschickt vnd befolhen das wir die fürnemsten artickel drus ziehind vnd in tütsch v. Gn. fürbringind.

Nun gn. m. herren sind wir drob gsessen vnd den handel beichtiget. doch so hend wir das latinsch büchli auch vorhin gläsen. das wälsch verstand wir nitt. doch soll es eins syn, das latinsch vnd das wälsch. Vff das so kömmend wir gmeinlich für v. Gn. üch desz handels zbrichten wiewol mehr als[2]) h. *Marits* vnd ich dasselbig auch thon. dann vns wil bedunkhen das nitt wenig an dem handel glegen vnd das man wol dörffte das man imm mitt gutem rath begegnete, damitt nitt immer boesers drus würde, vnd ir m. herrn vnd wir ie länger ie mer mitt bschwärt würdind.

Dann wir wellind gern so vil vns müglich das handlen das zu christenlicher einikeit diente vnd das wir die kilchen in frid vnd ruw mitt Gottes hilff erhalten möchtind. Wir send auch das ir v. gn. herrn sonst mitt gschäfften überladen darum wir üch gern selicher lästen überheben weltend.

Darumm so vil den gegenwärtigen handel blanget so sind die büchli *Calvini*, darinn schript er von der fürsehung Gottes vnd schript ja selichs wider zwen Italiener einer genempt Albertus *Pighius*, der ander *Georgius Siculus*, böse Bäpstler die vornaher auch von dem handel wider inn gschriben vff bäpstliche wys vnd weisz nitt was den krefften vnd fryen willen desz menschen zugäben, dardurch er verursachet zu rettung der warheit semmliche büchli wider si zu schriben, vnd ist das in eir summ sin meinung: diewyl der glaub ein gab Gotts so sölle man in denen sin barmhertzikeit erkennen denen er inn gipt, in denen aber sin gerechtikeit denen er inn nitt gipt vnd nitt wyter sine vrtheil wellen erforschen, diewyl er gerecht vnd in sinem hus machen moege was imm gfallt. Das ist dsumm, das handlet er imm wytläuffig mit antwort vff allerlei gegenwürff.

Es habend auch andere vornaher hievon gschriben, als *Luther*, *Zwingli*, fast der wys wie *Calvin*. Das Büchli ist imm vszgangen vor 3 jaren. Es ist auch vns zugschikt worden: wir hends lassen sin für sich selb wies ist. Es hends auch andere kilchen gsen vnd gläsen, Zürich, Basel, Schaffhusen, S. Gallen, Mülhusen, Biel, Chur vnd Pünnt, on die vssert der eidgnoschafft sind. Niemann hatt sich drumm bkümmert, das hand auch wir thon.

Da sind aber ettlich der wälschen predicanten dinnen, die hends angfangen zrechtleggen, vnd der das drus läsen, der dises, vnd ist vil disputirens darus worden vnder innen. Das hatt vns verursacht das das vorderjars vor gehaltnen Capittlen,[3]) wie ietz, es v. Gn. anzeigt. Derhalb ir dozumal min hr. *Steiger* hr. *Manuelen* vnd mir in befelch gabend innen semmlichs eigenlich fürzhalten das semmlichs für üch kom vnd ir schlechtlich nitt lyden weltind sonder das si zfriden vnd zruwen wärind. Das ist nun dozmal bschehen vnd ist daruff etwas gstillet. Nun so kumpts wider für vnd das aber vsz eim anderen anlasz. Dann es sond ettlich sin, die *Caluinum* söllend ein kätzer gscholten han:[4]) desz hatt sich *Caluinus* gegen v. g. erklagt[5]) vnd bätten das ir mitt üwern predicanten verschaffind das si inn der schmach enthebind oder sin leer vns zu examiniren gäbind. Nun da habend ir, v. h., sin büchli vns ietz zugschickt mitt befelch wie vorgemält ein vszug darus zethun vnd denselben v. g. in gschrifft tütsch fürzebringen. Zu dem sagend wir nun also:

Wir habend vns biszhar nie in wellen lassen von disem handel zu disputiren, sind sin auch noch nitt gsinnet sonder mit anderen kilchen friden zehaben. Söltind wir dann artickel stellen die

---

2094. 1) *Scilicet, nisi fallimur, Consensum de aeterna dei praedestinatione, et Congregationem, quae dicitur, de electione, quos edidimus in Tom. VIII. Operum. Articuli illi Zebedaei fortassis ii sunt quos infra leges N.* 2095.

2) *zweifelhafte Lesart. — Maur. Episcopius.* (*Simler.*)

3) *Loqui videtur de negotio Sampaulini.* (*Ephem. p.* 105 *et N.* 2048.

4) *Zebedaeus Neodunensis et Angelus* (*Lange*) *Bursinensis minister.*

5) *N.* 2073.

möchtind eim gfallen dem andern nitt. Darzu würde dann billich sin das dieselben *Caluino* zu überantworten überschickt würdind. Hirmitt würde aber allem disputieren zanck vnd hador thür vnd thor vfthon vnd wir aber in ein schwäreren last kon dann vor ie.

Si hend wol da artickel gstellt da wir ettlich nitt findend, ettlich nitt verstond, ettlich nitt so raw vnd grob als si da stond. Deszhalb wir ein turens drab hend das si semlich für v. gn. ingleit vnd also vezzwacket was innen gfallen, auch vns dieselbigen vorhin nitt anzeigot. So man articuliren wil musz man alles mälden wie sich eins mitt dem anderen erlüteret. Darumm, gn. m. herren, könnend wir vns nitt inlan artickel zu stellen. Es ist auch üch, m. herren, weder fruchtbar noch nützlich; kömend aber für v. G. üch sonst anlasz zgenn wie man usz dem span kon möchte nitt das wir üch leeren, sonder diewyl es ein handel der dkilchen vnd dleer antrifft bedunkt vns es stende vnserem ampt zu. Darumm sagend wir diewyl der gegenwirtig span fürnemmlich vmm das zthun ist das die zwen *Caluinum* sond ein kätzer gscholten han, das sie aber lougnend, vnd das fröwt vns, dann so si bkantlich würdind wirs nitt so ring schatzen das ir m. h. si hettind heigno vnd vmm dasselb zworten gstossen. So ver si dann semmlichs lougend vnd *Caluinum* für ein diener Christi erkennend so ist der sach schon gnung gschen vnd mögend ir m. h. sy imm friden heim wysen vnd heiszen zruwen sin. Doch möcht man inen auch wol abkeren, das diewyl wir hie vnd andere kilchen all in der Eidgnoschafft zfriden sind, das si nitt könnend zfriden sin vnd gengst etwas bringen müssend. Also bedunkt vns, gn. m. herren, möchtend ir vsz allem handel kon, vnd wäre *Caluino* hiemitt auch gnug beschähen.

Darnach aber so vil den arzet zTonon [6]) belanget hatt es ein andere gstallt mitt imm, vnd ab imm klagt auch *Caluinus* sonderlich: der bkents fry herus hatt mirs in angsicht bkent vnd machts so grob das auch die anderen nüt wend mitt imm zschaffen han die glich *Caluino* abhold sind. Das habend wir nehermal auch anzeigt vnd hend kein zwyfel so es bim selben rathschlag wer bliben das were alles gstillet. Dann sinthalb müssend wir bsügen das vns sin wäsen übel gfallt vnd ist vns sinthalb leid. Wir mögend wol mittliden han mitt fremden vertriebenen überlouffend üch m. h. me si anznen dann zverwysen, möchtind auch inn wol lyden so er rüwig wäre. Aber offenbar ists das er vil vnruw machet dann ie, wie greitt er vor mir semmlichs bkent, was thut er dann anderschwo? So vernemmend wir (doch zeigend wir es v. g. umm sonst an) das er sider gerümpt das er mirs anzeigt, ich drum für rath gangen vnd er darüber nüt destminder restituirt sige. Er sol ouch vszgen (so imm echt also ist wie wir vernon) es habind inn ettlich hie heissen den *Caluinum* nun redlich schälten. Semmlichs mag nun in den kilchen nitt glitten werden. Wir wüssend wie ungern wirs von Bäpstlern hend. Aug. spricht: *Errare possum, haereticus esse nolo.* Darum wend wir vns entschlossen han das was üch v. h. darus sinthalb entstat das wir üch gewarnet hend. Man hatt vns vorgseit als er angnon er sött rüwig sin oder man wurds nitt lyden.

Darumm, m. h., verstond den handel wol. Man ist bald in span kon, aber nitt bald drus. Wir sehind gern üwer frid vnd ruw. Wir zeigend üchs in trüwen an, sind sin auch schuldig vnd weltind gern allen anlasz spans verhüten. Bittend üch, m. herren, ir wellend auch desz gsinnet sin vnd ansehen üwer lob vnd ehr das wir nitt immerdar bi anderen kilchen müssind zgspött werden, das iedermann zfriden sige, allein wir nitt. Thut *Caluinus* oder andere neiszwas das vnsern kilchen schädlich vnd vnlydenlich ist, wir selbs wends üch, m. herren, anzeigen. Si dörffend nitt herus zkon vnd artickel inzleggen: darumm haltend si in meisterschafft damitt si in aller demut lerind das volk Gott zufüren, vnd me vom glauben vnd besserung desz läbens disputierind dann das si also die hohen vnd verborgenen vrtheil Gottes zrecht leggen wellind.

6) *Bolsecum.*

2095.

LE SÉNAT DE BERNE AU SÉNAT DE GENÈVE.

Réponse aux lettres du 27. Novembre concernant Bolsec et Fonsselet, avec différentes pièces à l'appui.

(Minute authentique aux Archives de Berne: Welsch Missiv.-Buch C. fol. 41. — Copies dans la Collection Epp. clar. Viror. VI. 427 ss. et chez Simler Vol. 84.)

Aux nobles magnifiques Seigneurs Syndiques et Conseil de Geneve nos singuliers amys treschers et feaux combourgeois. [1])

Nobles magnifiques Seigneurs singuliers amys treschers et feaux combourgeois. Ayans receus voz

2095.1) *Comp. Trechsel* I. 197. *Ruchat.* VI. 122.

lettres ensemble jcelles de maistre Iean *Calvin* et ses confreres ministres de vostre Eglise dattees du 27e iour du moys de novembre dernierement passé et le contenuz dicelles bien entenduz, pour responce vous faisons scavoyr que eussions bien pensez que vous et vousdictz ministres vous fussies contentez de la responce que par avant vous fismes par nos lettres du 17e iour dudict moys et de lordre que luy avions mis sus vostres precedentes rescriptions touchant ledict affaire. Touttesfoys pour vous et a ung chescuns amateur de paix union et concorde chrestienne donner entendre que a nous ne restera employer toute diligence pour nourrir avancer et entretenir bone paix et union et principalement conformite en la doctrine evangelique avons envoyer querir les personnaiges nommez en vousdictes lettres assavoyr les ministres de Nyon et de Bursin, aussy *Fonnselet* et *Ierosme* et a jceulx a ung chescung particulierement faict remonstrance de ce que vous et vousdicts ministres faictes plainctiffs contre eulx. Lesquels, premierement lesdicts deux ministres de Nyon et de Bursin ont viffvement responduz que iamais par verite ne se trouvera ne constera quils ayent blasme ne diffame la doctrine de vous ministres ne moins les appellez hereticques,[2]) mais bien le contraire vous ministres donnez occasion de scandale en blasmant les nostres et proposant choses touchant les ceremonies et aultres manieres de faire, comme pourrez veoir eis articles cy encloz:[3]) choses comme facilement pourrez consyderer plus servant a destruction que a ediffications des Eglises, combien que jcelles ne soyent de grande importance, toutesfoys la variation et diverse observation dicelles es vostres et nostres Eglises engendrent scandales et plusieurs malvolences noyses troubles et fascheries, voyre sectes partialites mespris et aultres inconvenients: ce qui pourroit facilement estre aboly sy lon observoit en ce comme au commencement conformite. Quant au *Fonsilet* jl a donne sa responce par escript laquelle avons mise en jcestes.[4]) Touchant *Ierosme* avons jncontinent receuz vousdictes lettres escript a nostre Bailliff de Thonon de senquerir sur cella et nous en advertir, pareillement ledict *Ierosme* vocquez devant nous. Lequel a respondu que depuis nous premieres remonstrances et deffences que luy avons cy devant faictes il nous faict aulcune mention dudict *Calvin* ne de ses freres soffrant dobserver ce que luy avons en ce endroict ordonnez.[5])

A ceste cause vous prions et tres affectueusement requerons que soit de vostre bon plaisir de pourvoyr et remedier a bon essoing en cestuy affaire et principalement tenir main que vous ministres ne blasment diffament calumnient ne mesprisent les nostres: ains en toute simplicite christienne paternelle dilection paix union et concorde vivent par ensemble, greffement punissans ceulx qui seront promoteurs et auteurs de telles turbations, en quoy nous de nostre coste pareillement employerons toute diligence, Dieu aydant, auquel prions a vous et a nous a ce effect donner grace et assistance. Datum 26. Ianuarii 1555.

Ladvoyer et Conseil de Berne.

A.

Briefve declaration de grands scandales parmi les subiects de nos magnifiques Princes et seigneurs.

1. On appelle les ministres du pais de Messieurs lapidaires a cause que les ministres de Geneve ont oste le baptistaire dit touffstein.[6])

2. Les ministres de Geneve refusent les subiets de Messieurs de presenter au baptesme les enfans de leurs amys, pource qu'ils ne les nomment pas a leur plaisir.[7])

3. Ils ont fait un grand catalogue de noms non recepvables, comme Michel, Balthazar, Claude et semblables.

Quant au sacrement de la cene.

1. Ils enseignent qu'on ne peut sainctement administrer la saincte cene sans avoir l'usage et la pratique de l'excommunication.[8])

2. On crie ouvertement aux sermons que ceux qui ne veulent point consentir sont pires que turcs et iuifs.

3. Ils disent que les ministres qui ne taschent avoir l'excommunication sont ventres et flatteurs des princes.[9])

2) *Cette dénégation ne saurait prévaloir contre l'assertion positive et suffisamment appuyée de preuves faite par Calvin, et n'est guère d'accord avec la haine qu'ils professent ouvertement contre celui-ci dans leurs récriminations. Du reste la résolution du sénat de Berne est conforme à l'avis de Haller.*

3) *Appendice* A.

4) *Appendice* B. *Cf.* 1979 *seqq. Pour le moment Berne accepte les explications de Fonselet. Plus tard on se vit pourtant dans le cas de procéder autrement à son égard.*

5) *Ils ne tiennent donc aucun compte à cet égard de l'avis de Haller.*

6) *que les Bernois avaient conservé.* (*Ruchat.* V. 58.)

7) *Comp. l'article suivant et Oeuvres* X. 1. *p.* 49. *suiv.*

8) *Voyez pour les principes de Calvin sa lettre aux Zuricois du* 26. *Nov.* 1553. *Les articles qui suivent contiennent des exagérations, mais il s'agirait de savoir si celles-ci sont à mettre sur le compte des accusateurs ou de quelques adhérents fanatiques de Calvin. Des accusations semblables avaient été portées contre St.-André vers la fin de* 1551.

9) *La question de l'excommunication fut encore traitée*

4. Adioutent que le magistrat est ung office pour ung iour ou deux, le ministere est un office perpetuel.

Quant aux festes. [10])

1. Maudissent aucunes fois ceux qui ont revocque et remis les festes.

2. Disent que ceux qui le font ne font que iudaizer.

3. Les estrangers qui sont de leur coste en grand nombre crient contre les subiets de Messieurs en telles festes allans et passans, alleguans qu'ilz font contre la parole de Dieu qui dit: six iours tu travailleras.

B.

Responce de Fonsselet. [11])

Quant a l'article propose par les Seigneurs de Geneve contre Sebastien *Fonsselet*, qu'est tel qu'il avoit dit et escrit leur ville estre une Sodome et Gomorre, a respondu ledit *Fonsselet* qu'il n'a iamais dit ni escript telles paroles et quelques lettres qu'ilz ayent envoyees a sa femme qu'il n'a nomme Geneve ni aucun des seigneurs ou habitans en telle ignominie. Vray est que depuis quatre ans, ayant eu quelque differend avec maistre Iean *Calvin* pour matiere de religion, icelui *Calvin* luy donnant la cene au dimanche avant ou apres Noel luy dit: A ta condemnation soit, Iudas! et depuis est demeure ledit *Calvin* son haineux et aussi ses adherans, de sorte que ledit *Fonsselet* ne pense les seigneurs de Geneve estre emeus a proposer tel article sinon a l'instinct et poste dudit *Calvin* et de ses adherans. Car sa femme estant venue de Dijon a Geneve par le moyen de certains a este persuadee de venir avec ledit *Fonsselet*, iceux donnant a entendre a sa dite femme qu'il estoit heretique accuse et reprouve d'autant qu'il n'estoit accordant a la doctrine de la predication * escrite par ledit *Calvin*. Quoy ayant entendu ledit *Fonsselet* a rescript a sa femme que gens donnans tel conseil estoient plus vraiment Sodomites que Chrestiens, ayant insere un dixain sans nommer aucune ville ni aucune personne habitant a Geneve. Lesquelles lettres ayant entendu ledit *Fonsselet* estre occuppees par le dijonnois et presentees aux seigneurs de Geneve par les ministres afin de le rendre odieux envers la Seigneurie, icelui *Fonsselet* a dresse supplication auxdits Seigneurs de Geneve pour obtenir saufconduit pour librement agir contre sa femme, par laquelle supplication rescripte et receue par egrege Iean Santin de *Bignin* notaire iure, et par icelui presentee auxdits seigneurs, ledit *Fonsselet* a donne le serment de respondre devant ses treshonores seigneurs de Berne de tout ce qui pourroit lui estre demande par les seigneurs dudit Geneve, leurs ministres, cytoyens, bourgeois et habitans riere leur pays sur l'action criminelle, civile ou ecclesiastique quantes fois il seroit pour ce evocque. Et depuis telle procedure ledit *Fonsselet* a repete sa femme, laquelle estant deiectee de leur ville par sentence desdits Seigneurs et de conscil de leglise, comme elle disoit et dit envoie trois hommes audit *Sebastien* son mary pour luy declairer que s'il ne faisoit ou envoyoit par escrit confession de sa foy a l'Eglise de Geneve qu'elle ne viendroit avec lui. Et les trois hommes faisant tel message se nomment l'ung maistre *Helie*, l'autre maistre *Andorla* et le tiers maistre Anthoyne *Mareschal*, et tel rapport firent es presences de maistre Ayme *Champerau:* auxquels respondit ledit *Fonsselet* qu'il ne baiseroit le pantoufle, mais si ses treshonores Seigneurs de Berne ou leurs ministres lui demandoient raison de sa foi il le feroit, non devant ceux de Geneve. Parquoi conclud ledit *Fonsselet* n'entendre ni vouloir avoir blesse ni profere telles paroles contre une ville ny Seigneurie de Geneve, protestant de demeurer encore de present en droit devant l'excellence de ses tresredoubtes princes et seigneurs de Berne, si de telle responce ne se contentent lesdits Seigneurs de Geneve.

au Conseil de Genève dans plusieurs séances du mois de Janvier.

10) *Au sujet des exagérations consignées ici, voyez les déclarations formelles de Calvin N.* 1427 *seqq.*

11) *Pour l'affaire de Fonselet voyez les pièces N.* 1979 *et suiv. Cet individu a dû avoir des relations avec le parti des Libertins et sans doute aussi avec Bolsec. Il avait été banni de Genève à cause de son prétendu mariage ou bien même pour une affaire de vol.* (*Trechsel* I. 196). *La pièce N.* 1982, *qui n'est pas datée aurait pu convenablement être jointe à la présente.*

2096.

LE SÉNAT DE BERNE AUX MINISTRES DU PAYS DE VAUD.

Défense de rien changer aux coutumes et règlements d'église, contrairement aux statuts, sous peine de destitution.

(Archives de Berne: Welsch Missiv-Buch D. fol. 42 v. avec l'inscription: *Ann all welsch Classen.* — A la bibliothèque des pasteurs de Neuchâtel il y a une copie avec quelques variantes

(N.) et avec cette adresse: *Aux honorables docts et scavans nos chers et amez doyen et ministres de la classe de Geneve* (*sic*). Est-ce là une erreur de copiste, ou bien l'exemplaire était-il destiné aux ministres Genevois des villages Bernois?)

Ladvoyer et conseil de Berne. Nostre salutation honnorables docts scavans chers et aymez. Combien nous entierement et sans doubte confions [1]) que nulle entre vous fust este si hardy et presumpteulx de contrevenir a nous remonstrances que par nostre rescription du 17e iour du moys de Novembre dernierement vous avons faictes, si nous est ilz venuz a notice que aulcuns entre vous non contens de cella encore tousiours soyent apres et ne cessent de mouver questions parties et pretendre jnnovations contraires a nous ordonnances status et ceremonies iusque a present en nous Eglises observees, voire aussy suyvants et se adioingnans a certaines haultes et soubtiles doctrines opinions et conditions [2]) des hommes principalement touchant la matiere de la divine predestination, chose que nous semble non estre necessaire ains plus servante a factions sectes erreurs et debouchement [3]) que a ediffication et consolation. A ceste cause derrecheff tresacertes vous admonestons de vous depourter de telles choses et sans contradictions suyvre et observer nostre susdicte rescription et advertissement entant que desirez deviter la punition en jcelle exprimee, assavoir deposition de vous ministeres offices et bannissement et aultre plus grieffve punition selon le demerite du cas. [4]) Car summes dentiere volonte de demourer en l'us des ceremonies status et ordonnances de nous Eglises du commencement et depuis les disputes jcy et a Lausanne tenues observees et usitees et jcelles ensemble la doctrine evangelicque avecq laide de Dieu tout nostre pouvoir maintenir. Sur ce vous saches conduyre et entretenir. Datum 26. Ianuarii 1555.

2096. 1) seussions *N.*
2) traditions *N.* — *Cela se rapporte d'un côté à la controverse sur la prédestination, de l'autre aux instances de Viret et consorts relatives à l'excommunication.*
3) desbauchement *N.*
4) *Il est évident que cela ne pouvait pas s'adresser à des sujets Genevois, si ce n'est à quelques ministres qui desservaient des villages Bernois. Mais l'avis est général et il est plus naturel de songer à tous les ministres Français du pays. Comp. d'ailleurs Ruchat* VI. 123.

2097.

LE SÉNAT DE BERNE AUX BAILLIS.

Circulaire par laquelle il leur est enjoint de veiller à ce que les sujets Bernois et les étrangers domiciliés sur le territoire de la seigneurie n'aillent pas communier à Genève.

(Copie aux Archives de Berne, Epp. clar. vir. VI. 432. — Simler Vol. 84.)

Nous l'advoyer et conseil de Berne a nostre bien aimé Baillif salut.

Nous sommes advertiz que plusieurs de nos subiectz et aultres estrangers habitants riere nos terres, au grand mespris des ordonnances et divines ceremonies quelles usitons en nos Eglises jusques icy, sont allez participer et prendre la Cene de nostre seul saulveur à Geneve jouxte les ceremonies Calvinistes, [1]) et pource que à nous appartient pourvoir sur ce, et aussi que suivons en nos eglises la reformation evangelique et aussi* que Iesus Christ l'a ordonné, vous commendons doyviez tresacertes admonester nosdictz subiects et habitans en nos terres, tant francois Italiens que aultres de quelque nation qu'ilz soyent, ne ayent ne doyvent plus ainsy user, ains suyvre jouxte lordre sur ce par nous establiz. Et sils ne se veulent deporter de ce, voulons iceux estrangers estre dechassez et ceux lesquels sont pensionnaires dessoubs nostre puissance estre privez de leur pension et dechassez et nos subiects estre devant nous remis pour iceux punir et chastier jouxte nostre bon plaisir: et sur ce vous devriez diligemment informer afin les transgresseurs jouxte nostre mandement punir et chastier. Et afin de ce personne n'ait cause dignorance nous voulons le present mandement estre publié en toutes les eglises de vostre baillage. Datum die 26. de Ianvier 1555.

2098.

VOGTIUS BULLINGERO.

Agit de responso a Schafhusianis Calvino dato, de libello contra Westphalum, deinde de causa Locarnensium.

2097. 1) *On voit par d'autres documents que c'étaient quelques réfugiés français résidant dans le voisinage de Genève qui alloient communier dans cette ville.* (*Ruchat*, VI. 125 *d'après Roset.*)

(Ex autographo Arch. Turic. Scrin. B. Epp. Tom. I. nunc Plut. VI. Vol. 105, fol. 631. — Simler. Vol. 84.)

Doctrina candore et pietate eximio viro D. Henrycho Bullingero ecclesiae Tigurinae pastori vigilantissimo fratri ac domino observando.

Zürich.

Gratiam et pacem a Deo patre per Christum servatorem. Gratissimae nobis fuere literae tuae, ut hactenus omnes ad nos missae, praesertim quum pro tua humanitate volueris nobis significare quid vobis in responso D. *Calvino* dando visum fuerit. Scimus sane nos non iuratos esse in verba vestra: scimus item quantum officiat dissensio opinionumque varietas ecclesiarum eiusdem professionis: scimus item quantum proficiat consensus etiam in rebus externis, quanto magis in spiritualibus. Gratias eo nomine tibi habemus maximas. Nam quantum hactenus profecerimus, tum in consiliis accipiendis et dandis, tum in concordia et consensu conservandis, dici non potest. Sub vestra enim autoritate tutam etiam nostram, [1]) quamvis ea nulla sit. Inde emolumentum non vulgare videmus ecclesiae nostrae accedere.

Scribimus *Calvino* nos gratias agere Deo patri quod os et sapientiam nobis subministret, quum non solum ducimur sed et traducimur coram regibus et principibus piis et impiis. Agnoscimus divinam providentiam quae huiusmodi hyperaspistas dederit ecclesiis nostris, qui tueantur causam ipsarum contra adversarios calumniantes, ipsas esse profanatrices sacramentorum, impie de Deo, Christo, ministerio, verbo et sacramentis sentientes. Videmus non sine divina providentia factum quod consensus ille vester cum *Calvino*, prius satis succinctus, nunc aliquanto apertior exierit in mundum, sic tamen instructus ut nobis persuasum sit, adversariis omnem abreptam ansam amplioris calumniae, nostris vero datam eiusmodi significationem unionis quae labefactari nullo modo queat. Maluissemus adiunctum scriptum Saxonis illius, [2]) non quod dubitemus de fide *Calvini*, sed quo liberior accessus factus fuisset scripto *Calvini* in Saxones, a quorum ecclesiis hactenus exsularunt nostrorum scripta. Oramus ut pergat tanta cum modestia agere causam nostrarum ecclesiarum, imo Christi. Pollicemur operam nostram, et si eam scripto nequimus praestare, liberalibus tamen suffragiis et ad Deum oratione ardua ipsi non defuturos.

Haec te scire volumus, *Bullingere* carissime: quod si in hac nostra consultatione videris erratum, admone, et parebimus monitori: gratum enim erit. Corrigemus item errorem qui non ex malitia sed potius ex ignorantia (quod nondum videmus) potuit provenire.

Novi nihil habemus quam quod non satis mirari possumus providentiam divinam in tutandis fidelibus. Domini nostrates, Bernenses et Basilienses, suis consiliis fratrum Locarnensium causam sic egerunt ut adversarii ipsorum exsilio, quorum sanguini inhiare dicebantur, satientur. Vester amplissimus senatus sic decrevit, ut si occasio illa praeceps se obtulerit commode fratribus istis ipsorumque rationibus consuli possit, salva per ipsum et incolumi confessione christiani nominis. *O des armen Landfridens!* Caeterum universum negotium Locarnicum et propositiones senatus vestri amplissimi, praeterea acta tum in urbe tum in agro, ut nobis communices oramus. Describentur ocyssime nullo tuo cum damno. Nova quae habes, tum de Anglia tum de caeteris rebus, de quibus nostra intererit scire, a te exspectamus.

Salutant te symmystae mei: salvos item volumus vos omnes, fratres humanissimi. Vale ac vive nobis ac ecclesiae Christi diu incolumis. Schaffhusii 5. Kalend. Februarii anno ab orbe redempto 1555.

Tuus ex animo
Simpertus Vogt.

2098. 1) scimus *add. S.*
2) *quod inscribitur:* Recta fides de coena: *nisi malueris* Farraginem *innui.*

2099.

MINISTRI SCHAFFHUSIANI CALVINO.

Laudant Defensionem contra Saxonem istum scriptam, imo Saxonem ipsum quod scribendi occasionem praebuerit.

(Ex autographo Cod. Genev. 196, fol. 22.)

Insigni doctrina et pietate viro D. Ioanni Calvino ecclesiae Gebennensis pastori vigilantissimo domino et fratri colendissimo.

Genevae.

Gratiam et pacem a Deo patre per Christum servatorem precamur tibi ex animo. Laudandus Deus ac pater Domini nostri Iesu Christi, qui hactenus ecclesiam suam non solum non destituit ope sua, sed etiam quae promisit per Christum illi abunde praestat. Pollicitus est nobis os et sapientiam quum ducemur ante principes et reges etc. Annon hactenus ecclesiae nostrae ducuntur, imo

traducuntur, ante principes, reges, pios, impios, tanquam sacramentorum profanatrices, impie de Deo, Christo, ministerio, verbo et sacramentis sentientes, quum res ipsa longe diversum clamet et doceat. Misertus igitur innocentis sui popelli Deus, ne penitus obruatur calumniis adversariorum, suo bono spiritu illi adest, patrocinatur, hyperaspistas excitat, industria, pietate, doctrina et vere christiano robore instructos, quibus utitur tanquam fidelibus advocatis, qui ipsius causam pie et dextre tueantur. In quibus te primum locamus, humanissime *Calvine*, cui hoc datum esse divinitus videmus ut tam dextre tractares universum negotium sacramentarium, eum in modum quod videamus calumniatoribus penitus praeclusam ansam in posterum piis oblatrandi, nobis vero id quod antea desiderabamus plus quam sufficienter praestitum fuisse. Nam, ut pace tua dixerimus, scriptum conciliationis vestrae cum Tigurina ecclesia nimis succinctum eoque aliquanto obscurius visum est. Nunc autem divina providentia nobis excitat quendam Saxoniae propugnatorem, per quem tu in arenam protractus illique antagonista fortissimus obiectus obscuriora in illo tuo scripto tam aperte tamque dextre tractas ut nihil supersit quod nostro iudicio desiderari possit. Quamvis mallemus Saxonem illum in tam exulceratis et propemodum deploratis ecclesiae rebus altum silentium tenuisse. Videmus tamen Dominum ipsius temerariis insultibus ad gloriam nominis sui et singulare ecclesiae suae commodum abusum tibi hanc scribendi ansam obtulisse. Labor itaque tuus, ut libere fateamur, unice nobis perplacet. Speramus enim et adversariis et nostris hominibus satisfactum esse. Illi vero, qui litem tibi intentavit, potius consulendum de deserenda causa sua, quam ut denuo se in periculum et famae et pudoris coniiciat. Nobis placet inprimis haec tua scribendi modestia, qua ut pergas Christo ecclesiaeque suae sic inservire te per omnia sacra oramus. Maluissemus sane Saxonis huius scriptum tuo adiunctum, quo liberior accessus tuo libello factus fuisset ad ecclesias saxonicas, in quibus exsulant ut plurimum nostrorum scripta, quorundam male feriatorum hominum iniqua sedulitate. Quod autem acceleraveris editionem bene factum aestimamus, imo eo nomine tibi maximas gratias agimus. Hoc sane de nobis tibi persuadeas velimus ut, quamvis nobis probe conscii simus cuiusmodi nostrae sint futurae (praesertim in scribendo) suppetiae, liberum tamen consensum et cordatum suffragium offerimus omnes cum universa nostrate ecclesia. Et quod scriptis minus possumus, oratione ardenti ad Deum piisque votis tibi aderimus. Nosque et omnes vires nostras tibi, si sit necesse, adfuturas, ut tibi persuadeas velimus. Dominus te suae ecclesiae fidissimum patronum diu servet incolumem. Vale et vive in Christo felix. Resalutabis nomine nostro tuos symmystas. Ora pro nobis Dominum. Schaffhusii 5. Kalend. Februarii anno a Christo nato 1555.

Tui ex animo
Simpertus Vogt
Sebastianus Grubel
Iacobus Rüger
ministri ecclesiae Scaffhusianae.

2100.

VIRETUS FARELLO.

Inter alia, quae obiter tantum attingit, refert quaedam de Zebedaeo, Angelo et Fonseleto, tum etiam de Beza cui adversarii ob iuvenilia sua poemata nunc negotium facessunt.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium. Epp. Vireti fasc. IX. N. 3.)

Eximio Christi servo Guilielmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori vigilantissimo fratri et patri plurimum observando.

Neocomi.

S. Audies hos fratres nostros de statu huius ecclesiae. Collega meus [1]) laborat morbo difficili, implicitus continua febre. Medicus illi metuit, saltem ne sit longus eius morbus. Dominus illi adsit. Illum Domino precibus commendabis et precibus amicorum.

Scripsit ad me *Caspar* Grandissonensis [2]) de exitu causae suae cum monacho, de qua et aliis de rebus plenius ex eo audire poteris. Monui enim illum ut ad te scriberet, nisi iam scripserit. Praestabo Orbanis omnem quam potero operam, sed

---

2100. 1) *Jac. Valier.*

2) *Ecclesia Grandissonensis* (*Granson*), *ut antea Orbana, ad sacra reformata transiit a. d. VI. Kal. Dec.* 1554 *et inventarium factum est bonorum ad monasteria Franciscanorum et Prioratus monachorum nigrorum qui dicebantur pertinentium, quorum deinde partitio effecta est die Lunae post Quasimodo* (22. *Apr.*) 1555 (*Ruchat*, VI. 74 *sqq. Pierrefleur* 334: En ce temps avoit grosse dissension en la ville de Grandson, causant que leur Predicant nommé maistre Gaspard avoit dit publiquement que ceux dudit Grandson ne tenoyent conte des mandemens des Seigneurs de Berne et de Fribourg. A icelle cause la ville insta par justice contre ledit Predicant qui finalement fust condamné à devoir crier mercy à la ville de Grandson et se desdire publiquement: ce qu'il fist et aussi fust deposé hors de son office.

vereor ne collegae morbus me hic diu conclusum teneat.

Si quid possem *Calvino* opitulari non deessem. [3]) Quum intellexero nostram aliquam requiri operam, praestabo quod in me erit ac te simul admonebo. Nihildum audivi de exitu causae *Angeli* et *Zebedaei*, nec scio an Berna redierint. [4]) Mitto ad te *Calvini* literas [5]) ex quibus cognosces aliquid de causa *Zebedaei*. *Sebastianus* ille de quo queritur una cum *Zebedaeo* et *Angelo* Bernam vocatus est. Audivi *Angelum* nuper in publico convivio in mensa *Senarclei* Perruaci [6]) multa impudenter evomuisse in *Calvinum*, adeo ut convivis valde fuerit molestus et repressus graviter a *Senarcleo* convivatore causam defendente *Calvini*. Dominus det principibus prudentiam et sapientiam spiritus, qua recte consulant ecclesiae.

Fratres te omnes salutant. Salutat uxor et tota familia. Multam salutem precor collegae et *Dommartino* et amicis omnibus.

Ex quo has ad te scripsi *Beza* Genevam profectus est. Causa peregrinationis fuit quod intellexit se Bernae delatum quod librum scripserit de amore mulierum, coniiciens hoc profectum ex *Zebedaei* et sociorum calumniis, quarum occasionem arripuerunt ex libro Elegiarum et Epigrammatum quae iuvenis lusit, in quibus quaedam lasciviora sunt ad Catulli imitationem. [7]) Sed facile haec diluentur: calumniae, ut spero, et calumniatorum improbitas magis patefiet. Vides quo sint affectu non solum in *Calvinum* sed et nos omnes. Mirum erit si ego quoque nullas egero peculiares partes in hac fabula, et si mihi parcatur. At Dominus aderit suis. Hoc te nolui ignorare. Vale. Lausannae 28. Ianuarii 55.

Tuus Petrus Viretus.

---

3) *Alludere videtur ad disceptationes a Libertinis motas de autoritate consistorii, quas decreto senatus d. 24. Ianuarii compositas fuisse Viretus adhuc ignorabat.* (*Ruchat*, VI. 135).

4) *Diremta fuit decreto iudicum a. d. VII. Kal. Febr.*

5) *deperditas.*

6) *Perroy prope Rolle et Aubonne. Vicinum erat Bursins ubi Angelus ministerio fungebatur.*

7) Theod. Bezae Vezelii poemata. Paris. Rob. Stephan. 1548. 8. (*Clément bibl. curieuse* III. 287. *Baum.* I. 67.) *Qui liber nomine Iuvenilium celebratus hac occasione primum ab adversariis publice traductus est, quod collega noster in Vita Bezae praeterivit.*

2101.

CALVIN A UNE ÉGLISE FRANÇAISE. [1])

Exhortations et encouragements.

(Minute d'un secrétaire de Calvin. MS. de Genève 107[a], fol. 317 v. Copies MS. 107[b], fol. 3. Arch. de Berne Epp. VI. 383. Simler. Vol. 84. Imprimée dans les Lettres fr. Tom. II. p. 1. Trad. angl. Éd. de Philad. III. 127.)

La dilection etc. soit tousiours sur vous par la grace. —

Chers seigneurs et freres, comme ie ne doubte pas que sathan ne vous dresse iournellement nouveaux assaultx, et quil ne machine tant quil peult avec ses suppotz pour vous faire perdre corage, aussi ie vouldrois bien de ma part memployer a vous confermer, si ien avois meilleur moyen. Mais de vostre coste, sans attendre quon vous incite dailleurs, il vous fault estre diligens a prendre les armes, et vous tenir prest de longue main, affin que toutesfois et quantes quil plaira a Dieu desprouver votre foy, vous ayes de quoy respondre, et ne soyes surpris. Pour ce faire vous scaves quel besoing vous aves dexercice continuel, car il ny a celluy, en sexaminant, qui ne sente tant et plus de foiblesse: et la rage des ennemis est telle, quelle feroit tembler les plus vaillans, silz nestoient bien munis. Mais il va bien pour nous que le remede est certain, et mesme ne le fault pas chercher loing. Ainsi fortiffiez vous, mes freres, en celluy qui est nostre retraicte, et quoy quil en soit, gardes vous de la dispersion qui ne vous scauroit apporter que ruyne. Quant quelquun se tiendra separe de ses compagnons, quil ny aura nul recueil ny trouppeau, si est ce que vous ne laisseres pas destre en la gueulle des loups. Or ny a il remede plus convenable pour subvenir a vostre fragilite que de vous exhorter ensemble, et vous renforcer mutuellement. Ie scay bien que cela aiguise plus la raige des ennemis, comme on dict que le bruit coule desia entres vous quil vous aguettent, estans advertis de vos assemblees. [2]) Mais il ny a meilleur bouclier,

---

2101. 1) *La lettre ne porte pas d'adresse. Mr. Bonnet suppose qu'elle est adressée à l'église de Paris. Mr. Ath. Coquerel, dans son Précis de l'histoire de l'égl. réf. de Paris p. 24. exprime des doutes à ce sujet. Le fait est que le texte ne décide rien. — Du reste il est certain que ce fut en 1555 que cette église choisit son premier prédicateur en la personne de Jean le Maçon dit La Rivière.* (*Hist. eccl.* I. 97). *Il avait étudié à Genève et à Lausanne, n'était âgé que de 22 ans, et était fils du Sr. de Launay procureur du roi à Angers, et avait lui-même d'abord étudié le droit à Paris. Il resta jusqu'en* 1562.

2) *La copie de Berne suivie par M. Bonnet porte*: parce que oyant que bruit roule desia entre vous ils vous aguettent estans advertis de vous.

muraille ne rampar contre leur cruaulte, que d'invocquer dun accord celluy qui a promis destre au milieu de ceulx qui conviennent en son nom. Gardes vous donc de vous priver dung tel bien, ascavoir de vous remectre en la garde du bon pasteur, qui ne deffauldra iames aux brebis, qui se rengent a sa voix, et se tiennent soubz sa houlette. Ne penses pas, mes freres, que ie parle comme ung homme qui nauroit nul soulcy de vous. Ie considere les dangers ou vous estes. Mais si nous fault il faire cest honneur a Dieu de preferer sa protection a tout ce que sathan et les siens porront machiner contre nous. Au reste, iames nous ne serons propres a servir a nostre Dieu, si nous ne passons par dessus la brefvete de ceste vie. Vray est que le temps nous semble long, sur tout en ses troubles et persecutions tant rudes des enfans de Dieu. Mais quand nous tendrons a la vie celeste, et que nous aurons droitement goute quelle vault, nous aurons non seullement ung pont[3]) pour marcher quelques pas, mais pour surmonter la mer, quelque large ou profonde quelle soit. Ainsi, mes freres, recueillons[4]) tousiours nous espritz a ceste heritaige eternel, qui nous face mespriser ceste vie caduce avec ses assessoires. Mais por ce que vous aves iournellement bonnes et sainctes instructions[5]) a ce propos, et que chacun, comme ie pense, par lecture et aultres moiens, se solicite a son debvoir, ie feray fin a ma lettre, comme aussi il me souffira bien de vous avoir faict entendre que iay memoire de vous comme ie doibs: et quant iauroye este plus court, le pourteur vauldra[6]) pour le moingz plus quune lettre bien longue ne pourroit comprendre.

Surquoy, mes chers et honores freres, apres mestre recommande a vous bonnes prieres, ie supplie nostre bon Dieu vous avoir en sa garde, vous augmenter en tout bien, vous fortefier en constance invincible, et vous gouverner iusque en la fin selon sa volunte. Mes freres aussi font le semblable.[7]) Ce 28. en ianvier 1555.

---

3) port *Bt.*
4) *ou* reveillons. *M. Bonnet a lu:* elevons nostre esprit.
5) exhortations *Bt.*
6) vouldra *Bt.*
7) vous saluent *Bt.*

2102.

VIRETUS CALVINO.

Nunciat quaedam de Zebedaeo eiusque assecklis vix notatu digna, multo minus coelestium animorum ira. Valerius usque aegrotat.

(Ex autographo Cod. Genev. 111a, fol. 191.)

Eximio Iesu Christi servo Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo fratri et symmystae plurimum observando.

Genevae.

S. *Zebedaeus* hac transiit valde elatus et inflatus, ut solet, eorum quidem iudicio qui hominem viderunt. Dicitur iactare magnas victorias, et gloriari se effecisse Bernae omnia ex animi sententia. Paene tragoediam transiens excitavit eo in loco in quo suppliciis afficiuntur facinorosi. Quum enim *Phrygio*,[1]) quem nosti, de eo parum honorifice loqueretur, quia in eum sermo forte inciderat, stabat a tergo *Zebedaeus* in turba, qui se ab eo audivit ebriosum appellari. Tum ille erupit et magnas turbas excitavit. *Phrygio* ex insperata eius praesentia velut attonitus nescio quibus conditionibus ab illo dimissus est. Qua *Zebedaeus* victoria elatior domum reversus est, relicto hic *Angelo* quem *Holardus* Christophorus[2]) vidit apud nostrum praefectum. Haec mihi hodie domi nunciata sunt. Non sum enim egressus, tum propter raucedinem, tum propter catapotia quae sumpsi. Nihil amplius audivi nisi quod *Holardus* narravit se a Girone audivisse *Zebedaeum* esse valde obstinatum. Fuit enim Bernae quum et *Zebedaeus* illic esset. Dubium non est quin omnes calumniandi artes explicuerit. Sed eum manet poena quam minatur propheta mendacibus omnibus.

Collega meus tantum non revalescit, sed morbus potius videtur ingravescere. Eum commendabis tuis precibus Domino. Salutant te nostri omnes, praesertim uxor et tota familia. Inter haec mala quae undique nunciantur non parum me recreavit quod scripsisti[3]) de vestri consistorii nova confirma-

---

2102. 1) *Conieceris forte non absque veri similitudine hunc fuisse filium Pauli Seidensticker, qui Phrygio dicebatur, vel etiam Constanser, a patria nomen mutuatus. Is olim Selestadii reformationem ecclesiae inchoaverat, postea ministerio verbi Basileae functus et a.* 1535 *prof. theol. Tubingensis factus ibi a.* 1543 *obiit. Tossani fuerat amicus.*
2) *Orbanus hic fuit, et cum fratre suo Ioanne canonico Friburgensi patriae reformationem inter primos et quidem non absque vi et violentia tentavit.* (*Pierrefleur, passim*).
3) *Hae literae non exstant.*

tione.[4]) Dominus Iesus tibi perpetuo et tuis omnibus laboribus benedicat. Vale. Lausannae 29. Ianuarii 1555.

Tuus Petrus Viretus.

2103.

HALLERUS BULLINGERO.

Zebedaei et sociorum in Calvinum prolatas invectivas refert.

(Excerptum ex autographo Bullingeri in Arch. Turic. olim Scrin. B. Epp. Tom. XXX. nunc Plut. VI. vol. 129, fol. 305. — Simler. Vol. 84.)

— — — — — — — — — — — — — — —

Rursus tragoediam moverunt Galli *Zebedaeus* et *Angelus*. Appellarunt *Calvinum* haereticum. Huc ergo vocati sunt. Impetuose egerunt. Damnarunt doctrinam *Calvini* de providentia. Breviter, quidquid in odium Genevensis ecclesiae proferre potuerunt protulerunt, et senatum mirum in modum exagitarunt asserentes [1]) Galli, Genevenses Genevam appellare Hierosolymam, Bernam Samariam, Bernates esse Lapidarios et Sabbatarios, eo quod lapideis utantur baptisteriis, et plura festa habeant quam sabbatum. Novam expositionem adduxerunt articuli: Descendit ad inferna. Exagitarunt expositionem *Calvini*: Exauditus est pro reverentia (ad Hebraeos). [2]) Dedit tamen gratiam Dominus ut eos composuerimus, ruperimus quidquid illi in pacis subversionem excogitarunt. — — — — — [3])

2104.

ZERKINTES CALVINO.

Iam antea iudicium suum de libello in haereticorum causa edito libere professus, nunc quoque controversiam de praedestinatione placide componi unice cupit, suam de hoc argumento opinionem integram servans et omnino caritatem pluris faciens quam consensionem.

(Ex apographo Cod. Paris. Dupuy Vol. 102, fol. 74. v.)

Vigilantissimo Genevensis ecclesiae antistiti Ioanni Calvino fratri in Christo Iesu venerando suo.

Literae tuae, [1]) *Calvine* frater in Domino venerande, fuere mihi longe gratissimae, idque multis nominibus. Primum enim testabantur, te pristinam illam tuam spem et fiduciam de mea in omni officiorum genere voluntate erga te et communes amicos nostros nondum posuisse, quando Lodovici *Franci* causam tantopere mihi commendas. Deinde meum quoque animum, valde anxium ne quid offensionis ex meis ad te literis [2]) de libello in haereticorum causa edito haesisset, hoc metu prorsus liberarant. Postremo loco me non mediocriter recreavit quod intelligo ex tuis literis paratum te esse ad respondendum accusatoribus tuis apud eos etiam iudices quos tibi non satis propitios esse fatendum est. [3]) Spero enim fore ut rebus ultro citroque satis diu libidine magis animi quam ratione agitatis ad illum pactum pervenias. Atque utinam ad exemplum tuae cum Tigurinis in coena Domini consensionis alter ille praedestinationis nodus quoque solvi posset, qui nunc videtur solus fere impedire quominus optata pace et tranquillitate ecclesiae fruamur. Ego ea in re integrum adhuc mihi servo iudicium, necdum in cuiusquam magistri verba iuravi. Visum est enim minori incommodo suspendi quam praecipitari sententiam in causa, vel per se vel ingenii mei vitio et tarditate, obscura multamque in utramvis partem disputationem admittente. Hoc interea ab omnibus meae farinae, hoc est, non omnino exacti iudicii hominibus, ad iurgium usque contendo, ne se patiantur opinionum et sententiarum diversitate a cultu humanitatis et caritatis alienari. Et crede mihi, eos ipsos nihil ponderis et autoritatis apud me habere, qui protinus omnia amicitiae iura violant potius quam ferant diversa sentientes in dogmatibus controversis. Video enim nullum unquam fuisse tempus, neque fore in hoc mundo, quo omnes idem sentiant, et si velimus mutuam caritatem in consensum omnium ingeniorum reservare, nullam eius usum unquam futurum. Patiar etiam amicissime a me dissentire, non desinam tamen amare eos, et colere ut soleo, spemque concipio magnam si a

---

4) *senatus consulto d. 24. Ianuarii facto.*

2103. 1) *Cf. Append. A. N. 2095.*

2) *Cap. V. 7. Fuse de his agit Bolsecus in Vita Calvini cap. 24 et 25. ubi et de hoc loco et de descensu ad inferos.*

3) *Referenda ad Cal. Febr.*

2104. 1) *deperditae.*

2) *N. 1904. 1941.*

3) *Ex hoc loco aliquatenus elici potest quid Calvinus Zerkintae scripserit.*

mutua caritate non excidamus, suo tempore Dominum animos nostros in ratione quoque dogmatum conciliaturum.

Si posthac libellos aliquos miseris, quod erit gratissimum, pretium adscribas rogo: nolim enim te gravari ullo sumptu. Vale, frater in Christo colendissime, et precibus tuis ad Dominum pro me intercede, ut possim non solum perpetua corporis morbosi tormenta sed omnem tentationem vincere et superare. Amen. Bernae Cal. Febr. 1555.

Tui observantissimus
Nicol. Zerchintes.

2105.

CALVIN A LA DUCHESSE DE FERRARE.

Feignant de ne point encore savoir la position dans laquelle elle se trouve il tâche de la maintenir dans la voie qui lui est prescrite par sa conscience.

(Copie. Bibl. de Genève. Vol. 107, fol. 56. Ruchat. V. 549 Lettres fr. II. 4. Trad. angl. III. 129.)

Ma dame, pource que depuis le temps quil pleut a Dieu dexaminer vostre foy, ie nay eu nouvelles de vous que par le bruit commun, ie ne scay bonnement que vous escrire.[1]) Toutesfois ie nay pas voulu faillir a loccasion si bonne qui mestoit donnee au porteur. Mesmes ie fuz bien marry que n'agueres il y en passa ung sans parler a moy, lequel vous eust seurement presente mes letres, car depuis les troubles qui vous sont advenuz, ie ne scavois a qui me fier, et combien questant en doubte de lissue de vostre affliction, ie navois pas argument si certain que ieusse voulu, si estois ie en grand peine de ce que ie navoie nul moien de vous escrire. Or pource que ie ne suis pas encores aujourd'huy asseure de vostre estat, seulement ie vous manderay ce mot, que ie pense bien quil vous a fallu flechir du droit chemin pour contenter le monde:[2]) car cest ung maulvais signe que ceux qui vous faisoient si asprement la guerre, pour vous destorner du service de Dieu, maintenant vous laissent en paix. Et de faict le diable en a tellement faict ses triomphes, que nous avons ete contraintz de gemir et baisser la teste, sans nous enquerir plus oultre. Au reste, ma dame, comme nostre bon Dieu est tousiours prest a nous recevoir a mercy, et, quant nous sommes tombez, nous tend la main, affin que nos cheutes ne soient point mortelles, ie vous prie de reprendre couraige, et si lennemy pour un coup, a cause de vostre foiblesse, a eu quelque advantage sur vous, quil naict pas la victoire du tout gaignee, mais quil sente que ceux que Dieu a relevez sont fortifiez au double pour soustenir tous combatz. Quant vous penserez bien, ma dame, que Dieu en humiliant les siens, ne les veult pas rendre confuz a iamais, cela vous fera esperer en luy, affin de vous esvertuer tant mieux a ladvenir. Ie scay que les mesmes assaultz qui vous ont faict decliner, vous seront encor cy apres incontinent apprestez. Mais ie vous prie de penser combien vous devez a celuy qui vous a si cherement rachetee, et qui iournellement vous convie a son heritaige celeste. Ce nest pas un maistre au service duquel il faille rien espargner, et sur tout quant nous regardons a lissue de tout ce que nous pouvons souffrir dopprobre ou daffliction pour son nom. Invoquez le doncq en vous confiant quil est suffisant pour subvenir a noz fragilitez, et meditez ces belles promesses, qui sont pour nous eslever en lesperance de la gloire des cieux. Car seulement le goust nous doit faire oublier le monde et mettre soubz les piedz. Et pour monstrer que le desir de glorifier Dieu vous est augmente, ou nest pas du tout amorty, advisez, ma dame, au nom de Dieu, non seulement den rendre tesmoignage en vostre personne, mais aussy dordonner tellement vostre maison que les bouches de tous mesdisans soient closes. Ie croy que vous navez pas oublie ce que ie vous en ay mande cy devant, a mon grand regret, mais pour l'honneur que ie vous porte, et le soing que iay de vostre salut. Combien que ie vous veux aussi advertir que iamais ie ne donnay charge a personne de vous en sonner mot. Qui plus est, ie me suis bien garde de monstrer signe aulcun que iadioutasse foy a tant de rapportz que iay este contrainct douir. Et affin que celuy qui vous a troublee sans propos nait plus dacces pour

2105. 1) *La dernière lettre de Calvin était du 6. Août* 1554 (*N.* 1994). *Il lui avait recommandé Morel comme prédicateur, mais selon toute apparence celui-ci n'a plus pu être reçu par elle. Depuis elle avait été exposée à un traitement très-dur et même à la captivité, d'après les instructions que l'inquisiteur Oriz avait emportées du roi Henry II.* (*Voyez Le Laboureur, Mémoires de Castelnaud* I. 717.) *Une lettre d'Olympia Morata datée de Heidelberg* 1555, *nous apprend qu'elle succomba, se confessa le* 28. *Sept. au Père Palletario et prit la cène selon le rite catholique. Sur cela il lui fut permis de rentrer dans son palais de Ferrare. Déjà auparavant on lui avait rendu ses enfants.* (*Blümmer, Renata v. F. p.* 144).

2) *Calvin avait eu connaissance de ce qui s'était passé* (*N.* 2037); *s'il s'exprime ici avec tant de réserve, c'était à la fois pour la ménager et pour la ramener s'il était possible.*

faire du boutefeu, ie vous adverty que ie prins grandpeine pour moderer sa follie, mais iamais ie nen peu venir a bout. Qui plus est, il seschauffa contre moy pource que ie taschois a la reprimer. Cest un Italien nomme *Marc*. Au reste, ma dame, ie vous prie, quoy quil en soit, veiller soingneusement pour oster loccasion a telles calomnies.

Ma dame, apres mestre humblement recommande a vostre bonne grace, ie supplie nostre bon Dieu, vous recevoir en sa garde, vous tenir la main forte, vous augmenter les dons de son Esprit, et les faire servir a son honneur. Ce second de febvrier 1555.

Vostre tres humble serviteur,
Charles D'espeville.

2106.

SULZERUS BLAURERO.

Tossanum suspectum habet et certiora de eo edoceri cupit. Ipse de Calvini defensione sententiam suam paucis perscripsit.

(Ex autographo Bibl. civic. Sangallensis MSS. Vol. 37 Epp. Tom. VIII. p. 4. Apographon exstat Turici in Bibl. civic. MSS. F. 43, olim VIII. fol. 772 et ap. Simlerum Vol. 84.)

— — — — — — — — — — — — — — — —

De *Tossano* nostro miror nihil te scribere quum hinc ad te proficiscenti [1]) literas dederim, unde suspicor eum forte mutato consilio ab itinere deflexisse, maxime quum *Viretus* significet Lausannam transiisse Genevam versus, neque obscuris literis et *Farelli* et *Vireti* (quemadmodum dixi) in suspicionem trahatur vir hactenus prae multis aliis eximii per ecclesias testimonii, ceu mutato antiquo pietatis cursu, ambitione inani inflatus, improba quaedam ingenia foveat sanctosque deiiciat. Quumque is rumor paulo fuisset ante ad me delatus, reficiebar tamen consolatione singulari quod te cum *Farello* Mompelgardum concessum esse audieram, eo quod vos Dei servos fideles et praeclaros facile subnascenti alicui malo remedium allaturos sperarem. Verum quum adeo tu haec silentio praetereas, et Genevam concessisse intelligam, non explico me ipsum satis: quare denuo te precor, ut quae tibi super eo negotio constant prima quaque occasione significare velis, et quid etiam nobis agendum censeas docere. Sumus enim et eius ecclesiae et pastoris utrinque prae aliis vel ob vicinitatem debitores. [2])

Quod *Calvini* scriptum attinet, scripsi paucis sententiam, [3]) quam fusius explicari cupio ubi coram dabitur (quod unice spero et opto) colloquendi facultas. — — — — — — — — Bas. 2. Febr. 1555.

2106. 1) *De hoc itinere nobis aliunde non constat.*

2) *Famosa illa causa quatuor ministrorum dimissorum per totum annum* 1555 *et seqq. nostros occupavit, quum maxime Farellus eorum defensionem susciperet. Plures deinceps epistolas huius negotii testes habebis, maxime etiam de Farelli consilio agentes cum Blaurero Comitem Georgium adeundi, cui Tossanus enixe resistebat. Quo absente quatuor illi Mombelgardiam venerunt libellum supplicem Comiti oblaturi, verum res ad reditum Tossani remissa est* (*Kirchh. Farel.* II. 126).

3) *Non omnino gratam puta.*

2107.

CALVINUS BULLINGERO.

Gratias agit de auxilio a senatu Locarnensibus praestito. [1])

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Gen. p. 173, Laus. p. 337, Hanov. p. 377, Chouet p. 233, Amst. p. 107. Gallice legitur in edit. Berol. p. 230. Anglice Philad. III. 131.)

Quia in hoc praeclaro humanitatis officio, quod amplissimus senatus vester profugis et miseris fratribus praestitit, relucet singulare pietatis specimen, quamvis prava mundi ingratitudine sepeliatur, nunquam tamen coram Deo excidet eius memoria. Mihi quidem dubium non est, quin rara quaedam Dei benedictio civitatem vestram maneat. Quod etiam laborantibus et perplexis neque tuum consilium, neque assidua hortandi consolandique sedulitas unquam defuit, quia nostras omnium vices obiisti, ego pro mea parte ingentes tibi ago gratias. Vale, ornatissime vir, et mihi semper observande frater. Symmystis et familiae tuae plurimam salutem. Dominus vos omnes regere ac tueri pergat. Genevae, 3. Nonas Febr. 1555.

2107. 1) *Haec epistola, si quid videmus, a Beza ex parte tantum et quidem minima, servata est. Vix enim nobis persuaserimus Calvinum tam paucis tabellionem suum onerasse. Caeterum respondet ad N. 2090. Interea legati Turicenses cum Locarnensibus Curiam se contulerunt, ut his apud Rhaetos recipiendis prospiceretur. Quod et concessum est.* (*Meyer, Loc.* I. 432.)

2108.

FARELLUS CALVINO.

Praeter Dommartini negotium et virginis Rognacensis habet etiam quaedam ad Zebedaeum pertinentia, omnia sueto more piis sermonibus involuta magis quam illustrata.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 119 coll. cum Epp. Bern. VI. p. 151 et 543 ubi bis descripta exstat, et Simleri Vol. 84.)

Insigniori servo Christi Ioanni Calvino pastori ecclesiae Genevensis magno propugnatori veritatis evangelicae fratri et symmystae quam carissimo.
Genevae.

S. Fratres [1]) qui in verbo ministrant magnam tibi habent gratiam quod sanctam doctrinam, quae pure tradita fuit in consensione, strenue tuearis, et ut consensionem et omnia eius capita probarunt, ita et defensionem, optantque te diu tam pia et tam sancta scribere pro gloria Domini et omnium aedificatione.

Zebedaeus comitatu *Angeli* tenebrosi, ducatu vel (nescio) sociatu *Malingrii* [2]) Bernam profectus, ut audio, non tantum te verum etiam alios traducere sategit, quod licentiam dent electis scortandi et quidvis agendi, nihil referre quid agant, excusso omni metu agant ut volunt, servabuntur, nihil metuant. Signarunt aliquot capita [3]) ex quibus te volunt haereticum probare. Nonnihil poteris accipere ex eo qui comitatur *Dommartinum*, [4]) qui tantum non fuit tractus in partes impiorum. Spero exitum felicem, quantumcunque improbi omnia pervertere contenderint. Opto tam feliciter omnia succedere in syndicis [5]) ut in disciplinae approbatione. [6]) Graves habes hostes qui nihil non moliuntur in mala causa ipsorum: sed tu, praeter causam omnium optimam, quem habes ducem et defensorem? Oportet te in duce omnia agere strenue. Causam suam nunquam deseret. Potenter astitit Mosi contra magos omnes, quin et Pharaonem cum suis perdidit, et tam illustre voluit esse legis ministerium. Tibi quis cogitabit defuturum contra magulos istos? Deiici et prorsus confici oportet Antichristum et suos. Quam illustrissimum reddet evangelii ministerium tibi a Christo concreditum. Perge tantum strenue, improbos prosterne, omni lenitate laesis succurre. Quod et facis et facies plenius per Christum, quem pater glorificat et gloria potiori ornabit exaltatum, ut omnes eum invocent suspiciant et adorent.

Non est quod *Dommartini* causam tibi commendem. Video enim quam accurate omnia expedieris quae virgo *Rognacensis* ex te petebat. Huic non fui autor te adeundi. Scio enim quam sis occupatus, sed impedire nolui ultro volentem te invisere, tuumque consilium exoptantem. Nihil poteras gratius facere quam quod iusseris *Raimundum* scribere ea quae vidit et audivit. Si ita perges eris voto meo satisfaciens. Vale bene: Christus in te opus suum perficiat. Iube omnes salvos esse. Nostri omnes te salutant. Neocomi 5. Februarii 1555.

Tuus ex animo Farellus.

2108. 1) *Neocomenses quibus Calvinus Defensionem suam miserat.*
2) *Albonensis ministri, veteris Calvini adversarii, de cuius tamen cum Zebedaeo familiaritate et itinere Bernensi hac occasione suscepto alibi nihil.*
3) *Scil. quae continentur App.* A. N. 2095.
4) N. 1691.
5) *Omnes quatuor nuper electi Io. Lambert, H. Aubert iterum, Petrus Bonna iterum et Pet. Io. Iessé a Calvini partibus stabant.*
6) *Consilium ducentorum d. 24. Ian. decreverat in edictis nihil mutandum esse.*

2109.

POLLANUS CALVINO.

Multus est in semetipso purgando et fucando aliisque notandis et detestandis. Nova ex Germania nunciat, Calvinum arcessit.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 228.)

Clarissimo theologo et fidelissimo Christi servo D. Io. Calvino magistro et parenti in Christo colendissimo.
Genevae.

S. P. Quum nuper amicus quidam sincerus, cuiusmodi paucos hodie reperias, retulisset susurrones vanos nescio quae istic contra me fuisse loquutos, propterea quod non temere quosvis admitto in communionem ecclesiae (quamvis id meum non est privatum sed publicum totius ecclesiae institutum), cogitabam apud me quanta esset humani ingenii depravatio: ut sanctissima quaeque, quum oderit, calumniari audeat. Ego certe, tametsi iam aliquot in locis fuerim etiam cum publico ministerio, si tamen contingeret (quod omen Deus avertat) nos rursum hinc dispelli, ut animus non est unquam procul ab ecclesia vivere, nollem iniuriae loco ducere si a me publica fidei professio exige-

retur. Atque idem facturos omnes bonos et pios nullus dubito.

De quo tamen negotio non agam nunc tecum pluribus, tum quod nuper ad fratrem dilectissimum *Raymondum* [1]) satis prolixe scripsi, tum quod istic fuerit dilectus frater noster *Georgius*, [2]) quem fidum esse arbitror, a quo rem universam fortasse iam intellexisti. Experior ego subinde fucos istos atque errones, istic atque ab Argentina redeuntes aut hinc abeuntes, quasi a Deo invisos, ut explorent quid passim fiat, idque sinistre non sine calumnia ad alios deferant, quo vel ministrorum verbi autoritatem elevent, vel ecclesiarum laudibus detrahant. Neque huius te puto parvam habere experientiam. Imo praeter hos errones saepe accedunt homines secundum faciem spectabiles, ac nihil quam pietatem ipsam spirantes: qui si polleant aliquo dono unde sibi gratiam apud populum comparent, statim tanquam Absalones velint in porta sedere. Id quod *Garnerio* nostro accidisse nimis doleo. [3])

Horrendum dictu quantam Satanae potentiam abhinc annum ego deprehenderim in Transrhenanis plurimis. Qui quum suam impiam cum papistis dissimulationem diutius excusare nequeant, confugiunt ad convicia et calumnias sanctissimorum quorumque ministrorum Dei et ecclesiarum, quo videantur non immerito ab illis abstinere atque cum Babylone pacem inire. Dominus testis mihi est quantam invidiam nuper illac iter ex Anglia huc faciens sustinuerim, quum crabronum eiusmodi bombis adversus quosdam servos Christi non illaudatos resisterem. Quo magis optarem (uti par est nos inprimis apud omnes tueri ministerii dignitatem) sanctum huc syncretismum esse inter omnes qui hodie profitentur evangelium, ut ne verbis eiusmodi hominum temere crederemus, aut etiamsi verisimilia narrarent assentiremus. Ego castigandos eos iudico et admonendos nihilominus fratres et symmystas privatim si res digna videbitur. Sed illi veniunt magnam pietatem prae se ferentes et zelum singularem: quibus quum accedit larva etiam aliqua humana fere fit ut nobis imponant. Hic syncretismus, meo quidem iudicio, permultum faceret ad tuendas ecclesias, quarum pacem his artibus Satan magna vi hodie impetit. Tua porro autoritate perquam facile istud ab omnibus impetrari posse crediderim: atque illud quoque, ne qui ab una ecclesia in aliam abeunt sine testimonio pastorum reciperentur. Quod meum votum, si rectum est, utinam aliquando Deus impleat, ni secus tibi videbitur. Rogo tamen mihi tuum iudicium scribas. Hic enim scrupulus aliquamdiu me torsit. Insuper hunc mihi genium a Deo datum sentio, qui me colaphiset atque humiliet calumniis subinde novis. Rogatum te velim, si quid forte huiusmodi ab invidis et malevolis ad aures usque tuas aliquando perveniat, ut me quam primum admoneas. Ni tuis monitis paruero, nigerrimus exsistam. Scio et novi tuas occupationes. Verum tute nosti etiam quantum onus meis humeris hic Deus imposuerit, in quo sane tuum auxilium denegare non debes. Atque illud ipsum a D. *Farello* et D. *Vireto* postulo, quos, oro, quum videris meo nomine salutes quam officiosissime.

Utinam vestrum aliquis huc ad nundinas accederet. Incredibile quantum id promoveret rem ecclesiae Christi. Saepe de eo cogitavi et sum aliis loquutus, et quo magis cogito ardentius exopto. In novis rebus nihil habemus nisi quod Marchio *Albertus* nuper cum sex equis per Hessiam traiecit in Prussiam, habetque nunc exercitum. [4]) Nostri Saxones non usquequaquam conveniunt. Daniae regis frater episcopus N. repetit a Brunsvicensibus ditiones quasdam, atque iam in armis sunt. Norimbergenses non immerito sibi a Marchione metuunt. Nescio quid mihi pruritus aurium mali portendit ab Anglia et nostra patria. Dominus Iesus motus hos componat in sui nominis gloriam et ecclesiae incolumitatem. Senatus noster, Deo sit gratia, pergit constans in benevolentia erga ecclesiam. Iterum te velim rogatum, si quid habes dignum ut illis inscribas, facies te ecclesiae utilissimum neque illis ingratum. Est enim tuum nomen apud illos in pretio. Bene vale, et me tanquam filium in Christo redama. Francofordiae octav. Febr. 1555.

T. observantiss. discipulus et filius in Christo
V. Pollanus.

2110.

CALVINUS BULLINGERO.

Commendat ei Lismaninum Geneva Turicum proficiscentem.

2109. 1) *Chauvet, ministrum Genevensem.*

2) *Maupas, ludimagister Gallorum Francofordiae.*

3) *Garnerius usque cum quinque illis coetus gallici Argent. litigabat. Ipsi Pollano anno 1554 ineunte Francofordiam advecto senatus urbis Idibus Martiis templum concesserat in gratiam profugorum ubi suas conciones haberent. Mox plures, ex Anglia quoque et Belgio accesserunt et aestate 1555 eorum numerus duo millia superavit. (KG. der Reformirten in F. a. M. mit Vorrede Fresenii. Frkf. 1751.)*

4) *Imo pulsus fugatusque simul edicto publico exterminatus pro tempore nihil audere poterat.*

(Ex autographo Cod. Turic. Arch. Plut. VI. Vol. 166 olim Epp. Tom. 24, fol. 22. Apographa recentiora exstant in Epp. Bernensibus VI. 516 et 544 in duplo, tum in Cod. Genev. 111b, fol. 1 v. et apud Simlerum Vol. 84. Anglice versa exstat in edit. Philad. III. 132.)

Ornatissimo viro et fideli Christi ministro D. Henricho Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori fratri et symmystae colendissimo.

S. Si aliunde ad vos concederet D. Franciscus *Lismaninus*, eum pro tuo more humaniter ac benigne sine mea commendatione exciperes, sicut eius virtutes merentur. Sed quum apud nos habitaverit atque etiam sumpserit uxorem, istuc sine meis literis venire absurdum foret. [1]) Quisnam sit et quam hactenus sequutus sit vitae rationem, ex eo melius intelliges. Nam et integer est et minime fucatus, et testimonia proferet quae fidem eius dictis certam faciant. Quia autem homo non satis alioqui robustus aerem in his partibus expertus est sibi adversum, ne semper cum infesta valetudine luctari necesse foret decrevit locum mutare. Nusquam vero commodior illi habitatio quam apud vos fore visa est. Sicuti apud nos placide honesteque se gessit, ita hospitem vobis tranquillum fore spero. Si aegritudinem, quam illi peperit novum et insolitum vitae genus, deponat, non parum utilis in promovendo Christi regno esse poterit eius opera. Qua in re te fidum adiutorem fore non dubito. Quod de meo ad regem Poloniae responso [2]) tibi famulus eius narraverat, non est quod videre tantopere expetas. Ego enim, qui novi magnatum fastidia, breviter tantum ea capita de quibus fueram rogatus attigi. Quod si voles dimidiam horam in ea lectione consumere, *Lismaninus* ipse, ut arbitror, secum abstulit exemplar, cuius copiam tibi faciet. Unum hoc mihi exciderat: optimus vir, dum ad nos appulit, valde sollicitus erat quomodo apud te excusaret quod in transitu honorifice abs te exceptus officio suo defuisset. Nunc quia idem repetebat quieto animo esse iussi. Vale, ornatissime vir et frater mihi semper observande. Dominus tibi adsit, te gubernet ac tueatur cum familia. Symmystas salutabis nostro nomine. Genevae 9. Februarii 1555.

Ioannes Calvinus tuus.

2110. 1) *Cave credas Lismaninum prius Genevae commoratum inde demum Turicum venisse, et hactenus corrigendum Lubieniecium p. 42 qui contrarium asserit. Vide potius infra.*
2) *deperdito.*

2111.

VIRETUS FARELLO.

Plura et varia obiter et festinanter.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium, Epp. Vireti fasc. IX. N. 5.)

Praestantissimo Christi servo Guilielmo Farello, Neocomensis ecclesiae pastori vigilantissimo fratri et patri suo plurimum venerando.

Neocomi.

S. Quia premit temporis angustia, non vacat multis tecum agere, nec valde necesse est. Nam tabellarius referet quo in statu res Genevensium et nostras relinquit. Laudandus Deus qui retudit impios hostium conatus Genevae. [1]) Quum nuper meis literis scripsissem me simul mittere *Calvini* literas, [2]) mei promissi oblitus sum quum meas obsignarem. Sed bene habet quod literis *Raimundi* eorum fueris admonitus quae literis *Calvini* continebantur de constitutione et confirmatione consistorii. Nunc omnia multo felicius adhuc successerunt. Pii sunt syndici, [3]) de quibus optima spes est, nec minor de duobus illis qui in senatum cooptati sunt. Sed quia haec omnia melius cognosces ex *Calvini* literis et tabellarii narratione, non scribo plura hac de re.

Mitto ad te exemplar articulorum [4]) qui dicuntur oblati a *Zebedaeo* et *Angelo*, cuius mihi copiam fecit *Massuerius:* ex quibus cognosces qua fide isti homines agant cum *Calvino*. Audivi fratrem *Claudium* [5]) animum ad uxorem appulisse, quod vobis omnibus felix ac faustum sit. Uxor et nostri omnes te amantissime salutant. Vale. Lausannae festinanter 10. Febr. 1555.

Tuus Petrus Viretus.

2112.

VIRETUS CALVINO.

Sonerii negotium quo in statu sit exponit, item Zebedaei articulos quosdam mittit.

2111. 1) *Vide N.* 2108 *et Acta senatus ad* 22 *et* 24 *Ian.*
2) *quas deperditas esse valde dolendum.*
3) *N.* 2108 *not.* 5.
4) *N.* 2095 *app.* A.
5) *scil. Farelli, nisi fallimur.*

(Ex autographo Cod. Genev. 111a, fol. 192. Scriptura madore valde pallescit et passim omnino deleta est.)

Eximio Christi servo Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae fido pastori fratri et symmystae plurimum observando.

Genevae.

S. Cognosces ex literis *Sonerii* et *Masuerii* quid querantur et quid a nobis requirant. Videbis quae sint consilia *Sonerii*, quae mihi non satis probantur. Fratres erant in hac sententia ut Morgias usque me conferrem.[1]) Nondum certo statui quid facturus sim. Vereor enim ne quid peccatum sit in bona causa a *Sonerio*. Nosti hominis ingenium magnificum. Gratis tamen illi fit iniuria quidquid ab illo forte peccatum sit. Sed tu nosti quibus patronis utantur nebulones et turbulenti homines qui ad . . . . evertendas ecclesias a Satana emissi sunt. Praefectus Morgiensis dicit se mandatum habere severissimum in *Sonerium*, quo iubeatur Morgiis causam dicere per se ipsum nullo admisso procuratore. Neque impetrari potuit a praefecto ut sibi procuratorem substitueret, quum per morbum vix membra corporis movere possit. Id obtin[*uerat*] primum a praefecto: sed iam hoc illi negatur vocaturque denuo minis additis, quibus minatur praefectus se facturum quod habet in mandatis a principibus, ut scilicet eo advehatur si venire nolit aut non possit, ut fertur. Audio hoc mandatum impetratum a senatu adversus illum, quum in eo quinque duntaxat essent senatores . . . . . . certe exiguus senatorum numerus, idque causam hanc agente praefecto qui noluit *Sylvestrem Sonerii* procuratorem remittere Bernam quum id peteret: sed dixit se praefectus eo iturum ac causam senatui communicaturum. Qua fide id fecerit res ipsa loquitur. Significabis primo quoque nuncio quid nobis putes in hac causa agendum esse, quae omnium quidem communis est, quatenus sana doctrina traducitur et infam[*atur*] a Satanae ministris et ministerium ecclesiae omnium probris obiicitur. Vide etiam quid vestra intersit quum nominatim a nebulone illo ita traducaris.

Mitto ad te exemplar articulorum quos *Zebedaeus* et *Angelus* dicuntur proposuisse Bernae, quale mihi a *Masuerio* missum est. Nescio a quo acceperit. Narravit tibi *Dommartinus* quid de hac causa cognovit ex Bernensi pharmacopoeo. Nihil de ea ad nos Berna scriptum est ex quo illi redierunt. Salutant te nostri omnes, nominatim uxor et tota familia. Gratulamur vobis syndicos et novos senatores successisse ex animi sententia. Dominus illos et vos omnes regat suo spiritu. Vale optime et diutissime. Lausannae.[2]) Febr. 1555.

Tuus Petrus Viretus.

2112. 1) *De hoc negotio Sonerii cum praefecto Morgiensi non habemus quod dicamus. De Guil. Masuerio vide N.* 1168, *not.* 6.

2) *Dies non adscriptus est. Nos ad* 10. *referendam putamus, propter ea quae de Articulis Zebedaei deque Dommartino dicuntur.* (*N*, 2108. 2111).

2113.

CALVINUS RADZIVILIO.[1])

Confirmat eum et laudat in studio evangelii et ecclesiae reformandae hortaturque ut Regem ad idem propositum stimulet.

(Ex thesauro Bezano ed. Genev. p. 160, Laus. p. 338, Hanov. p. 378, Chouet p. 216, Amst. p. 99. Gallica versio Berol. p. 192, anglica Philad. III. 133.)

Illustrissimo Principi, D. Nicolao Radziwil, Duci in Olika et Niessin, Palatino Vilnensi, Magni Ducatus Lithuaniae supremo Marscalco, et Archicancellario, Domino apprime observando.

Quod te, Illustrissime Princeps, in hoc tam excelso honoris gradu positum homo ignobilis et nullius fere in mundo pretii literis meis compello, quamvis audacter id a me fieri non ignorem, quod tamen mihi per te licere non humanitate solum tua, sed maxime pietate fretus confido, longo verborum circuitu non petam ut mihi concedas. Nam ut obscura sit mea conditio, quia tamen unum me agnoscis ex Christi servis, pro tua in magistrum ipsum reverentia patebit aliquis mihi, ut spero, ad tuam Amplitudinem accessus. Iam vero studium meum quod sanctis tuis votis consentit sic probatum iri confido, ut sine alia commendatione satis mihi apud te gratiae conciliet. Quum ubique florere cupiam regnum Christi, nunc tamen me Polonia merito quadam peculiari cura sollicitat. Nam ex

2113. 1) *Nicolaus IV. cognomine Niger, consobrinus Barbarae Radsivil secundae uxoris regis Sigismundi Augusti, concionatoribus ex Polonia et Borussia accersitis Vilnae in suis aedibus evangelium praedicari iussit et in praedio suo vicino Lukiski ecclesiam ev. condidit. Sumptibus suis Biblia in linguam polonicam versa typis mandavit* (*Lub. p.* 33). *Etiam eius uxor firmiter sacris ev. adhaerebat. Obiit a.* 1565 *aut* 1567. *Filii eius quatuor ad pontificia sacra denuo se converterunt.* (*Bayle; Salig A. C.* II. 590.) *Huic Nicolao Calvinus a.* 1560 *Acta App. dicavit.*

quo illic emergere coepit lux purioris doctrinae, laetum hoc initium cum spe melioris progressus desiderium simul accendit. Porro si tantum autoritate polleres, ut facis, ad promovendum verae pietatis statum, mihi iusta hortandi tui incitandique ratio esset, ne tua officia Domino subducens praeclarae eius vocationi deesses. Sed quum probe iam ad tuendam pietatem animatus sis, imo heroica animi magnitudine ostendas, quam serio ac fideliter illius abs te susceptum sit patrocinium, merito haec tua virtus et ad gratias tibi agendas me animat et materiam mihi suppeditat amplioris fiduciae. Quare non te simpliciter obtestor ut similis tui esse pergas: sed etiam ut tecum certando ad victoriam omnium praestantissimam contendas. Multis experimentis non dubito, te quotidie fieri certiorem, quam non supervacua sit haec mea admonitio. Vides procul dubio, quam immensae sit molis opus, coeleste Dei regnum in terra constituere. Vides rursum quam multis obstaculis conetur Satan impedire ac morari, imo quam multis subinde machinis vel clam labefactare tentet, vel palam evertere, quidquid in hoc sacro aedificio inchoatum fuerit. Vides denique quam frigide curetur ista causa, quae non modo primatum in nostris curis tenere, sed omnes sensus occupare debuerat. Hoc postremum vitium inde nascitur, quod omnes fere, dum gratuitam operam se Christo navare putant, alio se magis convertunt, unde vel spes lucri vel laboris merces ac pretium ostenditur. Tuae vero prudentiae est, Illustrissime Princeps, primum cogitare, nihil te praestare Deo, quod non iure ut sibi debitum reposcat: nec solum quia totus es in aere ipsius, sed quod eo te sibi magis devinxit, quo in altiorem extulit dignitatis gradum: deinde praemium tibi ab eo non vulgare proponi quum dicit: Qui mihi honorem detulerint, eos ego vicissim honore prosequar. Ergo ut incolumem et diuturnum domus tuae statum conservet, quoad poteris ad illustrandum eius regnum enitere. Quanquam autem Serenissimum Regem intelligo satis esse voluntarium, ut tamen vides in rebus perplexis non adeo properare, hoc tibi oneris divinitus impositum esse memineris, ut non comes solum et adiutor sis eius Maiestati, sed etiam cunctantem stimules, atque etiam ubi ita flagitabit necessitas praecurras. Neque enim inique feret, opinor, ad quam adspirat metam, aliorum fervore incitari. Vale, Illustrissime Princeps, mihique vera observantia colende. Dominus te regat spiritu suo, virtute sustineat, tuamque dignitatem diu servet incolumem. Genevae, Idibus Februarii. 1555.

Ioannes Calvinus tuae Amplitudinis studiosissimus.

2114.

LES MINISTRES DE GENÈVE AU SÉNAT DE BERNE.

Ils se plaignent de nouveau des calomnies et attaques de la part de certains ministres Bernois.

(Copie. Collection de M. le colonel Henri Tronchin, à Lavigny. Lettres fr. II. 7. Traduction angl. III. 186.)

Magnificques puissans et tres redoubtez seigneurs, apres vous avoir presente nos humbles recommandations et services, nous vous prions de nous excuser si derechef [1]) nous sommes contrains a recourir vers vous, a ce quil vous plaise de remedier tellement aux scandales dont nous vous avons escrit par cydevant, que nous puissions servir a Dieu en bonne concorde avec les prescheurs de vostre pays, et que vos subiects ne soyent point mal edifiez par les mauvais bruicts qui se sement sans nulle raison, ne couleur. Vray est que pour ung temps nous avons espere que le mal sen alloit assoupir, mais nous avons tantost este frustrez de nostre attente, car il empire plus que iamais, en sorte quentre les papistes nous ne sommes pas tant diffamez quen beaucoup de lieux de vostre pays. De nostre coste, nous serions prests a porter patiemment telles iniures, sinon que le nom de Dieu en est par trop blaspheme, lEvangille est en opprobre, les povres infirmes en sont troublez, les malins, soubs umbre de mesdire des personnes, ont licence de pervertir toute la religion. Ainsy nous ne pouvons dissimuler, sans estre lasches et defaillans a nostre debvoir. Or nous ne doubtons point que les malveillans qui troublent ainsy lEglise, en detractant de nous iniustement, ne soyent assez hardis pour abbreuver vos aureilles de leurs calumnies, lesquelles sont si frivolles, que quand il vous plaira den cognoistre sans long circuit, vous verrez a loeil le tort quon nous fait, et serez esbahis de laudace de telles gens: et encore ils nont point honte de controuver imprudemment ce qui ne fust iamais pense. Cependant nous ne desirons point quon nous supporte en couvrant nos fautes. Plus tost nous requerons que si nous sommes cogneus coupables, quon nespargne point nostre honneur, ne mesme nostre vie. Et afin que vous cognoissiez, magnificques seigneurs, que nous ne cerchons nul subterfuge, combien que nous ayons a respondre de nostre vie et doctrine devant nos seigneurs et superieurs, toutesfois suivant ce que nous avons

---

2114. 1) *Voyez N.* 2020. 2051. 2073. *Le* 14 *février Calvin demanda et obtint la permission d'écrire la présente lettre* (*Reg. du Conseil*). *Chauvet en fut le porteur.*

touiours proteste, mesme par premier conge quils nous ont octroye a nostre instante requeste, nous sommes prests de rendre compte devant vous de tout ce quon nous pourra reprocher, comme si nous estions vos propres subiects. Mandez nous quand il vous plaira: vous verrez que la bonte de nostre cause nous donne confiance que nous ne craindrons point de vous avoir pour iuges, cognoissans que vous estes princes chrestiens, qui ne vouldriez souffrir que la verite fust oppressee. Seulement que nous soyons ouys, et il nous suffira. Et puisquil est question de la doctrine, vous supplions au nom de Dieu quil vous playse ordonner quelque bonne voie ecclesiastique, soit par synode ou autrement, ou le tout soit cogneu pour en bien decider. Nous esperons bien que vous trouverez cest office tant equitable, que vous ne refuserez point de savoir qui a tort ou droit. Car quand nous ne le requerrions point, lhonneur de Dieu, la paix de vos Eglises, le salut de vos subiects, le repos et prosperite de vostre estat vous y doyvent solliciter.

Parquoy nous tenans asseurez destre admis a prouver nostre integrite, selon nostre requeste, pour le present, nous ne vous fascherons point par plus long recit de ce qui vous sera alors assez liquide. Seulement nous vous prierons que vostre playsir soit nous faire entendre vostre bon vouloir. Et sur ce, magnificques, puissans et tres redoubtez seigneurs, apres nous estre derechef tres humblement recommandez a vos bonnes graces, nous prierons nostre bon Dieu de vous avoir en sa protection, vous gouverner par son saint Esprit et vous augmenter en tout bien. De Geneve, ce 15. de febvrier 1555.

Vos humbles serviteurs,

Les Ministres de la parolle de Dieu en lEglise de Geneve.

2115.

LES MINISTRES DE LAUSANNE AU SÉNAT DE BERNE.

Ils se plaignent des calomnies répandues contre eux et Calvin par les amis de Bolsec, et demandent justice. [1])

2115. 1) *Il est plus que probable que cette démarche des ministres a été concertée avec Calvin. Comparez la lettre précédente.*

(Copie contemporaine. Bibl. de Genève. Carton 197aa.)

Grace et paix par nostre Seigneur Iesus Christ.

Tresredoubtez et magnifiques Seigneurs. Combien quil soit impossible, comme Iesus Christ nous enseigne, quil n'y ait des scandales dans l'Eglise, toutesfois si noz souhaits et prieres ordinaires eussent peu avoir lieu nous ne serions pas maintenant contraints de vous importuner en un affaire duquel nous ne doubtons que naiez receu grand desplaisir et fascherie. De nostre part aussi Dieu nous est tesmoin comme nous avons tousiours tasche dentretenir la paix et concorde principalement en la doctrine, et quelle douleur nous portons non seulement de veoir ce que nous voyons, et d'ouyr ce que nous oyons tous les iours, mays aussi de preveoir la ruine et dissipation qui sen ensuyvra s'il ne plaist a voz excellences d'y mettre la main a bon escient. Or combien que nous ne doubtions aucunement du soin et desir qu'avez de ce faire, toutesfois nous avons bien voulu faire nostre debvoir et vous supplier que pour lhonneur de Dieu et pour la conservation de voz paovres Eglises il vous plaise trouver quelque bon moyen pour une foys vuider ce different, soit que vous trouviez estre le meilleur de confermer de nouveau la doctrine qui est le fondement de vostre reformation et que nous avons preschee en edification et sans contredict depuis le commencement iusques a la venue de *Hierosme* medecin de Thonon qui a este le premier motif de ces troubles, soit quil vous plaise de confronter avec nous ou aultres telz que vous adviserez ceux qui, apres avoir leu les livres et approuvé par lespace de vingt ans la mesme doctrine quils reprennent maintenant, ont pris ceste occasion de troubler l'Eglise qui estoit au paravant paisible. En apres quil vous plaise aussi remedier aux calumnies et accusations controuvees contre les fideles serviteurs de Dieu. Car en cecy, magnifiques Seigneurs, nostre debvoir porte que nous vous advertissions quil n'est point question seulement d'aulcuns ministres lesquelz nous esperons que cognoistrez a la fin pour telz quilz sont, mais de la pluspart de voz peuples de par deca: attendu quil ny a a grand peine ny taverne ny banquet la ou ces propoz ne sont mis en avant, et ou les arrests n'en soient donnez voire au preiudice de la saine et veritable doctrine et avec grands opprobres et iniures contre les fideles serviteurs de Dieu et nomméement a lencontre de nostre frere Iehan *Calvin*, qu'on n'a point honte d'appeller heretique en pleine iustice, quelques mandement que voz seigneuries ayent faict au contraire. Or sil n'y avoit que ce seul homme interessé et sa personne, encores seroit il enduré patiemment pour l'honneur de Dieu, combien que

cest une grande vergongne qu'un homme qui a tant bien et heureusement employé les graces excellentes que Dieu luy a données, soit ainsi blasmé et calumnié à tort, entre ceux qui font profession de l'Evangile, mais dautant que ces opprobres et calumnies evidentes sont encontre la doctrine iusques icy paisiblement annoncée par deça, nous prenons cecy comme s'addressant aussy à nous, ou plustot droitement à Dieu, daultant que nous savons tresbien et de bouche et par escript qu'en l'Eglise de Geneve et nomméement es livres dudict *Calvin* ne se pourra trouver rien qui ne soit conforme à la doctrine que voz excellences ont tousiours advouée et advoueront comme nous esperons, et qu'au contraire, sil vous plaist l'ouyr avec ceux qui se sont advancez de luy imposer des choses ou nous estimons qu'il ne pensa onques, vous aurez ung vray moyen de cognoistre et juger a la verité qui sont ceux quon doibt tenir pour annonciateurs et semeurs de faulse doctrine, afin qu'estant cogneuz ilz soient puniz et chastiez comme ilz le meritent. Ce que nous desirons de tout nostre cueur pour ladvancement de la saincte parole de Dieu et pour appaiser les consciences des infirmes et purger l'Eglise des hypocrites et perturbateurs d'icelle. Et pourtant, magnifiques et tresredoubtez seigneurs, nous vous supplions humblement que de bonne heure, et devant que le feu soit plus allumé, il vous plaise pourveoir à ces scandales selon que Dieu l'a ordonné et comme nous esperons quil vous en donnera les moyens, estans tous prests de nostre part, autant qu'il nous sera possible, d'obeyr à tout ce qu'il vous plaira nous commander.

Magnifiques et tresredoubtez seigneurs, nous desirons d'estre humblement recommandez a voz excellences, apres avoir prié nostre seigneur Dieu quil luy plaise par sa saincte grace vous maintenir et fortifier de jour en jour a ladvancement de son royaume et destruction de Sathan et de tous ceulx qui se bandent contre la saincte verité de Dieu. De Lausanne ce xviij[e] jour febvrier 1555.

2116.

BALDUINUS CALVINO.

Argentoratum advectus sine mora eum de adventu suo certiorem facit et optima quaeque promittit.

(Ex impresso. Calvinus edidit loco saepius laudato p. 50.)

S. Eripui me tandem aliquando [1]) ut potui, vir clarissime. Superest ut quo consilio profanum auditorium collegiumque reliquerim, quo studio, quo religionis amore, re quoque ipsa ostendam, et si quam tu de me olim spem bonam concepisti, eam ego etiam superare contendam. Certe etsi multos habeas viros magnae non solum spei, sed etiam rei, qui tua signa sequuti christianae militiae nomen dederunt, tamen si minus imitatione possum eos consequi, voluntate saltem proxime accedam. Scripsi haec ad te adhuc de via fessus, [2]) quum hospitium mihi suum humanissimus vir D. *Petrus Martyr* [3]) obtulisset. Ubi de rebus meis aliquid constituero, [4]) scribam ad te copiosius et ad amicos, quos interea meo nomine salutari valde velim. Vale. Argentorati x. Calend. Mart.

Rochius tuus.

2117.

LE BAILLI DE MORGES AU CHATELAIN DE ROLLE.

Il lui transmet un arrêté du sénat de Berne par lequel il est défendu aux sujets et habitants du pays de Vaud d'aller communier à Genève. [1])

(Copie contemporaine. Bibliothèque de Genève. Carton 197[aa].)

2116. 1) *a Biturigibus. Heveling p.* 9: In schola Argentinensi m. Martio 1555 Balduinus munus docendi auspicatus est oratione solemni, quam *Iuris civilis scholam Argentinensem* inscripsit (*Arg.* 1555). Quae quidem oratio magna arte composita est . . . . . Ea denique contentio illa inter B. et Duarenum denuo est incensa. *Idem p.* 8: Hac epistola se Bituricas dereliquisse Calvinum facit certiorem. — — — Videtur B. Calvini consilio adiisse professionem Argentinensem. Initio Tubingam ire constituerat, sed certior factus professionem Tubingensem sortitum esse C. Molinaeum (?) mutato consilio Argentoratum discessit *etc.* (*Biga resp. p.* 162). *Cf. etiam quae ex diario Marbachii ad 7 Mart. excerpimus infra N.* 2129 *not.* 7.

2) *Ergo ante habilitationem.*

3) *Qui cum Sturmio rectore apud Scholarchas Balduini vocationem procurasse videtur. Sane illo tempore Argentoratensibus nihil innotuerat circa eius ap. Bituriges sive suspectam fidem sive defectionem. Mox vero Beza Martyri eum atro carbone notavit et ipse iam a.* 1556 *Argentorato excessit.*

4) *Nihildum ergo de professione constitutum fuisse videtur, saltem quoad ipsius consilium.*

2117. 1) *Voyez N.* 2097.

Antoine Wiermand ballif de Morges.

Chastelain de Rolle salut. De noz souverains princes avons receu letres dattees du 26. iour du mois de Ianvier l'an 1555, par lesquelles nous ont mande: ont entendu que soubz la charge de nostre office et en ce ballivage a des personnes lesquelz des ceremonies ecclesiastiques par nosdicts Princes ordonnees de celles ne se contentent, ains vont recevoir la cene de nostre seigneur à Geneve de *Calvin* et a autres lieux que la ou ilz resident et dehors de leurs paroisses et soubz autres noms que ceux par nos dicts princes sont ordonnes: que grandement leur deplait. Dont leur volonte est telle que tous ceux qui resident en leur pais et seigneurie, soyent François Italiens Alemans et autres nations quelle quelle soit, que cela feront et que ne se contenteront des ordonnances de nosdicts princes faictes, doigent estre bannis et chasses hors de leur pais terres et seigneuries. Et si aucun du pais leurs subiectz aussi faict cela, et que ne se contente des ceremonies par nosdits princes ordonnees et establies, iceux des incontinent auront cela faict soient remis et envoyes par devant nosdicts seigneurs à Berne. A ceste cause suivant la volonte de nosdits seigneurs vous mandons et bien assertes commandons avecques ces presentes faire publier, affin que nul ne se puisse excuser d'ignorance, et aussi tenir main et avoir regard sur ceux qui transgresseront et contreviendront a ceste presente ordonnance sus peine estre reprins. Et sur ce ung chascung sache conduire. Donne soubs nostre cachet le 20. iour du mois de fevrier l'an 1555.

Warneris.

2118.

CALVIN A L'ÉGLISE DE POITIERS. [1]

Il se défend contre les calomnies d'un certain De la Vau et saisit cette occasion pour reproduire ses griefs contre Bolsec, Chasteillion et Trolliet.

(Copies Bibl. de Genève. Vol. 107. fol. 58; 108. fol. 88; Berne VI. 391. — Ruchat VII. 316. — Henry II. 8. Bonnet II. 10. Trad. angl. III. 138.)

La dilection de Dieu notre pere, la grace de nostre seigneur Iesus Christ soit tousiours sur vous par la communication du S. Esprit.

Treschers Seigneurs et freres, comme ie scay que vous avez tousiours besoing destre exhortez et consolez en voz troubles et fascheries, iaymerois beaucoup mieux, si cestoit a moy a choisir, prendre cest argument en vous escripvant, que duser dexcuses pour nous iustifier, tant moy en particulier que tout le corps de nostre Eglise, contre les calomnies dont iay entendu quung nomme monsieur *de la Vau* [2]) nous charge iniustement et diffame par dela. Car il pourroit sembler que nous aions trop de soulcy de maintenir nostre bonne reputation, et quil vauldroit mieux en oubliant noz personnes, mettre peine a vous instruire, sans estre en soulcy de ce quon dit et pense de nous. Or, ie confesse quil nous fault porter patiemment beaucoup de faulx blasmes, [3]) et nous taire quant on mesdit de nous, comme aussi tout le monde veoit que nous pratiquons ceste doctrine. Car aultrement il nous fauldroit tousiours avoir la plume en la main, veu que beaucoup de mesdisans ne cessent de nous denigrer tant quilz peulvent. Et sans aller plus loing, on orra icy assez diniures et murmures contre nous, desquelles toutefois nous ne faisons pas

---

2118. 1) Lettre sans adresse. En tête, d'une main étrangère: ***A une Eglise calomniée.*** Mais ce titre est inexact, la lettre de Calvin n'etant au contraire qu'une réponse à des calomnies dirigées contre l'Eglise de Genève et contre le réformateur.

A quelle Eglise cette lettre est-elle adressée? Trois motifs principaux nous portent à croire que c'est à celle de Poitiers.

1° Nous savons, par le témoignage de Théodore de Bèze (*Hist. eccl.*, t. I. p. 101), qu'en l'an 1555, la communauté naissante de Poitiers fut troublée par les prédications d'un disciple de Sébastien Castalion, „renommé pour ses hérésies." C'est le même personnage, M. de la Vau, dont se plaint amèrement Calvin, et qu'il désigne à plusieurs reprises comme ayant pour maître et pour complice „un phantastique, nommé Sébastian Castalio."

2° Le ministre Jean Vernou, cité par Calvin comme ayant repris M. de la Vau à Genève, était lui-même originaire de Poitiers, et l'un des premiers disciples du réformateur dans cette ville.

3° L'Eglise réformée de Poitiers dut son origine aux prédications de Calvin lui-même. Voir la note, t. I. p. 431. C'est ce que le réformateur semble rappeler dans ce passage: „Ie noteray seulement deux maux qui pourroient advenir, si nous dissimulions en cest endroit: l'un est que vous seriez desgoustez, et en la fin du tout aliénez de la doctrine *que vous avez receue de nous en partie, puisqu'il a pleu à Dieu se servir de nostre labeur à vostre salut.* Le second est que nous qui devons estre conjoints ... serions séparez, et comme un corps déchiré par pièces." (*Bonnet*). ***Nous ne pouvons qu'adopter l'opinion du savant éditeur des Lettres françaises.***

2) *Ce même individu reparaît en* 1559: Sur le récit du ministre de Poitiers il fut dit que quant à Lavau qui fait des schismes et dogmatise, enseignant et écrivant dès longtemps pour établir des heresies manifestes, les freres l'appelleront au prochain synode provincial, s'ils le trouvent bon, ou confereront avec luy (*Aymon, Syn. nat.* I. 8). *Lièvre, dans son hist. des Prot. du Poitou, n'a sur lui d'autres renseignements que ceux fournis par la présente lettre* (I. 54).

3) blasphemes *Bt.*

grand bruit, sachans quil nous fault passer par la, a lexemple de ceux qui ont, sans comparaison, mieux vallu que nous, et que cest a ceste condition que Dieu nous a appellez a son service. Mais pource que ce pauvre homme qui tasche a se faire valoir en nous accusant, peult avoir credit iusques la envers aulcuns de vous, de les troubler, et par ce moien semer une zizanie mauvaise de discorde, si ie ne taschois de remedier a ung tel mal, ie naurois nul soing de vostre salut. De faict ie ne regarde pas tant a lhomme qui est transporte dune folle ambition, qua lastuce de Satan et a ce quil machine.

Ie noteray seulement deux maux qui pourroient advenir, si nous dissimulions en cest endroit. Lung est que vous seriez degoustez et en la fin du tout alienez de la doctrine que vous avez receue de nous en partie,[4]) puis quil a pleu a Dieu se servir de nostre labeur a vostre salut. Le second est que nous qui debvons estre conioinctz pour prier Dieu les uns pour les aultres, serions separez, et comme ung corps deschire par pieces. Combien que ce pauvre homme, *La Vau*, naict que sa folle gloire, qui luy esblouit les yeux, sans quil sente le mal et dommage quil faict, toutefois en bien poisant une certaine letre quil a escrite par dela, vouz verrez clairement que Satan la poulse et conduit, tant pour vous desbaucher en destruisant le fruit de nostre labeur, qui estoit pour ladvancement de vostre salut, que pour rompre la saincte[5]) union que nous debvons de tout nostre pouvoir nourrir et garder. Or pource que iay a respondre a ung homme qui a converse avec vous, ie ne puis obvier aux scandales quil a voulu susciter, quen vous touchant en bref de ce quon peult veoir en sa personne.

Il a tousiours este congneu de gens entenduz ung homme oultrecuyde, iusques a se rendre ridicule. Et pleust a Dieu quil se fust mesure selon sa petitesse. Car il ne trouveroit point dequoy se priser. Mais il fault que le proverbe soit verifie en luy, quon ne veoit gens si hardiz que les ignorans. Ainsi la peste qui est la plus mortelle en lEglise de Dieu, domine par trop en luy, ascavoir folle presumption. Et pource quil bataille contre nature, voulant faire du docteur, il fault quil soit aveugle au double. Quelque excellent que soit ung serviteur de Dieu, tant plus doit il cheminer en crainte, sachant quil na rien de son propre, et quil est tant plus tenu a Dieu, duquel il a tout receu: pensant aussi daultre coste a ce quil luy default. Mais si ung homme qui na dequoy, est si insense de se vouloir faire grand, il semble quil veuille despiter Dieu et le monde. Au reste ie pense que ce pauvre glorieux, pour maintenir son credit, de propoz delibere se soit attache a ceux qui ont quelque renom et estime entre les enfans de Dieu: comme si par cela il se promettoit estre fort habile homme. Mais il me faict mal quavec ceste mauldicte cupidite il soit devenu si impudent a mentir, quil fault que toutes gens modestes rougissent pour luy. Iayme mieux estre sobre a parler de luy, afin den moins dire que vous nen congnoissez par experience. Ainsi ie viendray au simple faict, sinon que ie noteray en passant combien il se monstre insense en se cuydant glorifier. Il se vante destre separe davec nous. Ie vous prie qui est il luy seul, tel quon le congnoist, ie ne dy pas au pris dune telle compagnie que Dieu a icy, mais de tant dEglises ausquelles il soppose? Car il nest point question seulement de Geneve, mais en la fin il condamne en general toutes les villes ou Dieu est invoque, affin destre estime tant plus vaillant, en se declairant ennemy de tous. Mais le principal est de scavoir si cest a tort ou a droit.

Il se plaint questant arrive en ceste ville pour avoir tenu certains propoz qui ne nous venoient point a gre, il fut regarde de travers, et quen la fin il fut appelle chez moy devant beaucoup de gens. Mais il ne dit pas quelz propoz il avoit semez, tellement quil avoit scandalise beaucoup de bons fideles tant hommes que femmes. Il ne dict pas aussi quil sestoit frotte parmy toutes les brebis rongneuses, quil alloit flairant ca et la toutes les ordures pour y mettre le nez, quil saccouploit a tous ceux quil congnoissoit estre mal renommez, iusques a traverser le lac pour chercher ung heretique qui a este banny dicy.[6]) Il ne dict pas que desia on murmuroit de nostre patience trop grande, en ce quon luy souffroit de iecter ainsi ses propoz extravagans. Car en ce quil dict quon incita ma dame la conseillere de *Chinon* de le chasser hastivement de son logis, il ne fauldra aultre tesmoing quelle pour le redarguer. Et quel tort luy fist on de lappeller? Nous avons icy le consistoire ou on appelle ceux qui ne veulent point ranger a lordre commun. Nous le pouvions faire la venir du premier coup. Pour lespargner nous voulusmes bien deviser en maison privee avec luy. Il se plainct que cestoit devant beaucoup de personnes, voire comme il luy fut remonstre, qui tous estoient de ses amyz anciens et de son pays, et qui se sentoient offensez de luy. Et le tout tendoit a ceste fin quil se reconciliast avec ceux qui estoient faschez de ses mauvais propoz, et qui avoient desia tasche a le reduire: mais ilz y avoient perdu leur temps.

4) *N.* 1977. 2005 *Livre* I. 33.
5) simple *Bt.*

6) *Jérôme Bolsec, à Thonon.*

Quant a ce quil se plainct que ce fut a faulses enseignes, ie confesse quil ny eut point de citation libellee, mais on luy faisoit trop dhonneur quung de noz freres lallast querir. Et en cela voiez vous tant la malice que lingratitude de lhomme, et tousiours son orgueil mesle: daultant quil ne se contente pas de ce quon le pria de venir vers nous pour ouir ce que nous avions a luy communiquer. Mais voila ce quon gaingne a oindre ung villain, comme dict le proverbe. Quant a ce quil dict que liniuriay, iay plus de vingt cinq bons tesmoings que iamais ne meschappa ung mot de cholere contre luy. Qui plus est, sa fierte donnoit ung tel lustre a lhumanite et modestie dont iusay pour lors, quil ny avoit celuy qui nen fust despite en soy. Cependant vous eussiez dict quil estoit ung Roy de cartes a mespriser et reiecter tout le monde. Ie vous en allegueray seulement ung exemple. Nostre frere M^e^. Iehan *Vernou*,[7]) luy remonstra paisiblement et avec douceur la bestise en laquelle il persistoit. Il luy amena telles raisons que le pauvre homme, sil eust eu une goutte de sens, devoit estre assez convaincu. Pour tout payement il luy dist quil estoit trop ieune. En sorte quaucuns de mes freres furent contrainctz luy dire que cestoit a sa plus grande vergongne, quung ieune luy fust si bon magister, et que luy fust si mauvais escholier. Encores ce pauvre esvente sose il bien vanter de nous avoir tellement vaincuz, que nous navions dequoy repliquer contre luy. Or a lopposite pource que lung des articles estoit quil ne trouvoit pas bon que ieusse escrit que les peres polluent leurs petitz enfants, les presentant aux superstitions qui regnent en la Papaulte, on luy amena des raisons qui le debvoient contenter tant et plus: ascavoir que le nom de Dieu, son Temple et les Sacremens sont bien polluez par ceux qui en abusent. Et comme le pere sanctifie son enfant, le dediant a Dieu, aussi il le souille en le prostituant aux superstitions qui sont a condamner, et aultres semblables. Luy comme ung docteur superlatif respond: Voila, il me semble aultrement. Allors il fallut que ie luy disse: Ie croy, Monsieur *de la Vau*, que ie pourrois avoir quasi aultant dauthorite que vous pour alleguer mon semblant et mon advis; mais ia Dieu ne plaise que ie lasche tant la bride a mes fantasies. Et aussi il nest point icy question de nostre cuider et oultrecuider, mais dobeir simplement a ce que Dieu nous monstre. Tant y a quil ayma mieux estre impudent que dacquiescer a la verite. De faict il me souvient questant en ung soupper, il y a quatre ans passez,[8]) pource quil avoit follement afferme quau iour de la resurrection la gloire sera esgalle aux enfans de Dieu, quant ie luy eu allegue un passage de S. Paul du tout repugnant a cela, se voiant confuz, il neut point honte de me dire: Et bien cest ung passage de S. Paul. Que feroit on a ung tel frenetique qui ayme mieux heurter des cornes contre Dieu, que de shumilier en confessant son erreur?

Vous voiez desia, mes freres, en partie les causes du divorce qua faict ceste beste sauvaige avec nous. Ie lappelle beste sauvaige, affin que nous prions Dieu quil luy plaise de lapprivoiser en son trouppeau, luy faisant sentir sa pauvrete. Notez maintenant ou il se vante de sestre retire. Il allegue pour ses complices ung fantastique nomme Sebastian *Castallio*,[9]) auquel il en conioinct deux aultres[10]) quil dict estre lecteurs publiques a Basle. Sil pretend donner credit a ses challans soubz umbre de la ville, quelle mocquerie estce de ne tenir compte de tous les ministres et pasteurs, et pareillement des docteurs en theologie, lesquelz il congnoist estre conioinctz avec nous? Mais ce pendant il ne dict mot quen la ville de Basle, des cayers, des livres de son *Castallio* ou il vouloit impugner nostre doctrine touchant la predestination, ont este condamnez avec defence de les publier sur peine de la teste.[11]) Affin de nestre trop prolixe ie vous

---

7) *Jean Vernou de Poitiers doit avoir été gagné à la Réforme par les prédications de Calvin, lors du séjour du réformateur dans cette ville. Il se retira depuis à Genève, d'où il partit en Août* 1555 *avec* 4 *autres* dans l'intention d'annoncer l'evangile où il plairoit à Dieu les appeler (*Hist. eccl.* I. 97). *Ils furent arrêtés et brûlés à Chambéry. L'histoire des Martyrs donne quelques lettres de lui. M. Bonnet parle d'une lettre à Calvin du* 22. *Avril* 1554 *que nous n'avons pas trouvée. S'agirait-il du N.* 2189?

8) *La Vau a donc été à Genève dès* 1550 *ou* 1551.

9) *Le portrait que Calvin fait de La Vau autorise ce rapprochement. Dans les Actes du Synode de Paris il est dit de lui:* il disoit que l'Heretique ne devoit pas être puni comme heretique mais comme perturbateur de l'ordre politique s'il n'y avoit autre faute que celle-là. (*Aymon l. c.*)

10) *Borrhaus et Curio.* (*N.* 1938. 1973. *Mähly Cast. p.* 43).

11) *Comp. N.* 1985. *Beza de aet. Dei praed. contra Seb. Cast. in Tract. theol.* I. 384.: Quod alicubi nugaris contra destinationem Dei fieri multa, totum hoc Basiliensis ecclesia ex verbo Dei ut sacrilegam blasphemiam merito iam pridem est exsecrata. . . . . Ille quaternio annotationum tuarum in ep. ad Romanos quem a Basil. ecclesia optimo iure damnatum tui tamen per omnes ecclesias spargere non destiterunt. — *Idem contra Seb. Cast. defensiones quibus suam N. T. interpretationem defendere conatus est, in Tract. theol.* I. 431: Omnes norunt ab academiae praefectis edictum esse ut in tuae professionis finibus manens a theologicis rebus abstineres. Sed quam sancte praestiteris quod tunc promisisti res ipsa declarat: ea nimirum fide qua iam antea usus es quum tuas in cap. ix. ad Rom. annotationes ab iisdem theologis damnatas non modo distrahi sed etiam gallice conversas istic prostare et venire patereris. — *Castellio de Praedest. ad M. Borrh.*: Quum olim meam hac de re sententiam scripsissem in Ann. ad cap. 9 ad Rom. vos censores annot. illam iam excusam, iamque unis nundinis una cum Bibliis distractam, tollendam curastis de Bibliis. *Cf. Castellionis dial IV. in ej. Opp. Gou-*

diray en ung mot, que les trois quil allegue saccordent ensemble comme chiens et chatz, ainsi que leurs propres livres le monstrent. Seulement ilz ont conspire en une chose quon ne doit point punir les heretiques. Et cest affin davoir licence de desgorger tout ce que bon leur semblera. Car telles gens seroient contens quil ny eust ne loy, ne bride au monde. Voila pourquoy ilz ont basty ce beau livre *De non comburendis haereticis,*[12]) ou ilz ont falsifie les noms tant des villes que des personnes, non pour aultre cause sinon pource que le dit livre est farcy de blasphemes insupportables, iusques a dire que si Iesus Christ veult quon punisse ceux qui auront blaspheme contre luy, il seroit ung second idole Moloc.[13]) Ie laisse la leur belle maxime:[14]) Quil fault souffrir toutes disputes contraires, pource quil ny a rien de certain ne resolu, mais que lEscriture est ung nez de cire: tellement que la foy que tous Chretiens tienent de la Trinite, de la Predestination, de la Iustice gratuite, sont choses indifferentes, desquelles on peult debattre a plaisir. Toutefois quant a la poursuyte quil dict que nous avons faict pour mener telz blasphemateurs au gibbet, ie vous asseure quil ne fait que mentir. Mais ie vouldrois bien scavoir depuis quel temps il sest advise dadherer a *Castallio* en cest article, veu questant par deca sans en estre requis, il faisoit du grand zelateur contre luy. Et ne fault quil dise quil fut solicite par ung sien amy, a nostre instance, de tirer les vers du nez de ceux desquelz il sest soudain accointe. Car combien que nostre frere, maistre Iehan *Vernou,* le pria familierement den scavoir la verite, ce nestoit sinon pource quil ne pouvoit croire que le bruit commun fust vray: ou bien quant *la Vau* les eust congneu estre autheurs dung livre si meschant, que sans plus long proces, il les detestast, combien que cela se fist sans nostre sceu. Tant sen fault quil y aict occasion de nous accuser de subornement. Vous pourrez veoir consequemment par sa letre quelles belles lecons il a apris en ceste nouvelle eschole, pour me diffamer avec toute nostre Eglise. Il dict quil fault que tout le monde me baise icy la pantoufle. Ie croy que vous avez assez de tesmoings quelles pompes ie mene, et comment iappete quon me face la court. Ie suis bien asseure que sil pouvoit tenir ma place, il feroit bien aultres morgues. Car puis quil est si enfle, nestant rien, il fauldroit bien quung degre acquis le fist crever du tout. Mais il monstre quelle beste venimeuse il est, estant si marry de veoir icy tout en bon accord. Car voila quil appelle baiser ma pantoufle, quon ne sesleve point contre moy et la doctrine que ie porte, pour despiter Dieu en ma personne, et quasi le fouller aux piedz. Ceux qui sont ainsi ennemys de paix et union, monstrent bien quilz sont poulsez de lesprit de Satan. Il me reproche que ie faiz authoriser mes livres a ce que nul ne soit si ose ne si hardy den mesdire. A quoy ie respons que cest bien pour le moins que les seigneurs ausquelz Dieu a donne le glaive et authorite, ne permettent point quon blaspheme en leur ville contre la foy en laquelle ilz sont enseignez. Mais il va bien que les chiens qui abbayent tant apres nous, ne nous peulvent mordre.

Mesmes affin que limpudence de cest homme vous soit descouverte en tout et par tout, sachez que ce quil dit dung nomme *Barbery* est du tout controuve. Vray est que ce pauvre *Barbery,* oultre ce quil est volaige, sest transporte de vanite et ambition a tenir quelques propoz extravagans: mais iamais on ne lui a faict pis que de luy remonstrer ses faultes entre nous. Et combien que par plusieurs fois il soit retombe, si estce que luy mesme dira que nous lavons aultant supporte quung petit enfant. Au reste il a touiours, quant a nous, icy habite paisiblement. Et *la Vau* vous faict acroire que nous len avons chasse. Ia a Dieu ne plaise que ie cherche revenche contre luy. Car oultre ce que ie le puis mespriser selon le monde, Dieu ma faict la grace destre comme endurcy a telles detractions. Mais si fault il que ie dise ce mot quil mest aultant licite, et me doit estre aussi bien permis destre zelateur pour maintenir la doctrine que ie porte, puis que ie la congnois estre de Dieu, comme il se donne licence de plaider pour son ventre. Comme de faict il ny a aultre raison qui le poulse a chercher les desguisemens quil controuve

---

dae 1613 *p.* 254. *Trechsel* I. 214. *n'en dit que bien peu de chose, Mähly p.* 37 *parle d'une interprétation du 9e Chap. aux Cor. Enfin M. Bonnet rapporte aux attaques dont il est question ici l'opuscule de Calvin:* Brevis responsio ad diluendas nebulonis cuiusdam calumnias, *qui ne parut qu'en* 1557 *et non en* 1554.

12) *On voit que Calvin n'est pas encore au clair quant à l'auteur.*

13) *De haereticis an sint persequendi Bellii praef. p.* 25*:* Quis non putet Christum aliquem esse Molochum aut eius generis aliquem deum, si sibi vivos homines immolari comburique velit *etc.*

14) *ibid. p.* 22: De doctrina iudicare non aeque facile est ut de moribus . . . . . de doctrina Christi multis in locis dissident Christiani a Christianis et alii alios damnant ac pro haereticis habent. Nam de baptismo, de coena Domini, de invocatione sanctorum, de iustificatione, de libero arbitrio caeterisque multis obscuris quaestionibus acres sunt controversiae, ut Lutherani et Catholici et Zwingliani et Anabaptistae et monachi caeterique alii alios longe etiam magis damnent ac persequantur quam Turcae Christianos, quae profecto dissidia non aliunde proficiscuntur quam ex ignorantia veritatis . . . . Quid igitur in tantis dissidiis superest? ut fiat quod docet Paulus: qui non comedit comedentem ne contemnat, nam uterque domino suo stat aut cadit . . . . . Ne damnemus alii alios, sed si doctiores sumus, simus etiam meliores et misericordiores *etc.*

pour vous endormir, sinon affin de trouver ses creiches accoustumees pour repaistre. Vous le congnoissez, et lavez trop experimente; ie nen diz non plus. Et pleust a Dieu quil souffrist que ses imperfections demourassent cachees. Mais quant ie veoy quelles vous portent dommaige, ie suis contrainct de vous en advertir.

Quant a ce quil calomnie de lInstitution, le cas est tel. Ung certain glorieux tel que luy, [15]) voulant contrefaire le docteur, avoit condamne la doctrine contenue audict Livre, iusques a en detracter par les tavernes. Ie me presentay a rendre compte, et luy fermay tellement la bouche que sa bestise fut ridicule: combien quil nen eut point de honte. La chose estant congneue, il luy fut defendu et a tous ses semblables de plus tenir propoz diffamatoire contre la doctrine qui estoit assez approuvee. Que fault il a ce pauvre homme de se tant despiter en cela, sinon quil vouldroit quil fust permis a chacun de blasphemer contre la verite? Mesmes il accuse en general tous ceux qui saccordent avec moy, sans senquerir si cest en bien ou en mal. Or il falloit commencer par ce bout de scavoir quelle est ma doctrine, pour reprouver tous ceux qui y adherent, si elle se trouve mauvaise. Mais si elle est bonne, pour se monstrer du troupeau de Iesus Christ, il y devoit paisiblement acquiescer, plus tost que senvenimer par une envie maligne contre ceux qui se rendent dociles a obeir a ce quilz congnoissent estre bon.

Pour vous picquer et attirer a sa cordelle, il specifie que nous navons aultre regard, ny estude, sinon dattirer tout le monde a Geneve. Voire comme si en cela nous y avions grand profict et advantaige. Il fauldroit, en premier lieu, monstrer quelle taille ou tribut ien leve. Car il ne pourra pas dire quil y ait eu aultre receveur que luy. Mais cest une menterie par trop vilaine de vouloir faire a croire que nous condamnons tous ceux qui vivent par dela. Comme si ie navois point escrit que ceux qui sy maintiennent purement, sont beaucoup plus a priser que nous qui avons plus grande liberte, comme iournellement on morra tenir ce propos. Ie vouldrois seulement quil eust aussi grande compassion de vostre captivite, que iay. Non pas que ie me vante destre si vifvement tousche de voz maux comme ie devrois, pour en gemir [16]) et prier Dieu quil vous en donne allegement. Mais si scay ie que ien porte plus de soing et tristesse que luy. Aultant en peut on dire de la calomnie quil a adioustee, que nous navons aultre chrestiente, sinon de nous garder impolluz des superstitions papalles. Quant il ny auroit que les quatre Sermons lesquelz il sefforce de degrader tant quil peult, [17]) si veoit on a loeil que Dieu la mis en sens reprouve, pour estre du nombre de ceux qui disent le blanc estre noir: lesquelz il deteste et maudit par son Prophete Isaie. Mais, oultre cela, on scait ce que nous preschons ordinairement et ce que nous pratiquons, et les combatz quil nous fault soustenir tous les iours rendront tesmoignage plus que suffisant contre la faulsete et malice de ce pauvre insense. Encores ne luy suffit il point de nous avoir ainsi calomnie, si en general il ne taschoit de ruiner tout ce qui a este edifie par dexcellens serviteurs de Dieu avec si grand' peine et difficulte. Toute la facon quon a tenu denseigner tant aux Allemagnes quau Royaulme dAngleterre, luy deplaist. Mais elle ne laisse point destre sacrifice de bonne odeur a Dieu. Et combien que la plus part en aict abuse, si estce quen despit de leur ingratitude, le fruict en est apparu, et se demonstre encores au iourdhui. Et quelle humanite estce a luy, ie vous prie, de reprocher aux pauvres Anglois qui sont dechassez ca et la, ou se sont banniz euxmesmes de leur pays, [18]) la calamite qui est advenue pour les pechez du peuple? Les prescheurs qui avoient la commence destablir le Regne de Iesus Christ, ont crie a haulte voix, comme vrays Prophetes, quil falloit quil en advint ainsi. Et toutefois ce gallant leur impute tout le mal, comme si iamais ilz navoient servy a Dieu. Telz brouillons monstrent bien quilz ne sont propres qua destruire tout ce qui aura este bien faict. Ce pendant ie vouldrois bien que luy et telz chiens mastins qui abbayent a leur aise et en oisivete sur leurs fumiers, monstrassent quel monde ilz ont converty.

Pource que ce propos seroit trop long a demener, il me suffira de monstrer la vilenie de cest homme en ung seul point. Voulant diffamer ceux qui se retirent des idolatries de la Papaulte, il allegue lexemple de ceux de Locarne, lesquelz il condamne comme temeraires et estourdiz. Or le cas est tel que quatre vingtz mesnages qui faisoient de cinq a six cens personnes, depuis ung an en ça, ont declaire par escrit aux cantons de Souisse ausquelz ilz estaient subiectz, que leur conscience ne pouvoit plus souffrir quilz communicassent aux

15) *Trolliet (voyez la correspondance de* 1552. *Juin, Octobre et Nov.)*

16) guerir *Bt.*

17) *Voyez Oeuvres* VIII. 369.

18) *Ces reproches ne peuvent s'expliquer que par l'ignorance des faits. Dès le commencement de Février les bûchers se dressaient, le* 4 *pour Rogers le traducteur de la Bible, le* 9 *pour l'évêque Hooper, puis pour Ridley, Latimer, Cranmer . . . . Parmi les fugitifs il y avait les hommes les plus respectables: Cheke, Grindal, Parkhurst, Jewel, Knox, Coverdale, Whittingham, Goodman, Foxe, Sandys etc.*

corruptions de la Papaulte. Ainsi, apres avoir faict pure et simple confession de leur foy, et en avoir donne signature de leurs propres mains, ilz ont requis leurs superieurs davoir liberte par leur conge de servir a Dieu selon sa Parole. Or pource que la plus grand voix est du cote des Papistes, ilz ont este condamnez comme mutins et rebelles, pour avoir demande un tel conge: combien que iamais nul deux neut remue le doyt. Les cantons qui font profession de lEvangile se sont submiz en arbitrage. Les pauvres gens de Locarne, estans menacez destre bruslez, ont patiemment attendu lissue quil plairoit a Dieu de leur donner, sans faire aulcung tumulte, ne rien attenter. Bref, ilz ont pratique ce qui est dit au Pseaume, destre comme moutons aians le cousteau sur la gorge. En la fin tous ont este banniz, et ont mieux ayme quitter leur pays que de flechir du droit chemin, aians le choix de faire lung ou laultre. Regardez maintenant si la cruaulte de ce mocqueur de Dieu ne vous doit pas estre detestable, quant il desgorge ses opprobres contre les pauvres fideles qui ont este ainsy persecutez. Mais cest le train de ceste belle escole, dont il sest faict disciple et docteur en trois iours, de se mocquer de tous ceux qui se font molester pour la religion. Car ce leur est assez quon vive en bon payen, sans se soulcier beaucoup de tout ce qui concerne la foy et le service de Dieu. Ce sont belles couvertures de magnifier les vertuz: mais si on laisse la foy derriere avec linvocation du nom de Dieu, cest bien pervertir tout ordre, et mettre la charrue devant les boeufz.

Sur tout, mes freres, gardez vous de lastuce de Satan, quant telles gens vous parleront de perfection de vie. Car leur intention est daneantir la grace de nostre Seigneur Iesus, faisant a croire aux hommes quils nont plus besoing de la Remission de leurs pechez, comme si la plus grande vertu et souveraine de tous les sainctz, pendant quils vivent au monde, nestoit pas de gemir soubz le fardeau de leurs vices, congnoissans combien il y a a redire en eux. Ie ne vous en parle point sans cause, car ce preudhomme *Castallio*, que *La Vau* vous canonize tant, sest efforce de semer ceste poison mortelle. Et voila pourquoy ilz nous reprochent que nous ne menons point les hommes a la sainctete de vie, pource que nous disons quil y a tousiours beaucoup dinfirmitez en nous, iusques a ce que nous soions despouillez de nostre chair, tellement quil nous fault tousiours avoir nostre refuge a la misericorde de Dieu. Or mauldicte soit la sainctete qui nous enyvrera de tel orgueil que nous mettions en oubly la remission de noz pechez. Mais au reste si on faict comparaison, ie vous laisse iuges laquelle partie travaille plus a inciter les hommes a la crainte de Dieu, a toute integrite, a patience et en somme a nouveaute de vie, et laquelle sy est la mieux emploiee iusques icy, nous de nostre coste, ou *la Vau* et ses complices. Car de ce quil nous reproche quen noz Sermons nous ne faisons que plaisanter, crians contre les Papistes, ne redarguans point les vices des auditeurs, il ne peult estre mieux dementy que par les copies qui en vollent par tout le monde. Ie nay point escrit en chambre les vingt deux Sermons sur le Pseaulme octonaire, mais on les a imprimez naifvement comme on les avoit peu recueillir de ma bouche au temple. [19]) La vous voiez nostre style et facon ordinaire denseigner, en laquelle si *la Vau* nous surmontoit, nul de nous luy en porteroit envie. Et encores est il si effronte de nous reprocher que nous avons mal retenu la doctrine de S. Paul, lequel condamne les mesdisans aussi bien que les larrons. Or de luy vous le voiez tellement forcene dun appetit ie ne scay quel de medisance, quil denigre le bien qui est aussi congneu que la clarte du soleil en plain midy. Mais ce nest que trop parlé de propoz ennuyeux lesquelz ie neusse iamais poursuyvy tant au long, si la necessite ne my eust contraint.

Pour conclusion il me suffira davoir tellement purge nostre Eglise des faulses reproches que *la Vau* nous a miz sus, que vous ne soiez point scandalisez en nous. Si on vous raportoit que nous ne sommes pas si bien reformez quil seroit a soubhaitter, nous ne serions pas empeschez a le nier, moiennant que vous ne fussiez point desgoustez de la pure doctrine, et aussi que ne fussiez point alienez de nous, puis que Dieu nous a conioinctz dun lien inseparable. Vous scavez que pour ceste cause S. Paul a este contraint de se glorifier, combien quil ne pretendist rien moins. Excusez doncq ce que ien faictz, si vous congnoissez que ce soit pour honorer Dieu, et vous edifier en bien. [20])

Surquoy, treschers seigneurs et freres, apres mestre de bien bon coeur recommande a voz bonnes prieres, ie supplie nostre bon Dieu vous avoir en sa saincte garde, vous soustenir par sa vertu, et vous augmenter de plus en plus les graces de son Esprit. Mes freres et compagnons vous saluent. De Geneve, ce xx. de febvrier 1555.

Vostre humble frere,
J. C.

19) Vingt-deux Sermons de M. Calvin auxquels est exposé le Ps. CXIX. contenant pareil nombre de huictains. Genève, 1554. 12. *Les sermons de Calvin, ainsi que ses leçons d'exégèse, étaient recueillis par ses principaux auditeurs, Denis Ragueneau, Jean de Budé, Charles de Jonvillers, Nicolas des Gallars, etc., auxquels s'adjoignit plus tard Jacques Spifame, ancien évêque de Nevers.* (*Bonnet.*)

20) *Trechsel* I. 219 *considère les mouvements dont il est parlé dans cette lettre comme préparatoires à la catastrophe de Servet. Nous ne savons nous expliquer cette inadvertance chronologique.*

2119.

SAMPSON [1]) CALVINO.

Queritur de Anglorum exsulum internis disceptationibus circa caeremonias, magis etiam de ipsius Britanniae tristissima conditione ubi iam ad supplicia res progressa est.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 164, N. 71 olim Scrin. B. Epp. angl. N. 19, p. 711. — Simler. Vol 84. Edita est in Epp. Tigurinis Soc. Parkerianae p. 112, item anglice Tom. III. p. 170. Zurich Letters N. 88, et in Opp. Knoxi Vol. IV. 53.)

Viro doctissimo D. Iohanni Calvino dentur Genevae.

Quod Lausannae feci etiam nunc facere non cesso, hoc est, tuae humanitatis exspecto responsum, et quidem eo avidius illud exspecto quo vehementius ignem accendi video [2]) inter nostros Anglos. Dum enim alii in universum volunt librum reformationis ecclesiae anglicanae [3]) reiici, alii quaedam tantum reiicienda aestimant, utpote geniculationem in coena, vestem lineam [4]) et nonnulla huiusmodi, caetera vero, scilicet preces, scripturarum lectiones, et formam coenae celebrandae baptismique, retineri volunt, oritur nimis magna contentio. Hi de forma retinenda contendunt, tum quia *Cantuariensis* [5]) doctrinam eam tuetur ut bonam, tum etiam quia nullam possunt adversae partis [6]) homines assignare iustam rationem mutandae formae. Illi clamant hos hoc unum agere ut constituant caeremonias. Ecce, optime *Calvine*, quomodo permissum est Satanae in Anglos et domi et foris saevire. Deus nostri misereatur, teque rogo per Christum nostrum communem servatorem, ut velis has turbas nostras considerare et quomodo huic sit succurrendum malo significare. [7]) Novi ego quantum ponderis habebit tuarum literarum autoritas apud utrasque partes in hac lite sedanda.

De Angliae rebus pauca et minus suavia haec habeo. Finito parliamento [8]) convocari curavit *Vintoniensis* [9]) omnes Londini vinctos propter verbum Domini numero 80, et cum iis pollicitationibus, praemiis et minis egit, ut palinodiam canerent. Omnes perstiterunt constantissime, exceptis his duobus: *Berloo* [10]) Bathoniensi quondam episcopo et *Cardinakero* [11]) eiusdem ecclesiae, ut puto, archidiacono. Hi enim illi cesserunt. Post paucos dies quinque ex istis iterum in iudicium adducti haereseos condemnati sunt, et, ut nos dicimus, saeculari tradebantur potestati comburendi. An sint adhuc mortui nescitur: putant tamen omnes Angli eos certissime supplicio affectos. Eorum nomina haec sunt: *Hooper,* [12]) *Rogers,* [13]) *Taylor,* [14]) *Bradford,* [15]) *Saunders,* [16]) omnes quondam insignes ministri verbi. Tres episcopi adhuc vivunt, et exspectatur colloquium habendum inter *Polum* et illos. *Philippus*

2119. 1) *Thomas S. natus Playfordiae (Suffolk) Cantabrigiae studiis operam navaverat et Cranmero Ridleyoque commendatus factus est rector* of Allhallows Breadstreet London, *postea* Dean of Chichester, *sub Maria patriam reliquit, primum Argentoratum deinde Francofordiam se contulit. Regina Elisabetha ei episcopatum Norvicensem obtulit quem tamen noluit accipere utpote magis ad presbyterianismum inclinans. A.* 1561 *factus est* Dean of Christ church Oxford *et obiit* 1589. *Fuit inter translatores bibliorum Genevensium.* (*Strype eccles. Mem. passim.*)

2) *N.* 2059. 2077. 2091.

3) *Book of common prayer.*

4) the linen surplice.

5) *Cranmerus.*

6) factionis *Ed. Park.*

7) *Calvinus id se fecisse dicit, vide literas* 12. *Iun. ad Coxum datas.* (*N.* 2213.)

8) *d.* 16. *Ian.* 1555 *cf. Foxe Acts* VI. 584. *Weber, kath. K.* II. 252. *Quidquid Regina postulaverat concessum fuerat: iurisdictio pontificia instaurata, catholicismus restitutus, leges contra haereticos renovatae.*

9) *Steph. Gardiner* bishop of Winchester, *quem Maria* lord high chancellor *fecit, olim Henrici VIII. novaturienti adfuerat eiusque iura in ecclesiam vindicaverat, in libro* de Vera obedientia: *nunc acerrime in reformatos saeviebat dum Polus mitioribus modis procedi iubebat. Ille conversiones rogo procurandas dicens, d.* 22. *Ian. concionatores vinctos adduci iussit, qui Reginae et Parlamento scripta obtulerant de suo carcere querentes et reformationem defendentes.* (*Weber l. l.* 259. 262. *Foxe* VI. 587.)

10) *Ed. Parker.* Barloo. — *Strype eccl. Mem.* III. 1, *p.* 241: Barlow, bishop of Bath and Wells, was by Gardiner and other papists forced not only barely to recant, but to compose a book of recantation which he did for fear of his life. — *Postea fuga sibi consuluit et in Germania aperte evangelium professus est.* (*Ibid. p.* 431.)

11) John Taylor, alias Cardmaker (*sic etiam scribit edit. Park.*), canon residentiary of Wells, a learned man, once an observant friar, afterwards reader of divinity in S. Paul's and vicar of S. Bridget's in Fleet street, *cum Barlowo suo episcopo in vincula coniectus primum cum illo recantavit, postea vero denuo evangelium professus a. d. III. Cal. Iun. combustus est.* (*Strype p.* 431.)

12) *combustus d.* 9. *Febr.* (*Strype* 282, *Weber* 263.)

13) *John R. canonicus ad S. Pauli primus omnium martyrium passus in Smithfields pridie Nonas Febr.* (*Strype* 332, *Weber l. l.*)

14) *Rowland Taylor, V. D. M. in Hadley (Suffolk), Cranmeri capellanus, quum fuga morti se subducere posset maluit mori et igni traditus est de* 9. *Febr. in suo oppido.* (*Strype l. l.* 289. 332, *Id. Cranm.* 955 *al.* II. 174, *Weber* 264.)

15) *John B., canonicus ad S. Pauli combustus est m. Iulio in Smithfields.* (*Strype eccl. Mem.* III. 1, *p.* 363, *Id. Life of Whitgift* I. 8.) *Sermones eius post mortem editi sunt c. praef. Sampsoni.* (*Strype Annals.* II. 192, *Weber* 264.)

16) *Laur. Saunders* (*sic quoque Park.*) rector of Allhallows (*not.* 1), *combustus Coventriae.* (*Strype, Mem.* III. 1, *p.* 332, *Weber* 265.) *Eodem die* 6 *alii capitis damnati sunt praeside Bonnero episcopo.*

coronam non obtinuit. Episcopis permittitur in omnes suspectos haereseos pro libito suo grassari. Vides, optime vir, Angliae statum. Orationibus tuis tuaeque ecclesiae illum commendo. Vale et rescribe. Raptim Argentinae 23. Febr.

Tuus Thomas Sampson.

2120.

CALVINUS BULLINGERO.

Bernensis senatus contra Genevenses ministros invidiosa edicta denunciat, semetipsum aperta quasi proscriptione impetitum praesagit.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 166, olim Epp. Tom. 24, fol. 23. — Simler. Vol. 84. Anglice versa est in ed. Philad. III. 151.)

Ornatissimo viro D. Henricho Bullingero ecclesiae Tigurinae fido pastori fratri et symmystae observando.

S. Nuper tandem post longa certamina ius excommunicationis confirmatum nobis fuerat.[1] Creati deinde fuerant syndici tranquillis comitiis ex voto nostro.[2] Dum intestinis molestiis defuncti aliquid levationis datum nobis esse confidimus, ecce repente e vicinia surgit durius bellum. Qui me haereticum vocitaverant,[3] eos non solum absolvit senatus ac liberos dimisit, sed in me quoque et hanc ecclesiam emisit maiore ferocia armatos. Nos interim tot et tam graves iniurias perpessi in crimen vocamur. Summa est, non fore discordiis finem donec erepta nobis fuerit disciplina, et catechismus noster abolitus fuerit. Rogatur senatus noster ut severe nos coerceat.[4] Adeo truculentiae pudet ut vix tenuiter delibem quae auditu nimis sunt indigna. Quid facerent quieti et securi qui intrepido belli apparatu contra innoxios ita saeviunt? Testati sumus, ad reddendam rationem nos omnibus horis paratos fore. Ultro tulimus eos nobis iudices: non admittimur. Interim publicis edictis vetantur subditi sacram Domini coenam nobiscum sumere.[5] Nunc mirari desine Saxonum barbariem, quum unius hominis odio, qui redimendae pacis causa libenter iugulum centies praeberet, ita lacerentur ecclesiae. Nihil tamen me peius excruciat quam quod talibus praesagiis Deus ultionem suam palam declarat. Agedum, ut famem suam expleant ad longinquum exsilium trudar, si tamen profugo iter per eorum ditionem patebit. Mihi vero satius erit ab eorum finibus arceri ut recta ad mactationem proficiscar.

Dominus humanitatem Locarnensibus[6]) impensam e coelis civitati vestrae, sicuti facturum spero, rependat, nobisque iniuste oppressis manum porrigat. Has querimonias in sinum tuum familiariter exonero, ut me sanctis tuis precibus adiuves. Extremo enim moerore constringor. Neque tamen fratres nostros accuso quos certo novi ab his consiliis abhorrere, ac ne in senatum quidem quae scripsi torqueri velim, qui tantum nimia credulitate a paucis improbis et perfidis hominibus se abripi patitur. Interim vides quo redacti simus malorum. Vale, ornatissime vir et frater mihi venerande. Dominus te spiritu suo regere et donis locupletare pergat. Saluta symmystas et familiam diligenter. 24. Februarii 1555.[7]

D. *Lismannino*, quem ad vos incolumem venisse confido et opto, plurimam salutem.[8]

2121.

BULLINGERUS ERBIO.

Mittit ei Calvini libellum contra Westphalum et alium sui ipsius principi offerendum aut alii cuipiam pro lubitu. Addit quaedam de rebus exteris.

(Ex autographo Bibl. Basiliensis civicae MSS. Tom. 19, fol. 8. — Simler. Vol. 72.)

Ornatissimo viro D. Matthiae Erbio Rychenwillanae ecclesiae pastori fidelissimo domino suo colendo et fratri percaro.

H. Matthysen Erben Predicanten zu Rychenwiler.

2120. 1) *Declaratione senatus et Ducentorum*, 22. *et* 24. *Ian. Cf. N.* 2111.
2) *N.* 2108, *not.* 5.
3) *N.* 2073. 2078. 2114 *etc.*
4) *N.* 2095.
5) *N.* 2097. 2117. 2131.

6) *Vide ad N.* 2107. *Non tamen omnes Rhaeti eodem studio Locarnenses exsules apud se receperunt. Nonnulli vici eorum qui ad foedus* Grauer Bund *dictum pertinebant eos deprecati sunt, ita ut Bullingerus d.* 28. *Febr. denuo senatum adire debuerit de ea re.*
7) *sine subscriptione.*
8) *N.* 2110.

S. D. D. Iohannes *Willingus*[1]) a Rhaetis vocatus concionatur in Prettigovia valle. Dominus concedat spiritum principalem D. a *Rapoldstein* ut ea quae Christi sunt velit et audeat.[2]) Mitto tuae pietati duos libellos, alterum latinum D. *Calvini* contra nostros istos antagonistas[3]) in causa coenae, alterum germanicum de ultimo iudicio.[4]) Addidi et alterum exemplum pro illustrissimo principe. Si putaveris ei non ingratum fore, oro te ut ei offeras meo nomine, et verbis tuis ornes, salutemque dicas officiosissime. Non scripsi quidquam ne ipsi molestus essem. Si vero putaveris ipsum nec mei neque libelli ullam habiturum rationem, liberum tibi facio donandi ipsum cui volueris.

Varia sunt apud nos nova quae quum chartis committere non sit tutum, quum quod incertis ferantur autoribus, tum quod quaedam satis sint odiosa, tempori haec committemus. Sermo est praeterea multus de pace inter Caesarem et Gallum concilianda,[5]) de concilio continuando, id est, de exscindenda veritate. Multi et varii sunt conatus hostium veritatis. Dominus servet suam ecclesiam. Plura scriberem nisi negotiis impeditus et temporis brevitate exclusus alio raperer. Ora pro nobis Dominum. Saluta fratres et amicos. Vale cum bonis omnibus. Tiguri 24. Febr. a. D. 1555.

Bullingerus tuus.

2122.

VIRETUS FARELLO.

Mombelgardensibus ministris contra Tossani tyrannidem opitulatum proficiscenti, quid sperandum, quid metuendum, quid faciendum vitandumve sit exponit.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium, Epp. Vireti fasc. IX. N. 6.)

Insigni Christi servo Guilelmo Farello Neocomensis ecclesiae fido pastori fratri ac patri suo plurimum venerando.

Neocomi.

S. In tanta horum tabellariorum festinatione non potuimus nisi festinanter de rebus gravissimis consultare, quae tamen diutius praemeditatam consultationem postulabant.[1]) Placet consilium ut eo te conferas, si a D. *Blaurero* impetrari possit ut hanc tecum suscipiat legationem. Sed veremur ne nimis iustas habeat eius detrectandae causas. Scis enim qua sit affectus Tubingae iniuria.[2]) Quanquam vero certe scimus veteres iniurias illi haudquaquam in mora fore, timemus tamen, ut est modestus, ne sibi persuadeat, minus valere apud illum principem autoritate quam merito valere deberet. Quod si detrectet, nescimus plane quid sperare debeamus de tua profectione, si solus eo concesseris. Nam principem convenire non poteris. Si utare interpretibus quibus parum gratus sit tuus adventus, nescimus qua fide tuam causam acturi sint. Non enim speramus *Tossanum* tibi futurum admodum propitium, neque nobis spes alia est de iis qui sunt principi a consiliis, quos audimus omnes impensius *Tossano* et eius tyrannidi in fratres et in ecclesiam favere. Neque item videmus quis tibi ex nobis comes adiungi possit, aut quis fructus ex tali comitatu sperari. Nam nemo est nostrum qui aliqua valeat apud principem autoritate. Deinde, si hinc egredimur sine venia nostrorum principum, dubium non est quin turbulentis istis temporibus magnas moveamus tragoedias, quae plus afferent nobis turbarum quam quietis et opis fratribus quibus melius consultum cupimus. Vos pro re nata capite consilia. Non videmus qua conscientia admitti possint articuli qui fratribus proponuntur.[3]) Necesse enim

---

2121. 1) *Cuius editae sunt* Zwo Predigten von dem h. Nachtmahl. Heidelb. 1565. 4.

2) *Egenolfius III. cuius pater Ulricus iam evangelio favebat, ipse suas ecclesias lubens reformasset nisi ditio sua maxime feudis Austriacis, Basiliensisque episcopatus et abbatiae Murbachiensis constitisset. Post pacem religionis hoc ipso anno sancitam coepit singulis locis concionatores habere, quos subditi non inviti receperunt, iam exemplo vicinorum Richovillanorum permoti. Nihilominus tunc etiam Ferdinandus rex quantum potuit ei negotia facessere non desinebat.* (*Roehrich*. III. 181 *sq.*)

3) *Westphalum et Flacianos.*

4) *De ultimo iudicio editae sunt duae conciones ipsius Bullingeri a.* 1559 *ap. Froschoverum. An prior aliqua exstiterit editio nescimus. Fortasse vero de alio quodam scripto suo loquitur.*

5) *Pro tempore hi rumores tantum erant. Mense Maio negotiationes inceperunt inter Galliam et Germaniam regina Angliae mediatrice, in vico Mare prope Gravelines et Calais.* (*Thuan. l.* XV. *ed. Bas.* II. 323.)

2122. 1) *Vide ad N.* 2106.

2) *Iniuriam aliam Tubingae Blaurero illatam nullam scimus, praeter dimissionem a duce Ulrico a.* 1538 *decretam, qui simul ei negavit stipendium quod ei debebatur ut conventuali Alpirsbacensi. Quum tamen a.* 1547 *dux Christophorus illud solvisset, Blaurero rem alta mente repositam mansisse vix crediderimus.*

3) *Quum dimissi fuissent quatuor illi ministri in Valentigney, Désandans, Blamont et S. Julien quod disciplinam Wirtembergicam recipere recusassent, iam ea conditione rursus in gratiam admitti posse ipsos significatum iis fuisse videtur si se subiicerent.*

est ut illorum approbatione sibi libertatem adimant sine qua sincere Christi ministri esse non possunt, et tyrannidem confirment quae aliquando totam ecclesiam oppressura est. Quocunque te vertas omnia videntur deploratissima. Nisi Dominus viam inveniat exigua spes est in hominibus. Urgendum tamen est ut saltem audiantur aliquando fratres damnati indicta causa. Quae enim haec est barbaries plus quam cyclopica? Dominus ex alto respiciat et superbos deiiciat qui suam, non Christi, gloriam quaerunt. Si eo proficiscaris agito omnia quanta fieri poterit modestia et lenitate, ne te abripi patiaris rei indignitate commotus. Nam certe difficile est non vehementissime commoveri in tanta causae iniquitate, adversus eos qui non solum non debuerunt huius iniquitatis esse autores et adiutores, sed et se constanter opponere. Sed vides quid valeat ambitio et praeposterus sui amor, et alienatio a sana doctrina et ab iis qui illam profitentur. Nullum huic malo video praesentius esse remedium quam serias et assiduas preces ad Dominum. Salutant te nostri omnes. Salutem dico collegae et amicis caeteris. Vale. Lausannae 25. Febru. 1555.

Tuus Petrus Viretus.

2123.

CALVINUS BURKARDO.

Defendit se contra Lutheranorum criminationes, et vindicat suam de sacramentis doctrinam et in scripturis interpretandis libertatem.

(Describimus ex Ionvillaei exemplari Cod. Genev. 107a, fol. 96. Habent praeterea Turretinus Cod. 108, fol. 46, Bernenses Epp. VI. p. 407, et Simlerus Vol. 84. Anglice exstat in ed. Philad. III. 153.)

Clarissimo viro et mihi apprime observando D. Francisco Bukardo [1]) illustriss. Saxoniae ducum cancellario dignissimo.

S. Literae tuae, clarissime vir, quanquam suaves et iucundas esse argumentum minime patiebatur, ideo mihi gratae fuerunt quod in hac lugubri dissipatione veterem mei amorem non esse prorsus ex animo tuo deletum ostendunt. Nam inde spem concipio sedando immodico fervori quem vestri theologi despumant te quoad licebit operam daturum. In libri mei repulsa [2]) valde me deceptum fuisse fateor, quia munus illustrissimis principibus non ingratum fore speraveram. Sic tamen me privatae contumeliae pupugit indignitas, ut publica ecclesiae iniuria gravius excrucier. Nam et honoris mei levis est iactura, et pridem ad maligna et iniqua mundi iudicia obdurui: sed hoc ab humanitate ipsa nimis remotum esse videtur, nedum ab ea quam discipulis suis Christus commendat mansuetudine alienum, laborem pio studio susceptum et ecclesiae Dei utilem non minus fastuose quam morose respuere. Si quod dogma impium reprehendissent, nollem aequitatis praetextu mihi parci. Sed ne ipsi quidem id mihi obiicere audebunt. In sacramentis non consentimus, nempe quia ego crassis loquendi formulis, quas pertinacia magis quam ratione urgent, ad verbum non succino. Neque enim concedam quemquam ipsorum esse qui vim et usum finemque sacramentorum splendidius commendet, qui eorum dignitatem ornet locupletius, qui denique maiorem illis reverentiam conciliet. Verum quia brevis huius causae explicatio, quam tibi offeret nuncius, omnem dubitationem eximet, supervacuo sermone hominem summo iudicio praeditum non morabor. Restat iam alterum crimen, quod non ubique *Lutheri* interpretationibus subscribam. Verum si iam cuique interpreti non licebit de singulis scripturae locis quod sentit in medium proferre, quorsum servitutis recidimus? Imo, si mihi usquam a *Lutheri* sententia discedere non licuit, munus interpretandi suscipere absurdum fuit ac ridiculum. Hoc modo videndum erat, an cupide accersam diversos sensus, an proterve exagitem, an odiose perstringam, an contumeliose insecter. Tu vero, ornatissime vir, si tantum suppeteret otii, totum librum perlegendo nihil tale reperies, quin potius, ubi videris me parce et sobrie attingere quae alius quispiam ostentationi deditus clamose iactasset, si quid ab aliis erratum est, vel tacitis nominibus vel sine contumelia reprehendere, et quidem silentio errores sepelire nisi dum ita cogit necessitas, modestiam cum humanitate coniunctam laudabis. Hoc quidem testari licet, nihil mihi fuisse propositum nisi ut publicae lectorum utilitati consulerem, quibus saepe in hallucinationem proclivis est lapsus, nisi admoniti caveant. Quod vero ad illustrissimos principes spectat, si dedecori sibi esse existimant suum libro inscriptum esse nomen, quanquam nunc sera est remedii ratio, quidquid scripseris potius facturus

2123. 1) *Sic Ionvillaeus. Anglus vero*: Unhard, *in textu et in annotationibus. De ipso hoc viro vide ad N.* 2026.

2) *Male Simlerus de Defensione consensus cogitat. Loquitur Calvinus de Commentario in Genesin quem principibus Saxonicis dicaverat. N.* 1991.

sum, quam ut honorem sibi a me habitum indigne ferant. Vale, amplissime vir et mihi inprimis venerande. Dominus tibi semper adsit, te virtute sua sustineat, spiritu gubernet omnique benedictionum genere locupletet. Genevae 3. Calendas Martii 1555.

Tuae dignitatis studiosissimus
Ioannes Calvinus.

2124.

HALLERUS BULLINGERO.

Bernensibus usque Bolsecus et Zebedaei factio negotium facessunt. Interim Genevensium quoque ministri causa exciderunt, et Beza coactus est de iuvenilibus suis carminibus se purgare.

(Ex autographo paululum lacero Cod. Epp. 31 in Archivis Turic. nunc Plut. VI. Vol. 153, fol. 210. — Simler. Vol. 84.)

— — — — — — — — — — — — — — — —

Utinam non medicus exauctoratus [1]) ad tegendam turpitudinem suam comminisceretur multa. Sed prudentes facile intelligunt quod res est. Quid cum *Zebedaeo* et *Angelo* actum, scripsi proxime. [2]) Interea revocatus medicus et iterum nobis insciis restitutus est. Miserunt et Genevenses ministri iterum unum ex eorum numero [3]) praeterita septimana huc, qui senatui instaret et peteret ut vel ipsis coram *Zebedaeo* et *Angelo* defendere se et causam suam dicere concederetur, vel synodus conscriberetur ecclesiarum, in qua doctrinae ratio et tota haec causa discuteretur. Sed neutrum senatui placuit certis de causis. Scriptum est denuo ad classes [4]) ut cum Genevatibus pacem colant. *Beza* etiam coactus fuit purgare se coram senatu de calumnia ei aspersa, propter carmina quaedam obscoeniora olim quidem a se edita [5]) antequam ad agnitionem veritatis veniret.

Purgatus restitutus est. Sic lacera sunt omnia. Resarciat Dominus omnia et piam nobis concedat concordiam. — — — — — — 27. Februarii 1555.

Frater tuus.

2124. 1) *Bolsecus, de quo iam severius iudicare incipit.*
2) *N.* 2103.
3) *Raymundum Chauvet qui epistolam N.* 2114 *asportabat. Is pridie Cal. Mart. Genevae redux senatum adiit. Antea iam Calvinus eundem rogaverat ut causam illam persequeretur, et ipse replicam scripserat quam infra N.* 2137 *leges.*
4) *Hoc vero desideratur. Videtur tamen moderatius fuisse quam prius.*
5) *N.* 2100.

2125.

GARNERIUS CALVINO.

Refert quomodo Argentorati eius Defensio excepta fuit, pauca addit de aliis rebus et suum devinctum magistro animum profitetur.

(Ex autographo Cod. Genev. 110, fol. 190.)

Ornatissimo et piissimo viro Domino D. Ioanni Calvino suo in Domino praeceptori ac maiori h. d. [1])

Genevae.

S. P. Dominus Richardus *Vauville* reddidit tuas literas [2]) una cum scripto tuo de coena Domini conventui nostrorum concionatorum me praesente, ubi publice lectum est tuum scriptum, sed nil est conclusum propter absentiam D. *Marbachii*. [3]) Egressus est enim ante mensem brevi reversurus. [4]) Tunc audies quid ille de hoc tuo scripto sentiat, antea non. Quantum autem ipse subolfacio, illius lectio multis placuit, sed non omnibus. Ego nescio quantum efficies, apud eos hac tua moderatione: vereor ne oleum et operam perdas, aut potius oleum igni adiicias. Dominus det ut omnes aliquando idem sapiamus, doceamus etc. Quantum vero ad me attinet, ut libere fatear, nil est in tota tua doctrina quod me offendat: ego libenter subscribo tuae sententiae de sacramentis, de praedestinatione et aliis huiusmodi, non proterea quod tu hoc dicis, sed propterea quod sacra scriptura hoc testatur, denique S. S. hoc suggerit cordi

2125. 1) *hae dentur.*
2) *Teste Marbachii diario ad* 8. *Apr.* 1554 *Vallevillius Argentorati in Gallorum coetu ad pacem servandam hortatus fuerat, simul tamen quinque Garnerii adversarios eiusdem turbatores dixerat. Quocirca ei a senatu interdictum fuit ne urbe egrederetur antequam ipse de causa cognoverit. Sed Martyre et Zancho intercedentibus ei permissum est ut Genevam proficisceretur. Iam ex eo itinere redux est.*
3) *Defensionem ergo suam etiam Argentoratensibus misit, scil. de mutato interea animorum affectu minus bene informatus. Cf. infra N.* 2142.
4) *Marbachius a. d. XII. Cal. Febr. Lindaviam se contulerat in patriam suam unde a. d. V. Non. Mart. rediit.*

meo. Hoc dixerim non ut aduler, sed ut tibi testatum sit et piis omnibus de mea fide, doctrina et religione: simul etiam ut aperte cognoscas istam nostram ecclesiam non discessisse ab ea doctrina quam primum abs te suscepit. Det Dominus ut in finem usque permaneamus.

Duplum quod ad me misisti legendum dedi illis quibus iusseras. Illud ad te remitto ut rogasti. Mitto etiam propositiones quae disputatae fuerunt hic in schola ante aliquot dies, quae scripto tuo non dissentiunt.

De nostra ecclesia non habeo quod scribam: semper sumus in eodem statu. Interea adversarii nostri [5]) non quiescunt (singulariter unus): semper enim aliquid excogitant et moliuntur. At bene habet quod iam sunt omnibus noti.

De ecclesia Monsbelgardensi audivi nescio quid quod non placuit. Ibi etiam sunt turbae. Sic ecclesiae Christi ventilantur atque vexantur a Satana per pseudoprophetas. Dominus Deus opt. max. nos et ecclesias suas omnes servet a lupis rapacibus. Interea intellexi per nostrum *Richardum* qualem me esse cupias in hac parte, atque talem me experieris, favente Deo. Habeo gratiam quod tam paterne me mones. Dominus Deus tibi rependat: ego enim nunquam ero tibi solvendo pro tantis in me collatis beneficiis: me donec vixero devinctum habebis. D. *Petrus Martyr* plurimum te salutat, nec licuit ei per otium scribere. Vix ascendet ad vos Genevam: [6]) non enim dimittetur a nostro senatu. Iam de hac re fuit disputatum, sed nullus suadet profectionem, imo concludunt omnes contra manendum. Vale perpetuo felix et me uti soles ama. Dominus Deus te suae ecclesiae diu incolumem servet ad sui nominis gloriam et omnium nostrum aedificationem. Argentinae 28. Februarii 1555.

Tuus discipulus et in Christo filius
Ioannes Garnerius.

Parce quaeso stylo et calamo. Vix enim licuit relegere. Salutatos cupio omnes fratres verbi Dei ministros.

---

5) *Mox m. Martio vergente vehementius exarsit denuo disceptatio nec sedata est nisi dimisso m. Augusto Garnerio.*
6) *Cf. N.* 2089 *et infra N.* 2142.

2126.

VIRETUS CALVINO.

Bernae nihil effectum. Imo novis edictis peiora pristinis malis addita. Christi militibus veteranis hic et illic σκόλοψ τῇ σαρκὶ datus, sed contra audentius eundum.

(Ex autographo Cod. Genev. 111ᵃ, fol. 110.)

Insigni Christi servo Ioanni Calvino fido Genevensis ecclesiae pastori fratri et symmystae observando.

Genevae.

S. Nescio plane quid ad te scribam. Consultabimus in proximo classis consessu quid nobis agendum sit, qui primo Mercurii die Martii mensis [1]) conventurus est. Tu interea vide si quid habes cuius nos censeas esse admonendos. Spero fratres officio non defuturos. Audies de *Raymondo* qua fronte exceptus sit cum *Beza*, et quid responsum sit. [2]) Necesse est ut vester magistratus serio hanc causam suscipiat. [3]) Arbitror te audivisse de edictis quibus interdicitur ne quis ad vos se conferat coenam vobiscum sumpturus, aut alibi quam in suo agro. [4]) Quo longius extra omnis aequitatis septa transsiliunt qui eius custodes et defensores esse debuerunt, eo malum minus diuturnum fore iudico, nisi forte Dominus iratus nos penitus deserat. Necesse est Satanam suas in hac tragoedia partes agere, sed Dominus potentior est. Datus est Paulo angelus Satanae a quo colaphis caederetur, et tu tuum habes angelum Satanae. Quem vero in finem hoc illi ius permittat Deus non ignoras. Quamobrem nihil exhortatione opus esse puto, qua te horter ne cedas malis sed contra eas audentior. Tu iam veteranus es in hac militia, quae nobis tecum communis. Ego vero miror nihildum peculiariter adversum me machinatos esse adversarios, quod quidem audiverim. Sed fortasse Dominus mihi ad tempus parcit. Ego tamen me paro in tempore, ne inopinatus opprimar.

Mitto ad te *Halleri* literas [5]) ex quibus cog-

2126. 1) *Pridie Nonas. Pertinent haec ad recentia Bernensium edicta N.* 2096 *sq.*
2) *N.* 2114 *not.* 3. Ilz nont heubz guaire bonne responce. (*Reg. du Conseil.*)
3) *Cal. Martiis Calvinus senatum adiit postulans ut maxime Fonseletus Bernensibus denunciaretur in quem animadverterent.*
4) *Haec edicta iam m. Ianuario a senatu emanarunt, praefecti vero serius ea publicasse videntur* (*N.* 2117. 2127).
5) *deperditas. Videtur ipse Hallerus questus esse de sui ipsius in his negotiis agendis exigua autoritate.*

nosces quantum ponderis habuerit eius et collegarum testimonium. Significa nobis quid consilii ceperitis, ut nos quoque nostram operam coniungere possimus. Salutant te nostri omnes. Vale optime et diutissime. Lausannae 28.[6]) Febru. 1555.

Tuus Petrus Viretus.

2127.

LE BAILLI DE TERNIER AUX MINISTRES.

Mandement relatif à la défense faite aux sujets Bernois et habitants des bailliages français d'aller communier à Genève.

(Copie aux Archives de Berne. Epp. clar. virorum Vol. VI. p. 433. Simler. Vol. 84.)

Nous Hans Donvel[1]) Baillif de Ternier et Gaillard pour nous illustres puissans et tres redoubtez Seigneurs de Berne à tous les ministres de nostre Ballivage salut.

Avoir receu une lettre missive de la part de nosditz tresredoubtez Seigneurs à nous mandée datée du 26 du mois de Ianvier dernier passé; à vous et à chacun de vous mandons et commandons que la premiere dimanche après que les presentes vous seront presentées a la fin de vostre predication ayez a publier et notifier à ceux qui sont sous vostre charge assavoir: que d'autant que nosdits Seigneurs seroient estre veritablement informez que aucuns estans sous la charge de nous dit baillif ne se content[2]) des ceremonies et usages de l'Eglise de Berne, ains quand ils scavent que la Cene de N. S. Iesus Christ se doit celebrer dans Geneve a la guise et mode Calviniste ils sy accourent et communiquent avec eux, comme si aux Eglises de Berne n'y fust procedé par bon ordre jouxte l'institution et doctrine de nostre dit sauveur et redempteur Iesus Christ, à leur gros regret: Dont pour cela abatre est de leur part commandé a tous et un chacun, soyent estrangers ou natifs au pays, soient Francois Italiens Alemans ou d'autres nations habitans et residans riere leurs terres et pays, à de cela se devoir desister et en cy en avant devoir ensuivre les coustumes et ceremonies des Eglises de Berne, aussi de prendre la cene de nostre Seigneur aux iours pour cela establis et les dimanches aller aux predications de la parole de Dieu jouxte leurs ordonnances et statutz, a peyne, quant aux estrangers de bannissement, et quant à ceux qui seront stipendiez et auront gage ou autre secours d'eux d'estre privez de cela, et quant aux natifs au pays d'estre remis pardevant eux à Berne pour entendre le bon vouloir: en quoy tous et un chascun auront esgard autant qu'ils craignent lesdites peines incourir et à nosditz redoubtez seigneurs au present mandement desobeir. Aussi en vertu d'une autre lettre missive datee du cinquiesme de Febvrier au present est commandé à tous et ung chascun de vous es premices à icelles debvoir payer ainsi que en passé entant quils craignent au mandement de nosditz Seigneurs plus desobeir. Donné à Compesieres ce dernier iour de Febvrier 1555.

Par mon dit Seigneur baillif ainsi
Montagne.

---

6) *Siglum dubium. Fortasse legendum* 26.

2127. 1) *Leçon douteuse.*
2) *lisez:* contentent.

2128.

ALEXANDER COMITI GEORGIO.

E comitatu Mombelgardensi pulsus propter falsas criminationes et ab omni suspicione se vindicat et vicissim alios quosdam illius ecclesiae perturbatores graviter perstringit.

(Ex Archivis civicis Argentoratensibus.)

Defensio Petri Alexandri contra calumnias ipsi impositas a quibusdam fratribus ecclesiae Mompelgardensis ad Illustrissimum principem Georgium a Wirtemberga Comitem Mombelgardi.

Absurdum fortasse aut superbum videri posset, Princeps illustrissime, quod ego tibi prorsus homo ignotus ausus fuerim ad tuam Celsitudinem Apologiam hanc mittere. Itaque eius facti ratio vel potius excusatio nonnulla est afferenda: quae ut facilis et licita, ita brevis erit et expedita. Quum nuper ex illa dispersione Anglicae ecclesiae,[1]) quae contigit

2128. 1) *Pridie Nonas Maias* 1554 *Lausannam venerat, et iam a. d. viii. Cal. Iun. Argentoratum, a senatu in Garnerii locum vocatus, teste Marbachii diario. Quod ministerium tamen tum temporis non capessivit. Quando Mombelgardiam se contulerit nobis non constat. Martyr qui in Anglia eius familiaritate usus fuerat, eum ipse primum Mombelgardensis ecclesiae perturbatorem fuisse credidit, postea vero hac defensione motus eum Marbachio commendavit.* (*Cf. Epp.* 18. *Iun. et* 28. *Sept.*)

morte pientissimi Regis Eduardi (cuius memoria in benedictione est), in tuam ditionem venissem, ut nobilem quendam affinem meum inviserem, qui aliquot ante mensibus et ipse ex eadem dispersione in regione tua ad tempus consederat, tanta sum humanitate a claro quodam viro, qui tibi est a consiliis et ex ecclesiae tuae praefectis, exceptus, ut me non minus felicem existimarem quam si in terram illam promissionis accessissem. Etenim hoc illi testimonium perhibeo, si fieri potuisset, oculos suos effossos mihi daturum fuisse. Is autem te principe pollicebatur futurum optimum illius ecclesiae statum, praeclaram fore universitatem, viros clarissimos undique adventuros: denique omnia laeta prospera felicia denunciabantur. Sed exactis aliquot cum affine meo hebdomadibus, quum illinc discedere cogitarem, ut florentissimam Christi ecclesiam Genevensem et alias vicinas inviserem, idem ipse nobilis vir et ecclesiae tuae praepositus me rogavit ut ibidem Excellentiae tuae adventum operirer. Id ipsum fecit et cancellariae tuae scriba, cum quo aliquo die in ipsius iam dicti praepositi aedibus pransus fueram, una cum iurisconsulto doctissimo Carolo *Molinaeo.* [2]) Tandem eadem de causa missus ad me venit honestus ac probus vir *Georgius,* [3]) illius ecclesiae pastor in qua habitabat affinis meus. Cui quoniam quae a me petebantur denegare non poteram, mansi in illa tua ditione pacifice mensibus quinque, [4]) non sine fructu, ut spero, et utilitate: quemadmodum testari poterunt omnes fideles illius tuae ecclesiae ministri, quotquot Dei gratia nondum fuerunt perniciosissimis erroribus impuri Martini *Bellii* imbuti et fascinati. [5]) Omnes illos et de doctrina mea et conversatione in veritate et coram Deo, si rogentur, paratos esse confido testimonium reddere.

Hic mihi forsitan obiiciet T. C. esse qui de me aliter sentiant: quod non infitias eo. Sunt enim, sed pauci. Cui enim viventi contigit unquam ab omnibus probari, omnibus placere? Verum si C. T. libuerit, huius odii originem (odio enim, non zelo ullo laudabili ducuntur) facile intellexerit. Qui de me ita sentiunt, quique falsis calumniis aures tuas consiliariorumque tuorum repleverunt, hi sunt qui *Bellium,* de quo paulo ante, *Serveti* haeretici perniciossimi fautorem in ecclesiam tuam invexerunt et literis ad amicos et ministros missis commendarunt: qui alba veste candidati omnes alios suis erroribus non consentientes contemnunt. Atque hi, eo ipso die quo huc primum veni, vultu satis declararunt quam parum gratus esset illis adventus meus. Exsulem enim me et peregrinum ecclesiae olim ministrum vix dignati sunt alloquio, vix societate, vix communicatione.

Post dies autem aliquot ex eorum secta insurrexit quidam Iacobus *Getheus,* [6]) homo plane phrenetica audacia, qui tanquam *Serveti* ac *Bellii* patronus seu paranymphus, in *Bellii* laudem dulcissima carmina decantare coepit, quibus peregrinos, qui nuper in illam regionem venerant, ad *Bellii* amorem pelliceret. Illos autem suos mellifluos versus candida *Bellii* veste indutus nobilis ille versificator una cum *Bellii* libro legendos exhibuit cuidam pio ecclesiae ministro, eumque blanditiis pollicitationibus et maiorum autoritate in suam sententiam allicere tentavit. Quod ut commodius faceret doctiores et potiores istius ecclesiae ministros [7]) (quorum nominibus parco) suis favere partibus narrabat. Atque hac occasione parum abfuit quin ille pius Christi servus in Bellianum errorem adductus fuerit. Quis enim non facile in eas partes trahatur, a quibus summos excellentesque viros et magnis dotibus insignes stare videat? Igitur *Getheus,* quum persuasum haberet novum sibi proselytum advenisse eumque modis omnibus studeret se duplo peiorem reddere, illo comitatus * tanquam armigero (non aliter ac Getheus ille incirconcisus [8]) ad nos descendit, ratus aperto Marte, id est, argumentorum vi et copia atque doctissimorum virorum autoritate, quos secum sentire affirmabat, et me et omnes qui nobiscum aderant cum suo comite in suam sententiam adducturum. Sed quum in utroque spe sua frustratus esset, ut nihil ad suam impudentiam addi posset, primum coepit, ut alter Goliath, ecclesiis Dei quae sunt in Helvetia et Sabaudia insultare, sanguinarias vocitans, quae pium illum (ut aiebat) *Servetum* iniusta morte damnassent. Cui quum respondissem, non esse nostrum disputare iustene an iniuste sit morti adiudicatus, maxime quum constet illum iam a viginti annis ecclesiae praeiudicio ut perniciosissimum haereticum damnatum: statim ve-

2) *Is m. Maio Tubinga relicta Argentoratum, Dolam, denique Mombelgardum se contulit. Verum iam antea ibi commoratus videtur.*

3) *Fortasse G. Dumont, vigente Interim catecheta in Bavans, Audincourt, Vandoncourt, Dola etc.*

4) *Neque de termino a quo, neque de termino ad quem nobis constat.*

5) *Quos tu liberaliores et a calviniano rigore abhorrentes dixeris. Serveti asseclas inter Mombelgardenses ministros fuisse minime nobis persuademus. Satis erat Calvinistis ad tales criminationes proferendas, si quis capitale iudicium in rebus religionis ferendum negaret. Cf. N.* 2032. 2063 *et infra Sulzerum N.* 2192.

6) *Gète, qui olim fuerat v. d. m. in Roche, vigente Interim etiam in Blamont, Villars et Glay.* (*Goguel p.* 41. 48.) *Cave autem cum confundas cum illo Blamontano ministro qui a Tossano cum tribus aliis dimissus fuit. Huic enim Farellus et Calvinus patroni fuerunt.*

7) *An Basileenses?*

8) *Goliath ex oppido Gath.*

nenum suum coepit evomere, et iam sine dissimulatione *Servetum* suum haereticum impudentissimum tueri et defendere, affirmareque illum de trinitate optime sensisse, item diversos errores Anabaptistarum et Pelagianorum proponere. Quorum qui in praesentia mihi veniunt in mentem hi sunt: 1. Mysterium trinitatis nunquam fuisse sanctis patribus agnitum. 2. Trinitatem personarum et earum distinctionem realem non posse ex sacris scripturis probari. Item cum Anabaptistis non verebatur ore impuro affirmare: 3. Parvulos non esse baptizandos. 4. Foedus initum cum Abraham fuisse temporale et nihil ad Christianos Christianorumque filios pertinere. 5. Foedus novi testamenti re et substantia a foedere veteris testamenti differre. 6. Ad magistratum publicum non pertinere ut puniat peccata spiritualia, nempe illa quae sunt contra praecepta primae tabulae. 7. Magistratus non Christianos sed hypocritas facere. Quod quidem non est veritus qui primus inter eos pollet doctrina et autoritate publice saepius affirmare. Tandem descendit in errorem Pelagianorum multaque horrenda protulit de divina et aeterna praedestinatione, affirmans 8. Praedestinationem a solo hominis arbitrio pendere, cuius in potestate sit credere aut non credere, servari aut damnari. [9]) Atque hi errores communes sunt cunctis sectae Bellianae addictis, quorum tanta est impudentia ut cum suo *Bellio* affirmare palam audeant: 9. Sine cognitione Christi posse homines salvari. Tandem etiam cum Libertinis coepit de statu animarum post mortem dubitare, asseverans: 10. Poenam debitam peccato Adae fuisse solam incinerationem, iuxta illud: Cinis es et in cinerem reverteris. Interrogatus an anima cum corpore interiret, se ignorare respondit, esseque super hac quaestione Deum consulendum. Addebat praeterea 11. Ex sacris scripturis non posse probari esse aliquem damnatum, ne ipsum quidem Iudam. Haec omnia quum intellexissem, vel coram testibus fide dignissimis, et nollem eum traducere, consulens paci et tranquillitati illius ecclesiae, primo coepi illum interrogare, si parvulos iudicaret non esse baptizandos qua fide quave conscientia poterat eos sibi in ecclesia oblatos baptizare? Tum ille, non possum, inquit, solus ecclesiam reformare, quare cogor me aliis accommodare. Inde (quod mearum erat partium) singulos errores ex Dei verbo pro viribus confutare sum aggressus, et ipsum *Getheum* amice et humane coram ipsis testibus commonefeci ut ab huiusmodi impiis dogmatis abstineret et resipisceret. Idem contenderunt qui ibi aderant testes omnes pio et sincero corde. Sed o impudentissimam hominis pervicaciam! Tantum abest ut acquiesceret piae admonitioni, ut potius nobis insultaret et apud suos sese iactaret et venditaret, quasi de nobis strenue victis gloriosum deportans triumphum. At ego ratus, non esse satis semel virum admonuisse, et non nescius eum qui ab errore viae peccatorem revocaverit servaturum a morte animam et operturum multitudinem peccatorum: iuxta Dei praeceptum accersivi duos illius ecclesiae ministros fideles, eosque obsecravi ut servato iuris ordine *Getheum* placide ac benigne admonerent et leniter corrigerent. Qui si ea adhortatione non flecteretur, dicerent ecclesiae, id est, praefectis et senioribus, quibus commissa est cura administrandae ecclesiasticae disciplinae.

Verum quum officium piorum pastorum in hoc negotio praestitissent, ecclesiae praesidentem [10]) admonendo ut mature grassanti morbo obviaret, ibi liquido cognovi quantum malitiae, quantum fellis amaritudinis et hypocrisis lateret sub candida veste Belliana, et luce clarius sum expertus quod dixit beatus Chrysostomus: Malos qui monet offendit, et in odium incurrit qui arguit criminosos. Nam ab ea die qui prius se simulabant esse amicissimos a me sunt alienati, et factus sum illis inimicus verum dicens.

Haec est, Princeps, unica mea culpa, si tamen culpa dicenda est. Hoc unicum quod obiiciunt crimen illi tui ministri *Bellii* discipuli: hoc solo a me offensi quod lupis albis irruentibus in tuum gregem, ut devorarent oves ecclesiae tuae, restiti et opertas haereses in ecclesia tua latitantes et subpullulantes detexi. Hinc fons odii, quo ducti contra me latrant et vociferantur, sicut Achab contra Heliam, dicentes: tune es qui conturbas Israelem sive ecclesiam nostram Mompelgardensem? Quibus ego audacter cum Helia propheta respondeo: Non ego sum qui conturbo Israelem et ecclesiam vestram, sed vos alba veste Belliana candidati, nec non et fautores vestri, qui derelicto puro Dei verbo et contempta vera ecclesiastica disciplina sequuti estis doctrinam *Bellii* hominis personati, qui non audet ad lucem accedere, ne coarguatur eius doctrina. Nam qui male agit odit lucem, et lucem refugit ne opera eius patefiant.

Audisti ergo, Princeps serenissime, primam originem tragoediae et causam qua impulsi quidam Mombelgardii concionatores unanimi consensu in me conspirarunt, et impudentibus mendaciis calumniosisque literis ad tuendam malam causam suam a quibusdam fratribus ecclesiae gallicae Argentinensis clandestine procuratis innocentiam meam apud tuam Excellentiam deformarunt, falsis criminibus aures

9) *Hinc apparet Getheum istum revera manibus et pedibus pro Castellionis placitis pugnasse. In sequenti vero articulo de rebus post mortem futuris huic vel ipsi acerrimi adversarii nullum errorem imputabant.*

10) *Tossanum.*

tuas, alioqui in omnes benevolas, onerantes, ut me tibi, hominem ignotum et nihil unquam de te male meritum, quam odiosissimum redderent. Confido tamen tibi notum esse, nullam in rebus et factis innocentiam fore si accusasse sufficeret. Quare operae pretium est, ut quod etiam in tua ditione mihi te absente contigit intelligas.

Anno Domini 1554 die 19. Novembris coram consiliariis cancellariae tuae in ius sum vocatus: quo delatore nescio, nemo enim se in crimen subscripserat. Hoc memini, accusari me quod contra edicta tua Blamontensis ministrorum classis colloquiis ac coetibus interfuissem, ibique perniciosas curiosas ac seditiosas quaestiones de praedestinatione tractassem, unde istiusmodi dissidia manassent. Sed quum ego certissimis ac evidentissimis argumentis probassem me nec Blamontem unquam adiisse, nec ubi sit scire, colloquiis autem nunquam adfuisse, eiusque rei ipsos Blamontenses ministros testes appellarem, facile tui consiliarii intellexerunt, eum qui talia retulerat hominem esse perfrictae frontis et calumniatorem confidentissimum. Quare detecta innocentia mea humane me dimiserunt, omnem mihi favorem apud tuam Excellentiam pollicentes, cum stipulatione etiam, se omnia quae acta fuerant tibi reverso fideliter significaturos. Sed, quantum video, rem ut erat gesta aut consulto subticuerunt, aut maligne ac infideliter tibi retulerunt. Alioqui adduci non possum ut credam tuam illam propensam in omnes clementiam et mansuetudinem, praesertim erga fidos ecclesiae ministros, assensuram fuisse ut homo tibi nunquam visus indicta causa e tua ditione extruderetur. Quid enim pugnantius humanitati et consuetae clementiae illustrissimorum principum Germaniae, eorum maxime qui veritatis evangelicae et tutores sunt et propugnatores? Quis princeps christianus, qui diligat decorem domus Dei, prudens sciensque sineret in sua ditione et a ministris suae ecclesiae tam sanctas, tam bene reformatas ecclesias, quales sunt Helvetiae et Sabaudiae, sanguinarias vocari? Quis veritatis, quis christianae caritatis amator hominem propter verbum Dei exsulem (si ita eum appellare fas est, quum Cypriano teste exsul non erit qui Deum in mente habebit) hominem, inquam, ignotum nihil de se male meritum, nulla facta sui purgandi copia, finibus suis exterminet? Quum itaque a praepositis cancellariae tuae non potuerim impetrare quod omni iure concedendum fuit, ut coram me sisterentur accusatores vel potius calumniatores mei, et tempus mihi locusque daretur diluendi falsa quae obiiciebantur crimina, magis ac magis confirmor in hac sententia ut credam totam causam et omnia quae hactenus gesta sunt tuae Excellentiae non innotuisse.

Quamobrem fretus benevolentia et humanitate tua hac apologia volui quae facta sunt ordine omnia tuae Excellentiae significare, ut intelligat quales ministros et speculatores in suo grege habeat, quorum nonnulli vereor ne similes sint iis quos descripsit Esaias c. 56. Nec vero existimes me ista scribere quod in tua ditione aut ecclesia locum ambiam.[11] Sed ea spe haec ad te scripsi ut innocentiam meam intelligas, et quorundam ministrorum tuorum impudentiam, grassantique morbo debitam medelam opportune adhibeas. Vale, Princeps illustrissime. Dominus Iesus Christus, in cuius manu sunt omnes fines terrae, dignetur te et ecclesiam tuam sancto suo spiritu regere sanctificare et gubernare. Lausannae Cal. Martii anno salutis M. D. LV.

2129.

MOLINAEUS CALVINO.

Bellii libellum superbe aspernatur, ipse immerito in Germania sua laude frustratus et Tubingae non eo loco positus quo speraverat et debuisset. Reliqua pars epistolae versatur in rebus domesticis.

(Exemplar authenticum exstat in Cod. Genev. 110, fol. 198. Priorem partem scripsit amanuensis, posteriorem Molinaeus ipse. Charta pessimam et intricatam autoris literaturam maiorem passa, sicut et aliae eiusdem, peiorem etiam fecit et lectu difficillimam. Asteriscos apponimus ubi in legendo textu haesimus.)

Clarissimo ecclesiae doctori D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo.
Genevae.

S. P. Fidelissime pastor ecclesiae. Nullas omnino a te literas recepi a tempore quo ante sesquiannum Neocomum exivi. Doleo quas Tubingae [1]) miseras periisse, ut iam ad te scripsi.[2]) Gavisus sum de incremento ecclesiae Orbae et Gransoni.[3]) Dum huc veni ostensus est mihi libellus *Bellii*, quem ultra bimestre non sum dignatus legere, existimans farraginem illam silentio relinquendam. Sed postquam vidi piam et eruditam apologiam D. *Bezae* nostri,[4]) aliquid de illa farragine inspexi et iudicavi D. *Bezam* optimum operae pretium fecisse

---

11) *Iam ei successio in Garnerii locum Argentorati promissa erat.*

2129. 1) *sic.*

2) *Epistola non exstat. Scripta fuisse videtur m. Dec. vergente.*

3) *Cf. N.* 2100.

4) De haereticis a civili magistratu puniendis, adv. M. Bellii Farraginem 1554 ap. Rob. Stephanum (*m. Augusto*).

sua illa confutatione, quam plurimum laudo. Nec erat res hoc tempore silentio transigenda.

Recepi nuper literas ex Augusta et Magdeburgo piorum et doctorum virorum abitum meum e Tubinga aegre ferentium. [5]) Pluribus iureconsultis ostensa fuit oratio mea, qui laudant quidem factum, sed vel tantillum imitari negligunt, ut mihi videatur Germania in plerisque locis eo morbo laborare quo Gallia. Sed non adeo usque Pharao ille [6]) et unionem et zelum bonarum rerum impedit in Germania. Deus utramque liberet. Gaudeo tandem D. Franciscum *Balduinum* erupisse qui huc venit decima huius mensis. [7]) Biduo post Argentinam petiit cum meis ad amicos literis, et per ministros Principis rursus Duci *Wirtembergensi* pro illo scripsi: utinam tam felix esse potuissem pro mea ipsius familia.

Nuper *Landgravii* literas recepi significantis se ea forma qua repulsam passus est, hoc est singularibus literis, amplius non scripturum. Sed in conventu aliquo principum, [8]) ut etiam mense Aprili ad me scripserat, eandem sententiam mihi significavit Dux *Wirtembergensis* fidem faciens in comitiis Augustanis [9]) ad quae profectus est, sed re infecta rediit. Video nulla comitia futura vivo Pharaone, et interim nihil mihi sperandum esse de familia. Cuius tamen spe potissimum huc veneram, et iam spem illam ultra Garamantas abiicio.

Scribit uxor et vere scribit se misisse ad me pro amanuense *Petrum* quendam qui mense Augusto substitit Genevae retentis 4 aureis ei in partem futuri salarii praerogatis, sed istic a magistris *Iohanne* et *Stephano* dissuasum et retentum, fucis quibusdam de mea morositate obtrusis. Ego non puto id fuisse *Crispinum* et *Robertum*, quos et bonos et amicos existimo. Sed quicunque sint illi, blaterones sunt ex eo grege de quo conquestum me ante biennium post [*casum?*] Dom. *Colladonii* meministi. Est unus bonus adolescens qui remansit in domo Dom. *Sarrazin*, nomine Ant. . . . . *oury* Pictavus, quod gratum habui et boni consului, et alius Iohannes nunc . . . . de quo nihil dico nisi quod ausus est tibi os sublinire ut ex te in . . . . intellexi, nec rem dignam reputavi qua de verba facerem. Fuit alius p. . latius nomine Carolus *Des* . . . ., alius frater procuratoris in parlamento Parisiensi, cui uxor dedit equum et pecuniam, seu potius ab ea extorsit ut ad me veniret. Neocomi ut venit quidem superbus helluo, linguarum indoctus, desidiosus, nisi ad culinam liguritionem et iactabundam garrulitatem, dignus quidem abbate epicureo, quem quatriduo exploratum nec a me sanabilem dimisi, malens et data et sumptum perdere quam domi monstrum alere. Miserebit simplicitatem pii viri *Dommartini* qui suadebat incumbere ad animam illam salvandam, quasi tempora mea talibus nebulonibus recudendis* impendi debeant. Atqui praecise* volo domi disciplinam, ut panem meum, totius vim industriae iaciam* in praeterfluentes aq[*uas*], hoc est in communi* ut sic fieri non possit quin interim ad plures electos perveniat donec in die illa comperiam illum. Quum ultimus ille platius* e Neocomo peteret Genevam, monui amicos, inprimis D. *de Varennes* ne temere ei crederent. Quod attinet ad hunc *Petrum*, si talis sit ut profitetur et ad me veniat, non solum 20 francos annuos habebit, ut convenerat, sed et 25 annuos, et si se magis industrium ostendat plus allocabitur, et liberum ei discedere quando ei libuerit . . . . non cogam aliquem mecum diutius quam

5) *Jean Brodeau, Vie de Ch. du Moulin Ch.* 9. *p.* 29: En 1555 la haute reputation de D. M., qui attiroit à ses leçons et à ses consultations tous les peuples de l'Allemagne, avec telle affluence qu'ils estoient contraints de loger aux hostelleries, toutes les maisons bourgeoises estant remplies, et l'augmentation de gages de conseiller que le duc de W. luy donna, luy attira l'envie des autres professeurs ses collegues . . . . . Ayant avec plusieurs bourgeois, qu'ils attirerent à leur cabale, conspiré sa perte ou du moins son expulsion, ils l'attaquerent dans un poinct grandement chatouilleux, qu'il dogmatisoit et mesloit avec la science de droict celle de la theologie. Ils passerent jusques là de dire qu'il estoit Ubiquiste et Schismatique (!?). Les Ubiquistes ou Ubiquetaires estoient certains Heretiques (!) dont Ioannes Brentius et Iacobus Schmidelinus [*Andreae*] estoient les chefs qui tenoient que le corps et l'humanité de J. C. estoit present partout. Du Molin écrivit que ce qu'il faisoit n'estoit que pour eviter le schisme et pour l'establissement de la paix et union de l'Allemagne et de l'Eglise catholique (*N.* 57. *Epist. m. Dec.* 1561) . . . . D'ailleurs le duc de W. luy manda au mois de Mars 1555 par l'un de ses principaux officiers et par le recteur de l'université, qu'il continuast ses leçons et ses consultations sans toucher aux dogmes et questions de la religion. Ce qui apaisa la noise pour quelque temps mais n'en osta pas la cause, et la faction et conjuration des adversaires fut si puissante que par un decret public il fut enjoint à DM. de se retirer, n'ayant vescu en repos et tranquillité dans la ville de T. que dix mois ou un an seulement. (*V. la fin de la 2e partie du Comm. sur la Coustume de Paris.*) *Quum Molinaeus lectiones suas Tubingae a. d. IV. Cal. Mart.* 1554 *auspicatus esset, et haec epistola Cal. Mart.* 1555 *Mombelgardi data sit, haec apprime concinunt et errat Brodeau qui eum m. Martio Tubingas sedentem producit.*

6) *Imperator.* (*Vide infra*).

7) Es haben sampt mir der Rector (*Sturm*) vnd die drey Herrn Visitatores den Schulherrn angezeigt wie D. Frz. Balduinus hieherkommen vnd in vnser Schulen den 4. Martii ein Orationem de laude et dignitate Iuris civilis gehalten, vnd diewil wie daruss abzunemen insignem in eo esse eruditionem etc. so seche vns für gutt an das die Schulherrn mit ihm wolten handlen lassen das er sich zum professore iuris in nostra schola wolte gebrauchen lassen vnd haben sich die herrn guttwillig finden lassen. (*Marbach. Diar.*) *Caeterum mox a Beza literae venerunt ad Martyrem, quibus Balduini inconstantia Argentoratensibus significabatur: qua de causa non ita multo post eum discedere passi sunt.* (*Hotomanus Bullingero* 20. *Mai* 1556 *in ej. Epp. p.* 7.)

8) *Naumburgensi puta, qui m. Maio* 1554 *agebatur, ubi etiam Sleidanus aderat.* (*Kugler, Hz. Christoph.* I. 338.)

9) *Dux Christophorus d.* 17. *Ianuar.* 1555 *Augustam profectus fuerat, mox autem redierat* (*ib.* 350).

volet stare. Alioquin si non veniat * 4 illos aureos reddat, pro fure illum habebo. Non est qui maiora det stipendia quam ipse do. Res integra: modo saltem intra 20 dies voluntatem significet. Si enim velit, exspectet donec pascha apud te fecerit. Laudabo hoc. Ille quem vidisti, qui ad me venit Tubinguae, nunc literis matris, fratre mortuo, excitus redit in Neustriam patriam suam. Vale. Dominus te et ecclesiam suam servet et augeat. Montbelgardi Cal. Martii 1555.

Tuus perpetuo
Carolus Molinaeus.

2130.

TOSSANUS BLAURERO.

Ministrorum olim dimissorum causa non male procedit et spes est ut in gratiam recipiantur, modo ne Farellus se immisceat.

(Ex autographo Bibl. civic. Sangallensis MSS. Tom. 37 Epp. VIII. fol. 9.)

Clarissimo viro D. Ambrosio Blaurero domino suo ac fratri colendissimo.

Bielis.

S. Quod citius literas a me non acceperis, colendissime *Blaurere*, in causa est quod domum reversus fratres ministros qui dimissi erant praeter exspectationem invenerim. [1]) Qui quanquam in multis graviter errassent, [2]) et principis sententiae acquievissent, et hinc abituri a praefecto dimitti petiissent, quo sibi alibi prospicerent, et quae voluerint apud alias ecclesias de nobis sparsissent, reversi tamen benigne auditi sunt: clementer cum eis agitur, speroque fore ut, te per literas, consule, consiliariisque et nobis supplicantibus, in gratiam a principe recepti ministerio restituantur, modo culpa agnita principis ordinationem recipiant, [3]) ad quam perpendendam tridui spatium petierunt, nimirum ut interea Neocomenses consulerent, quorum in tota actione consilium se sequi semper affirmarunt. Quae quum ita habeant ut res inclinent ad concordiam, non iudicavit praefectus qui hinc heri cum uxore in viciniam animi causa abiit acta causae ad te mittenda, priusquam transacta fuerint omnia. Interea fac, obsecro, ut *Farellum* domi contineas, [4]) cuius adventus non solum inutilis esset huic ecclesiae et fratribus, sed etiam principi decumbenti, valetudinario, et harum turbarum plus satis pertaeso ingratus. Optime vale cum uxore pientissima, *Func*[l]*io* [5]) et *Nicolao* fratribus venerandis, quorum sanctis precibus, sed tuis inprimis me semper commendo. Mombelgardiae 2. Martii 1555.

Tuus vere ex animo
Petrus Tossanus.

2131.

PROCLAMATION DU MAGISTRAT DE LAUSANNE.

Concernant la défense d'aller à la Cène à Genève. [1])

(Copie contemporaine. Bibliothèque de Genève. Carton 197aa. Même feuille que le N. 2117.)

Nous le Bourgmaistre et Conseil de la ville et cite de Lausanne, ayans entendu comme aucuns residens manans et habitans en nostre ville cite et iurisdiction ne se contentent des ceremonies iusques a present riere nous usitees, ains se transportent en la cite de Geneve aux iours que lon y celebre la saincte cene selon leur ordre et maniere, la recevant illec comme si par deca icelle ne fust distribuee par tel ordre et en la maniere que elle est instituee par nostre sauveur Iesuchrist, chose que nous semble scandaleuse. A ce effect tresassertes deffendons a tous noz bourgeois manans et habitans en nostre dicte ville et iurisdictions de

---

2130. 1) *Suadente classe Neocomensi redierant et Comiti Georgio petitionem tradiderant Tossano absente.*

2) *Goguel p. 55 autor est eos ecclesias Mombelgardenses a Wirtembergicis separatas Helveticis arctius iungere studuisse, et simul disciplinam severiorem ex mente Calvini et Farelli commendasse. Kirchhofer Far. p. 126 dicit eos nova Agenda respuisse, maxime formam ordinationis, et aegre tulisse quod Bellii opinio minime perhorresceretur. Caeterum quod h. l. Tossanus dicit eos sponte discessisse, hoc vero nequaquam consentaneum est.*

3) *Vides eos ministros a civili magistratu institui noluisse.*

4) *Cuius praesentia neque paci prospectura erat neque Tossano iam lutheranisanti grata. Comes ipse, quantumvis moderate, in eadem erat sententia.*

5) *lacuna in charta. Iac. Fünkle Blaureri collega olim Constantiae nunc Bielis.*

2131. 1) *N. 2097. 2117. 2127.*

quelle qualite quilz soient, soient Italiens Francois Alemans ou dautre nation que ce soit, que iceux se doivent depourter de ce que dessus et soy contenter des ceremonies comme dessus est dict iusques a present iouxte la reformation de noz tresredoubtez princes en nostre ville usitees et icelles tenir observer et d'icelles sen contenter: declairons a tous nos stipendiaires et autres que si iceux transgressent nostre dict present commandement ilz seront prives de leurs gaiges et s'ils sont estrangers seront bannis de nostre seigneurie et limites. Et quant a ceux qui sont des pais de noz tresredoubtes princes et ilz transgressent nostre dict commandement seront cites par devant eux a Berne pour sur ce illec entendre leur bon vouloir. Donc ung chascung soy sache conduire. Datae le second iour de mars l'an 1555.

Francois Gigniliat.

2132.

BULLINGERUS CALVINO.

Defensionem iam excusam mittit, auxilium in controversia ulterius sustinenda pollicetur, simul tamen hortatur ad patientiam et animi tranquillitatem.

(Autographon exstat in Cod. Genev. 114, fol. 85. Apographa habes in Cod. 111a, fol. 226, in Epp. Bern. VI. p. 409, et bis ap. Simlerum Vol. 84 et Vol. 80 ubi refertur ad m. Nov. 1553 sed non integra et in fine manca.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino fideli Genevensium pastori domino honorando et fratri longe carissimo meo.

S. D. Tuas, frater, exoptatissimas alioqui literas [1]) magno cum dolore legi, neque tamen nunc primum dolere incipio. Dudum enim ex *Hallero* nostro, quid quidam moliti sint et quanta importunitate insanierint, denique quid actum sit, intellexi. [2]) Quumque *Hallerum* sui admonerem officii, is ita se purgavit ut viderim palam aliunde hanc oboriri tempestatem, sicuti et te observasse ex tuis literis colligo. Age, mi *Calvine*, honorande frater, patienter feramus, quaecunque imposuerit baiulanda Dominus. Ita sunt tempora, tales sunt hominum male gratorum mores, a talibus non alia exspectare possumus. Audio me quoque apud *Bernates*, nescio a quibus falsis delatum fratribus, audire pessime: [3]) auxisse aiunt odium mei *Locarnensium* causam. [4]) Ego hoc universum commendo Domino, securus eius gratia mente. Scio me illis favere ex animo, scio quid egerim et spectaverim. Videbunt illi quoque aliquando, qui nunc conviciis me adoperiunt, candide egisse me et amicum ipsorum esse. Te quoque adhortor, colende domine et frater carissime, ut tranquillo animo hos sustineas impetus. Scis quae evenerint salvatori nostro a gente sua. Scis apostolum gravius conquestum fuisse de falsorum fratrum perfidia quam de hostium manifestorum iniuria. Vincendum nobis constantia et patientia. Dandum etiam tempori non parum quod opportune revelat abscondita. Sed est opportunitas in re quavis optima: niti contra flumen adversum imprudentium est. Ruunt non raro adversarii sua ipsius [5]) mole oppressi: importuna oppugnatione frequentissime iuvantur. Cogitemus ergo illud salvatoris nostri: Ecce ego mitto vos in medium luporum, estote igitur prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbae. Oremus sedulo, simus intrepidi in officio nostro. Dominus aderit nobis.

Habes hic defensionem tuam, imo nostram, excusam a *Froschovero* nostro, [6]) cui ego subieci epistolam. Parati enim sumus impetum adversariorum una tecum, Domino nos adiuvante, excipere. Abhorremus a pugna. Caeterum si aliter fieri non potest, precibus, verbo Christi et auxilio Dei firmati et armati subsidium tibi feremus et veritati pro nostra virili patrocinabimur. Oramus interim Dominum ut pacem concedat et omnes sopiat contentiones. Salutant te fratres omnes: salutabis tu nobis omnes fratres et symmystas. *Lysemannus* [7]) feliciter ad nos pervenit, vir simplex et pius. Dabit mihi quae a te accepit. Ego ita ad quaestiones illas * te respondisse arbitror ut meis nihil opus sit lucubrationibus. Dominus Iesus confirmet et servet te diu incolumem suae ecclesiae. Locarnenses iam migrant. Orate pro eis. Tiguri 3. Martii A. 1555.

Tuus ex animo Bullingerus.

2132. 1) *N.* 2120.
2) *N.* 2124. *Loquitur de Zebedaeo, Angelo et Bolseco.*
3) *De his alibi nihil.*
4) *De qua inter Turicenses autore Bullingero exsulibus faventes et reliquos pagos dissidium ortum erat.* (*Cf. N.* 2064.)
5) *sic.*
6) *Opp. Tom. IX. prolegg.* 15. *Epistolam Bullingeri reperies ibid. p.* 37.
7) *Lismaninus.* (*N.* 2110. 2120.)

2133.

COMANDER ET GALLITIUS CALVINO.

Suum et collegarum omnium Rhaetiae ministrorum calculum adiiciunt nuperae declarationi de sacramentis, simul nunciant laetos evangelii ibi et in vicinia progressus.

(Ex autographo Gallitii in Arch. Turic. olim Scrin. B. Epp. Tom. I. nunc Plut. VI. Vol. 106, fol. 632 unde sumpsit Simlerus Vol. 84. Aliud exemplar exstat Genevae Cod. 109, fol. 65, hoc quoque autographon; prius illud Bullingero inscriptum, hoc posterius Calvino. Describimus Genevense exemplar, variantes Turicenses margini reservantes. Est enim Turicense merum alterius apographon in usum Bullingeri factum.)

Pietate christiana et eruditione omnimoda longe clarissimo viro D. Ioanni Calvino domino suo colendissimo Christi evangelium Genevae per omnem terram praedicanti.

Genf.

Vere magno viro D. Heinrycho Bullingero domino suo bonis omnibus colendissimo.

Tiguri.

S. Librum de sacramentis, [1]) quem nobis etiam dedicare es dignatus, ad nos misit officiosissime communis in Domino nobis frater et bonis omnibus longe colendissimus, omnis et pietatis et eruditionis nomine Heinrychus *Bullingerus*. Agimus tuae humanitati gratias immortales pro honore quo patriam ac nos decorasti. Nostra enim nomina, etiamsi humilia, tu honorificentissime ponis. Maius tamen sit apud pios omnes, quod inter fidelissimas ecclesias [2]) Domini et servatoris nostri Iesu Christi (pereant huic repugnantes! [3]) nostras commemoras in parvo quidem opere, sed nihil minus quam non serio gravissimoque pro quo totus Christi orbis tibi debebit aeternum. Consultissimum longeque utilius fuit [4]) te haec scripsisse quam Tigurinorum aliquem: quod nusquam non gloriari quidam in te videantur, sibique maxima [5]) nescio quae polliceri de te contra nos.

Ut autem rerum nostrarum fias adhuc certior, [6]) et in existimatione illa nostri perstes, scias omnes ecclesias, quarum nunc maior pars sumus per Dominum, in tribus Rhaetiae [7]) foederibus credere et ore fateri uno, Christum Dominum carne sua in coelis esse ad dexteram patris, [8]) ac non alio aliquo in loco in terris, sacramenta esse sacramenta, non res ipsas, et vim habere prorsus eam quam adseris et perscribis in tuo illo, nostro iam facto, libello. Nec est in nostris foederibus aliquis ecclesiastes aut aliqua ecclesia, quae evangelium receperit et missam romani pontificis abrogarit, quae non hoc ipsum teneat et affirmet, magno et mirando consensu, ut potueris verissime de nobis dicere quae scripsisti. Sed et hoc scire tibi volupe fuerit in valle Tellina [9]) evangelium firmas agere radices, et ibi esse qui libere sermonem Christi proloquantur sacros concionatores, etiamsi multi reclament, quidam vero murmure concluso rabiosa silentia rodant. Speramus indies [10]) meliora. Caeterum qua puritate vos istic evangelium praedicetis, cognoscere licet vel ex hoc fratre qui hic, quamvis in domo non satis pii esset, integerrime se gessit in Domino. Dominus Iesus det ut diu vos incolumes istic suum sermonem possitis proclamare unde totus exaudiat orbis. Amen. Fratres hic omnes bona omnia precantur omnibus symmystis in ditione vestra. Ex Curia Rhaetiarum die 4. Martii anni 1555.

Tuae humanitatis toti
Ioannes Comander et Philippus Gallitius
ecclesiastae Curienses
iussu fratrum omnium qui Christi evangelium
in tribus foederibus praedicant.

2133. 1) *Defensionem contra Westphalum.*
2) ecclesias *om. Tur.*
3) pereant qui huic repugnant, ecclesias *Tur.*
4) consultissimum fuit multoque utilius *Tur.*
5) magna quaedam *Tur.*
6) certus, adhuc certior fias *Tur.*
7) Rhaetiae om. *Tur.*
8) ad dexteram Dei patris esse *Tur.*
9) *ubi Vergerius et alii Itali inde ab anno* 1550 *magno cum studio et successu evangelium praedicaverunt.* (*De Porta l. II. passim.*)
10) Indies itaque speramus *Tur.*

2134.

MOLINAEUS CALVINO.

Cur facilius ex Tubinga migraverit explanat. Porro de suis rebus varia addit, obiterque Westphali farraginem alto supercilio respuit.

(Exemplar authenticum sed lacerum per amanuensem scriptum et propria Molinaei manu hinc inde correctum exstat in Bibl. Genev. Cod. 110, fol. 199. Inscriptio non adest.)

S. P. Doctor ecclesiastes et pastor clarissime, ad . . . . et sic post sesquimensem tuas datas decimo quint[*o Ianuarii*] una cum pia et acri defensione tua sincerae doctrinae [*accepi.*] Non tam

subita quam necessaria erat migratio ex inhosp[*itali Tub*]inga . . . . intercipiente hyeme cogerer sine domo ad finem usque veris sequentis remanere, conscio et dissimulante principe, qui iam ad turbas vitandas locum mihi a Maio ultimo hic paraverat.[1]) Non timebam mihi a turbis sed principi, hoc est, ne ipse, quod per suos tacite, tandem aperte, conquereretur, statum suae potioris urbis per me turbari. Vincebam facile, et non modo saniorem sed maiorem etiam scholarium partem mecum habebam: sed professores omnes et ditiores cives cum omnibus aulicis et fere ministris contra me erant. Et verebar ne iam gliscens tragoedia in graviorem scissuram (inchoato fructu amisso) exiret, si iam a principe derelictus[2]) manifeste expellerer. Itaque praevenire malui, quum etiam non solum advenientibus auditoribus, sed etiam typographis, pro quibus frustra mense Iunio et Iulio fideiubere volui, locus denegaretur. Et interim futurum erat ut interpretationes meae analyticae ab aliis suppilatae excuderentur, ut iam partim coeptum est.[3]) Non erat fervor mitigatus, sed temporaria hypocrisi semel velatus in ultima promotione biduo priusquam discederem, ut etiam D. *Isemannus*[4]) mihi dixit, illos non sponte facere, sed verentes abitum meum, iam ante octiduum evulgatum, in eorum infamiam per totam Germaniam redundare. Et vero ἡ παῤῥησία μοῦ contra schisma et ubiquitatem,[5]) et apologia mea[6]) πρὸς τὸν Ἄρχοντα feriis paschae in causa fuit ut is volens in causis tantum mea opera uti, hac me destinaret, et coeperint aulici consilii principalis praetextu infinitis λεπτογημάτοις,* usque ad libellos e gallico in latinum vertendos, intricare ut a severioribus avocarer. Ab exitu patriae non tam laete iucunde et salubriter habitavi ut hic,[7]) nec tam solidum habui otium. Hac in re uterque princeps pollicita plenissime praestiterunt, reliquis potioribus in auras evanescentibus tam de familia quam de schola, quam de typographia. [Iam[8]) clare video istos principes id agere ut sepeliatur, ut sub modio occultetur ἐναργία[9]) illa quam mihi dedit Deus, et ostendere cupit Tubinga: et suas tantum causas ferentem indigent ut ante 30 annos eram Parisiis. Itaque rursus emergere enitor, falsus ea quam de eis opinionem conceperam Lausannae ex Tridentina confessione]. Quare tribus hebdomadis postquam Comes venit sexto Calend. Martias diserte tractare coepi et de scripto dedi rationes quibus dimittendus sum ut Argentinam repetam, ubi, quando hic non licet, cum voce viva typographicam iungam. Tum non profitebor illic annum quin senatus pro familia eruenda agat cum Rege, qui non audebit negare. Eam iam haberem si illinc non discessissem. Spes quae me transversum egit eo me revocat. Sentio *Marlacum* et *Fraxineum* Curiae Rhaetorum: sed quidquid aulice spirent, si rex iussisset, cum libera bonorum evectione, facile uxor vellet.[10]) Et scio artem qua volentem vel invitam extraherem. Quid enim vetat quominus mea per procuratorem vel me ipsum, si opus esset, venderem et liberos abstraherem? Quid tum illa sola? Sed quia ab illa, non regia, sed connestabilica et cardinalitia repulsa desperat, sic loquitur et sic interim afficitur mutabilis pagina inversa. Non debes tam facile credere aulicis: quos scire debes esse compositos ad stomachum eorum qui regnant in aula, aut saltem sic loqui, quibus exitus ille non placet: quod nisi timerent eventum, non detrectarent experiri liberum semel concedendo exitum. Tum hoc concesso quid dubium quin ipse semel possem libere ire et redire.

Mense Iunio[11]) Martinus *Frectus* licentiatus ordinarius theologus farraginem[12]) illam mihi tradidit rogans ut legerem, et quid sentirem dicerem. Sperabat me in eam sententiam flectere, aut amicos, et paulo antequam discederem ei reddidi, dicens probare me ea quae linea marginali notaram, reliqua nugas et λογομαχίας ducere. Audivi illum conquerentem se audisse ἀντιλογίαν a te parari, et quod inde multum nomini tuo detraheres in Germania. Sed falletur. Veritas vincet, et scio principes etiam praecipuos Germaniae, qui mihi circa pascha scripserunt quod sentirem recte, sed nondum tempus esse. Pharaonem verentur qui, quam non potest omnino subige[*re* . . . .] niam ex ultimo elogio impii *Granvellii* et exemplo apostatae Iuliani

---

2134. 1) *Etiam hinc efficies autorem Vitae Molinaei* (*N.* 2129 *not.* 5) *in temporum ratione computanda errasse. Haagius a vero longius etiam abest quum Molinaeum m. Maio Tubinga excessisse et Octobri Monbelgardam appulisse dicit* (IV. 413).

2) *Quod ergo ipse negare nequit.*

3) *Nobis plures* Tractatus analytici *et* Consilia et responsa iuris analytica *Molinaei, annis* 1556 *et seqq. excusa innotuerunt.*

4) *Suevo-Halensis, Brentii collega postea superintendens generalis Tubingensis, a.* 1574 *fato functus.*

5) *Ecce ignorantiam et petulantiam scriptoris Vitae Molinaei, in loco supra laudato.*

6) *utrum scripta aut viva voce edita nescimus.*

7) *Mombelgardiae, ubi tamen non diu commoratus fuisse videtur si eundem scriptorem Vitae audieris, qui eum m. Maio Argentorati, Iunio Wormatiae, postea Cassellis fuisse perhibet unde Augusto cum Ludovico Landgravio eius sororem Barbaram Georgio comiti desponsatam Richovillam deduxit, ubi nuptiae d.* 10. *Sept. celebratae sunt.*

8) *Haec in margine manu propria.*

9) *sic.*

10) *Haec satis confuse et obscure dicta. Brodeau p.* 29 *autor est, uxorem Ludovicam de Beldon, quae usque Lutetiae remanserat, ei scripsisse: Regem reditum liberum ei concessisse.*

11) 1554. *Frechtus a.* 1550 *creatus fuerat prof. theol. Tubingae et ephorus stipendiatorum.*

12) *Westphali.*

occasionem huiusmodi turbae quaereret ut deteriori parti adhaerendo utramque obrueret.

Typographum unum solertissimum e Galliis evoco. Possum hic illi curare dari domum et maiorem victus partem a Principe, sed longe maius erit eique utilius si vel simplicem habitationem ei queam impetrare Argentinae, qua de re iam scripsi. Et forsan ante tres hebdomadas ipsemet adibo cum exemplaribus elegantis typographiae. Ego enim non possem (praesertim hic) sumptus ei praerogare typographiae, ut nec princeps facturus est: sed ibi pro sua insigni industria et diligentia societatem inire poterit cum primario typographo. Tum illic facilius sumptus suppeditare potero, quanquam maiora lucra illuc me non alliciunt, nec me delitiae huc remorantur. Iam causas satis intelligis. Precibus tuis et ecclesiae tuae me commendo. Feliciter vale, invalesce et prosperare. Mombelgardi 3. nonas Martias 1555.

Tuus perpetuo
Carolus Molinaeus.

Dum librum in abusus pap. gallicum facio [13]) sextuplo 2 partem auxi ita ut dubitem an magis expediat prius integrum actum latine edere vel simul latine et gallice.

2135.

CALVINUS PACEO.

Curis obsessus, inimicitiis circumventus, certaminibus implicitus, vix sibi sufficit, et silentio vincere quam pugnando mavult. Haec ad commendandam suam defensionem contra Westphalum.

(Habuimus exemplaria Ionvillaei in Cod. Genev. 107_a, fol. 96 v., Turretini in Cod. 108, fol. 47, Bernense Epp. VI. p. 410, et Simleri Vol. 84. Versio anglica ed. Philad. III. 155.)

Eximiae pietatis et doctrinae viro D. Valentino Pacaeo fido verbi Dei ministro et theologiae professori in ecclesia Lipsica.

Quod tristissimas curas quae me non parum angunt aliquo solatio lenire peramanter studes, quod me ad tolerantiae cursum hortaris et simul admones ut me frivolis certaminibus implicari non patiar, gratum mihi tuum officium est, optime et integerrime frater, atque utinam mihi in multiplici turbarum varietate qualis optanda est suppeteret tum ingenii dexteritas, tum consilii praesentia, tum animi magnitudo. Est tamen hoc aliquid quod, tametsi durae me iactationes quotidie exercent, imo graves procellae capiti meo incumbunt, quibus obruendus videor, me tamen intra stadii metas contineo. Nam vix fieri potest quin a recta linea quandoque incogitantia lapsus deflectam. Quod vero difficile sit non pertrahi ad multos conflictus, indies magis experior. Scio equidem, melius non posse vinci plerosque hostes quam dum spernuntur, et ego pridem ad raucos strepitus obdurui. Vix credas quam multae indignitates et domi et in vicinia mihi ferendae sint ac silentio premendae. Et sane vix credas quot Satanae tricas multa premendo ac dissimulando abrumpam: alioqui vix centesimae parti sufficerem. Verum non semper effugere in manu nostra est, ac si Ezechieli prophetae cum mulierculis certandum fuit eadem necessitas placide nobis obeunda est. Si tibi nota esset huius loci conditio, diceres otii quaerendi causa alio procul migrandum esse. Interea nescio an clamores vestratium hominum sedabit brevis excusatio quam nunc in lucem emisi. Si forte me ad colloquium admittant, nullis molestiis terrebor quin libenter accedam. Quod si pridem illis cordi fuisset amica compositio, semper me voluntarium professus sum. Vale, eximie vir et mihi honorande frater. Saluta amicos si qui istic sunt quibus non displiceat a me salutatio. Dominus te semper tueatur suo praesidio spirituque regat et labores tuos benedicat. Amen. Genevae 3. Nonas Martii 1555.

Ioannes Calvinus tuus.

2136.

LE SÉNAT DE GENÈVE AUX AMBASSADEURS ENVOYÉS A BERNE.

Affaires de Zébédée, Bolsec et Fonselet.

(Original et Copies contemporaines aux Archives de Genève, Pièces historiques N. 1567, en double expédition et à la Bibliothèque Carton 197^{aa}. (Variantes B.). Il y a aussi une traduction allemande sur laquelle Calvin a écrit: *Translation de ce qui fut propose le lundy*, à quoi une autre main ajouta: *premier de Apvril* 1555 *des affaires ecclesiastiques*. Au dos de la pièce B. Calvin a écrit: *Les pieces du proces contre la sequelle de Hierosme*. Copies récentes aux Archives de Berne Epp. VI. p. 551 et chez Simler Vol. 84.)

13) *Titulum affert Haagius:* Les commentaires analytiques tant sur l'edit des petites dates et abus de la cour de Rome etc. Lyon 1554. 4. (nouv. éd. augmentée de plus d'un tiers Lyon 1564. 4.). *In anno* 1554 *patet errorem latere.*

Instruction et charge donnee a noz bien aymez freres Syndic Conseiller et Ministres de la parole de Dieu en nostre cite, les nobles Henry Aulbert, Francois Chamoys et spectables Me. Iehan Calvin et Me. Raymond Chauvet, pour aller a Berne. Donne ce 5. de Mars 1555.

Vous vous transporterez a Berne et la ferez noz bien amiables recommandations et offices a la Seigneurie de tous plaisirs honneurs et services possibles. [1])

Puys leur declairerez de nostre part, premierement: combien le scandale est grand par deca et quelz sont les trobles. Par ainsin quilz ne trouvent point estrange que nous les ayons priez derechefz dy vouloir mieux remedier. [2])

En apres pource que lesdits Seigneurs alleguent [3]) que les prescheurs de Nyon et de Bursin se sont excusez de navoir blasme la doctrine et la foi que nous tenons, veu que le contraire est tout notoire et public: il nous semble que pour bien purger le mal il seroit expedient davoir attestation de ceux qui en peuvent estre tesmoings, assavoir tant les prescheurs de leur classe que ceux qui les ont ouys. Car de recevoir de simples negatives, quant on a en mains les tesmoignages a lopposite, ce seroit donner pour l'avenir licence aux delinquans de faire de mal en pys.

Et tochant ce que noz prescheurs ont este accusez comme si la faulte venoit deulx, vous les advertirez que nous avons apelez noz ditz prescheurs par devant nous pour en scavoir la verite. Lesquelz nous ont donne leur responce par escript [4]) article par article laquelle leur exhiberez, et oultre cela spectable M. Iehan *Calvin* en son nom propre et separe leur en pourra faire plus ample declaration si besoing est. Or pource quil est ayse de verifier le faict pour scavoir qui a tort ou droict les requerrez jnstamment de nostre part quil en soit deuement cogneu et que nous offrons de nostre coste, si noz prescheurs se trouvent coulpables, de ne laisser point le mal impugny, Et quil nest pas raison quilz soient faulsement chargez de calumnies: car cela ne seroit pas seulement sur leurs personnes mais reviendroit au detriment desdicts Seigneurs et de nous et de tout le peuple qui par ce moyen est jnfecte de maulvaises zizanies.

En oultre les advertirez [5]) bien seurement de nostrepart que jamais nous navons entendu aux sermons de nozditz prescheurs aulcuns diffames qui tendissent a mettre schisme ou divorce entre les eglises, mais sommes esbahys dont telz bruictz et murmures sont procedez: touteffois (comme desia nous avons dict) non seulement nous sommes tres contens mais encore desirons entant quen nous est que bonne jnquisition sen face, Et cependant que lesdicts Seigneurs advisent si les excuses de noz ditz prescheurs sont raysonables ou non sur les poinctz quilz confessent.

Quant a ce que lesditz Seigneurs pensent que pour acquerir et nourrir paix et union entre nous jl fauldroit avoir conformite de ceremonies comme du commencement, leur declairerez que la diversite des ceremonies nest point venue par jnnovation que nous ayons faicte de nostre part, veu quelles estoient du commencement que levangile sest presche en nostre ville. Quainsin soit il y a dixhuit ans [6]) que nous tenions quant au baptesme, a la cene et aux jours de feste la forme presente, ainsin en cela nous ne sommes point a condamner, comme si nous avions change nostre premiere reformation.

Au reste quilz scavent que dieu a laisse les ceremonies a nostre liberte sans nous donner adstriction certaine pour estre conformes en tout et par tout. Qui plus est ilz suportent bien leurs aultres alliez et ne se fachent point contre eux pour beaucoub de choses quilz ont differentes en leurs eglises: voire daultant que cela nempeche point la fraternite crestienne et ne rompt point le lien de la foy.

Touteffois si cela empeche bonne union entre nous, assavoir que nous soyons divers en ceremonies, leur remonstrerez quil na pas tenu en nous que le remede ny ayt este mys. Quainsin soit lan 1553 et le 22 de may nous envoyasmes noz commys No. Iohan Amied *Botellier* et spect. M. Iehan *Calvin* [7]) avec charge suffisante den pouvoir communiquer et traicter avec lesditz Seigneurs ou leurs commys, affin que ce qui seroit trouve estre bon et propre dung coste et daultre pour ledification commune des eglises fut accorde et receu. Et encore persistons en ce propos, nous offrans condescendre a telle moderation, et mesmes que nous serons tousiours prestz denvoyer quelques uns de noz prescheurs

2136. 1) *Ce premier alinéa manque dans B. qui commence ainsi:* Premierement que noz ambassadeurs leur declairent *etc. En général le tout est formulé à la troisième personne.*

2) *B. ajoute:* Car s'il ny s'y faict meilleure provision que par cy devant il est a craindre qu'il n'en vienne des confusions beaucoup pires au grand mespris de Dieu et vitupere de levangile et consequemment de la ruine du peuple. Mais pource que *etc.*

3) *dans leur lettre du 26. Janvier.*

4) *ci dessous N.* 2137.

5) Cependant nous voulons advertir les dicts seigneurs que jamais *etc. B.*

6) *Oeuvres X. P. I. page* 5 *suiv. Roget, histoire de Genève* I. 15. *Kampschulte* I. 289.

7) *La date et les noms propres sont laissés en blanc dans B.*

pour en communiquer avec ceux de leurs excellences. [8]) Et pensons que cela doibt bien suffire pour monstrer quil ny a nulle faulte en nous en cest endroit. Mais aussi nous prions lesditz Seigneurs de ne trouver point maulvais que nous vueillons que tout se face par bon ordre et edification selon la reigle que dieu nous a donnee.

Davantage leur direz de nostre part que [9]) sommes fort contristez, et non sans cause, qu'en la deffence faicte par eulx a leurs subiectz de ne venir communiquer a la cene en nostre ville, [10]) nous sommes taxez comme si noz ceremonies, qui sont la dictes Calvinistes (ne scavons pourquoy) estoient discordantes a la purete de levangile. Car combien que nous ne scavons si telle facon de parler est procedee desditz seigneurs, et que nous sommes assez persuadez que leur jntention nest pas de blasmer nostre ville et tant moins de condamner ce qui est si justement ordonne et quilz cognoissent eux mesmes estre conforme a la parolle de Dieu: touteffois comme plusieurs malins ne cherchent que occasion de mesdire, jl sen est leve ung si grand scandale que si lesditz seigneurs ont lhonneur de dieu pour recommande, et en second lieu la bonne reputation de nostre eglise, ilz cognoistront quil est besoing dy pourveoir par quelque bon moyen, tant pour clorre la bouche aux papistes et tous espritz mutins, que pour apayser la conscience des jnfirmes qui en sont fort trobles. Nous scavons bien que cest une bonne police que chacun recoive la cene en sa parroice, affin que les pasteurs veillent chescung sur son troupeau. Mais cela se peult faire moderement avec exception quand jl ny auroit cause legitime dabsence, et puys sans se separer les ungs des aultres, et sans se reprouver ou imposer quelque notte dignominie. Car tout cela ne peult convenir a nourrir paix ny amitie: mesme contrevient au debvoir mutuel que nous avons ensemble par la combourgeoisie. Parquoy nous prions lesditz Seigneurs dy vouloir adviser en sorte que dieu soit servy de nous dung commun accord. Et mesmes quil ne semble point quen ces temps de troubles nous soyons devisez ou que lung mesprise et pique laultre.

Touchant les excuses de Sebastien *Foncelet*, [11]) affin que lesditz Seigneurs entendent quil les a par trop abreuvez de mensonge, vous leur declairerez comme de long temps jl sestoit absente et rendu fugitif de nostre ville pour avoir este accuse de larrecin domestique selon quil est contenu aux jnformations que nous vous avons baillees pour leur en faire lecture si besoing est. En second lieu leur declairerez que la difficulte quon luy a faict de celle quil nomme sa femme a este pource que jl avoit faict mariage clandestin combien que le mary de ladite femme fut vivant, quil ny heut nul divorce faict par authorite de justice, ce que nous ne voudrions aulcunement permettre en nostre ville, comme de faict jl nest honeste ne licite quelque part que ce soit. Tiercement quil a vilainement oultrage non seulement M. Iehan *Calvin* et ses confreres ministres, ce que ne doibt estre souffert, mais aussi nous et nostre ville, comme jl appert par les escriptures de sa propre main que leur produyrez si besoing est, a ce que lecture en soit faicte, Et par le dizain qui est a la fin dune lettre. Pourquoy requerrez auxdictz Seigneurs que suyvant nostre combourgeoisie jlz ne permettent point que nostre honneur soit ainsin foule aux piedz par ung vagabond.

Quant aux excuses de *Hierosme* leur direz que les ministres de Thonnon, a ce que nous avons entendu, pourront testifier de quoy jl sest vante dempuys son retour de Berne. Il y a aussi daultres tesmoignages par lesquelz jl apperra que sil continue a faire comme jl a faict jusques ycy jl ne cessera jamais de troubler, comme leur pourrez amplement remonstrer et combien jl est necessaire dy pourveoir. [12])

(L. S.)

2137.

LES MINISTRES DE GENÈVE AU SÉNAT.

Justification et récriminations dans l'affaire des ministres Vaudois contre Calvin etc.

(Copie de la main de Ch. de Jonvillier, à la bibliothèque de Genève, Carton 197[aa]. Archives de Berne Epp. VI. 415. Simler Vol. 84.)

8) avec ceux de Berne *B. Cette formule achève de nous convaincre que B. contient une première ébauche de l'Instruction.*

9) Cependant nous sommes *etc. B.*

10) *En effet c'était là le point le plus grave dans cette affaire. La présence à la messe catholique n'était punie que d'une amende de* 10 *livres, et de plus les préfets dans leurs circulaires s'étaient plus à offenser Calvin personnellement.*

11) *Voyez les pièces N.* 1979 *suiv. B. écrit:* Fourcelet.

12) *Hess, Bull.* II. 246, *Ruchat* VI. 127, *Trechsel* I. 199 *et Hundeshagen* 288 *n'en disent pas plus que les documents que nous publions ici.*

Response des ministres de l'Eglise de Geneve sur les articles d'accusation proposez aux magnifiques seigneurs de Berne par les prescheurs de Nion et de Bursin.

En premier lieu nous sommes esbahiz comme les magnifiques seigneurs de Berne ont receu ce qu'il leur a este rapporté de nous sans s'enquerir de la verité du faict. Car de nostre coté nous n'avons jamais requis d'estre creuz en nostre dire sinon qu'il fust deuement prouvé et verifié, comme de rechef nous supplions que les plaintifz que nous leur avons faict soient miz en prouve. Et pour le faire court qu'on examine toute la classe de Morges pour scavoir si le ministre de Bursin [1]) n'a point diffamé maistre Iehan *Calvin* en sa doctrine, comme en le monstrant au doyt jusques a l'appeler heretique. Qu'on examine aussi les auditeurs qui estoient presens au Temple de Rolle et qu'on sache quelle doctrine il a proposé en voulant blasmer celuy qui avoit fidelement exposé le passage. Nous n'y allons pas par longz circuitz. Quant il plaira aux magnifiques Signeurs de Berne ilz auront en trois jours la certitude du faict.

Touchant le Prescheur de Nyon [2]) vous scavez, magnifiques et treshonorez Signeurs, ce qu'en a esté rapporté par quelcung des Signeurs de vostre conseil: [3]) c'est que ledict Prescheur le fist rougir en s'escriant: Vous qui avez le glaive pres d'icy debvriez avoir honte de maintenir une heresie qui est pire que toutes les abominations de la Papaulté. Et de faict le pays en est tellement abbreuvé qu'il n'est ja mestier d'en faire longue enqueste. Parquoy de recevoir simples excuses ou des negatives en payement quant le contraire est tout congneu, il nous semble qu'il n'y auroit pas grand' raison.

Au reste s'il fault que nous aions esté iniuriez à tort nous le souffrions patiemment, et ce que nous en avons faict de poursuytte n'a esté que pour soustenir la doctrine de Dieu que nous portons comme nous y sommes tenuz du debvoir de nostre office. Mais le mal est double quant nous sommes chargez de calomnie sans propoz ne couleur. Car en ce faisant celuy qui auroit esté battu payeroit l'amende, comme on dict en proverbe. Qu'ainsi soit, ceux qui disent que nous appellons les prescheurs du pays de Berne Lapidaires [4]) à cause du Baptistaire, s'il se trouve que jamais ce mot nous soit sorty de la bouche, qu'on nous lapide. Ceste submission monstre combien nous sommes asseurez.

Sur le second article ou ilz disent que les subiectz de Berne sont refusez au Bapteme quant ilz ne donnent point des noms aux enfans à nostre plaisir, nous ne pensons point que cela soit jamais advenu.

Sur le troisiesme article ou ilz disent que nous avons faict ung grand catalogue de noms [5]) non recevables ilz faillent tout au beau premier comme vous scavez, magnifiques signeurs, et abbreuvent leurs superieurs de mensonge. Au reste vous scavez surquoy vostre edict touchant les noms fut fondé, c'est qu'il se trouva que le nom de Claude par idolatrie avoit esté imposé à ung enfant qu'on cuidoit mort. Et d'aultant que vous trouvastes que ceste superstition avoit regné et pareillement qu'on faisoit comme une sorcellerie des noms de trois Roys, qu'on appelle, vous y prouveustes avecques telle moderation que ceux qui en detractent vous devroient plustost louer.

Du Sacrement de la Cene.

Si nous enseignons de l'excommunication ce que l'Escriture en monstre cela ne doit pas nous estre imputé à crime. Comme nous avons tousiours protesté, encores persistons nous en cela que nous ne pourrions saincternent administrer la cene qu'en aiant l'usage de l'excommunication selon qu'il a esté institué de nostre signeur Iesus et pratiqué par les Apostres. Et c'est merveilles comme ceux qui se disent ministres de la parolle de Dieu et en tiennent la place ont osé mettre une telle reproche en avant, veu que plustost ilz se devoient efforcer à tendre au mesme but. Qu'ilz le facent par malice et contre leur conscience, sur tous *Zebedee*, il est bien à presumer veu qu'estant à Orbe il en a luy seul dict et faict plus que nous tous ensemble ne disons ne faisons.

Au second article ou ilz disent que nous crions en sermons que ceux qui n'y veullent point consentir sont pires que Turcz et juifz, ilz ont corrumpu et depravé ce que nous en aurions peu dire soit en chaire ou ailleurs: ascavoir que les payens et idololatres nous monstrent nostre leçon en cest endroit. Car puis qu'ilz ont eu excommunication en leurs sacrifices de peur de profaner ce qu'ilz estimoient estre sainct, c'est grand'honte à nous si pour le moins nous ne faisons aultant d'honneur

2137. 1) *Lange.*
2) *Zébédée.*
3) *Jonvillier avait écrit:* ce que le Signeur Amy Perrin en a rapporte par son serment. *Une autre main a changé le texte.*
4) *On trouve les articles auxquels Calvin répond ici à l'Appendice A. de la lettre N.* 2095.

5) *Projet du* 22. *Nov.* 1546. *Oeuvres* X. 1, *p.* 49. *Roget, hist. de Genève* II. 248.

aux Sacremens que nous scavons nous estre donnez du ciel.

Nous ne daignerions respondre au troisiesme article: si ceux qui l'ont mis en avant se sentent rongneux qu'ils se grattent. Car il est certain que tous vrays serviteurs de Dieu vouldroient bien que la regle contenue en l'Escriture fust observee. Et si l'infirmité du peuple ne peult souffrir qu'il y aict excommunication en l'Eglise, pour le moins ilz confesseront que c'est ung vice qui n'est pas à louer.

Sur le quatriesme article ou ilz disent que nous faisons l'office des magistratz d'ung jour ou de deux et le nostre perpetuel, il n'y a celuy qui ne soit prest de mourir quant jamais il l'aura pensé, tant s'en fault que ce propoz soit commun entre nous. C'est doncques une malice trop vilaine d'avoir controuvé une telle calomnie.

Quant aux festes.

Vous scavez, magnifiques et treshonorez signeurs, si nous en avons esmeu troubles en noz sermons, mesmes si plustost nous n'avons tasché de reprimer toutes contentions, monstrans que cela est en liberté et qu'il ne fault point que les uns se picquent contre les aultres pour avoir observation diverse entre eux.[6]) Ainsi nous protestons que tout ce qu'ilz en disent sont aultant de calomnies.

Du faict de Hierosme.

Pour scavoir si *Hierosme* a obey au commandement des magnifiques signeurs de Berne qu'on s'enquiere des ministres de la ville de Thonnon lesquelz ne sont pas loing. Qu'on sache du maistre d'Eschole de ladicte ville et du ministre d'Armoy et d'ung homme de Geneve que c'est qu'il a dict de *Servet*. Quant les choses sont toutes claires, il merite aultant qu'on recoive ses excuses comme ung larron seroit admis à nier estant surpris et trouvé sur le faict.

Sur la responce donnee par Bastian Fonssellet.[7])

S'il n'estoit question que de parler devant vous, magnifiques et treshonorez Signeurs, ce seroit peine perdue d'amener nulle replicque pour reprouver ses mensonges. Mais affin que les magnifiques Signeurs de Berne, si besoing est, soient advertiz qu'il les a tresmal abbreuvez nous coucherons icy en peu de motz ce qui vous est assez congneu.

C'est bien une mocquerie de ce qu'il faict à croire qu'il s'absenta de vostre ville il y a quatre ans pour different qui avoit en la doctrine avec maistre Iehan *Calvin*. Comme si vous ne scaviez point qu'il fust alors fugitif pour ses larrecins. Mais il semble que dorenavant ce doibve estre ung privilege de faveur quant on fera semblant d'avoir contrarié à celuy qui ne cherche sinon de servir à Dieu.

Touchant de ce qu'il dict de sa femme vous estes assez informez que le cas est tel qu'il avoit seduit une femme laquelle avoit encores son mary vivant et avoit couché avec elle secrettement lui aiant persuadé que tel usage estoit pratiqué à Geneve. Vray est que le mary avoit esté quelque temps absent, mais il ne luy estoit pas licite de ravir la femme d'aultruy sans congnoissance de cause. Mesmes auiourdhuy quant elle consentiroit au mariage si ne leur seroit il permis de le celebrer en pays de Berne selon les Edictz qui y sont. Tant y a que nous y avons faict simplement nostre office quant ladite femme est venue en consistoire. Et c'est trop grande impudence audict *Fonssellet* d'avoir oultragé maistre Iehan *Calvin* comme s'il lui eust retenu sa femme, veu que jamais n'a parlé à elle ny en bien ny en mal.

Il nye assez hardiment les diffamations qu'il a faictes contre vostre ville l'appellant double Sodome. Mais en cela il monstre l'honneur qu'il porte à ses princes et Signeurs osant ainsi renier sa propre main. Mais pource que vous scavez ce qu'il en est et avez dequoy le convaincre, nous ne passerons point plus oultre.

De ce qu'il dict de trois messagers qu'ilz ont sommé de faire confession de sa foy nous ne scavons que c'est: mesmes les hommes nous sont incongneuz. Mais quant ainsi seroit, ce qu'il appelle confesser sa foy baiser la pantoufle, n'est pas une iniure contre ung homme mortel mais ung blaspheme contre Dieu indigne destre ouy en ung tel conseil.

2138.

CALVINUS GADIO.

Respondet ad eius quaestionem de negotio nobilis cuiusdam cuius bona et reditus canonicis obligata sunt sub autoritate papae.

(Servavit Beza ed. Genev. p. 157, Laus. p. 340, Hanov. p. 380, Chouet p. 212, Amst. p. 97.)

6) *Comp. l'Institution* II. 8, 31 *suiv. et les lettres de Janvier* 1551.

7) *Appendice B. de la lettre N.* 2095.

Literas tuas,[1]) optime frater, tertio demum mense, postquam datae fuerant, accepi: ne mireris serius responsum a me venire, quam optabas. Brevius autem ut in festinatione tibi rescribo: quia Bernam proficiscens iam ad iter accingor.[2]) In dando quod petis consilio nonnihil sum perplexus. Cuperem optimo viro, qui se expedire cupit a tyrannide Antichristi, manum porrigere. Et certe pium eius studium ab omnibus Christi servis iuvari par est. Sed videndum, quid Dominus nobis permittat: quia nostrum non est quidquam ex eius placitis laxare. Porro in quaestione quam mihi proponis duo scrupuli occurrunt: liceatne christiano homini rescissionem testamenti a papa petere: deinde, an sub hac lege petere liceat, ut bonus vir sponte donarii loco annuum proventum alicui ecclesiae assignet. Atque in hoc secundo magis laboro. Etsi enim tantum autoritatis papae deferre absurdum est, ut sua indulgentia nos ab aliquo vinculo solvat, deterius tamen videtur idolis offerre partem aliquam reditus, ut maior pars salva maneat. Itaque non video, quomodo pio homini fas esse possit papam hac in re implorare, et quidem sub illa forma. Alia ratio magis esset tolerabilis, si cum collegio, cui bonorum successio legata est, transigeret. Quod non puto fore difficile, si modo tertiae partis iacturam non refugiat. Nam canonici, vel quicunque sint, non aegre cedent dubio iure, praesenti lucro adducti. Si viro bono grave est tertiam reditus sui partem quasi abiicere, cogitet satius esse perdere totum proventum, etiamsi centuplo maior esset, quam aliquid illicitum tentare. Etsi autem proventum illum canonici in sacrilegia convertent, quia tamen respectu boni viri non est superstitiosa oblatio, sed pretium quo se ab astrictione redimet, hoc pactionis genus offensa carere existimo. Non enim dicet in cultus perversos se dicare proventum illum, ut conscientiam liberet: sed haec erit transigendi ratio, quod quum trecentos aureos canonicis obligatos nunc possideat, centum illis concedat, ut ducenti liberi maneant. Si vero necessaria erit papae autoritas, ut ratus sit contractus, eam petere canonici suo nomine poterunt. Hac autem confirmatione in suum commodum utetur pius vir: quia non de spirituali iure hic agetur, sed tantum de tranquilla fundi possessione. Quod si commoda non erit haec ratio, vendat ipse canonicis totum fundum, vel ex eorum consensu cuilibet obvio, ita ut illis tertia pars in praedam cedat. Mallem aliter, hoc est, minore eius damno. Sed dabit veniam, si non audeo ultra progredi. Praestat enim quovis modo cum canonicis pacisci, modo id fiat politice ad solvendum astrictionis vinculum, quam religionis praetextu assem unum offerre. Quod si placide se pius vir bonorum parte exuet, uberior ei fluet Dei benedictio, quam ut molestum illi esse debeat, minus latum fundum quam antehac tenere. Tu vero, mi frater, quum probe sis ad obeundum munus tuum animatus, nullis stimulis indiges. Antequam operam tuam addiceres ecclesiae, non ignotae tibi erant difficultates et molestiae quibuscum nunc tibi luctandum est. Nunc tantum rogandus est Deus, ut infractam constantiam novasque subinde vires suppeditet, ut per omne genus obstacula in stadio tuo pergas usque ad metam. Vale, optime frater et mihi carissime. Dominus tibi semper adsit, sanctis laboribus det prosperum successum teque spiritu suo regat. Saluta meo nomine pios fratres, qui istic sunt. 3. Nonas Martii 1555.

2138. 1) *N.* 2054.
2) *Cum legatis pridie Nonas.*

2139.

CALVINUS MELANCHTHONI.

Gaudet eum ipsius studia contra Servetum probasse, sed enixe optat, imo acriter instat ut tandem aliquando in articulo de coena suam sententiam candide et luculentissime proferre audeat.

(Ex thesauro Bezano Gen. p. 156, Laus. p. 339, Hanov. p. 379, Chouet p. 211, Amst. p. 97. — Versio gallica legitur in ed. Berol. 189, anglica in Philad. III. 157. Abest a Corp. Reform.)

Literae tuae,[1]) clarissime vir, non hoc solum nomine mihi gratae fuerunt, quia mihi carum est quidquid abs te proficiscitur, deinde quia ex illis intelligo, fixum adhuc in animo tuo manere amorem illum, quo me ab initio complexus es: sed maxime, quod illic luculento elogio meum in expugnanda *Serveti* impietate studium commendas: unde etiam coniicio, te simplici mearum admonitionum libertate non fuisse offensum. Hoc defuit, quod pleniores esse optassem. Neque tamen importunius urgeo: sed quoad pace tua licet, etiam atque etiam te rogatum velim, ut tecum de quibus scripsi, tacitus saltem expendas. Sic enim te operam daturum confido, ut de gratuita piorum electione sincerior quam antehac docendi forma inter nos mutuo conveniat. *Περὶ τῆς ἀρτολατρείας*[2]) pridem interior

2139. 1) *N.* 2031.
2) *Melanchthonianum illud Noster de industria suum facit. Planckius (prot. L. Begriff V. 2, p.* 418) *Philippi firmi-*

animi tui sensus mihi cognitus est, quem etiam non dissimulas in tuis literis. Sed mihi displicet tua ista nimia tarditas, qua non tantum fovetur, sed etiam in dies augetur eorum dementia, quos tam petulanter ruere vides in totius ecclesiae perniciem. Atque ut tibi non ita facile sit tales bestias fraenare (quod tamen vanum esse arbitror, si modo auderes) scis tamen a spe successus officia nostra minime pendere, quin praestare nos etiam in summa desperatione oporteat quod Deus exigit. Nec vero illa mihi excusatio satisfacit, malevolos, qui te oppressum cupiunt, hinc captare plausibilem materiam. Quid enim facturi sunt servi Christi, nisi spreta invidia, contemptis sinistris rumoribus, posthabito etiam discriminum metu, quaecunque obstacula ingerit Satan victrice constantia superent? Certe quantumvis in te insaniant, nihil tibi durius ab illis impendet, quam ut migrare istinc cogaris. Quod tibi, meo iudicio, complures ob causas sponte optandum foret. Verum ut timenda sint extrema quaeque, tibi semel statuere necesse est, quid Christo debeas, ne ingenuam veritatis professionem supprimens ad eam opprimendam quasi tacitum patrocinium improbis hominibus accommodes. Ego ut eorum tumultus compescerem, summam doctrinae nostrae rursus brevi compendio complexus sum. Subscripserunt omnes Helveticae ecclesiae. Tigurini etiam mirifice probarunt. Nunc iudicium tuum avidissime exspecto:[3]) quid etiam reliqui vestrates vel sentiant vel loquantur, scire vehementer expeto. Quod si tumultuari non desinant qui tam hostiliter nos traducunt, nos operam dabimus ut nostros clamores totus mundus exaudiat. Vale, clarissime vir et mihi semper in primis observande. Dominus te spiritu suo gubernet, praesidio tueatur ac virtute sustineat, nosque simul contineat in sancto consensu, donec in coeleste suum regnum colligat. 3. Nonas Martii 1555.

2140.

BERTLINUS[1]) BULLINGERO.

Controversia cum Westphalo etiam suam ecclesiam turbare incipit.

tatem laudat quod Calvinum non audierit ad ea urgentem quae magis nocuissent quam profuissent. Quae penes suos iudices sunto. Lege ipsum Calvinum N. 2089.

3) *quod tamen ille non prodidit. Vide ep. eius* 12. *Maii.*

2140. 1) *N.* 1987.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 117a, olim Scrin. C. Epp. Tom. I. fol. 417. — Simler. Vol. 84.)

Fidelissimo ecclesiae Tigurinae antistiti Heinricho Bullingero domino et amico suo in Christo observando.

Tiguri.

S. D. Dabis veniam, humanissime et doctissime *Bullingere*, si iterum ego rudis et iners sancta tua studia laboresque pios interturbaro. Quod enim facio non tam mea quam fratrum, tum piorum aliquot, imo veritatis Christi adserendae causa facio. Rogarunt adeoque per Christum obtestati sunt me fratres et aliquot pii ut tibi scribam precibusque a te contendam ut Christi simplicem de coena Domini veritatem, a *Westphalo* illo pastore Hamburgo obscuratam vel potius oppugnatam, tu responso brevi ex scripturis sacris perspicuo et firmo propugnare vel propugnatam illustrare adsererequе velis, ut Dei gratia potes. *Calvini* enim scriptum nullum ad nos pervenit,[2]) quem audio se huic *Westphalo* opposuisse. Sunt qui silentium vestrum desertionem causae vel turpem fugam interpretantur, qui tamen causae favere videri volunt. Reliqui theologi, vel potius χρεολόγοι triumphant inter suos. Esto, liceat illis iubilare, adeoque ante victoriam ἐγκωμιάζειν, sed ne fiat in iniuriam seu imminutionem simplicis Christi veritatis. Quaeso, mi humanissime *Bullingere*, quae tua est pia eruditio et sancta prudentia, de remediis cogita. Quare pro tua fide dexteritate et prudentia fideliter et fortiter te adpone, ne carnalis hic tumor periculose recrudescens in perniciem corporis Christi, hoc est eius sanctae ecclesiae pergat.

Unum addam, si nescis: Editus est superioribus diebus libellus alius cuius titulum ad me perscripsit diaconus ecclesiae Campidonensis talem: *Collectanea sententiarum D. Aurelii Augustini episcopi Hipponensis de coena Domini. Addita est confutatio vindicans a corruptelis plerosque locos quos pro se ex Augustino falso citant sacramentarii, per M. Ioachimum Westphalum. Ratisponae ex officina Iohannis Carbonis. Anno etc. LV.*[3]) Priorem libellum huius *Westphali* in linguam germanam versum studiose suis commendant clamatores carnales, quem et in canonem, ni fallor, consecrabunt.

Haec, doctissime *Bullingere*, tibi subindicare

2) *Nondum ergo pervenerat. Bullingerus vero, qui Calvini defensionem Turici excudendam curavit* (*N.* 2132, *not.* 6) *et sic suam fecit, iam Bertlini desiderio satisfecerat.*

3) *Cf. Opp. IX. Prolegg. p. xij. Errat Simlerus qui hunc libellum Timanno Bremensi tribuit qui alium scripsit sub titulo:* Farrago sententiarum *etc. Errat quoque vir summus Planckius* (V. 2, p. 45) *quum dicit Calvinum suam Defensionem huic tertio Westphali libello opposuisse. Imo vero diutius etiam de eo nihil rescivisse videtur.*

volui ut dispicias caveasque ne quid detrimenti veritas Christi simplex, tum offendiculi Christi ecclesia accipiat. Vale, optime et in Christo observande *Bullingere*, et meam infantiam vel impudentiam boni consule. Ex Memminga pridie Nonarum Martii anno a nato servatore Christo MDLV.

T. humanitatis deditissimus
Bartholomaeus Bertlinus
ecclesiae Christi ibidem minister.

2141.

SULZERUS BULLINGERO.

De utraque nuper exorta controversia, contra Westphalum de coena et contra Calvinum de praedestinatione, sic agit ut videas eum talium iam taedere.

(Excerptum ex autographo Turicensi, Archiv. Plut. VI. Vol. 155, fol. 388, olim Scrin. B. Epp. Tom. 33. — Simler. Vol. 84.)

Viro praestantissimo D. Heinricho Bullingero domino et fratri colendissimo suo.

— — — — — — — — — — — — — — — —

Caeterum quod requiris de *Calvini* scripto, id unum respondeo, videri mihi strictim renovasse quae pridem in media controversia de sacramentis ab hac parte allata sunt, idque subacerbe pro ingenii vehementia, forte et scriptoris, nescio cuius, acerbitate incitatus, *Vestphali* nimirum, cuius scriptum mihi visum non est, et vix legissem etiam oblatum, adeo a pugnacibus in hoc argumenti genere libellis abhorreo, pridem harum contentionum ad nauseam usque satur. Metuo autem ne incendium exardescat utrinque, non sine gravi scandalo, nisi Dominus potente manu sua temperet. Eum, quod unum possum, cum meis precor ut donet nobis idem sentire et loqui, et unum in ipso esse qui crucifixum profitemur omnes.

Intelligo et aliam controversiam cieri *Calvino* praedestinationis nomine, eumque contentionis ignem etiam inter fratres Sabaudos ditionis Bernensis gliscere, excitatum a *Zebedaeo* quodam Geldro, qui et eius etiam tempestatis in ecclesia Bernensi non postremus autor exstitit de ministerio et symbolis, quae me cum aliis patria eiecit. Adeo non quiescit Satanas. Agam cum amicis Bernae hortando quantum possum ut tempestive malo ingruenti occurratur. Intelligo enim ex quibusdam hos conflictus odiosiores ac forte periculosiores futuros quam priores fuerint. Tu, mi *Bullingere*, si quid in ea re potes, scio, advigilabis. Vale. Basil. 7. Martii anno 1555.

T. Sulcerus.

2142.

VERMILIUS CALVINO.

Defensionem Consensus accepit et edita gaudet. Vocationem a coetu Italorum Genevensium sibi oblatam pro tempore nequit sequi. Sed haec brevius. Fere totus est in tradenda sua de communione cum Christo sententia, eaque eo obscuriore et intricatiore quo magis in explananda desudat.

(Ex appendice Locorum communium autoris ed. Tig. 1580, fol. 577. Ed. 1587, p. 1094.)

Libellum defensionis consensus nostrarum ecclesiarum de sacramentaria controversia et iam editum gaudeo et illi quam cumulatissimum fructum opto, nec dubito pro eruditione ac pietate qua instructus prodit infirmis utilitatem, eruditis consolationem, pertinacibus vero multum stomachi atque odii allaturum: neque id novum erit quia ita verbi Dei fert conditio. Quod nihil eorum quae monueram [1]) sit immutatum, auditis rationibus quas assignasti epistola tua in optimam nedum in bonam partem accipio. Hoc tamen sum miratus, et laeto animo si sic haberet audirem, N. [2]) quae scripsisti suo calculo probasse. Virum enim ob alias eius egregias dotes amo: sed in hac de qua nunc agimus controversia semper mihi visus est σαξονικίζειν plus aequo, et a vero quod tuemur alienum animum habere. Quid nostri iudicaturi sint nescio. *Marpachio* tradendas et literas et librum iudicavimus. [3]) Nil enim scribebas quod a cordatis hominibus non debeat et possit aequi bonique fieri. Non autem mireris quod fortasse tardius respondeatur. Conventus quidem a tuis literis redditis habiti sunt, at mensem totum *Marpachius* ipse abfuit, qui a quatuor diebus est reversus. In patriam ivit [4]) et redeundo Tiguro iter fecit, meque illorum omnium ministrorum nomine salutavit. [5]) Loquendo satis est lenis et blan-

---

2142. 1) *Vide N.* 2089.
2) *Hic Sulzeri nomen suppressum fuisse suspicamur.*
3) *Cf. Garnerii ep. N.* 2125.
4) *Lindaviam cf. N.* 2145.
5) *Quasi id magni momenti fuisset et mentione dignum. Verum memineris qualis tunc iam fuerit Argentorati calvinisantium et lutheranisantium mutua conversatio.*

dus at suae opinionis admodum tenax. Eo profecit ut pani corpus Christi non includat, sed praesentiam quoad communicantes carnis et sanguinis Christi re ipsa et verissime contendit asserendam, et eam praesentiam qua etiam perversi homines et indigne manducantes vescantur. Quod liquido patefacit eum perceptionem fidei non attribuere, nisi de vitali et salutifera loquamur, quasi alia quaedam sit vera et realis, ut aiunt, corporis Christi manducatio quam impii quoque usurpent.

Verum de his nimis multa, praesertim tecum, qui uno verbo controversiae statum intelligis. De N. N.[6]) quae scribis ego quoque ita esse et novi et doleo. Praedestinationis doctrinam sincere non admittit, atque ut olfeci totus cum *Philippo* facit, imo et explicat permulta in quibus ne *Philippus* quidem ei subscriberet, quae nunc retexenda non iudico. Cur vero panem atque vinum symbola esse corporis ac sanguinis Domini neget, nullam video iustam rationem afferri posse: quam etiamsi ostenderet, potius divinis literis quam ipsi credendum existimarem, a quibus tam panis quam calix ut ἀντίτυπα corporis et sanguinis Domini commendantur. Actionem tamen ipsam, id est, comestionem atque potationem symbolum esse illi concederem suavissimi pastus animorum et naturae nostrae totius instaurationem, quam sacramento eucharistiae communicando per fidem sumimus. Quod vero dicat, naturale Christi corpus in cibum non dari, equidem sic accipiebam, quasi hoc dicendo sese iis opponeret qui ore corporis, dentibus, lingua et palato atque faucibus corpus Christi a nobis transmitti in ventrem blaterant. Quod si alio spectet ipse viderit: mihi sane id exploratissimum est, quidquid alimenti seu escae spiritualis ex corpore Christi a nobis percipitur, id ex eius vero et naturali corpore haberi: quod nostrae salutis causa olim cruci affixum est, et in coelis modo summa gloria circumfusum residet. Quum enim quidquid est alimoniae, quod utique permultum est, fide a nobis hauriatur, quis eam dixerit in corpus aut fictitium aut phantasticum fieri? Nullus profecto ita statuet qui salvam fidei veritatem et dignitatem velit. Nam ea res uti sunt apprehendit. Quare quum Christi corpus neque olim in cruce neque modo in coelo natura sua sit exutum, a nobis per fidem naturale, ut est, percipitur.

Sed dum de N. N. haec ad te scribo, ecce mihi aliud in mentem venit, de quo ut sciscitер et quid ipse iudicem adscribam, iusta causa me movet. Quod ut audacter facio, ita liberum tibi erit, quando vacaverit, quid iudices indicare. Non enim responsum urgeo, ut qui te occupationibus non poenitendis nimium premi non ignorem. De communione quam habemus cum corpore Christi atque substantia ipsius naturae non omnes eadem dicunt: quamobrem [*quae?*] ipse credam audies. Res magni momenti est, ut qui Christi est qua ratione illi sit coniunctus intelligat. Principio quidem video, beneficio incarnationis eius illum (ut ad Hebraeos dicitur) voluisse nobiscum carne et sanguine communicare. Quum enim pueri carni et sanguini communicarint, et ipse voluit horum esse particeps. Verum nisi aliud communionis genus intercederet, communis admodum haec esset et debilis. Nam quotquot humana specie comprehenduntur, hac ratione iam cum Christo communicant: sunt quippe homines, ut ipse fuit. Ideo praeter illam hoc accedit, electis destinato tempore fidem adspirari, qua in Christum credant, atque ita illis non tantum condonari peccata et Deo reconciliari, qua in re vera et solida iustificationis ratio sita est, sed etiam spiritus vim instaurantem addi, qua nostra quoque corpora, caro, sanguis et natura immortalitatis capacia fiunt, et Christiformia (ut ita dixerim) indies magis ac magis evadunt. Non quod substantiam suae naturae abiiciant, et re ipsa in corpus atque carnem Christi transeant, sed quod spiritualibus donis atque proprietatibus non minus ad illum accedant, quam corpore, carne ac sanguine cum eo iam ab ipsa nativitate naturaliter communicaverint. Habemus itaque hic iam duas communiones cum Christo: una est naturalis quam ab ipsis parentibus per ortum trahimus, altera vero contingit per Christi spiritum quo ab ipsa regeneratione ad speciem eius gloriae innovamur. At credo inter has duas mediam esse, quae sit fons et origo omnis coelestis et spiritualis similitudinis quam cum Christo adipiscimur: et ea est qua statim quum credimus Christum ipsum vere caput nostrum nanciscimur efficimurque ipsius membra. Unde ab ipso capite per compagines et commissuras (ut inquit Paulus) spiritus eius in nos tanquam in sua vera legitimaque membra fluit ac derivatur. Proinde communio haec nostra cum capite prior est saltem natura, licet fortasse non tempore, illa posteriori communione quae per instaurationem inducitur. Atque hic, ut mihi videor intelligere, physica ratio nos adiuvat. Primum, ut ea tradit, in foetibus cor ipsum generatur, inde per quandam venam spiritus a corde funditur penetratque aliquantulum praeparatam materiam animantis ac ibi caput fingit: unde per illam venam, qua spiritus a corde profectus est, caput cum corde coniungitur. Inde rursus per aliam venam spiritus a capite fluit et post aliquod spatium hepar informat, quod genus visceris per colligantes arterias aut venas cum capite atque corde communicat. Ab hepate item aliisque primoribus membris aliae arteriae seu venae tenduntur ad alias materiae partes,

6) *Ex Calvini ep. supra laudata patet hic Lasci nomen substituendum esse.*

per quas ille generator spiritus transiens alia fingit reliqua membra: qui fit ut ea omnia simul communicent, et inprimis cordi, hoc est, fonti vitae iungantur, non quidem loco seu contactu, quemadmodum aiunt immediato, sed quod inde admirando summi artificis opificio spiritum vegetantem ac vitam hauriunt. Et licet ista similitudo quoad omnes eius partes urgeri subtiliter non debeat, rem tamen utcunque sub oculos ponit ostenditque nobis, postquam iam homines sumus ut ille fuit, cum Christo hanc primam intercedere communionem, quod eius membra efficimur. Deus quippe illum (ut Paulus testatur) caput dedit ecclesiae: quia, ut spiritus ab eo fluit, modo hoc modo illud membrum sibi fingit, atque adglutinat, illudque per spiritum ipsum proprietatibus ac temperamento sibi simile reddit, quandoquidem iam naturaliter simul conveniunt. Prius itaque Christus, dum convertimur, efficitur noster et nos illius, quam ei sanctitate ac inhaerenti iustitia reddamur similes. Haec illa est arcana communio qua illi dicimur inseri. Sic illum primo induimus, ita caro ex carnibus eius, os ex ossibus eius, ab apostolo dicimur. Et ex hac iam exposita communione semper illa postrema, dum hic vivimus, perficitur. Nam membra Christi semper eo spectant ut eius similiora evadant. Neque communionem hanc mysticam impediunt locorum spatia, sed dum in terris degimus haberi potest, licet ipsum Christi corpus in coelis cum patre sedeat atque regnet. Abunde satis est ut nexibus atque compagibus quibusdam spiritualibus illi nectamur: quae tamen vincula seu colligationes ab ipso capite pendent ac derivantur. Et ea sunt fides cumprimis, verba Dei et sacramenta. Per ista spiritus a nostro capite dimanans per ecclesiam divagatur, et sua membra proportione iusta vegetat et assimilat. Has ego communiones cum Christo recipio: alias (ut verum dicam) non intelligo. Quod praesertim ob illam dico quam nonnulli ex patribus etiam inducunt, potissimum Cyrillus, qui substantiam carnis et sanguinis Christi sic cibum nostrum faciunt, ut misceri dicant re ipsa cum substantia nostra. Nec video quomodo ponere non cogantur, dum ita dicunt, nostram eandem carnem et sanguinem, quae sic nutriatur, non abire in eandem hypostasin cum Christo et corpus illius hoc pacto ad innumerabilia loca diffundere. Sunto sane sacramenta et verbum Dei notae et symbola verae communionis cum Christo, quam ut potui iam explicui: sunto etiam compagines et commissurae per quas spiritus Dei fiat efficax, modo fides intercesserit, in quibus locum potest habere. Neque ita ista intelligantur, quasi gratiam et spiritum aut externo verbo aut sacramentis alligemus, quasi nullo modo fieri possit ut quispiam suo capiti, Christo inquam, sine his iungatur. Fidei una est in adultis compago et commissura necessaria, qua Christo ipsi et quidem indivulse aptamur. Hoc illud est quod suis hyperbolis patres fortasse voluerunt, quibus dum usi sunt immodice quum sua scripta obscura nobis reliquerunt, tum multis erroribus ansam non parvam suppeditarunt. Pluribus, ut suspicor, egi quam tuae occupationes patiantur, et fortasse minus dixi quam ad meum sensum explicandum plene valeat. Quum tibi licuerit, ne me, quaeso, de tua sententia quidquam celaveris.

Restat nunc ut ad electionem ecclesiae nostrae Italicae respondeam, atque hunc locum, quod mihi causa facilis videatur, paucissimis expediam.[7]) Cuperem quidem, ac mihi iucundissimum esset, aliquando tandem meis Italis inservire. Non enim sum aeneus et carnem ferream non habeo. Quare ut Paulus Iudaeos ita ego meos Italos cumprimis salvos desidero. Verum, ut ipse nosti, iam non sum mei iuris. Ista respublica et ecclesia[8]) me sibi a duodecim propemodum hinc annis obstrictum habet. Nam quum profectus sum in Angliam voluntate magistratus et ecclesiae huius ivi. Speravi quum redirem ut absolverer: quod si contigisset ad te recta venire statueram. Sed proposita re in senatu non sum dimissus, imo ad pristinum locum seu iugum relegatus. Deinde, quia senatus huius et ecclesiae multa in me beneficia exstant, vereor ne levitatis aut cuiuspiam alterius cupiditatis iure accuser, si me hinc absque iusta ulla occasione tentem subducere. Quid praetexam? Ecclesiam Italicam pastore destitui? At *Celsum* habent, qui mihi aeque ac mea ipsius anima est carus, quemque probum virum, doctum, gravem et ad regendam ecclesiam idoneum probe novi. Dicam me in rebus maioris momenti eum consilio velle iuvare? At ibi tu superintendens es positus, qui operam et consilium, quae tua est caritas, nunquam es denegaturus. Certe nullus est vel honestus color quo possim ab hoc magistratu missionem petere. Deinde, licet in schola non praestem quantum deberem, ibi tamen, ut arbitror, opera mea non est inutilis: et Germani sunt et peregrini qui audiunt, curaturque id sedulo ut quae sint illis postea dediscenda non doceantur. Dumque *Zanchus* et ego, qui coniunctissime vivimus, ita pergimus, erroribus[9]) in schola non datur locus. Ecclesia praeterea Gallica me orat ne abeam. Tu sapiens in Christo es, haec diligenter expendito. Non refugio tuum arbitrium: quod ipse iudicaveris facto faciam. Sed tamen hoc ultro polliceor, si qua detur unquam honesta occasio qua me iusta ratione queam hinc explicare, nil

7) *Cf. Schmidt, Verm. p.* 182. *Qui tamen non Celsum sed Rangnonium tum Italorum ministrum facit.*
8) *Argentoratensis.*
9) *An Lutheranorum?*

fore mihi antiquius quam ut istuc me conferam, ubi tecum cumprimis et cum civibus meis possim quidquid vitae superest Christo vivere. Vale, vir Dei atque mihi pluribus nominibus observandissime. *Sturmius*, *Sleidanus* et *Zanchus* officiosissime te salutant. 8. Martii 1555 Argentinae.

Saluta mihi, obsecro, reverenter symmystas tuos dominos et fratres mihi in Christo venerandos, quorum sanctis precibus, sed tuis inprimis, me commendatum esse cupio.

Tuus ex animo
P. Tossanus.

2143.

TOSSANUS CALVINO.

Ministri olim dimissi iam revertuntur et bene excipiuntur. Sunt tamen nonnulli de quorum calumniis querendi locus et occasio non deficit.

(Ex autographo Cod. Goth. 404, fol. 759.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino domino suo et fratri colendissimo.

Genevae.

S. Colendissime vir. Satan a sesquianno vel biennio nos hic mirum in modum cribravit, et necessarius erat casus aliquis ad nos in pace et officio retinendos. Fratres dimissi [1]) huc reversi benigne a magistratu auditi sunt, nec de principe (scio) nec de nobis conqueruntur, ut eos princeps, et nos omnes, quocunque pervenerint, favore et benevolentia excipi ex animo cupimus. Ad haec audio quosdam alios per ecclesias oberrantes nos et ecclesiam nostram diffamare. Quorum alter, offensus quod hic non eveheretur, Iacobo *Gethaeo* [2]) ministro, pio sene huc nobis olim Argentina cum honestissimo testimonio abs te misso, malis artibus in disputationem pertracto et accusato, occasionem cepit nos inter nos committendi ac turbandi hanc ecclesiam. Alter vero, nescio qua de causa, quum sim eum semper omni officio ac humanitate prosequutus. Sed obsecro te per Dominum Iesum, colendissime frater, ne ullis falsis delationibus ab eo alieneris qui te amore summo ac veneratione prosequitur. Optime vale. Monbelgardiae 10. Martii 1555.

2143. 1) *N.* 2122.

2) *De hoc plura dedit Alexander N.* 2128. *Hic senex appellatur et ab ipso Calvino (eius praeceptore?) olim commendatus. Caeterum ille quem hic Tossanus notat ipse Alexander fuisse videtur.*

2144.

LES AMBASSADEURS DE GENÈVE AU SÉNAT.

Ils informent le Conseil que leur première entrevue avec l'avoyer de Berne n'a pas eu de résultat. [1])

(Archives de Genève. Pièces historiques. N. 1567. Copie contemporaine.)

Aux magnifiques puissantz et nous tresredoctes Seigneurs Messieurs les Scindiques et conseil de Geneve.

A Geneve.

Magnifiques puissantz et nous tresredoctes Seigneurs tant humblement que faire nous est possible a vous bonnes graces nous recommandons.

Magnifiques Seigneurs nous vous faysons scavoir que auljourdhuitz avons estes ouys en conseil et avons propose juxte nostre charge les affaires de lesglise: mes apres diner nous a este baillee responce par Monsr Ladvoier Monsr *Neyguille* [2]) de nous en retorner san conclution sinon que Messeigneurs estoyen petit nombre et que la chouse estoit pesante et que quant les Seigneurs sceroyent venus lon vous rescriproyt. Or redoctes Seigneurs, avoir ouys dicte responce et considerant la charge par vous a nous donnee ne nous sommes seu contenter, mes avons requis ledict Seigneur advoier nous ouyr a demein. Lequel dict nestre possible jusques a mercredi [3]) ce que nous trouver bon

2144. 1) *Ils étaient partis de Genève le* 6 *et arrivèrent le* 10. *à Berne. En même temps arrivèrent Viret et Jean de Tournay comme députés de la classe de Lausanne, Libertet de Neuchâtel et quelques uns de Thonon. (Reg. de la Vén. Comp. — Hess, Bull.* II. 248. *Comp. aussi la lettre de Haller N.* 2184 *du* 15. *Avril.)*

2) *Jean François Naegeli qui était évidemment mal disposé à l'égard de Calvin, et voulait les envoyer promener.*

3) 13. *Mars.*

accepter esperant de mieulx des novelles. Les jours ont yci comme je pensoy 24 heures et les jours 48,[4]) quant nous en aurons daultres voulontier le vous leyserons scavoir. Tous se portent biens de noustre compaignie dieu grace, Lequel prions quil vousditz seigneurs veulle condhuire en sa garde. Amen. de Berne ce 11. de mars 1555 par les voustres hombles et hobeissan serviteurs.

Vous commis et ambassadeurs a Berne
Henry Aubert,[5]) Ie. Caruin *, Francoys
Chamoix et Reymont Chauvet.

2145.

SULZERUS MARBACHIO.

Calvino de praedestinatione controversia mota est a quodam qui olim etiam in ipsius Sulzeri dimissione Bernensi partes egerat.

(Ex epistolis ad Marbachios scriptis et a Io. Fechtio editis Durlac. 1684. 4. pag. 49.)

S. Utinam, mi suavissime *Marpachi*, tua et pia et mihi gratissima conversatione[1]) diutius frui nuper potuissem. Nam communicatione prolixa variaque praeter voluptatem summum etiam fructum percepissem. Sed gratiam tamen ago Domino quod vel eatenus nobis colloquendi facultas data sit. Eundem precor ut te diu ecclesiae fidelem antistitem et mihi fratrem ex animo carum et venerandum conservare diutissime incolumem velit. — — — — — — — — Si nescis, *Calvino* nostro controversia movetur ob praedestinationem a quibusdam male feriatis, quorum coryphaeus[2]) etiam facem praestitit incendio, quod contra me apud Bernates ministerii et sacramentorum nomine excitatum est pridem. Adeo ubique vigilat Satanas, ut per contentionum studia pietatis verae cursum remoretur. — — — — — — — — Basil. 12. Martii anno 1555.

T. S. Sulzerus.

---

4) *sic.*
5) *C'est le syndic que nous devons considérer comme l'auteur de la lettre.*
2145. 1) *Lindavia revertens per Basileam iter fecerat.*
2) *An Zebedaeum hic notet non satis certum. Hunc enim, quum Sulzerus dimitteretur, suas partes in illa tragoedia egisse ex actis non constat. Attamen non praetermittendum, Calvinum et Viretum tum Sulzeri causam sustentasse, et paulo post Lausannae Zebedaeum Vireto negotium facessere coepisse.*

2146.

SULZERUS BULLINGERO.

Calvini causa contra Zebedaeum si minus Bernensibus at Christo placebit.

(Excerptum ex autographo Arch. Turic. olim Scrin. B. Epp. Tom. 33, nunc Plut. VI. Vol. 155, fol. 390. — Simler. Vol. 84.)

Viro praestantissimo D. Heinricho Bullingero domino et symmystae colendissimo.

— — — — — — — — — — — — — — — — —

Quod tragoediam *Calvino* a *Zebedaeo* et *Angelo* quodam excitatam attinet, tanto ipsum magis laboraturum esse verisimile est, quod accipiam habere eum aliquot ex senatu Bernensi parum propitios. Sed consistet nihilo secius ille Domini veritate nixus. — — — — — — — — Basileae 12. Martii anno 1555.

T. Sulcerus.

2147.

LE SÉNAT DE BERNE AUX AMBASSADEURS DE GENÈVE.

L'affaire que les Genevois étaient venus traiter est ajournée à la fin du mois.

(Autographe, aux archives de Genève. Pièces historiques N. 1567.)

Ayants mes tresredoubtes Seigneurs entendus les propósites des seigneurs ambassadeurs de Geneve Lundy passe[1]) et aujourdhuy faictes: Ont sur cela advise puis que les parthies[2]) contre lesquelles lesdicts seigneurs de Geneve et maistre Iehan *Calvin* ont faict plainctiff ne sont presentes Dont bonnement lon ne peult proceder ne faire aulcune decision ny declaration, de assigner journee ascavoir de dymanche prochain en quinze jours.[3]) Sur laquelle lesdictz ambassadeurs se pourront trouver et tout ce que leur playraz proposer, et aussy ouyes leurs instructions et escriptures presentement jntroduictes, pareillement les deffences et allegations

---

2147. 1) *le* 11. *Mars.*
2) *Zébédée, Lange, Bolsec.*
3) *le* 31. *Mars.*

de leurs adverses parthies esquelles sera nottifie ledict jour. Et en apres tout bien entenduz par bon advis et meure deliberation appayser et accorder laffayre et y mettre ordre requis affin que scandales et offensions es Eglises aussy es particuliers par ce advenuz soient tolluz et sedes et ceulx qui en sont cause punys. Act. xiij^e jour de Mars 1555.

Secretaire de Berne.[4])

2148.

CALVINUS SIDEMANNO.

Iucundissimum sibi fuisse testatur quod ille non ab adversariorum partibus steterit; Lutherum Lutheranis multo nobiliore animo fuisse affirmat; se iam quorundam fervorem, imo furorem, compescere scripto tentasse nunciat, nervosius pugnaturum si necesse fuerit.

(Ex autographo Cod. Gothani 379, fol. 40. — Edidit Bretschneider p. 42. Anglice versa legitur in edit. Philad. III. 159.)

Eximiae pietatis et doctrinae viro D. Martino Sidemano bonarum literarum professori.

Erphordiae [1])

S. Hunc vero nuncium commode tibi oblatum fuisse laetor, cuius opera mihi innotesceres. Literis tuis, ut sunt humanitatis plenae, valde sum delectatus. Atque hoc intelligere iucundum inprimis fuit, te minime esse ex eorum numero, quos vel sua intemperies ita abripit, vel pertinacia et morositas velut constrictos tenet, ut nihil hinc profectum admittant, quia Saxonum placitis non succinimus. Quo autem latius grassatur haec contagio eo plus meretur laudis tua moderatio, dum te uni veritati addicens recte ac sine fastidio, liber [2]) a stultis praeiudiciis, quid verum sit existimas. Utinam hodie viveret *Lutherus.* Quamvis enim semper modum excesserit eius vehementia in causae sacramentariae actione, nihil tamen ad horum intemperiem ac vesaniam. Verum si ad extremum implacabiles esse pergent, fiet tandem ut nobis sua minime tolerabili contumacia apud sanos omnes ac modestos gratiam concilient, qui ad tempus expavefacti integrum de re iudicium facere ausi non sunt: scilicet quum nullam prorsus teneant ex *Lutheri* virtutibus, clamitando se venditant pro genuinis eius discipulis. Quasi vero non multum ab imitatoribus distent simiae. In tanta vero inscitia et barbarie nihil eorum fastu putidius. Si ne *Philippo* quidem parcunt, in eo pars aliqua culpae residet quod hactenus eorum impetus non animose compescuerit. Nunc quanquam serum erit remedium, cogetur tamen virilem spiritum induere. Atque haec optima ad frangendam eorum improbitatem erit ratio. Nunc brevi scripto tentavi an forte mitescat eorum fervor. Si nihil profecero, nervosius, ut video, [3]) pugnandum erit. Dolendum quidem est in medio ecclesiae sinu tales impetus ebullire. Sed quum gratis tumultuentur, excusabilis erit nostra pro tuenda veritate contentio. Vale, eximie vir et mihi colende frater. Dominus tibi adsit semper, te gubernet ac tueatur. Genevae pridie idus Martii 1555.

Ioannes Calvinus tuus.

2149.

LES AMBASSADEURS DE GENÈVE AU SÉNAT DE BERNE.

En vue de l'instruction que Messieurs de Berne se proposent de faire sur l'affaire de Zébédée et consorts, ils indiquent les témoins à interroger.

(Archives de Genève. Pièces historiques N. 1567. Copies aux Archives de Berne, Epp. clar. vir. VI. 420 et chez Simler Vol. 84.)

La Responce des Ambassadeurs de Genefve laissee par forme de memoire entre les mains du seigneur secretaire comme ilz ont este requis de ce faire.

Puis que les magnificques et puissantz seigneurs noz honorez combourgeois nous ont declaire que suivant nostre requeste et le contenu de noz jnstructions ilz ont estably journee de dimanche prochain en huict jours ou en quinze a nostre choix acause quil fauldra evocquer les parties qui doibvent estre ouies, nous avons accepte le plus long terme, assavoir de dimanche en quinze jours, affin que nous

4) *Zyro, ordinairement appelé Gironus.*

2148. 1) *Mart. Seidemann* primum doctor in schola Mansfeldiana, postea prof. in academia Erfordiana, anno 1551. Denique prof. in acad. Wittebergensi ubi m. Iunio 1558 mortuus est. (*Corp. Ref. Index. Vol. X. p. 409.*) *Cf. etiam N.* 2033.
2) libet *Br.*

3) praedico *Br.*

ayons loisir den advertir noz seigneurs et superieurs ausquelz nous reservons den signiffier leur bon voulloir: toutesfois si dedans unze jours assavoyr de samedy en huict jours ilz navoyent contremande que cella sera pour signe de leur accord ad ce que parties puissent estre esvocquees.

Quant aux noms desdictes parties il y a les prescheurs de Nion et Boursin qui sont exprimez en noz instructions, Item *Hierosme* le medecin de Donon et Bastien *Foncelet* habitant de Benin,[1]) aumoins comme il dict, car nous ne scavons pas pour certain sa Residance. Nostre commission ne sestand pas plus long que de ces quatre: toutesfois sil plaist aux magnificques seigneurs noz combourgeois mectre ordre par tout en ces troubles nous adioutons comme de superabondant a nostre particullier que ung certain Hammier nomme *Pierrechon* demourant a Rolles avec sa femme a nomme en plain jugement a Morges devant le peuple maistre Iehan *Calvin* hereticque disant quil le voulloit maintenir tel.

Cependant nous requerons ausdits magnificques seigneurs affin que en la journee les choses soyent mieulx prestes pour en congnoistre et juger suivant la teneur de noz jnstructions jl leur plaise faire examiner les tesmoings, desquelz la verite se pourra scavoir. Cest contre le prescheur de Nyon donner charge a leur seigneur Baillif de sonquerir sur le lieu de la predication quil fit avec les deppendences contre le prescheur de Boursin, la classe de Morges et de supperabondant le Seigneur de *Perroir* et ceulx qui estoient au batesme de son enfant, item le Seigneur *Martine* et ceulx quilz pourront nommer. Quant a *Hierosme* les deux prescheurs de Donon, le maitre descolle, le prescheur dArmoy. De *Foncelet* son cas est tout prouve par escript: si besoing estoit encores baillera on les advertissemens par articles sur quoy lesdits tesmoings debvront estre interroguez.

2150.

CALVINUS FARELLO.

Breviter refert quo in statu causa apud Bernenses pendens sit pro tempore laudatque Lausannensium et Fabri assistentiam et patrocinium.

(Ex autographo Cod. Genev. 107ᵃ, fol. 97. — Exemplaria recentiora sunt Turretini Cod. 108, fol. 43, Bernense Epp. VI. 413, et Simleri Vol. 84.)

Eximio Christi servo et fratri integerrimo mihique amicissimo Guillelmo Farello Neocomensis ecclesiae fido pastori.

S. Non habeo quod scribam in praesentia, nisi quod literis breviter testatum esse volo quod tibi retulit *Christophorus* [1]) noster, pro tuo erga nos studio me plus gratiae habere quam literis exprimere queam. Etsi enim ad tuendam communem causam fuisti animatus, libenter tamen mihi persuadeo te aliquid mihi privatim dedisse. Neque enim dubito, ubi me vidisti tam indigne vexari, quin pro singulari tuo erga me amore aliquam molestiae partem senseris. Caeterum bene habet quod iuvare me non potes, quin operam communi Domino impendas, atque ita ambo fideliter officio nostro fungamur. *Viretus* [2]) eadem qua solet dexteritate, nec minore sinceritate et constantia nobis patrocinatus est. Egregia totius classis Lausannensis virtus in mandatis enituit. Strenue etiam se gessit *Christophorus*. Dominus autem nobis spem fecit optimi successus. Nunc suspensus adhuc sum consilii, donec *Vireti* literis fiam certior, quam rationem tenere decreverint Ursini. [3]) Cras, ut spero, aliquid sciam. Satis videmur egisse prima expeditione, quod animos paravimus ad cognoscendam causam. Impetus saltem illi, qui aditus omnes veritati occluserant, fuerunt mitigati. [4]) Sed quia post meum discessum multa *Vireto* patefacta esse arbitror, inde capiendum erit consilium. Dies condictus est ad Calendas Aprilis. [5]) Senatus noster quod a nobis actum erat probavit. Si exitus fuerit ex voto, laetus ad te veniam: sin minus, ut partem doloris apud te exonerem. Vale, optime et integerrime frater. Dominus semper tibi adsit, te gubernet ac tueatur. 19. Martii 1555.

Ioannes Calvinus tuus. [6])

2149. 1) *Begnins près de Bursins, sur la route de Nyon au Jura.*

2150. 1) *N.* 2144 *not.* 1.
2) *ibid.*
3) *Beza nomini in autographo cancellato* N. *superscripsit.*
4) *ibid. not.* 2. *Praetextus tamen quo consul utebatur plane legalis erat nec quidquam contra dici poterat.*
5) *Calendae Apriles in diem Lunae incidebant, qui dies sane commodior erat quam quem ex N.* 2147, *not.* 3 *efficies, dominicus.*
6) *In autographo abscissa subscriptio a Turretino servata est.*

2151.

VIRETUS CALVINO.

Novissima ex Berna, in sua ipsorum causa et Genevensium.

(Ex autographo Cod. Genev. 111ª, fol. 111. Vidimus praeterea exemplaria Cod. Genev. 116, fol. 129, Bernense Epp. VI. p. 411 et Simleri Vol. 84.)

Insigni Christi servo Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae fido pastori fratri et symmystae observando.

Genevae.

Mitto ad te exemplar senatusconsulti quod accepimus. [1]) Tametsi non impetravimus postulata omnia, aliquid tamen effecimus quod nobis viam fortasse aliquando parabit ad meliora. Non est frustra laboratum, etiamsi nihil aliud essemus assequuti quam quod nobis aequiores reddidimus quos adversarii suis calumniis tantopere a nobis alienaverant. Videntur mihi iam omnes optime comparati ad causae cognitionem. [2]) Tantum metuimus ne dolo malo vobiscum agatur, si testium examen iis committatur qui sunt ipsi pars multo maxima huius tragoediae. Periculum est in praesidibus, in scribis et in multis testibus. Non enim ignoras quo sint in te affectu quam plurimi. Neque dubium est quin adversarii coelum terrae misceant quum sentient propius laqueis se constringi quos sibi paraverant. Quare multo praestaret, si hoc impetrari posset, ut testes Bernae audirentur, eorum sumptu qui in causa succumberent, aut si mitterentur Berna qui examini praeessent. Satis enim per te coniicis quam superbe triumphaturi sint hostes, si vel speciem aliquam invenire possint qua causam tuam gravent. Neque deerunt patroni quibus dolet se votorum non esse compotes. Ego hac de re egi Bernae cum syndico, [3]) qui viam vobis ad hanc postulationem praeclusam altera vestra postulatione existimat: restare tamen aliam, hoc est, repetitionem testium, si quid deprehendatur mala fide actum. Sed posterius hoc invidiosius erit multo et difficilius. Tu igitur cogita quid consultius futurum censeas. Audivi quorundam amicorum iudicia Bernae qui valde metuunt ne dolo circumveniantur testes, et ne fraude aliqua corrumpatur examen. Quamobrem id multo consultius iudicant quod admonui. Caetera, quum redieris, latius. [4]) De rebus vestris varia feruntur. Si quid est mutatum significato. Salutant te amantissime nostri omnes. Vestri legati die sabbathi [5]) ad diacosiorum senatum accesserunt. Quid effectum sit illi referent. Eodem die mane Berna solvimus. Audivi ab iis qui paulo post egressi sunt, legatos soluturos fuisse postero die. Vale optime et diutissime. Lausannae 19. Martii 1555.

Tuus Petrus Viretus.

2151. 1) *N.* 2147.
2) *Ipsi quidem res sic habere videbantur, exitus tamen spem non confirmavit.*
3) *Naegelino puta.*
4) *Calvinus ergo Genevam redierat.*
5) 16. *Martii.*

2152.

BEZA FARELLO.

Queritur de Tossano qui certos quosdam Lausannenses iuvenes, absque testimonio academiam relinquentes, ad ministerium vocaverat, et instat ut Blaurerus Mombelgardiam proficiscatur illi ecclesiae prospecturus.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium.)

Eximio servo Iesu Christi et fideli ministro ecclesiae Neocomensis D. Gulielmo Farello patri mihi observandissimo.

Neocomi.

S. Nullis obtestationibus potuimus currentes lupos retinere. Discesserunt igitur. [1]) Quod utinam Dominus Iesus ipsorum consilia dissipet. Scripsimus pauca ad *Tussanum*, et illud inprimis, istos quos ipse vocasset nullo testimonio a nobis ornatos proficisci, quia quum petentibus illis respondissemus, nos nihil honesti posse de ipsis testari, maluerunt sine testimonio a nobis discedere: quod tamen istuc missuri essemus si ipse flagitaret. Responsum exspectabimus. Et certe vel aperte hic prodet qualis sit *Tussanus*, si absque nostro testimonio post literas nostras acceptas illos lupos introduxerit, vel futurum est ut isti non assequantur quod optant, si nimirum a nobis testimonium mitti postularit.

Caeterum perlectis tuis literis et auditis duobus nostris fratribus, qui ad te revertuntur, iusserunt me collegae ut communi nomine ad te scriberem, nos, sicut tu mones, constituisse *Blaurerum* omnibus

2152. 1) *Si quid videmus loquitur de studiosis Lausannensibus quos Tossanus in locum dimissorum ministrorum sufficere volebat.*

modis ad hanc suscipiendam profectionem [2]) hortari, et copiose ad eum scribere, non modo quid de *Tussano* ab aliis intellexerimus, sed quid ipsi ex praesente cognoverimus, et quam parum sincere se hic gesserit quum ad nos venisset. Denique nihil praetermittemus, quo possit intelligere quam sit necessarium ut hanc operam miserae et afflictae ecclesiae praestet. Eramus autem id ipsum sine ulla mora facturi nisi cuperemus D. *Calvini* autoritatem hic quoque interponi. Qui quum, ut nosti, intra decem omnino dies Bernae sit futurus, [3]) hoc nobis, ut speramus, non denegabit, ut in reditu *Blaurerum* praesens conveniat [4]) et de re tota nobiscum constituat. Quod si spes aliqua fuisset, posse istorum conatus satis mature occupari, hanc moram non interposuissemus. Sed quando illi anteverterunt age *Calvini* adventum exspectabimus, cuius praesentiam putamus omnia a *Blaurero* impetraturam. Si interim illi admissi fuerint eo magis erit *Tussanus* ἀναπολόγητος.

Quod ad res caeteras attinet taciti exspectamus rerum eventum. Det nobis Dominus spiritum precum, ut sedulo et ardenter pacem et istorum sceleratorum [5]) profligationem impetremus. Bene vale, mi optime pater, cum sanctis omnibus qui istic sunt. Dominus Iesus te tueri et tibi indies magis ac magis benedicere pergat. Lausannae 21. Martii.

Th. Beza
filius tibi in Domino addictissimus.

---

2) *N.* 2122. 2130.
3) *N.* 2150, *not.* 5.
4) *Quod et fecit. Vide Hallerum ad* 15. *April.*
5) *Zebedaei et suorum.*

2153.

FARELLUS BLAURERO.

Tossanum perstringit post Serveti negotium plane mutatum et fere iam deploratum.

(Ex autographo Bibl. civicae Sangallensis MSS. Tom. 37. Epp. VIII. fol. 14. Apographon mendosum in Bibl. civica Turicensi MSS. F. 43. Epp. VIII. fol. 485 v. Omnes variantes notare non attinet.)

Praestantissimo Domini Iesu servo Ambrosio Blaurero ecclesiae Bielensis quam vigilantissimo pastori fratri et symmystae valde observando.

Bielis.

S. Nunc accepi tuas scriptas 18. Martii [1]) et has quas remitto pro aliis quas non dubito te scripsisse. Dominus Iesus tangat et immutet cor *Tossani.* Nam, ut video, valde agit improbe: mala sequitur consilia, bona non [2]) audit. Praetexit principis voluntatem et affectum: de se tacet quum solus omnia agat. Nihil decretum fuit quin verbis et scriptis praeierit. *Belio* et *Serveto* tam favet, [3]) ut de *Castalione* et aliis taceam, quod omnes in quos potest qui secum non faciunt sit exterminaturus. Fingit, figit et refigit, ut iudicat ad id quod parat [4]) conducere. Erant ecclesiae non male constitutae, erat aliqua disciplina, et ablegari merito fecit aliquos, in qua re consilio et subscriptione ei favimus, quia disciplinam et quod rectum erat non tenerent. Sed post *Servetum* captum, coepit moliri in fratres nova consilia. Novis constitutionibus, [5]) quae tamen in aliquibus [6]) ab ecclesiis quae incipiunt accipi possunt, iam receptas et longe potiores abrogare studuit. Fratres studiosi gloriae Christi et aedificationis ecclesiarum *Tossanum* rogant ne meliora tollantur sed serventur. *Tossanus* verbis multa pollicetur fratribus. Multa ad me scribit sed nihil praestat, nisi quod pro eo, cuius gratia summopere rogabam eum ut fratres urgeret [7]) in ministerio nisi iuxta verbum ut ex fide ac bona conscientia pii pastores plebem et officium facerent, principem semper mihi obiecit, hoc est, quod per principem tandem effecit. Nunc ad te scribit principem clementer audivisse. Sane de principe queri non possum, nisi quod *Tossani* lacrymas pluris faciat quam par sit. Prohibere non potuit absens *Tossanus* quin libellus supplex principi daretur per germanum concionatorem. Nam alium habuerunt neminem qui offerret. Verum princeps, quamvis annuerit ut audirentur, tamen id obtineri non potuit priusquam rediisset *Tossanus.* Auditi fuerunt non datis nec recitatis capitibus accusationis, tantum ut memoria tenuerunt. Pernegavit *Tossanus* quae sancte suaserat egerat et dixerat, quodque nemo fratrum nescit. Vocati fuerunt fratres plures, et ex scripto *Tossani* et verbis, ut

---

2153. 1) *deperditas.*
2) Bonanno *S.*
3) De Tossano fama certe falsa evulgata est, ceu ille monstra Servetanae haereseos vel clam vel publice foveat. Integrae enim ille probataeque doctrinae semper fuit et est hodie, odioque a quibusdam in hanc suspicionem tractus est *etc.* (*Sulzer. ad Marbachium* 27. *Aug.* 1555.)
4) putat *S.*
5) *De his nihil neque ap. Goguellium neque ap. Kirchh.* II. 127. *Facile tibi persuadebis Farellum hic pro more ultra metam efferri. Vide ep. Comitis Georgii d. d.* 19. *Aug. infra transscriptam. Altera ex parte Hoecklinus praefectus Mombelgardensis ipse dixit dimissos ministros durius tractatos fuisse.* (*Sulserus Blaurero* 24. *Mai.*)
6) in aliquibus *om. Tur.*
7) rogaret *Tur.*

oculi et aures omnium possunt testificari qui aderant, ut aliquid contra fratres haberetur. Sed omnes cum laude innocentiam testati sunt. Victi omnes fuerunt. Innocentia maior quam vel improbus negare possit. Hic tantum non restituti sunt fratres, quod et *Tossanus* vocatis a se dixit, ut boni consulerent, habendam alias ipsorum rationem. Sed improbitas vires resumpsit. Lacrymis *Tossanus* indicans quod male audiret, ubi ex iussu principis vocasset pastores in locum ablegatorum, duoque iam adessent, tantum effecit ut omnia everterit. Videat Christus et consulat, mendacia palam faciat et veritatem omnium in lucem proferat. Vereor ne ad mores quos Romae imbibimus redeamus pulso ex cordibus Christo. Ego, ut ingenue fatear, parum spero de tam graviter lapso, qui sesquiannum iam luctatus contra piam causam, ficte et mendaciter agens contra sinceros fratres, nullis scriptis, nullis hortatibus permoveri potuit nec adduci valuit ut ex verbo Dei ageretur, sitque tam improbe loquutus, ut confundenda omnia et perditum iri dixerit si ex verbo quis velit regulam sumere agendi et regendi ecclesias, quum nihil sit incertius, ita hominibus varie omnia interpretantibus. Vides quid verbo deferat. Academicos [8]) potius vult habere et efficere pastores quam vere christianos, solide fundatos in stabilitate verbi omnium certissimi. Quod quum dicerem alteri eorum qui nuper te invisit, respondit se non posse non bene sperare de eo, nec posse oblivisci eorum quae vidit ante *Serveti* captivitatem. Placuit quod pius frater de adversario dixit, et quod non possit eius oblivisci in precibus, quin omnes *Tossanum* et ecclesias fratribus hodie commendarunt. Agamus igitur et vim nobis faciamus pro salute fratris et pro ecclesiis, pro quibus te orant fratres qui hodie convenerunt, imo tuam hic flagitant opem, omnesque te salutant, inter quos collega. Neocomi 21. Martii 1555.

Tuus Farellus.

8) *Bellianos.*

2154.

GARNERIUS BULLINGERO.

Multis observantiam suam testatus consensum Argentorati receptum nunciat et a Gallis acceptum. De Germanis nondum constat quid responsuri sint, inter quos Gerungius contra sacramentarios debacchatur.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 170, olim Scrin. B. Epp. T. 44, fol. 880. — Simler. Vol. 84.)

Clarissimo ac piissimo viro D. Henrico Bullingero suo in Domino praeceptori ac maiori h. d. Tiguri.

S. P. Quod nostris literis respondere dignatus sis, pater ac praeceptor in Christo venerande, quod denique mihi adeoque toti huic ecclesiae nostrae gallicanae tam sincere ac candide consulueris, gratias habeo nunquam perituras. Sic enim nos omnes tibi, satis alioqui devinctos, devinctiores reddidisti. Et sane nobis omnibus admodum probatur tuum et fratrum omnium qui istic sunt consilium quod de confessione illa Augustana [1]) nobis communicastis, nec diversum est a D. *Calvini* consilio, sed prorsus idem. Sibi enim semper et ubique constat spiritus Christi Iesu. Itaque quum tot pios et doctos viros, tot sanctas ecclesias, imo et ipsum Dei verbum a parte nostra habeamus, pergemus, favente Deo, in fide religione et doctrina Christi filii Dei quemadmodum hactenus, etiamsi saeviat mundus, insurgat Satanas cum omnibus inferorum portis. Hoc unum a vobis nunc petimus, ut memores sitis nostri in vestris sanctis precibus, quo Dominus Deus Opt. Max. perpetuo dirigat nos sancto spiritu suo in hac via veritatis et doctrinae, atque sic valeamus officio nostro satisfacere et ad propositum nobis certamen recta tendere. Nosque vicissim orabimus quo Dominus adaugeat spiritum sanctum suum in vos vestrisque ecclesiis benedicat.

Caeterum superioribus diebus D. *Calvinus* misit huc ad nostros concionatores libellum quem noviter scripsit de sacra coena. [2]) Receptus quidem est, sed quomodo acceptus nescio. Nondum responderunt, responsuri tamen. Tunc intelligetis quid rei sit. Nobis omnibus Gallis satis probatur. Utinam tam bene probaretur omnibus Germanis.

Noster *Beatus* [3]) qui huc Berna iam dudum venit negotium facessit omnibus aliis concionatoribus atque ecclesias non parum vexat. Ille sibi prudens est, sibi sapit, sui semper similis est. Manus illius contra omnes debacchatur, in sacramentarios ad nauseam, adeo ut nec a Lutheranis probetur. Non enim intelligit nec intelligitur. Dominus Deus

2154. 1) *an recipienda? quod minime vero simile nobis videtur. In recentissima Garnerii ep. ad Calvinum N.* 2125 *de hac re nihil.*

2) *N.* 2088.

3) *A.* 1548 *cum Sulzero a Bernensibus dimissus, a.* 1550. *Conrado Schnellio v. d. m. ad S. Thomae successit, postquam aliquandiu diaconus ad summum templum fuit. Opposuit se abrogationi Interim et Conventus eccles. autoritati, et tandem a.* 1557 *munere abdicatus fuit, antea a Conventu exclusus.* (*Marb. Diar. passim. Roehrich* III. 98.)

illum et similes omnes ad saniorem mentem reducat nostrique omnium misereatur. Tu interea vale perpetuo felix cum tota tua sancta ecclesia. Dominus Deus te diu incolumem servet ecclesiae suae. Amen. Salutatos cupio omnes patres ac praeceptores meos in Christo, D. *Pellicanum*, D. *Bibliandrum*, D. *Gualtherum* caeterosque pios fratres ac verbi Dei ministros. Meus collega una cum omnibus senioribus ecclesiae nostrae te plurimum salutant. Iterum vale. Argentinae 22. Martii 1555.

Tuus tui studiosissimus
Ioannes Garnerius.

2155.

FARELLUS SULZERO.

Novum incendium a Satana excitatum Calvinus libro contra Westphalum scripto exstinguere debuit. De Tossani tyrannide tristem suam cantilenam denuo profert novis strophis auctam.

(Autographon exstat in Bibliotheca civica Sangallensi Tom. VIII. Epp. pl. MSS. Vol. 37, fol. 15. In quo tamen per incuriam bibliopegi nonnulla lectorum oculis se subducunt. Descriptum legitur in Bibl. civ. Tur. F. 43 ol. VIII. fol. 487 v. et ap. Simlerum Vol. 84.)

Admodum insigni servo Domini Iesu Simoni Sulcero pastori ecclesiae Basiliensis plurimum observando fratri et symmystae.

Basileae.

S. Non te fugit ex colloquio Marburgensi nonnihil effectum ne tam atrociter pugnaretur in re eucharistiae: sed longe magis effectum ex confessione istic facta quae piam continebat sententiam. Utinam nihil datum fuisset aut acceptum occasionis, unde incendium rursus accenderetur. Lutherus suis ad Bernenses literis plus fassus est quam aliquis ausus fuisset petere: nimirum se nimium fuisse in exagitanda causa ac boni consulere confessionem. Nec dubito quin ita ad alios scripserit, ut etiam ingenue detexit proditorem qui volebat hominem inflammare ob immutatam confessionem, ut dicebant, Augustanam. Sed tantum abfuit ut virum alienarit ab iis qui erant in conventu piis, quod magis fuit eis iunctus. Interea Satanas ob levitatem quandam et diabolica flabella tantum effecit ut maius fuerit excitatum incendium, in quo unus *Calvinus* neque a *Martino* damnatus unquam fuit neque ab aliis. Unum speravi per quem dissidium tolli posset, nec prorsus male, quod tandem effectum cum gaudio magno et admiratione excepit *Bucerus*. De aliis non ita certo loqui possum. Furiae et febris *Ioachimum* [1]) impulerunt proferre quae semel et iterum legi. Sane non decuit neque licuit *Calvinum* tacere et bonam prodere causam, et potius miror virum potuisse parcere nomini tam improbi calumniatoris et tam modeste respondisse viro qui pessime loquutus merito male audire debebat. Nec dubito, si pergere voluerit improbus, aliud quam talem lenitatem experietur. Nam praeter nervos rationum quibus pia fulcitur doctrina sentiet novaculam quae saniem ulcerum suorum diffluere faciet ut foeteat totus ille ulcerosus. Sed spero sapiet, et quod in aliis tam praefracte damnat in se non tam probabit. Verum tu, qui nosti eos qui hic tecum possunt ad eiusmodi in ordinem cogendos, propter Christum componendis omnibus studebis et omnes invitabis invocato Domino. Si hoc unum compositum viderem, laetus hinc ad Dominum concederem.

De *Tossano* [2]) quid dicam? Nihil mihi fuit carius viro. Vix scio cum aliquo praesentiora mihi fuisse pericula. Nullus unquam ita me permovit ad extrema subeunda. Nescio me ministerio alicuius magis affectum, et quia inter Gallos primum agnovi evangelii strenuum sectatorem, et ingens affectus qui me cogit Monbelgardenses amare, [3]) fecit ut anima mea mihi carior esset. Verum quid non esset mihi, quum fratres ab eo pulsi, quum constet nihil actum esse in omnibus nisi autore *Tossano?* Scripsit, notavit omnia. Manus cognita in lectione, verba ipsius ex phrasi dicendi intellecta. Deprehensa mendacia, abnegata veritas et ea quae cogerent vel angelos detestari. Tamen fratres tanta affecti iniuria, dum referunt quae viderunt et senserunt in viro ante Interim illud, et dum exceptum esset, ac post usque ad *Serveti* captivitatem, [4]) laudant et commendant virum, nec possunt extra tam impium lapsum non commendare virum, nec desistunt gravissime laesi ipsi commendare Domino, et alios hortari ut pro eo precentur. Quum apud me cogito quae per annum et amplius studeo ab eo impetrare et quae respondit et egit, nihil expertus sum tanta perfidia et tanto fuco actum. Prius constitutum erat ne quis ad coenam admitteretur qui non prius rationem fidei suae redderet, ac alia per quae pii pastores ex verbo Domini et bona conscientia possunt tantum munus exsequi. Ubi progrediendum erat in pietate et purius formandis

---

2155. 1) *Westphalum.*
2) *N.* 2135.
3) *quibus a.* 1524 *primus evangelium praedicaverat.*
4) *Cf. Ep. Sulzeri ad Marbachium infra ad* 27. *Aug. Ipse quidem Sulzerus Farello suspectus erat v. huius ep. d.* 29. *Mart.*

et reformandis ecclesiis, *Tossanus* efficit ut quae meliora erant abrogentur et infirmiora et deteriora decerni facit. Frustra principem et consiliarios adduxerit: ipse unus effecit omnia. Ubi fratres rogant ne retrocedatur, nihil non pollicetur ut trahat in nassam fratres pios. Si quid rogandae sunt ecclesiae solus auditur, posteriora tantum proponuntur, tacentur priora, nisi quod facit ad extorquendum id quod optat. Obtestor hominem ne praeter verbum urgeat fratres, nec aliter quam verbo regantur ecclesiae: principem mihi opponit pro verbo, hoc est, quidquid principi obiecerit. Quumque fratres prius id petiissent et saepius rogassent, non veritus est respondere, nihil minus futurum, quandoquidem hac ratione confunderentur et perderentur omnia, quum nihil certi ex verbo afferri possit, tot sensus quum sint quot capita. Ante annos triginta nonnihil huius vesaniae istic audivi, ut de scholis post hanc vitam et id genus aliis. Sunt qui dicant *Castalionem* in his esse. Nec obscurus est in literis is qui narravit aliquot laborasse ut academicum eum redderent. *Boinum* [5]) audio insignem certitudinis verbi damnatorem qui nihil unquam ex verbo velit *, si ei credatur, asserere, sed tantum disputationis gratia proponat, ut ait. Ita elapsus est improbus qui sceleste affirmabat monstra aliquot *Serveti* semel et iterum Petro *Alexandro*, qui dum christiane vult consulere et agere pellitur, ut satis docuit, [6]) inique: et alteri satis est quod per *Tossanum* dictum fuerit, disputando non asserendo dixisse. Longius serpit pestis quam quis credat. Sed *Tossanus*, qui satis aperuerat mentem suam piis fratribus, qui tamen pergunt rogare ut consulatur ecclesiis et proponunt capita quaedam quae in aedificationem ecclesiarum commonstrant facere: annuit ille ac se pro virili facturum recipit ut fiant omnia. Vocantur omnes fratres. Pro capitibus quae petebant arguuntur pii omnes una. Demum quatuor damnantur ac mox egredi iubentur et intra dies quindecim abire. Pauperculi quid faciant? Quaerunt ut sibi et suis consulant liberis et uxoribus. *Tossanus* mox curat ut suae sententiae homines habeat. Istinc habet qui mox in diversorio dixit, licere bona conscientia missis et omnibus pontificiis interesse, modo animo is non assentiatur. Tam parvi est momenti illi ore vel facto Christum negare, modo anima aliter sentiat. Alter dixit quod evangelium Genevae non pure praedicatur. Aiunt *Tossanum* addidisse quod idem Basileae dixerit . . . . [7])

5) *Jo. Bauhin Ambianus natus a.* 1511 *medicus reginae Margarethae, propter religionem Gallia profugus ex Antverpia Basileam se contulerat ubi primum in Frobenii officina correctorem egit, postea vero medica arte inclaruit et pietate.* (*Iselin, Haag, Niceron in art. de eius filio.*) *Vides quantum Farelli iudicio tribuendum. Cf. eius ep. ad Blaurerum infra* 4. *Iun.*

6) *N.* 2128.

7) *Reliqua omittimus. Pergit enim eadem prolixitate et stilo ut plurimum pessimo in Tossanum deblaterare; sed non taedium solum nos impedit quo minus ultra progrediamur, verum textus conditio qui abhinc ea de causa quam supra significavimus integer restitui nequit, quum etiam apographa lacunas plurimas praebeant.*

2156.

LES MINISTRES DE GENÈVE AU SÉNAT.

Ils demandent une enquête sur les calomnies dont ils ont été l'objet de la part de Zébédée et consorts. [1])

(Autographe de Calvin à la Bibliothèque de Genève dans le Carton 197[aa]. Copie aux Archives, Pièces historiques N. 1567. Autre plus récente aux Archives de Berne, Epp. VI. p. 422 que Simler a transcrite dans son Vol. 84.)

A Magnifiques et tresredoubtez Signeurs Messieurs les Sindiques et Conseil de Geneve.

Supplient humblement les ministres de la parolle de Dieu en vostre cite pource qu'eux aians n'agueres faict plaintif pardevant les magnifiques Signeurs de Berne de quelques propoz diffamatoires tenuz par aulcuns de leurs prescheurs ou subiectz, tant en sermons quen assemblees publiques ou en particulier, pour blasmer et condamner la doctrine de Dieu laquelle jlz portent, ilz ont este remiz par lesdits Signeurs au premier jour du moys dApvril pour verifier le faict, et daultant que pour ce faire jlz ont besoing de certains tesmoignages daulcuns de voz citoiens ou bourgeois ou habitans de vostre ville, quil vous plaise a leur requeste faire examiner les tesmoings qui vous seront presentez de par eux, et prendre jnformations dont lesdits supplians se puissent servir. Attendu mesme que les blasmes et calomnies dont il est question n'attouchent pas seulement a leurs personnes mais redondent aussi au deshonneur de Dieu et de sa parolle, au scandale de l'Eglise chrestienne et au vitupere de tous ceux qui annoncent purement l'Evangile.

2156. 1) *Reg. de la Comp.* 18. *Mars; Reg. du Conseil* 18. *et* 22. *Mars et N.* 2151.

2157.

MÉMOIRES
sur l'instruction du procès contre Zébédée et consorts.

(En partie autographes de Calvin, en partie écrits par des secrétaires, ou Copies contemporaines. Archives de Genève. Pièces historiques N. 1567 et Bibliothèque Carton 197aa.)

A. 1)

Memoire des poinctz sur lesquelz il fauldra examiner le Sr. Capitaine *Perrin* et maistre Anthoine *Chabert* couroieur.

Silz nestoient point presens quant *Zebedee* fist ung presche a Nion ou il dict que ceulx qui conioignent la voulunte de Dieu avec sa permission sont hereticques?

Item sil ne speciffia point que telle doctrine quil reprouvoit et condamnoit non seulement se presche en lieux prochains, mais aussi que les livres s'impriment auiourdhuy au grant scandalle du peuple?

Item sil ne dict point que cest une heresie plus meschante que la messe et toutes les abominations de la papaulte?

Item sil ne crya pas que ceulx qui ont le glaive debvroient avoir honte de la maintenir?

Item si ledit Sr. *Perrin* ne print point cela comme sil sadressoit a luy?

Item si au bancquet des nopces il nen fust pas tenu propos comme dune chose toute clere et certaine que ledit *Zebedee* avoit notamment parle contre M. Iehan *Calvin?*

Item si le bruit nen a pas este commun par le pais circonvoisin?

B. 2)

Memoire de quoy il fauldra examiner Andre *Voier* lequel se tient en la maison de Sr. Nicolas *Picot*.

Cest quel propos luy a tenu *Ierosme* lequel se dict medecin a Tonon et notament sil ne luy a point parle de *Servet* le voulant iustiffier pour condamner Me. Iehan *Calvin* comme celuy qui a este cause de faire morir ung homme de bien.

C. 3)

Soit interrogue maistre Matthieu *Issotier* sil nestoit pas present quant maistre Iehan *Lange* ministre de Boursin a une congregation de Rolles parla contre maistre *Iehan* lappellant hereticque.

Et combien que le nom dudit *Calvin* ne fut pas exprime si les freres nentendirent pas quil estoit ouvertement parle de luy: comme ilz le declerairent. Et sil ny eut pas contention grande de ce propos.

Item sil na pas sceu que depuis *Lange* sest vante que cestoit de *Calvin* quil parloit.

D. 4)

Quand a la congregation de Rolle *Lang* dist que celuy qui avoit expose le passage de l'epistre aux Hebrieux V. chap. estoit un Heretique, l'accompagnant avec plusieurs Heretiques, ce quil vouloit soustenir demandant l'aide des freres et ministres à cela comme seditieux auquel resista M. Antoine *Sonnier* et apres luy tous les autres ministres excepte *Zebedee*. Ce propos ouyrent tous les ministres de la dicte congregation ensemble M. le Maistre *Martine,* M. Matthieu *Saconné,* l'hoste de l'Aigle nommé Andrieu *Mermion* estans à la compaignie.

Item qu'apres la congregation de Rolle ledit *Ang.* se vantoit devant le magister et diacre de Cossone nomme Me. *Robert* que s'il y avoit cinq ou six tels champions que luy contre cest Heretique *Calvin* quon le pourmeneroit bien: et plusieurs ouyrent le propos qui pourront estre declairez par ledit Me. *Robert.*

Item quand au sermon de *Zebedee* faict à Nyon le iour que la fille de *Crantz* fust espousee, le Seigneur, le Maistre Laurens de *Martine* et Noble Claude de *Senarclan* Seigneur du Prieuray de Perroy estoient au sermon et disent s'en souvenir comme si c'estoit auiourdhuy.

Quand au cousturier Pierre de *Plan* et sa femme *Huldrich* ils ont dict devant M. Antoine *Sonnier* en son habitation presentes seize personnes notables que *Calvin* estoit heretique et quil se faisoit adorer.

Item quil n'avoient trouve de iustice ne droict au magistrat de Geneve, sur quoy fust reprins par ledit ministre *Sonnier.*

Item juridicialement à Morges devant Mr. le Bailif et ses assistans presens trente ou quarante personnes a dist quil vouloit maintenir la doctrine de *Calvin* estre hereticque iusques a la derniere Goutte de son sang. Lesquelles paroles à la requeste du dit *Sonnier* furent escriptes et enregistrees.

2157. 1) *Du fascicule N.* 1567. *Copie.*
2) *Du même.*
3) *Du même. Autographe. Au dos:* Les points sur lesquels fault examiner Maystre Matthieu Issotier.

4) *Carton* 197aa. *Au dos d'une main plus récente:* Note de diverses personnes qui ont traité Calvin d'hérétique. *Note dictée par Calvin avec une apostille autographe.*

Zebedee[5]) a escrit de sa main: *Eloquentia Gallica vicit Hispanicam, Servetus tamen sequutus est Servatorem.* Tesmoing M^e^. *Adam* ministre a Lussi et M^e^. Pierre *Constantin* ministre a Bovy *.

S'il est question dexaminer tesmoings contre *Lange* du propos quil tint en la congregation: quon prengne dentre les ministres M^e^. *Nicolas* de Villeran, M^e^. *Pierre* de Cossonay, M^e^. *Bona* * de Sainct Lieure *, M^e^. *Sylvestre* Destue, M^e^. *Iehan* de Launay, M^e^. Antoine *Saunier* de Rolles, M^e^. *Thomas* Daples, M^e^. *Benoist* de Pampigny, M^e^. *Francois* Dargier * M^e^. *Iehan* de Launay [6]), ledit M^e^. *Adam*, Pierre *Constantin*, le maistre deschole de Morges. Hors les ministres Monsieur le Maistre *Martine*, Le Seigneur de Perroir.[7])

2158.

INTERROGATOIRE DES TÉMOINS DANS LE PROCÈS CONTRE ZÉBÉDÉE ETC.

(Autographe des Archives de Genève. Pièces historiques N. 1567.)

Les tesmoing examines a la requeste et pourchas des seigneurs et spectables ministres de la parolle de Dieu en Geneve es mains de Messieurs le 22. de Mars 1555. A cause daucuns blasmes proferes par aucuns ministres des pays de lexcellence de Messieurs de Berne, sus les jnterrogant suyvant.

Et premierement a este jnquis avec honorable et spectable seigneur maistre Matthieu *Tyssaultier* ministre lequel a jure es mains de messieurs les Sindicques nobles Iehan *Lambert* et Pierre Iehan *Gesse*, lequel apres avoir bien entendu les jnterroguant et supplication presente de la part desdits spectables sieurs ministres et jnterrogue comme sensuyt. Ascavoir sil nest pas vray que il soit este present quant ung nomme maistre Iehan *Lange* ministre de Bursin a une congregation de Rolle parla contre maistre *Iehan* appellant heretieque, et de qui jl entendoit, combien que le nom de *Calvin* ne fust exprime, si les freres n'entendoyent pas quil estoit ouvertement parle de luy comme ilz le declairent, et sil ny heut pas contention grande de ce propos, et qui scay dudit affaire et de ses dependences.

Lequel dict et respond scavoir est estre veritable quil y a environ de huict a sept moys que luy estant en une congregation que fust faicte au lieu de Rolle jl fut present quil ouyt et entendit entre autres propos que le ministre de Boursin nomme Iehan *Lange* mis en avant aucuns propos parlant de aucuns cathollougue des hereticques, mesme de ceux qui denyent la divinite et que maistre *Iehan* en avoit faict ung, qui estoit tout de nouveaux faict pire que tous les autres, et ainsin quil heut dict cella plus des freres en furent esbahys et aucuns diceux dirent que ilz entendoyent que ce quil avoit dict que cestoit contre M. *Calvin*, et desquelz propos fust entre eux grande contention, disant aucungs diceux que ledict maistre Iehan *Lange* ne devoit pas mettre tel propos en avant et que sil avoit quelque scruppulle de ce que ledict *Calvin* en avoit escript audict catollougue qui n'entendent pas bien quil le devoit venir trouver pour en havoir son opinion et declaration dudict passage. Autre chose ne se recorde pour le present. Interrogue sil a pas entendu et ouy dire audict *Lange* que il sestoit vante que ce quil avoit dict cestoit dudict *Calvin*: respond que non et nen scayt autre que ce quil a dessus dict et depose, rendant cause de son scavoir pource quil a este present, ouy et entendu les choses par luy predeposees.

Item en ledict jour a este jnquis en presence de Messieurs que dessus avec honneste maistre Anthoine *Chabertz* courieur habitant de Geneve lequel dict et depose que luy estant au lieu de Nyon estant au sermon que faisoit *Zebedee* parlant de ce que les diables demandoyent a Iesuschrist de leur donner liberte dentrer aux pourceu, sur ce il va dire quil ny avoit difference entre permission et vologunte et que il en avoit de ceux qui ne faisoyent point de difference entre permission et voulloir et que cestoyent gens qui estoyent de grand estime et scavoir, et quil ne le disoit pas particullierement mais publicquement, mais le escripvoyent particulierement et generallement en gros livres qui courent aujourdhuy par toutt le monde, et que cella estoit ung erreur plus pernicieux que fust jamais au monde, et que la messe nestoit rien au pris, et que cestoit une aultre sorte que la messe et que tous les erreurs que furent jamais du temps passe, car cestoit pour perdre dix millions dames, et que sur cella le magistrat il devroit bien veillier et y mettre ordre, et que ceux qui avoyent le glaive debvoyent avoir honte de le mantenir. Disant que quand au reste nen scait dire ny attester fors que le bruit en estoit comme il est par toutt le pays, combien quil ne ouyst jamais nommer monsieur *Calvin* ny entendit qui fust de luy, fors a Sebastien

5) *Autographe de Calvin. Plusieurs noms propres douteux.*
6) *Ce nom biffé pour double emploi.*
7) *Claude de Senarclens.*

Foncellet et non audict *Zebedee*. Autre chose nen scait rendant cause de son savoir par les choses sus predeposees.

Item a este jnquis avec noble Amee *Perrin* conseillier et capitaine general de Geneve de bon eaige pour deposer, lequel apres avoir jure et prester sermentz suyvant larrest et commandementz a luy faict de la par de nous seigneurs apres avoir entendu les choses contenuz audict billiet A dict et depose seullement scavoir estre vray que luy fust present audict sermons ouyr et entendit que ledict maistre *Zebedee* prescha et en sondict sermon parlant de ce que les diables avoyent demande a Iesucrist de leurs donner liberte dentrer aux pourceaulx qui estoyent la aupres et en apres va dire que y avoit difference entre permission et voullunte et que il en avoit de ceulx qui ne faisoyent point de difference entre permission et volunte et que cestoyent gens qui estoyent de grande estime et savoir qui en avoyent escript tellementz que leurs livres couroyent par tout le monde Et que telle estoyt une grande erreur et pire que celle du temps passe Et que le magistrat jl debvoit bien veillier Et quant au reste nen peut recorde apres ny avoir entendu ny ouyr parler comme a dictz et deposer le precedent tesmoings ormys des messes et aussi que le magistrat devoir avoir honte. Aultre chose ne scay, disant que avoit plusieurs gens pour lors audict sermon, comme M. de *Senarclens* le seigneur de *Crans*, les *Martinecz* et aultres que ne scay nomme. Aultre chose ne scay. Rendant cause de son dire dessus dict et atteste.

Ainsi hont dict et deposer lesdictz tesmoings es mains que dessus.

Beguin.

2159.

CALVINUS FRISCHERO.

Commendat ei causam suam contra Zebedaeum docetque quo modo testes interrogandi sint ut veritas rerum patefiat. [1])

(Exstant exemplaria Ionvillaei in Cod. Gen. 107a, fol. 94 v., Turretini in Cod. 108, fol. 48, Bernense Epp. VI. p. 439, et Simleri Vol. 84.)

Ornatissimo viro et mihi colendissimo D. Hieronymo Frischero Neodunensi praefecto.

S. Incommode nuper accidit, ornatissime vir, quod domo aberas quum istac transirem. Bis etiam dolui dum mihi dixit *Beza* noster, pridie quam Berna discederem illic iam te fuisse. Sic tuus Genevam adventus paulo ante me latuerat, donec ad profectionem accinctus forem. Sed brevi, ut spero, mihi in transitu dabitur colloquii opportunitas. Nunc quoniam in causa nostra aliquas tibi partes a clarissimo senatu Bernensi iniunctas esse arbitror, mihi rogandus es ut pro fide et integritate tua probe et liquido patefactum cures quod pars adversa fraudulenter et iniuste occultat. Dum obiicitur *Zebedaeo* sua concio, qua in me plus quam atrociter invectus est, obtendit se nomini meo pepercisse. Frivolum vero et puerile hoc esse cavillum pro tua prudentia cognoscis. Nam quum me velut digito ostendens palam infamaverit, quid iuvat nomen meum fuisse suppressum? Quod si mihi factam esse iniuriam constat, minime aequum est frigido praetextu levari eius culpam, cui data opera me traducere propositum fuit. Ergo non simpliciter de nomine quaerendum est, sed quid pro concione dixerit, quam doctrinae speciem damnarit, quibus conviciis exagitaverit eius autores, annon directe me et collegas impetiverit, annon a toto coetu ita exceptus fuerit eius sermo, annon volitarit rumor quasi de re minime ambigua, annon ipse postea admonitus annuerit se de me loquutum? Neque enim antea unquam infitiatus est, donec sensit confessionem sibi esse damnosam. Hic vero nequaquam mihi in animo est quidquam tibi praescribere: sed hanc summam attingere volui ut intelligas non favorem me ambitiose captare, sed tantum petere quod officii tui fides exiget. Tantum cupio de causa rite cognosci, quod apud veros iudices impetratu facile esse debet. Si Gingini [2]) ministrum accersere placuerit, qui tibi vicinus est ipse, ut spero, idoneus erit testis, ut viam integrae probationi aperiet. Plura non addam, ne vel dexteritati tuae ac prudentiae vel aequitati diffidere videar. Vale ergo, eximie vir, mihique honorande. Dominus te spiritu suo regat, virtute sustineat suaque gratia semper prosequatur. Genevae 10. Calendas Aprilis 1555.

Ioannes Calvinus tuus.

2159. 1) *Cf. Epp. N.* 2150. 2151 *ubi nonnulla legisti de Nostrorum suspicionibus circa causam hanc a praefectis minus aeque fortasse diiudicandam.*

2) *Gingins, non procul a Neoduno Iuram versus.*

2160.

SULZERUS BULLINGERO.

In controversia de sacramentis sibi qualescunque partes deferri deprecatur.

(Excerptum ex autographo Bibl. civicae Turicensis MSS. F. 62, olim Epp. 27, fol. 468. — Simler. Vol. 84.)

Viro praestantissimo D. Heinricho Bullingero domino et symmystae colendissimo suo.

— — — — — — — — — — — — — — — —

De *Calvini* nostri actione apud Bernates nondum cognovi quae fuerit eius catastrophe. De qua si quid habes rogo significes. — — Quod symbola attinet non puto tantam esse doctrinae diversitatem inter nos quin possimus christianam in Domino fraternitatem coniunctionemque conservare. Neque de te ego ministerioque tuo et ecclesia non candide sentio et loquor. Colo te ut virum Dei, organum illustre et fratrem venerandum sine fuco, sicut et *Calvinum*, pios doctosque omnes. Sed quod impensius abhorreo ab hac controversia veniam dabis, quia experimento didicisse mihi videor humanae faeculentiae plurimum adferre, ea occasione incitatis affectibus et scandalis perniciosis campum aperiri. Quare vacationem ab ea militia, si fieri queat, concedi mihi postulo, in caeteris nec laborem nec periculum recusaturus. — — — — — — Basileae 23. Martii 1555.

T. Sulcerus.

2161.

FARELLUS CALVINO.

Pro Calvino facturum se testatur quidquid ab ipso requiretur. Sulzerum suspicatur librum contra Westphalum non plene probare.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 111, coll. cum Cod. 116, fol. 37, Epp. Bern. VI. p. 440 et Simleri Vol. 84.)

Christi servo quam praestantissimo Ioanni Calvino pastori ecclesiae Genevensis, cui ut infensissimi sunt omnes improbi ita observant omnes pii, fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

Essem, ut dicitur, ex quercu aut petra etiam durissima, si nullo in te ducerer affectu: sed quis demum et quo in loco habendus, si Christi causa me non permoveret, quam perditissimi isti tui hostes evertere student. Gratulor initiis tam asperis non male tandem cessisse. Dabit Dominus successum et exitum felicem. Multum me recreas quod collegae profectio [1]) nec ingrata nec inutilis fuerit. Et tamen de te non possum non queri quod nos non habes alio loco, nimirum ut indices, imo iubeas, quid agere debeamus. Nam duplicem tibi haberemus gratiam, et quod duceres nostram operam tibi, imo causae Christi, non inutilem, et quod eam amica libertate peteres et ea utereris. Fratres me insigni iniuria affecerunt, quod scilicet idoneum esse iudicarunt et adegerunt ut causae tuae adessem quod plus quam sponte eram facturus. Sed ego solus esse nolo, ut quum bonam operam navaverit collega hunc peto ut mecum veniat. Tuum erit difinire * an iniquum petam an non?

Ego lusus tui et *Vireti* exspectationem non parum anxius de Mombelgardensibus [2]) collaturus eram cum utroque, sed quod datum non fuit vel Bernae agam. Puto te aliquid intellexisse de *Sulcero*, quod non plene probet quae respondes, ut non potest fanaticum *Ioachimum*. [3]) *Blaurerus* rogaturus erat quid esset quod eum male haberet, *Stephanus* artem aliquam ediscere vult qua utatur. Eius institutum improbare non possum. Opto ei Dominum fautorem. Non censebam tam cito abiturum, sed nolui in mora ei esse quin bene sit. Christus eum regat suo semper spiritu. Vale bene et diutissime quod facis effice. Christus secundet omnia tibi et collegis, quos salvos opto cum reliquis piis, ne fratrem, *Normandium*, *Budaeos* et alios taceam. Collega te salutat. Neocomi 24. Martii 1555.

Tuus Farellus ex animo totus.

2162.

VIRETUS FARELLO.

Rogat ut Bernam se conferat ut adsit quando causa Calvini contra adversarios agetur.

(Ex autographo Bibl. pastorum Neocomensium. Epp. Vireti fasc. IX. N. 7.)

2161. 1) *Libertati Bernam, ubi Genevensibus contra Zebedaeum causam agentibus assistere volebat.*
2) *quatuor ministris dimissis.*
3) *sic! Cf. N.* 2141.

Eximio Christi servo Guilielmo Farello ecclesiae Neocomensis fido pastori fratri et symmystae venerando.

Neocomi.

S. Non ignoras quis dies [1]) dictus sit *Calvini* adversariis. Exspectamus eum ad diem Iovis aut Veneris. [2]) Nam sic convenit ut se cum legatis Bernam ad proximum diem dominicum [3]) sistat. Tu vero recte feceris si eo te contuleris, [4]) meo quidem iudicio. Ego iterum me et lubens adiungerem socium, sed quia non ita pridem inde reversus non revocor, id sine invidia praestare non possum. Sed tua satis erit praesentia.

Quid de causa fratrum Mombelgardensium constituerimus ex *Calvino* intelliges, et quid nos nuper Bernae effecerimus, et quis sit huius ecclesiae status. Salutat te *Gaucherii* uxor, quae hinc modo abit. Salutat mea uxor, tota familia et fratres omnes, nominatim collega et *Beza*. Salutem dico collegae *Christophoro*, cuius adventus non fuit inanis Bernae. Cupio ut mihi primo quoque tempore scribat de mulierculis de quibus illi verba feci, quod se facturum recepit. Vale optime ac diutissime. Lausannae 25. Martii 1555.

Tuus Petrus Viretus.

2163.

WHITTINGHAMUS CALVINO.

Ecclesia usque controversiis de caeremoniis turbata est.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 188. Edita est latine in Epp. Tigurinis Soc. Parkerianae p. 494, et anglice in Zurich Letters p. 764, item in Opp. Knoxii Tom. IV. p. 54.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensi pastori vigilantissimo.

Quod tempus summam nobis consolationem ex gravissimis tuis literis [1]) afferre debuit, idem fere nos in maximum squalorem et luctum coniecit. Nam quum nullus finis tam obstreperis contentionibus futurus videbatur, atque magistratus ob id praeceperat ut omnes gallicanae ecclesiae ritus sequeremur, nisi fortasse quid esset quod merito reprehenderetur, adeo nonnullos haec res pupugit ut derelicta caeremoniarum lite ad accusationes forenses [2]) se converterent. Dominus enim *Knoxus* iniquissime apud magistratum laesae maiestatis caesarianae accusatus iussus est secedere, non sine bonorum omnium ac etiam magistratus ipsius dolore. Itaque ad vos perveniens rem totam ordine explicabit. Hoc tantum expertus loquor, nunquam bonis viris quidquam maiorem aegritudinem et pudorem attulisse quam istud scelus. Sed nec ego propter dolorem ista possum nunc commemorare, et ipsemet melius et explicatius coram disseret, ac etiam de aliis rebus omnibus, quarum ego progressiones et exitum fusius post nundinas describam. Vale in Christo, ac pro pietate tua nos precibus ac consilio adiuva. Francoforti 25. Martii.

Guil. Whitinghamus.

2162 1) *scil. Cal. April.*
2) 28. *aut* 29. *Martii.*
3) *pridie Cal.*
4) *De hoc itinere ambigere possis. Ex Halleri ep. d.* 15. *April. colliges eum adfuisse Bernae. Ex ipsius Farelli ep. d.* 16. *April. eum non adfuisse. Illud habent Hess. Bull.* II. 152 *et Hundesh.* 290. *Hoc vero Kirchhofer* II. 122. *Fortassis non usque ad finem ibi stetit.*

2163. 1) *N.* 2091. *Quod habet Brandes* (*Knox* 112), *ex parte erroneum est. Ipse Knoxus scripsit:* A narrative of the proceedings of the english congregation at Fr. in March 1555 (*works, ed. Laing* IV. 41 *ss.*). *Quocum cf.* A Brief discours of the troubles begonne at Frk. *cuius epitomen reperies ibid. M'Crie life of Knox. ed.* 3. *Vol.* I. 147 *ss. Strype eccl. Mem.* III. 1, *p.* 406. — *Ad ea quae supra annotavimus ad ep. Calvini ad Francfordenses iam nonnulla addimus.* A. d. III. *Id. Mart. appulit Coxus, olim praeceptor Eduardi regis cum aliis Anglis qui cultum publicum turbarunt anglicanam liturgiam presse sequendam esse postulantes. Quibus frustra se opposuit Knoxus. Novi illi advenae cum Levero, assentiente maiore coetus parte, Knoxum a ministerio deturbarunt. Postea vero alii, inter quos Whittinghamus rem totam ad senatum detulerunt qui d.* 22. *Martii decrevit Anglos Gallorum ordinem sequi debere.*

2) *Post hoc Senatus decretum ecclesia Knoxum concionatorem suum restituere voluit. Huius vero adversarii, quorum antesignani erant* Isaac of Patricksbourn late sheriff of Kent *et* Parrey late Chancellor of the cathedral of Salisbury, *urgentibus Coxo et Jo. Jewel, postea ep. Sarisberiensi, Knoxum propter nonnullas propositiones libri sui:* Faithfull Admonition of Christians concerning the present troubles of England (*Works* III. 257) *accusarunt* of high treason against the Emperour, his sonne Philip king of Spain and the Queen of England. *Proinde Senatus ei concionibus interdixit et privatim ei per Whittinghamum autor fuit ut urbe excederet. D.* 25. *Martii in suis aedibus coram* 50 *fere amicis orationem habuit valedictoriam et sequenti die Genevam profectus est.*

2164.

INTERROGATOIRE DES TÉMOINS DANS LE PROCÈS CONTRE BOLSEC.

(Archives de Genève. Pièces historiques N. 1567.)

Informations prinses a la requeste et pourchas des spectables et honorez seigneurs messieurs les ministres de la parolle de dieu en ceste cite de Geneve es mains de Messieurs en la personne de noble Pierre Iehan Gesse sindicque dudict Geneve ce 26. de Mars 1555 Alencontre daulcungs mess. ministres et autres residentz es terres des magniffiicques et excellens Seigneurs de Berne.

Et premierement a este jnquis et jnterrougue avec honorable Andriee *Voyer* gibessier de Laval habitant en ceste cite, de 40 ans, de bonne memoyre pour deposer, tesmoings jure es mains que dessus dans les jnterrogatoyres a luy donne dentendre, contenuz en ung billiet baillie par lesdicts Sieurs ministres, dict et depose tant seullement scavoir estre vray que luy estant a la foyre de Thonon a la foyre dernier passee a ung an luy qui parle et ung nomme maistre *Iherome* se disant medecin lequel luy fist congnoissance et en se aprochant de luy le toucha avec les mains, et en apres luy ayant propose aulcunes choses des affaires de *Servetus* duquel estoit encoure le bruys tout courant et de sa mort, ledict *Iherome* dict et profera que ledict monsieur *Calvin* estoit meschant homme et hereticque, et qui avoit este cause de la mort de *Servetus*, et cella voulloit prouver et mesme luy parloit de la predestination luy disant que sa doctrine avoit este approuvee par Messieurs de Berne et que les prescheurs des terres des seigneurs de Berne ne heussent point approuvee la doctrine dudict *Calvin* comme dessus. Lequel tesmoings fist reciz et raconta ledict affaire audict Sr. *Calvin* affin jl donne ordre et finablement luy dict que luy perdonnoyt de beaucoupt de choses que luy avoit dict et remonstree: et aultres choses ne scay rendant cause de son savoir par les causes susdictes et deposees.

Ainsi haz dict et depose ledict susnomme tesmoings comme dessus.

Beguin.

2165.

LE SÉNAT DE GENÈVE AUX AMBASSADEURS.

Instructions relatives à la poursuite du procès en diffamation contre Zébédée et consorts.

(Autographe de la Bibl. de Gotha. Cod. 404 fol. 46. Copie contemporaine aux Archives de Genève Pièces historiques N. 1567. Copies modernes, de Turretin à la Bibliothèque de Genève, MS. 145. fol. 175, aux Archives de Berne Epp. VI. p. 555, et chez Simler Vol. 84. — Imprimée par Bretschneider p. 70 sous le titre de: *Instructions pour les affaires ecclesiastiques.*)

Sindicques et Conseil de Geneve.

Instruction et charge donnée à nos bien aimez N. Henry Aulbert Syndiq, Francois Chamoye conseiller, M. Iehan Calvin et Raymond Chauvet ministres, ambassadeurs pour aller a Berne, ce 28. de Mars 1555.

Suivant la response donnee par escrit [1]) des Magnifiques Seigneurs de Berne nos Combourgeois, pour bien amortir les scandales qui sont par le pais et pour remedier a tant de maulvais propos qui tendent au grand deshoneur de dieu, au blasme et vitupere du sainct Evangile, et ne peuvent engendrer que divorces et contentions entre noz eglises, que lesdicts Seigneurs de Berne soient instamment requis de faire bonne declaration pour approuver la doctrine quon cognoistra estre de dieu, et pource que tant de bruictz et murmures sont survenus touchant la predestination, si on trouve a redire en ce que noz ministres en preschent ou en ont escrit, quilz soient admis pour en respondre. Car comme nous avons desia proteste nous entendons quil ne se presche icy aultre doctrine, quant a cest article, non plus qu'aux aultres, sinon celle qui est tiree de la pure simplicite de lescriture et que nous avons receue dez le commencement de nostre reformation. Mesme qu'en cela nous avons une pleine conformite avec lesdits Seigneurs noz Combourgeois.

Touchant les blasmes proferez contre Maistre Iehan *Calvin* a loccasion de la doctrine qui luy est commune non seulement avec tous noz ministres, mais aussi comme nous entendons avec ceux qui desirent de servir loyaulment a Dieu: que lesdits Seigneurs noz Combourgeois soient aussi requis den faire telle iustice que les aultres y prengnent exemple: affin que doresnavant nous ne soions plus troublez dun coste ny daultre par faulses calumnies.

2165. 1) *N.* 2095 *ss.*

Que si noz ambassadeurs trouvent que les informations naient pas este deuement prinses a la forme et teneur de leur requeste pour verifier pleinement tout le faict, affin que le mal ne demeure pas ensepvely, quilz requierent de rechef lesdicts Seigneurs noz Combourgeois plus tost denvoier sur le lieu pour examiner ceux qui ont este nommez et presentez: et pour ce faire ordonner quelque commis de leur conseil aux despens de celluy qui aura tord. [Au surplus que noz ambassadeurs, si besoing est pour mieux fournir des preuves [2]) presentent les informations prinses [3]) icy de nostre authorite et commandement a la requeste de nosdits ministres.] [4])

Pareillement quant a ce que noz ministres ont este chargez davoir condamne les ceremonies de Berne et avoir seme propos diffamatoires contre les baptisteres que nosdits Combourgeois ont en usaige, et choses semblables, pource que nous ne vouldrions que les differens et zizanies vinssent de nostre part: que noz ambassadeurs insistent que de cela il en soit cogneu: Et si telles accusations se trouvent estre calomnies, comme nous esperons suivant les responses a nous faictes par nosdicts ministres, [5]) que nous avons communique aux dicts Seigneurs noz Combourgeois, qu'on ne les laisse pas impunies.

Quen tout cela et aussi en ce que nous avons este blasmez et diffamez tant par Bastian *Foncelet*, que par un nomme Pierre *des Plans* [6]) et sa femme, lesquels avons bannis pour leurs meffaictz, noz ambassadeurs implorent le devoir mutuel de la Combourgeoisie a ce que lesdicts Seigneurs ne souffrent pas que nous soions ainsi iniustement diffamez contre tout droict et honestete ou que nostre ville soit en opprobre.

Quant aux mandementz et edictz qui avoient este publiez non sans grand scandale selon que desia il a este remonstre: combien que nous esperons par la response amiable quen ont donnee lesdictz Seigneurs noz combourgeois leur intention a este dy proveoir. Neantmoins que noz ambassadeurs les en prient encor a ce que tous murmures et troubles en soient appaisez et que les eglises que dieu a conioinctes par le lien de sa parole ne soient pas divisees: observant tousiours la police requise comme desia la declaration en a este faicte par nosdicts Ambassadeurs.

Que si dadventure lesdits Seigneurs noz Combourgeois entrent en propos de conformite de ceremonies, nous donnons charge a nosdits commis douir et entendre ce quils vouldront proposer. Et quant il leur plaira declairer en quelz pointz ilz se sentent offensez on que la diversite de quelques ceremonies pourroit engendrer discordz ou picques, que nosdicts ambassadeurs en traictent avec eux pour nous rapporter le tout affin que dun advis commun ce qui sera propre a ledification et pais des eglises soit passe et conclud. Ce pendant nous prions aussi lesdicts Seigneurs nos Combourgeois de vouloir ouir benignement nosdicts ambassadeurs, affin que les choses soient bien esclarcies et que dun coste et daultre nous cherchons ce qui est propre a lhoneur de Dieu et au salut de son peuple. [7])

2) premiers *Br.*
3) *N.* 2164.
4) *Cette phrase en marge.*
5) *N.* 2137.
6) *Serait-ce le même individu qui est appelé ailleurs Pierrechon de Rolle? Du moins c'est à Rolle que Des Plans demeurait.*
7) *La date peut être fixée du* 26. *au* 28. *Mars.*

2166.

LE SÉNAT DE GENÈVE AU SÉNAT DE BERNE.

Lettre aux Seigneurs de Berne sur la manière dont on parle dans leur pays des ministres de Genève et sur ce qu'on avait défendu aux sujets de Berne de communier à Genève.

(Autographe de Calvin. Bibliothèque de Genève. Carton 197aa. Copies au MS. 145. fol. 176. Archives de Berne Epp. VI. p. 556. Simler Vol. 84.)

Magnificques puissantz et tresredoubtez Seigneurs chers et honorez Combourgeois.

Pource que les ambassadeurs de Genefve ont charge expresse de vous prier instamment quil vous plaise donner ordre sur les poinctz quilz vous ont proposez affin den rapporter quelque bonne response et certaine, il a fallu pour leur devoir quilz soient retournez vers vous, Et pour ce aussi quil nest pas bon que le mal couve plus long temps ilz esperent que vous ne trouverez pas maulvaise la poursuite quilz en font. Or ce quilz demandent revient en somme a quattre articles.

Cest daultant quilz nentendent pas quil se presche aultre doctrine a Genefve que la pure verite de Dieu et de levangile de nostre seigneur Iesus Christ et quilz sont du tout conformes et unis avec vous en religion, mesme que la doctrine touchant la predestination est celle quon a icy tousiours tenue et preschee en vostre ville: ilz de-

tirent que vous advisiez de quelque bon moien pour en certifier tous voz subiectz et que la verite soit approuvee pour coupper broche a toutes vaines disputes et contentions, soit en assemblant gens scavans et entendus et exercez en lescriture saincte, ou bien aiant eu le rapport de voz prescheurs, ou comme bon vous semblera. Car de leur coste ilz ne desirent ne pourchassent aulcune innovation, mais quon se tienne a la pure simplicite de la parole de Dieu.

Quant aux iniures dont ilz se sont plaingt suivant leurs instructions, que bonnes enquestes s'en facent, et selon le moien quilz vous ont presente, Et qu'en cecy il vous plaise davoir esgard au devoir mutuel qu'ont les deux villes a maintenir lhoneur lune de laultre. Car il vous a este monstre quel oultrage et combien enorme a este faict a la ville de Genefve.

Tiercement pource quilz pensent que leurs prescheurs par les responses que vous avez veues se sont bien et deuement purgez des charges quon leur avoit mis sus: ilz requierent quil vous plaise ne laisser telles calomnies impunies, affin que dorenavant les faulx rapporteurs ne vous viennent plus fascher ne molester.

Quant au mandement qui a este publie de par vous de ne recevoir la Cene a Genefve, pour remedier au scandale qui en est advenu, quil vous plaise faire une bonne declaration que pource que vous avez este advertis que plusieurs ignorans ou malings lavoient prins tout au rebours de vostre sens et vouloir, comme si vous pretendiez condamner la doctrine qui se presche a Genefve, ou reprouver les ministres dicelle, ou vous separer de voz alliez et combourgeois, que vostre intention n'est sinon que sil y avoit des contempteurs de vostre reformation et lordre que vous tenez, lequel est de Dieu et de sa parole, que telz ne soient point souffertz, comme gens mectans schisme et division a leglise. Et pourtant que vous commandez seulement que chascun ait a recevoir la cene en sa parroisse sil ny avoit ca se legitime dabsence, tellement quon voye que ce nest point par mespris. Ce pendant que dun coste et daultre on nourrisse paix union et fraternite comme entre esglises Chrestiennes.

2167.

CALVIN CONTRE ZÉBÉDÉE ET CONSORTS.

Exposé des griefs à faire valoir dans le procès intenté à ses calomniateurs devant le Conseil de Berne.

(Autographe de Calvin aux Archives de Genève. Pièces historiques N. 1567. — Copies au MS. 145. fol. 176. Simler Vol. 84. — L'original porte au dos ces mots: *Les articles fest et escript par Mr. Calvin, pour balle contre les medisans et mensongiers balle le lundi premier de apvril.* [1]) M. Bonnet a considéré cette pièce comme partie intégrante de la lettre N. 2178. (Lettres fr. II. 36. Angl. III. 167).

Contre Maistre Andre *Zebedee* prescheur de Nion.

En un sermon quil fit aux nopces du filz du seigneur de *Cran* traictant ce propos que Iesus Christ avoit permis aux diables d'entrer aux pourceaux dit que ceux qui enseignent que telles choses que Dieu permect se font par son vouloir mectent en avant un erreur plus meschant et damnable que la messe et toutes les abominations de la papaulte, et que cest grand honte aux magistratz de maintenir une telle peste qui mect a damnation beaucoup de millions dames. Et que ceux la ne sont pas gens incogneuz mais que leurs livres volent par tout le monde et sont en telle reputation que chascun y est abuse. Or combien qu'il nexprimat pas le nom de *Calvin* l'auditoire entendit aysement quil parloit dudit *Calvin*, comme aussi luy ne la pas nye en privé.

Contre Maistre Iehan *Lange* prescheur de Boursin.

En une congregation de Rolle, apres avoir faict un recit des heretiques anciens, adiousta qu'un certain qui a faict un commentaire maintenant sur lepistre aux Hebrieux, disant que Iesus Christ avoit craint destre abysme en la mort, a voulu nier sa divinite. Car si Iesus Christ eut eu crainte il sensuivroit quil nest point Dieu. Et desduit tellement ce propos quil monstroit *Calvin* au doigt: en sorte que les ministres de la classe en publicq furent contraintz de luy resister, disant que *Calvin*, qui avoit fidelement travaille pour leglise, ne meritoit pas destre ainsi mis au ranc des heretiques, et que le propos quavoit tenu *Lange* estoit un erreur manifeste contre les principes de nostre foy. Et pour mieux approuver son intention sest vante que sil avoit encor cinq ou six champions semblables a luy il feroit bien trotter ledit *Calvin*, qui est un heretique, comme il le nomme.

Contre *Zebedee* et *Lange* en commun.

Pource quilz ont icy presente des articles plains de mensonges et calomnies, assavoir: ceux que lexcellence des magnifiques Seigneurs de Berne a

---

2167. 1) *Cette pièce a dû être rédigée quelques jours auparavant et être remise aux ambassadeurs pour l'emporter à Berne.*

envoyez par copie a noz Seigneurs et superieurs: quilz aient a les maintenir. Car les ministres de leglise de Genefve y ont respondu selon quil a este declaire et que le double de leur response en a este icy produict. Daultre part ilz ont seme et publie daultres articles tout divers ou ilz disent que *Calvin* fait Dieu autheur de peche et mectent sus aux prescheurs de Genefve des blasmes enormes.

Contre Bastian *Foncelet.*

Estant fuitif de la ville de Genefve pour ses malefices a escrit lettres fort diffamatoires a loccasion dun mariage quil pretendoit avec une femme qui avoit encor son mary vivant et lesdits propos tant contre la doctrine qui se presche a Genefve lappellant heresie, que contre la ville et le gouvernement: disant que cest une Sodome charnelle et spirituelle, ville trescruelle qui persecute la foy de Iesus Christ, avec plusieurs aultres villains oultrages. Et ce pendant a par cy par la seme que *Calvin* estoit un heretique.

Contre Hierosme *Bosletz* medecin de Tonon.

Depuis son retour de Berne sest vante quil avoit icy maintenu ledict *Calvin* heretique et au paravant avoit dict que cestoit a grand tord quon avoit faict mourir *Servet* a Genefve. Et ne se contentant de mal parler chante mesme par cy et la une chanson contre ledit *Calvin* pleine dinfametez.

Contre Pierre *des Plans* et sa femme demeurant a Rolle.

En presence de seize personnes ont dit quil navoit trouve au magistrat de Genefve ni droict ne justice et que *Calvin* estoit un heretique qui se faisoit adorer. Depuis devant le Seigneur Ballif devant trente personnes a dit quil vouloit maintenir ledit *Calvin* heretique.

2168.

SULZERUS CALVINO.

De nova controversia sacramentaria et negotio Monbelgardensi aestimat omnia bene et placide componi potuisse si bonorum virorum interventu nimiae utriusque partis acrimoniae occursum fuisset.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. 155, olim Scrin. B. Epp. Tom. 33. fol. 391. — Simler. Vol. 84.)

Viro praestantissimo D. Io. Calvino domino et fratri colendissimo suo.

S. Habes, mi *Calvine*, *Grynaeum* [1]) nostrum vivam epistolam, quod tanto magis gaudeo quo ad scribendum minus aptus sum propter gravissimos capitis praecordiorumque dolores. De tragoedia per calumnias a quibusdam excitata tibi apud Bernates audivimus quaedam, sed obiter tantum. Verum quid actum sit, aut quis fuerit actionis eventus, nihil scimus penitus. Quare gratum feceris si per literas me edocueris.

Caeterum, quod renovatum de symbolis certamen [2]) attinet, vehementer doleo cum meis, et forte expedivisset, sicut etiam *Myconius* piae memoriae censebat, formulam consensionis inter vos et Tigurinos editam non fuisse. Neque constat nobis quid vel scripserit *Vestphalus*, vel quibus rationibus ad scribendum permotus fuerit, maxime, ut tuum scriptum innuit, tam amarulenter. Habere autem et Defensio tua nonnihil acrimoniae videtur, qua ita personam depingis, licet tacito nomine, ut nemo quis sit ignoret facile, nisi famae publicae imperitus. Utinam vero privatim familiariterque tentarentur prius omnia, scribendo, conveniendo, quam ad conflictus eiusmodi in arenam publicam descenderetur, qui vereor ne fructus minimum et scandalorum plus satis habituri sint. Spectabat res ad pacem. Sed id Satan bonum ecclesiae unice necessarium invidit novisque incendiis miscere conatur omnia. Ei resistamus fide, orationibus et poenitentia.

De Montpelgardensis ecclesiae statu te accepisse arbitror pridem omnia. Fuit et is certe gravis, paroxysmus is fuit, inque suspicionem haud levem *Tossanus* venit: a qua tamen ille se lacrymis et scriptis purgare contendit. [3]) Ac molliri poterant omnia, si a principio fuisset bonorum interventu occursum. Sed fieri id nequit quum ignoraretur gliscens hic ignis. Nunc ab eiectis ministris frustra de remedio cogitatur, nisi quod moneri *Tossanus* potest ut ecclesiae advigilet, ne quid obrepat perniciosi fermenti. Sed vale in Domino. Basileae 28. Martii 1555.

Tuus Sulcerus.

2168. 1) *Thomam.*
2) *Sulzerus, inter utramque partem medius, lubens mediatorem egisset, neutrius ingenium bene perspectum habens.*
3) *In damnando Tossano hic minime Farello adstipulari videtur.*

2169.

SULZERUS ERBIO.

Novam tragoediam Calvino a Satana per Bernenses excitatam denunciat.

(Excerptum ex autographo in Arch. Antistitii Basil. Vol. III. Var. Antiqq. eccles. fol. 10.)

Viro praestantissimo seni venerando D. Matthiae Erbio ecclesiae Richenvillanae antistiti symmystae in Domino colendissimo suo.

— — — — — — — — — — — — — — — —

Novi nihil accipio nunc quidem, nisi quod *Calvino* gravis tragoedia excitata est per quosdam in agro Bernensi ministros Gallos, eos qui et quondam incendium inflammarunt, incendium [1]) quo ego cum meis afflictus Bernae fui. [2]) Fuit ergo Bernae cum legatis suae civitatis: verum quid actum sit cognoscere nondum potui. Haec studia Satanae sunt suos hostes his rationibus distinguentis solertissimo stratagemate, ut quod armis non potest scandalis excitatis obtineat. — — — — Basileae 28. Martii anno 1555.

T. Sulcerus.

2170.

FARELLUS [1]) HALLERO.

Gratulatur ei a Bernatibus eiectum Bolsecum. Sulzerum a recto tramite aberrasse queritur.

(Ex apographo Bibl. civic. Turic. MSS. F. 46 olim. Epp. Vol. XI. p. 646. per amanuensem Hottingeri scripto. — Simler. Vol. 84.)

Gaudeo tua opera factum esse ut deploratae pertinacitatis *Hieronymus* vir peste lethali refertus e Bernatum ditione, veluti dignus erat, profligandus fuerit, atque Dei munere hac ratione ecclesiae luis eius contagio liberatae exstent. [2]) Atque o utinam D. Simonem *Sulcerum* tui in eiusmodi imitatorem cernere nobis liceret. [3]) Nam apprime verendum est ne ea in haereticos licentia ac lenitate feratur, ut ipsius incuria veneno permultae ecclesiae ab ipsorum haereticorum lacunis infectae reddantur. Atque faxit Deus ne ipse ita Dei iram excitet, ut iusto suo iudicio opinionibus a veritate alienis falsisque dogmatibus ex nimia farinae huius doctorum consuetudine imbutus efficiatur. Quae si contingerent, summae in ipso praestantiae Dei dona non solum sepulta, sed etiam in ecclesiarum offendiculum conversa facerent. Neocomi 29. Martii 1564. [4])

2171.

WAIDNERUS BULLINGERO.

De Calvini contra Servetum libello.

(Excerptum ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 117c. olim. Scrin. C. Epp. Tom. III. fol. 481. — Simler. Vol. 84. — Mira viri latinitas.)

Amplissimo clarissimoque viro D. D. Heinrycho Bullingero ecclesiae Tigurinae primario antistiti et sincerioris evangelicae doctrinae per totam Europam qua latine scitur et intelligitur fidelissimo propugnatori domino ac praeceptori colendissimo.

— — — — — — — — — — — — — — — —

Calvini libellum probari *Melanchthoni* [1]) non miror, in quo a calumniis *Serveti* defensus: illud miror magis quod non publico aliquo scripto testatus orbi hanc suam sententiam, ut D. Theodorus *Beza*, [2]) maxime propter Anabaptistas, qui nolunt fidei causa in quemquam stringi civilem gladium, sed sufficere si vitetur vel ut ethnicus et publicanus, vel ne venenum spargat cohibeatur perpetuo carcere: quum *Lutherus*, cuius vestigiis in plerisque adhuc insistit, non veritus publico scripto testari, gladios sanctos esse et templis consecrandos, quibus interfecti tumultuantes ac seditiosi rustici, [3]) quorum ego

---

2169. 1) *sic! quasi non ipse novaturire coepisset.*
2) *Vide quae annotavimus ad N.* 2145.

2170. 1) *In codice legitur:* Farellus et Guilelmus Philippinus Ioanni Hallero. *Ipsa vero epistola singulari numero scribentem auctorem praebet. Philippinum habuisti N.* 1466.
2) Postquam decretum est a senatu Bernensi ut Bolsecus intra tres menses solum vertat. Cf. Haller. ad Bull. 13. April. (*Simler.*)
3) *Cf. N.* 2168 *not.* 2.
4) *Quum hic numerus evidenter librarii oscitantiae debeatur etiam in aliis sermonis partibus peccatum ab eodem fuisse, conicere fas est. Alioquin dicendum, Farellum styli sui vere egregium specimen hic edidisse.*

2171. 1) *N.* 2031.
2) *libello* De haereticis a magistratu civili puniendis *edito.*
3) Widder die mordischen und reubischen Rotten der Bauern 1525. *Quasi vero haeretici caedibus et rapinis suas opiniones asserere conati essent!*

nullum fuisse crediderim in Dei filium tam prodigiose impium et blasphemum ut nebulonem illum *Servetum*. — — —

Ex Wormatia veteri quidem sed paupercula Vangionum urbe 30. Martii anno post Christum hominem natum 1555.

Praestantiae tuae deditissimus
Guolphangus Waidnerus. 4)

4) *N.* 1948.

2172.

MINISTRI NEOCOMENSES CALVINO.

Plene et sincere Defensioni eius subscribunt et adhaerent, simul autorem maximis laudibus extollunt, deinde nonnulla addunt de Farelli et Fabri missione Bernensi.

(Ex autographo Cod. Genev. 196. fol. 21.)

Fidelissimo vigilantissimoque Christi servo Genevensis ecclesiae pastori fratri quam dilectissimo Ioanni Calvino.

Gratiam et pacem a Domino. Nostra de te non vulgaris existimatio, carissime frater *Calvine*, se[*mper*] exstitit et non immerita, ob eximiam in te multiplicemque Dei gratiam, quamvis non tanta quanta esse debuit reverentia. Quamvis etiam id nobis esse cum plurimis et cum excellentioribus ecclesiis commune fateamur. Scimus quidem orationem huiusmodi nostram apud te longe apud alium quam te honestiorem futuram. Sed et ita tamen rem habere tu quoque iam diu perspicere potuisti: et laboriosa illa tua excusatio tam sollicita atque anxia eo nos adduxit. Factum utilissimum tanta laude dignum nulla prorsus excusatione egebat, sive quod adeo necessaria tot gravissimis urgentissimisque de causis fuerit, sublata omni mora, orthodoxae concordiae nostrae editio, sive de nobis agebatur, quos nec si consuluisses commodum aliquod apparebat accessurum, nec si tuo praetermisisses iudicio nullam parere offensionem omissio ulla poterat animis tam benevolis. Quin cum *Farello* nostro si quid forte de eo tametsi privatim contuleras, quemadmodum familiariter soles plurima, nobiscum ea ratione satis communicatum merito censeatur. Quum igitur amplissimum sit istud modestiae tuae testimonium, qui ultro nobis causas aperire malueris quam tuo tacite iure tuaque uti praerogativa, hinc etiam fit ut nos contra cogamur erubescere dum consideramus sic nostram deprehendi negligentiam, quosque conveniebat edito statim libello, si vel nullas habuissemus a te literas, gratulationem tibi conscribere et gratiarum actionem, nos tamdiu incogitantes fuisse post acceptas. Hoc itaque tempore nihil mandare typis utilius spargive potuit, unde certiorem fructum et uberiorem sperare liceat. Glorificandus Dominus qui per te tantam lucem sacramentis pure legitimeque utendis attulerit et pacem. Isto profecto lumine retegentur, si modo vel mutire audeant, qui contentionibus delectantur ac propriam gloriam quaerunt. Nam quod scribis, 1) minime te postulare ut quisquam tibi subscribat, te nostro id arbitrio relinquere: amentes simus si aut non hic agnoscamus ipsam Dei veritatem, aut hic cupientes tantillum a te discrepare a nobis, imo a Christo, dissentiamus. Quare qui iam in sanctissimum hoc foedus promptis animis subscripsimus nominatim omnes, quum ea de re nobiscum primum agebatur, necdum palam exposita, id ipsum adhuc quam libentissime facimus ratumque habemus, orantes Dominum ut in saluberrimum consortium cunctos alios dignetur adducere, logomachiis omnibus valere iussis.

Quum carissimos fratres G. *Farellum* et Christophorum *Fabrum* ad communem causam fidei et evangelii propugnandam voluntarios Bernam ad te mitteremus, id noluimus absque nostris literis. Mandatum quidem habent ne quid earum omittant rerum quae ad animi nostri explicationem facere videbuntur. Accuset etiam *Farellus* se ipse primum quod non iam diu hasce partes egerit. Ob eam enim fiduciam officium erga te nostrum secure hactenus intermisimus. Quo magis tamen exprimatur quo simus affectu quoque studio, literas addere placuit. Dominus autem spiritu fortitudinis ac roboris sui vos muniat ad conculcandum Satanam, quem iam trementem ac prope exanimatum conspicimus.

Vale, cui tantum hodie debemus, frater integerrime. Collegas tuos qui et ipsi nobis sunt adeo observandi, saluta nostro nomine plurimum. Neocomi 3. Cal. Aprilis 1555.

Omnes ministri Christi Neocomenses tui.
Decanus iussu ac nomine omnium.

2172. 1) *Literae quas hic laudat desiderantur.*

2173.

CALVIN AU SÉNAT DE BERNE.

Il réduit à néant les accusations portées contre lui relativement à de prétendues innovations dans les coutumes ecclésiastiques.

(Minute autographe Bibl. de Genève Vol. 145, fol. 177. — Copie à la Bibliothèque nationale de Paris MS. 22, 562, fol. 62. — Bonnet, Lettres fr. II. 28. Trad. anglaise, éd. de Philad. III. 160.)

Magnificques, puissans et tres redoubtes seigneurs, ientendis hier par Monsieur ladvoier [1]) le mescontentement que vous avez de moy, comme si iestois cause de beaucoup de differens, et que ie incitasse vos prescheurs a faire ce qui me semble bon, plustost qua vous obeir: et surtout quant a la diversite des ceremonies, [2]) comme du baptesme, du mariage, de la cene et des festes. Combien que ie navoye pas attendu telle complaincte, me sentant pur en ma conscience, toutefois ie vous remercie quil vous a pleu me faire scavoir les murmures et rapports que vous avez ouy de moy, affin que iaye le moien et ouverture de men excuser envers vous, car iespere quant vous aurez entendu la verite, que vous serez tres contens de moy.

Je vous prie, magnificques seigneurs, de considerer en premier lieu que nous qui preschons la parole de Dieu, sommes subiects a beaucoup de calumnies et blasmes, et que ce nest pas sans cause que Dieu advertit, par la bouche de sainct Paul, quil ne fault point que celuy qui est en tel office pour servir a lEglise soit charge legierement. Quant a moy, ie nay pas ignore par cydevant quon ne dist beaucoup de choses obliques de moy pour me rendre suspect et odieux envers vous, de quoy iestoye bien marry, voyant ce que cela ne tendoit qua reculler lEvangile, a semer des scandales et diviser les Eglises qui doivent estre conioinctes et unies en tout et partout. Et daultant quil me faisoit mal que ie navoye lieu de respondre pour me purger et vous satisfaire, ie remercie Dieu que maintenant il a permis que vous men aiez donne loccasion. Car ie nay iamais refuse de rendre raison et compte de mon ministere devant vos Excellences, comme si ieusse este vostre subiect. Et vous asseure que vous me trouverez tousiours prest a cela.

Pour venir au faict, ie suis tant asseure, quant vous demanderez a vos prescheurs qui sont en ceste ville [3]) comment ie maccorde avec eux en la doctrine, quils vous en donneront si bon tesmongnage quil ne sera ia besoing que ie vous en fasche.

Touchant des ceremonies, pource que ce sont choses indifferentes, les Eglises en peuvent user diversement en liberte. Et quant on seroit bien advise, il seroit quelquefois utile de navoir point une conformite tant exquise, pour monstrer que la foy et chrestiente ne consiste pas en cela. Mais encor on vous a mal informe, de dire que, par curiosite ou aultrement, iaye introduit quelque facon nouvelle. Mon frere maistre Guillaume *Farel* est icy present, [4]) lequel vous pourra dailleurs affermer que, devant que iamais ientrasse a Genefve, [5]) lusaige de la cene, du bapteme, du mariage et des festes estoit tel quil est auiourdhuy, sans que iy aye rien change: tellement quon ne men peut rien attribuer comme propre a moy.

La forme du mariage [6]) est tousiours demeuree en son premier estat, et ie suis ce que iay trouve, comme celluy qui ne prend plaisir a rien innover. Quant on nous chassa de Genefve, on changea de forme de pain, et combien que cela se fit alors par tumulte et non par bon ordre, si estce que, pour nourrir paix et concorde, nous retenons le pain sans levain comme vous faictes icy.

Il y a une chose diverse, mais non pas nouvelle, cest que nous celebrons la cene quattre fois lan [7]) et vous trois. Or plust a Dieu, Messieurs, que vous et nous en eussions lusaige plus frequent. Car on voit par saint Luc, au livre des Actes, quen lEglise primitive on lavoit bien plus souvent. Et cela a continue par longue espace de temps en lEglise ancienne, iusque a ce que ceste abomination de messe a este dressee par Sathan, qui a este cause quon ne recevoit la cene quune fois ou deux lannee. Parquoy il nous fault confesser que cest un default a nous de ne suivre lexemple des apostres.

Touchant le baptesme, [8]) nous gardons la forme telle quelle estoit devant que ie feusse venu a Genefve. Quant on nous eut chassez, les baptisteres feurent eslevez. A mon retour, ie croy que ieusse facilement obtenu quon les eust abbatus. Au contraire iay soustenu beaucoup de reproches, pource que iay desire quils demeurassent en leur estat. Et de cela ie nen demande meilleur tesmoing que

---

2173. 1) *Il s'agit sans doute de François Nägeli. Calvin parle ici comme s'il ne savait depuis longtemps ce que les Bernois lui reprochaient.*

2) *Voyez les pièces de la fin de Janvier.*

3) *Ce passage, comme ce qu'il dit relativement à son entretien avec l'avoyer semble prouver que la lettre a été écrite à Berne le lendemain de son arrivée.*

4) *N.* 2162. 2172.

5) *Roget, hist. de Genève* I. 78. *Articles du* 16. *Janvier* 1537. (*Oeuvres* X. 1, *p.* 5.)

6) *ibid. p.* 33 (10. *Nov.* 1545). *Ord. eccl.* 1541, *p.* 26.

7) *Ord. eccl. p.* 25.

8) *ibid. Roget* I. 100.

nostre frere maistre Pierre *Viret*. Mais il fault que vous soiez advertis quau grand temple on baptisoit en la chaire, mesme du temps de mon absence. Et de faict le baptistere estoit en tel lieu, que cestoit pour faire mectre en mespris et derision le sacrement (car on baptise en la fin du sermon), et il estoit en lieu par ou le peuple passoit, tellement quil ny eust eu que crierie et tumulte. Tant y a que la forme quon garde est telle quelle a este des le commencement, et quil ny a nulle raison de sen offenser, et tant moins de sen prendre a moy.

Quant aux iours de festes, [9]) ils estoient abolis a Genefve, devant que ie partisse de France. Et ceux qui avoient procure cela, ne lavoient pas fait par contention ne picque, mais seulement pour abolir la superstition qui avoit regne en la papaulte. Parquoy, Messieurs, vous nen devez estre faschez, comme si cela eust tendu a mectre discord entre vos Eglises et celle de Genefve, combien que de cela ie nay pas a en rendre compte. Au reste, mes livres sont bons tesmoings de ce que ien tiens, ou ie declaire quon ne doit mespriser ne condamner une Eglise qui observera plus de iours que les aultres.

De ce que nagueres elles ont este abolies, voicy comme il en va. Jamais ne sest passe annee quil ny eust quelque querelle et debat a cause que le peuple estoit divise, voire mesme iusque a desgainer les espees. Cependant nous avons fait nostre debvoir dappaiser ces troubles. Mais on navoit peu trouver meilleur moien que de faire feste le matin, et apres disne ouvrir les bouticles, combien que cela na gueres servy. Car plusieurs gens inconsiderez ne laisserent pas den avoir fascherie ensemble. Tant y a quen suppliant et exhortant pour la derniere fois Messieurs du Conseil des Deux Cents dy mectre ordre, ie les priay entraultres choses de se vouloir conformer a vous tant quil seroit possible pour nourrir bonne amitie. Or ie fus tout esbahy quant ientendis ce qui en avoit este determine au Conseil general, sans que ie sceusse quon en deut traicter. Et de cela ien ay assez de bons tesmoings.

Et toutefois, magnificques et tres honores seigneurs, ie vous prie quil vous plaise considerer deux choses. Lune est que quant on cuide servir a Dieu en observant certains iours, que cest une superstition toute contraire a la parole, et cependant que le peuple y est tellement enracine, quon ne len peut destourner. Laultre est que la pluspart estiment que le iour de lAnnonciation quon appelle, soit une feste de nostre Dame, en quoy il y a idolatrie. Et pleut a Dieu que tout fut bien regarde pour ledification de lEglise. Si est ce que ie ne merite pas destre accuse de tout cela, veu quil ny a rien du mien.

On ma reproche que iavoye faict une feste nouvelle, [10]) le mercredy, en quoy on ma faict grand tort. Car Messieurs de Genefve, a mon exhortation, ont bien ordonne un iour la sepmaine pour faire des prieres extraordinaires, selon la necessite et exigence des temps; et la nous prions Dieu pour vous et les aultres Eglises qui en ont besoing. Mais ce nest pas quon ne besongne ce iour la, comme les aultres. Daultre part on na pas estably tellement un certain iour quon nait prins maintenant lun, maintenant laultre, selon que les seigneurs en ont advise pour leur commodite. Qui plus est, on a bien seme le bruict que ie voulais translater le dimanche au vendredy: [11]) si est ce que de ma part ie nay pas monstre signe que ie feusse convoiteux de telles nouveaultes, mais tout le contraire.

Jentens aussi quil y a quelques murmures du Catechisme. [12]) Or quant iay compose le Catechisme dont nous usons, ca este par faulte daultre. Si la doctrine est pure et saine, ie men rapporte a vos prescheurs. Je ne doubte pas quils ne vous en facent bon rapport, et trouverez que mon labeur a profite et profite encore auiourdhuy beaucoup a lEglise de Dieu.

Parquoy, magnificques puissans et tres redoubtes seigneurs, ie vous prie ne vouloir prester loreille a des faulx rapports ou frivoles qui se font de moy. Jay tasche fidelement par tout ou iay este de servir a Dieu et a son Eglise, et advancer le regne de Iesus-Christ. Vous aviez, comme ie croy, cogneu ce zele la en moy. Et si ay tousiours chemine en simplicite et rondeur, estimes que Dieu ma faict la grace de perseverer en ce train. Et quant vous trouveriez a redire en moy, ne doubtez point que ie ne soye prest, toutesfois et quantes quil vous plaira de madvertir, de respondre de tout ce qui me sera impose. Seulement ie vous prye me faire ce bien que iaye tousiours lieu de me purger et excuser envers vous.

Je vous prie aussy avoir esgard que Dieu sest servy de moy iusque icy, et lesperance nest pas perdue quil ne sen serve a ladvenir, et que selon ma petite capacite, ie travaille sans cesse a batailler

9) *Voyez au* 26. *Janv. N.* 2095. *Append.* A.

10) *l'Appendice cité tout à l'heure n'en parle pas. Voyez Ord. eccl.* 1541, *p.* 21.

11) *Bolsec, Vie de C. ch.* 6: Ambitieux et desireux de nouveautez qu'il estoit il induict les autres ministres que pour destruire la papanté il falloit changer le jour du dimanche au vendredy.

12) *Oeuvres* V. 313, VI. 1 *et les Prolégomènes. Sur les dispositions des Bernois à l'égard de ce Catéchisme voyez N.* 1572. 1648.

contre les ennemis de la foy, et memploye en tout ce que ie puis pour advancer lEvangile. Ainsi quil vous plaise, comme bons princes chrestiens, lesquels le prophete Esaie appelle nourriciers de lEglise, de me tendre la main et me supporter plus tost contre les malings et detracteurs que de souffrir que ie sois grefve par eux. Et ie ne vous demande faveur aulcune, sinon a telle condition que me trouviez bon et loial serviteur de Dieu.

Je vous prie aussi, Messeigneurs, de discerner quels sont ceux dentre vos prescheurs qui communicquent avec moy. Car vous les avez cogneu et experimente si fideles, que vous nen devez doubter. Je dis cecy affin que sils ont amitie et familiarite avec moy, que cela ne les rende pas suspects. Car nous ne sommes pas gens pour faire complots ou menees ou practiques maulvaises, mais seulement, nous pretendons a nous ayder mutuellement, comme nous y sommes tenus, et que plusieurs qui ne demandent que ruine et confusion ou scandale, ne soyent pas receus a molester ne fascher ceux qui ne demandent qua faire leur office.

On ne scauroit alleguer un seul poinct en quoy iaye voulu rien usurper ny attirer a moy. Mais il y en a qui ne se peuvent rassasier, sils ne mont abysme, et leur semble que ie regne trop quant ils ne me peuvent fouller aux pieds. Or ie vous supplie plus tost de maintenir la fraternite et union qui doit estre entre les ministres de lEvangile, et que le scandale qui est par trop commun soit oste de voir apparence de division et discord entre nous. Car daultant plus que vous serez bien informes, vous trouverez que iay bien iustes raisons de me plaindre de ceux qui ont mis peine par tous moiens a mempescher de servir a la gloire de Dieu et profiter au salut de lEglise.

Et pource que nagueres vous avez ordonne que lun de nos freres fut banny de vos terres, [18]) apres mestre excuse envers Vos Excellences, ie prendray aussi la hardiesse de vous supplier pour luy, vous asseurant, Messeigneurs, que cest un homme craignant Dieu et paisible aultant quon en scauroit voir. Et quant au sermon quil fit, que quant vous lauriez bien entendu, vous osteriez toute fascherie que pouvez avoir conceu contre luy. Il est venu de pais loingtain. Il a sa femme qui est modeste et de bon exemple et honneste vie comme luy. Parquoy, Messeigneurs, ie vous prie humblement que vostre plaisir soit luy vouloir relascher le bannissement, et vous cognoistrez en la fin que ie ne vous ay pas fait un rapport temeraire parlant ainsi de luy.

2174.

IONVILLAEUS GUALTHERO.

Invehitur in quendam qui Servetum innoxium dicebat et immerito damnatum.

(Ex autographo Bibl. civicae Turic. MSS. F. 89, fol. 302.)

— — — — — — — — — — — — — — — —

Florentius noster [1]) ad me nuper scripsit se incidisse in magistrum fratris *Oswaldi*, [2]) qui se non solum de nostra ecclesia sed de vestris pessime sentire palam est professus. Nam quum multa in nos blaterasset et conviciorum plaustris onerasset, hominis plus quam furiosi rabies eo prorupit ut clamaret, tres Helvetiorum civitates *Servettum* pium virum damnasse: Basileam nominatim excipiens, ut suis forte sodalibus parceret qui illic latitant et Serveticos errores fovent. Sibi plus satis notas esse nostras ecclesias iactabat, in quibus hoc crudelitatis exemplum edatur, ut de nihilo ad furcas mittantur innoxii. Sic egregie mentiebatur aurifex iste. — — — — —

Genevae Calend. Aprilis 1555.

Carolus Ionvillaeus tuus.

2175.

SENTENCE DE BERNE DANS L'AFFAIRE DE ZÉBÉDÉE ET CONSORTS. [1])

(Archives de Genève. Pièces historiques N. 1567. Exemplaire original avec sceau. A la bibliothèque Carton 197aa il y a

18) *M. Bonnet croit qu'il s'agit de St. André. Mais le cas de celui-ci remonte à* 1552 (*Ruchat* V. 493 *comp. N.* 1596. 1602. 1606 *et Reg. du Conseil du* 9. *Février* 1552) *et sur la réclamation de Genève la sentence fut révoquée au mois de Nov. suivant. Ruchat se serait-il trompé au sujet de l'issue de cette affaire? Chauvet fut incarcéré en Mai* 1554 *pour un motif semblable* (*Ruchat* VI. 119 *N.* 1962. 1964) *mais non banni, et dans ce moment il était à Berne comme député.*

2174. 1) *Genevensis fortasse Turici studiis operam dans.*

2) *Cave de fratre quodam Myconii cogites qui iam defunctus tam iuvenem fratrem habere non potuit. Magister huius iuvenis non artium sed artis cuiusdam fuisse videtur.*

2175. 1) *Comp. dans le Registre du Conseil le rapport des Ambassadeurs, Ruchat* VI. 127; *Trechsel* I. 201; *Kirchhofer, Farel.* II. 122; *Hundesh.* 289; *Hess, Bull.* II. 251 *etc.*

une copie écrite par Calvin, avec une suscription moderne: *Prononciation des Seigneurs de Berne au sujet des plaintes faites contre les ministres de Nion et de Bursin par les députés de Genève.* D'autres copies se trouvent à Neuchâtel, aux Archives de Berne Epp. VI. 547 et chez Simler Vol. 84.)

Nous le Lieutenant et Conseil de Berne faisons scavoir par ces presentes que en suyvant larrest par nous faict xiij[e] jour du moys de Mars dernierement passe sont comparus pardevant [2]) nous les ambassadeurs de nous treschers combourgeois de Geneve, avec eulx maistre Jehan *Calvin* et Reymond *Chauvet* ministres dudict Geneve dune, et Andrey *Zebedee*, ministre de leglise de Nyon, Jehan *Lange* ministre de Bursin daultre parthie, et ont au commencement lesditz ambassadeurs de Geneve leurs plainctiffs [3]) contre lesditz ministres de Nyon et Bursin cydevant en leurs absence faictz en leurs presence recitez et reiterez. Sus lesquelz lesdits deux ministres Andrey *Zebedee* et *Lange* ont donne leurs responces, et ce par longues parolles dung coste et daultre hier proposees, icy a reciter non necessaires. Et sur ce faict prononciation et a eulx donne responce [4]) laquelle nont voulsiu accepter, ny dicelle se contenter. Et aujourdhuy [5]) retourne devant nous, nous exposant et recitant plusieurs raysons pourquoy ilz ne se scavoyent ny pouvoient contenter dicelle responce, [6]) nous priant de faire en ce plus ample declaration et donner sentence: et mesmement touchant la doctrine de maistre Jehan *Calvin* et de ce leurs donner lettres et seaulx pour son ayder. Surquoy, ayant bien entenduz tout ce que hier et aujourdhuy nous az este propose, nous sommes pour responce resoluz, que nous arrestons entierement a la responce a eulx hier donnee, avec quelques adjunctions [7]): ascavoir puis que en la publication et conclusion de la disputation icy en nostre ville tenue [8]), nous sommes offertz, si aulcungs pretendoient par la saincte escripture prouver convaincre et informer en cest endroict avoir failly, que telle faulte voudroient esmender. Ce que encore nest faict, et sur ce par la saincte escripture du vieux et nouveau testament sont este soustenues et maintennes les conclusions proposees et sur ce ensuyvie une reformation, laquelle est jusques a present observee, et consequemment une aultre disputation tenue a Lausanne [9]) conforme a la susdite en laquelle aussi le dict maistre Jehan *Calvin* az este present. Et sur ce du commencement et apres souventesfois enjoinct et commande a noz ministres densuivre et observer en leurs predications doctrines parolles et escriptures icelles disputations reformations mandements ordres formes et manieres de leglise sur cela faicts. Dont sommes encore de present et a ladvenir serons de constante deliberation, sans variation ny changement de propos dy persister et perseverer.

Quant a ce que touche laffaire du susdict prescheur de Nyon, [10]) puis quil ne confesse avoir expressement nomme en son sermon maistre Iehan *Calvin* ny son livre, moins lappelle heretique: aussy lautre Iehan *Lange* avoir prins occasion de parler de maistre Iehan *Calvin* au colloque. Lune ayant entenduz que aulcungs avant luy en avoyent mesme tenuz propos, laultre occasion prinse en un passaige [11]) dans le livre de la predestination et providence de Dieu, compose par ledict maistre Iehan *Calvin*, comme aussy est bien a penser et presumer le susnomme *Zebedee* avoir semblablement faict: Et ledict maistre Iehan *Calvin* mesme az confesse la faulte et erreur non estre par luy mais par limprimeur commise. Puis doncques pour rabbatre et seder les scandales et offensions des Eglises, pareillement des particuliers, aussy les troubles et contencions: et pour avancer et entretenir concorde et chrestienne union, avons bien voulsiu a la requeste et soubmission de nous treschers combourgeois de Geneve, prendre charge sus nous de ouyr toutes parthies et nous employer par voye amiable, les accorder et appayser: Ayants considere la faulte par limprimeur faicte estre de grande jmportance et consequence, et que a maistre Iehan *Calvin* autheur dudit livre appartenoit de corriger ladicte faulte avant que laisser jmprimer et publier ledict livre et par ce obvier au scandale par ce advenu, Dont nous semble advis que la coulpe quil pretend jmposer a limprimeur par bonne rayson a luy doibt estre jmputee et ses excuses en cest endroict non estre admectables, et sur ce pronunce et ordonne que le different estant entre les dictes parthies, tant de nous treschers combourgeois de Geneve, leurs ministres, que les susnommes prescheurs de Nyon et Bursin doigt estre et demourer entierement sopy et abbattuz, comme si jamais nen fust

2) *le 2. Avril (et non le 3 comme dit Ruchat). Voyez N.* 2184.

3) *N.* 2166.

4) ut invicem remitterentur iniuriae *etc.* (*Haller N.* 2184.)

5) 3 *Avril.*

6) indignum hoc putare Calvinus nec agi de privatis tantum iniuriis *etc.* (*Haller l. l.*)

7) *qui n'adoucissent pas le fond. On ne voulait ni de Calvin ni de querelles dogmatiques.*

8) Handlung oder Acta gehaltener Disputation zu Bern. Zür. 23. Mertz 1528.

9) *Octobre* 1536. *Ruchat* IV. 181.

10) *On accepte la dénégation de Zébédée.*

11) *Il s'agissait d'une faute d'impression d'après laquelle Calvin aurait dit que Jésus attaché à la croix se serait laissé aller au désespoir.* (*Hess.* 255. *Hundesh.* 291. *Trechsel* 201. *Staehelin* II. 142. *Henry* III. 78.) *Mais personne ne sait où se trouvait cette faute. Il est bien dit ici que c'était dans le livre de la prédestination. Mais Calvin lui-même dit que c'était dans l'Institution, dans un passage cité des Proverbes.* (*Lettre du 6. Mai.*)

este mention, avec remonstrances que nous susdictz ministres et aultres se despourtent de blasmer et diffamer aulcungs, ains aux chaires, lieux publicques et aultres ilz preschent parlent et escripvent si modestement et honnestement au contenuz de la saincte escripture que personne ne soit offence, et ne donnent occasion de troublement contencion et scandale. De quoy par noz lettres a eux par deux foys nagueres envoiees les avons fraternellement admonestes et aussy escript aux doyens ministres et aultres des classes de noz pays de Savoye: ce que encore une bonne foys par noz lettres presentement refrescherons. Aussy que nous treschers combourgeois de Geneve tiennent main que leurs ministres fassent du semblable et que doresnavant se despourtent de composer livres contenants si haultes choses, pour perscruter les secrets de Dieu a nostre semblant non necessaires qui donnent occasion de telles choses et qui plus destruissent que edifficnt.[12]) Davantage dapprouver ou reprouver les livres et la doctrine du dict *Calvin* ne nous appartient en chose que soit, ne voullons aussi permettre que aulcune dispute sur ce soit en noz pays tenue.

Et combien soyons jnformes par aulcunes lettres [13]) lesquelles le souvent nomme maistre Iehan *Calvin* a escriptes et envoyees a certains personnaiges par lesquelles il reffute et condamne la doctrine de *Zwingle* touchant les sacremens, lappellant faulse et pernicieuse, jtem lopinion de *Zwingle* estre du tout faulse, chose que nous touche daultant que en nostre disputation ceste matiere est debattue par luy et aultres docts et scavants personnages et par la saincte escripture vifvement soustenue et jusque a present observee, dont eussions bonnes et justes raysons de faire justance contre, et nous plaindre de luy [14]) et y avoir advis: Si voullons nous cela presentement omectre. Toutteffoys luy et tous les ministres de Geneve, par ces presentes expressement advertissons, cas advenant que nous trouvions aulcungs livres en noz pays, par luy ou aultres composes contrariants et repugnants a nostre dite disputation et reformation que non seullement ne les souffrirons ains aussy les bruslerons.

Item tous personnages qui viendront, hanteront en noz pays, parlants devisants disputants escripvants et tenants propos contraires a nostre disputation et reformation, jceulx punyrons selon leur demerite de sorte que chascung entendra que ne voullons cela souffrir.

12) *Avis à Calvin.*
13) *Comp. N.* 2184. 2187.
14) *Comme on n'entre pas dans le fond de la question Calvin pouvait se plaindre d'un déni de justice. On profitait de cette occasion pour lui faire sentir ce qu'on pensait de lui à Berne.*

Quant a laffaire de Sebastian *Fonsselet* et *Pierrechon*, [15]) ayants entenduz par cydevant et a present les plainctiffz que les ambassadeurs de noz treschers combourgeois de Geneve, premierement contre ledict *Fonsselet* ont faict, singulierement touchant ung dixain par luy compose, par lequel il az diffame et grandement blesse lhonneur dune ville de Geneve, lappellant Sodome etc. et ouyes ses responces frivoles sur ce faictes: avons prononce que ledict *Fonsselet* doigt faire reparation dhonneur par parolles suyvantes: ascavoir que ilz doige dire en la main de nostre Lieuthenant, que par ledict dixain et aultres lettres et parolles diffamatoires ilz ayt faict grand tort meschamment et faulcement parle et escript de la ville et cite et tous les habitants tant grands que petits, aussy de maistre Iehan *Calvin* et des ministres de Geneve, reputants jceux estre seigneurs de bonne justice, gens de bien et dhonneur, et ne scavoir ny sentir deulx que tout bien et honneur, et pource quil az grandement failli et meschamment faict le bannissons perpetuellement de touttes noz terres et pays, a les debvoir vuyder dans quinze jours prochains: laquelle reparation et desdicts ilz az faict.

Quant a *Pierrechon* ayants aussy ouys et entendu les plainctiffz contre luy faicts et ses responces frivoles, avons prononce que jcelluy doigt faire semblable reparation dhonneur et desdicte comme le precedent, excepte le dixain: adjoinct quilz doige crier mercy esdicts ambassadeurs de Geneve et les prier luy pardonner: ce quilz az faict et pour punition avons ordonne de le mettre en pryson et demourer dedans lespace de troys jours et trois nuicts.

Lesquelles reparations dhonneur par lesdits *Fonsselets* et *Pierrechon* faictes, lesdicts ambassadeurs de Geneve ont acceptees, en demandant, comme sus est dict, lettres et seaulx, aussy de prononciation faicte entre eulx et les susnommes ministres de *Nyon* et de *Bursin*. Ce que avons accorde et jcestes en tesmoignage seellees de nostre seel placque. Donnees troysiesme jour du moys dapvril lan de grace courrant mille cinq cent cinquante et cinq.[16])

(L. S.)

15) *Pour ces petites gens, on les immolait volontiers en guise de satisfaction.*
16) *Il est marqué sur le dos de cette prononciation que l'on ne peut l'accepter si non en ce qui a esté ordonné sur Fonsselet et Pierrechon, qu'elle a esté combattue le 3e et 4e d'April, que le vendredy on a protesté n'y vouloir consentir et que les Sgnrs de Berne ont dit: qu'ils ne vouloient que les Sgnrs de Geneve et leurs ambassadeurs fussent contraints d'y consentir sinon à leur plaisir.*

2176.

LE SÉNAT DE BERNE AUX MINISTRES.

Publication d'un édit relatif aux plaintes et représentations faites par les ambassadeurs de Genève, et auxquelles il est répondu par une fin de non recevoir, et par une défense de disputer publiquement sur la prédestination.

(Archives de Berne. Welsch Missiven-Buch C. fol. 50 suiv. — Copie à la Bibliothèque de Genève Carton 197aa. N. 10. L'exemplaire Bernois porte la suscription: *An all Classen jm welschen Land.* Le titre qui va suivre se lit dans l'exemplaire de Genève. Il doit avoir existé d'autres exemplaires.)

Double de missive pour les ministres du ballivaige de Ternier et Galliard au faict des disputations etc.

Ladvoyer et conseil de Berne. Nostre salutation premise: Honnorables doctz scavantz discretz chiers et bien aymez: Pour vous sommayrement advertir de ce qu'az este par nous traicte entre Lambassade de noz treschiers combourgeoys de Geneve et leurs ministres en ceste journee amyable dune et daultre partie Andre *Zebedee* et Iehan *Lange* ministres de Nyon et Bursin: Avons advise vous escripre ces presentes.

Premierement estre comparus pardevant nous [1]) Ladicte Ambassade, nommeement Henry *Aulbert* Sindicque, maistre Iehan *Calvin*, Francoys *Chamoys* et maistre Reymond *Chaulvet* ont propose et recite en presence des susnommez ministres de Nyon et Bursin leurs plainctiffs et douleances contre eulx cy devant en leur absence faictes: Sus lesquelles lesdictz deux ministres ont donne leurs responces et ce par longues parolles dung coste et daultre, icy a escripre a cause de prolixite entrelaissees. Or ayantz tout bien entendu et considere, pour appaiser leurs differentz, abbolir et abbattre et seder les scandalles et offensions des eglises, Pareillement des particuliers, Aussi les troubles et contentions et pour avancer et entretenir concorde et chrestienne union: nous ayans en premier lieu resolluz et declairez, puis que en la publication et conclusion de la disputation icy tenue, nous sommes offertz si aulcungs pretendoyent par la saincte escripture prouver convaincre et informer en cest endroict avoir failly et erre que tel erreur et faulte vouldroyent emender, Ce que toutesfoys personne jusques icy naz entreprins ny faict. Puys doncques que par la saincte escripture du vieulx et nouveau testament les conclusions proposees sont estes desbattues et soubztenues, Et sur ce avons faict une generalle reformation laquelle jusques a present est observee, et consequemment tenuz une aultre disputation a Lausanne conforme a la susdicte, Et sur ce au commencement et apres souventesfoys enjoinct et commande a noz ministres de ensuyvre et observer en leurs predications doctrines parolles et escriptures icelles disputations reformations mandementz ordonnances formes et manieres de leglise sur cela faictes et en consideration que les innovations et changementz ont engendre et admene beaucopt de differens et desordres, Sommes encoures de present et a ladvenir serons de constante desliberation sans variation ny changement de propos dy persister et perseverer, Et avons pronunce et amyablement ordonne [2]) que les differens pendantz entre lesdictes parties doibgent estre et demourer entierement sopys estainctz tollus abolys et abbatues, comme si jamais ne feussent este mys en avant ny dyceulx fust este mention avecq remonstrance que vous nous ministres vous desportez de blasmer diffamer ny mespriser aulcunes personnes, soit aux chayres lieux publicques ou aultres, Ains en preschant parlant devisant et escripvant tenes et observiez la modestie et honnostete au contenu de la saincte escripture affin que personne ne soit offense ny donnee occasion de troublements contentions et scandales: prians et admonestans fraternellement noz dictz combourgeoys de Geneve que de leur coste y pourvoyent et tiennent main que leurs ministres [3]) usent de telle modestie et se depourtent de composer livres contenantz si haultes choses pour perscruter les secretz de Dieu a nostre advys non necessaires et qui donnent occasion de telz differens dissensions contentions et troublemens plus destruans que ediffians. Laquelle nostre amyable pronunciation et ordonnance auxdictz ambassadeurs pour responce donnee et declairee nont voulsus accepter ny dycelle soy contenter, [4]) nous prians de faire en ce plus ample declaration et donner sentence et mesmement touchant la doctrine dudict maistre Iehan *Calvin*, a icelle nous soubscripre et approuver, ce que pour bonnes et justes raisons en ladicte responce contenues avons reffuse faire et nous arreste entierement

2176. 1) *le* 2. *Avril.*

2) *La déclaration est ici plus précise que dans le libellé de la sentence.*

3) *Ceci à l'adresse de Calvin.*

4) *Reg. du Conseil* 11. *Avril. On y lit entre autres:* Quant au different dudit Zebedee *etc.* est este dit et declaire que . . . . . lon deffend a tous de ne blasphemer le dit M. Calvin et que tous imprimeurs et ministres ne doibgent imprimer ou faire imprimer telles choses . . . . . . (*savoir*) livre concernant si haute matiere de la providence de Dieu ny des secrets d'icelluy qui tombent plustost a scandale que edifica-

a jcelle. Et davantaige faict advertissement auxdictz ambassadeurs de Geneve, cas advenant que en noz pays trouvions livres [5]) contrarians et repugnans a nostre dicte disputation et reformation jceulx ne souffrirons: pareillement tous personnaiges passants et hantans en et par noz pays, parlants devisants disputants escripvants tenants propos contrayres a nostre disputation et reformation jceulx punirons en sorte quilz entendront que ne voulons cela souffrir.

Et affin que selon ceste nostre ordonnance ensemble noz rescriptions precedentes lune du xvij[e] de Novembre, [6]) laultre du xxvj[e] de Ianvier passez et toutes aultres admonitions et remonstrances vous saichez conduyre et jcelles inviolablement observer vous en avons bien voulsus refrescher la memoyre, vous tresacertes encor ung bon copt admonestans en cest endroict estre souvenans des seramentz et soubscriptions qu'avez faictz en suyvant la doctrine du commencement jusques a present usitee, train maniere et ordonnances de lesglise au contenu du formulaire et catechisme a vous nagueres envoyez et vous despourter de vous soubscripre a personne que soit. Item vous garder de diffamer blasmer jniurier calumnier mespriser condampner en voz sermons congregations colloques ou aultres lieux par parolles ou escriptures [7]) aulcunes personnes ny aussy disputer deviser ny tenir propos des secrets de Dieu jmperscrutables, ains concordablement sincerement purement et simplement jnstruyre et enseigner la verite Evangelicque aux peuples et brebis a vous en charge donnez comme a bons vrays et fidelles pasteurs appartient. Davantaige est nostre vouloir que quand orrez ou percepvrez aulcungs personnaiges quelz quilz soyent soubz nostre obeissance ou estrangiers ou aultres en noz pays, parler et tenir propos ou escripre contre ceste nostre ordonnance, jceulx a nous ou a noz Balliffs et officiers reveler pour les selon leur demerite punir. Datum iij[a] Aprilis 1555.

tion. Item disent quil ne leur apertient que lesdits Seigneurs (*de Geneve*) aprouvent ou reprouvent les livres de M. Calvin, ains ne veulent que dispute de cella se face en leur pais....

5) *Dans la sentence elle-même il est parlé de les brûler. En tout cas c'est une menace directe contre Calvin.*

6) *N.* 2046.

7) *C'est le seul article qui fasse droit aux réclamations des Genevois. Mais ce qui est ajouté au sujet des* disputes *frappe également ceux-ci.*

2177.

CALVIN AU SÉNAT DE BERNE.

Réclamation au sujet de la récente décision du Sénat dans l'affaire de Zébédée, en tant qu'il s'y agit de sa propre doctrine.

(Orig. autographe Bibl. de Gotha Vol. 404, fol. 38. Bretschneider p. 60. Bonnet II. p. 39.)

Magnificques, puissantz et tresredoubtez Seigneurs, combien que Iehan *Calvin*, ministre de leglise de Genefve, ait este icy envoie de la part de ses Seigneurs et superieurs avec les aultres commis, toutefois pour ce quen la response donnee par vous il y a plusieurs pointz qui attouchent sa personne, il est icy comparu devant vous pour vous exposer en particulier ce quil pense estre requis pour son devoir et la descharge de sa conscience.

Premierement en ce que vous dictes quil ne vous appartient dapprouver ou reprouver sa doctrine, le dict exposant vous supplie de bien adviser si cela nest pas plus a vostre preiudice qua son interest prive de luy. Car il nest pas question de quelque doctrine quil ait a part, mais de celle que les ministres de vostre ville ont commune avec luy, selon quilz le vous ont proteste. Ainsi vous mecteriez en doubte la foy quon vous presche tous les iours.

Mais il y a un aultre article qui presse plus. Cest quen [1]) advertissant les Seigneurs de Genefve quils ne souffrent pas quon imprime livres de la matiere [2]) dont il est question comme trop haulte et profonde, il semble que vous condamniez obliquement ce que le dict exposant a faict. Or son intention a este dedifier leglise de dieu, comme il ne doubte pas que dieu nait fait servir son labeur au salut [3]) de tous ceux qui en scavent faire leur profit.

Quant a la faulte que chascun voit estre venue de limprimeur, le dict exposant se sant fort grefve de ce quelle luy est imputee, comme sil estoit correcteur dimprimerie. Ce qui nest pas son mestier. Et mesme ce nest pas faulte dimportance, veu quil ny a si rude idiot iusque aux petis enfans, que le fil du texte ne redresse en la mesme ligne.

Il y a aussi, Magnificques Seigneurs, les menaces que vous faictes de brusler ses livres, silz se trouvent quils soient contraires a vostre reformation. Or il luy semble quil na donne occasion ny a vous ny a nulz princes fideles de luy denon-

2177. 1) *Il y avait d'abord:* qu'en declairant quil nest pas bon ny utile descrire livres qui —

2) *add.* de la predestination (*mots biffés*).

3) au salut des esleuz et a la cond—

cer cela. Car il a iusque icy par la grace de dieu travaille fidelement pour toute la Chrestiente, et espere de persister iusque a la fin a faire le semblable. Parquoy il na pas merite ne desservy quon le descourage, surtout veu quil est auiourdhuy aultant hay et assaily des ennemis de la foy, que nul aultre. Cest le devoir de tous princes Chrestiens de le supporter et luy tendre la main plus tost que de le grever. De faict on ne scauroit faire plus grand plaisir aux Papistes, que de mectre quelque blasme ou notes sur ses livres.

Quant aux lettres que vous dictes avoir este escrites par luy, ou il condamnoit la doctrine de Zuingle, il sesbahit comme cela ne luy a este mis en avant, affin quil eut lieu de sen purger, comme la raison le vouloit. Mais ce qui na este faict, il vous supplye quil se face. Car quant il sera adverty du faict, il espere vous en faire si bonne et si suffisante excuse, presentement et sans delay, que vous aurez au plaisir de dieu de quoy vous contenter. [Qui plus est, tant sen fault que les ministres de Zurich, ausquelz le cas attouche de plus pres, soient offensez contre le dict exposant, que tant par lettres privees que par livres imprimez, [4]) ilz ont proteste quilz le tiennent pour bon et loyal defenseur de la foy des eglises de Suisses, surtout en matiere des sacremens]. [5])

Au reste, Magnificques Seigneurs, si vous trouvez [6]) sa requeste raisonnable, il vous supplye humblement que vostre plaisir soit fermer la porte a tous mesdisans, et proveoir [7]) que le cours de levangile ne soit pas empesche surtout que soubz ombre de vostre authorite les malings ne prengnent occasion de ruiner ce que dieu edifie iournellement par le dict exposant. [8])

4) lettres imprimées. *Bt. et Br.*
5) *Ce passage est écrit en marge.*
6) honorez *Br.*
7) preveoir *Br. Bt.*
8) *Cette lettre a dû être écrite à Berne immédiatement après la publication de la sentence.*

2178.

EXSULES ANGLI CALVINO.

Eius scilicet partis quae ritus anglicanos servare volebat. Suas rationes exponunt et vindicant.

(Ex autographo Cod. Genev. 113, fol. 1. — Edita est in Epp. Tigurinis p. 487 et anglice in Opp. Knoxii ed. Laing. IV. 55 et a Soc. Parkeriana Zuric Letters II. 753. Cf. KG. der Reformirten in Frkf. a. M. 1751.)

Clarissimo viro et fidelissimo Christi ministro D. Iohanni Calvino.

Genevae.

S. D. Postquam carissimus frater noster Thomas *Sampson* literas tuas [1]) de communi nostra cum quibusdam fratribus [2]) controversia ad se scriptas nobis pridem communicasset, et officii nostri et pietatis erga te esse iudicavimus, et quid et quo quidque consilio actum esset tibi quam primum significare. Etsi autem serum tibi fortasse videri possit nunc demum transacta re [3]) ad te scribere, tamen obsecramus te per Iesum Christum ne id ea causa factum putes quo nos autoritatem tuam minoris quam par erat faceremus. Ea enim non tantum nobis verum etiam orbi terrarum gravissima et antiquissima et est et esse debet. Verum et quia pietas tua multorum dierum itineribus a nobis aberat, et quia magna spes erat eam omnem controversiam inter fratres minori molestia componi posse, noluimus gravissimas cogitationes tuas frivolis et domesticis quaestionibus nostris impedire. Etsi autem aegre adducimur ut de fratribus nostris aliquid minus candide suspicemur, veremur tamen nonnihil ne non satis explicate res omnis et causae summa tibi fuerit renunciata. [4]) Neque enim nos ita prorsus addicti sumus patriae ut ferre consuetudinem aliam non possimus. [5]) Neque nobis tanti est illorum patrum et Christi martyrum autoritas, ut quidquam contra sentire aut statuere sit religio. Id quod et verbis saepe testati sumus et re ipsa postremo comprobavimus. Nam quum nuper magistratus nobis permisisset libere patriis ritibus uti, nos caeremonias eas, quae fratribus illis nostris

2178. 1) 2119.
2) *Knoxo, Whittinghamo etc.*
3) *De qua cf. Whittinghamum N.* 2168.
4) *Innuunt adversarios rem Calvino falso colore fucatam exposuisse, vel etiam Knoxi relationem Genevam proficiscentis praevenire volebant. Difficile est dictu utra pars totam historiam ita enarrarit ut veritati magis consentanea esset. Knoxianorum epistolam ad senatum Francofurtensem deperdito authentico latino anglice versam reperies in* Troubles of Frkf. *d.* 20. *Martii datam.*
5) *De mutuis concessionibus neque in relatione* (Troubles *etc.*) *neque in epistola illa ad senatum quidquam habetur. Imo in collatione qua concordia instaurari debebatur Coxus plane aliter:* Maister Iohn Glauburge sent for Valeran the Frenche Minister commandinge him that two lerned men shulde be appointed of either parte and that he and they shulde consulte and agree uppon some good Order, and to make report unto him accordingly. Then wer appointed Dr. Coxe and Lever of the one side and Knox and Whittingham on the other side. To decide the matter Valeran was appointed to put downe in writinge what they shulde agree upon. But when in this conference they came to the order of Mattins and that Dr. Coxe said: *Ego volo habere,* there coulde be no agreement amonge them, and so broke off. *Tum supplicatio Presbyterianorum ad Senatum per Glauburgum delata est.*

molestae et importunae videbantur, ultro omnes reliquimus. Omisimus enim privatos baptismos, confirmationes puerorum, dies festos sanctorum memoriae dedicatos, γονυκλισίας in sacra communione, lineas ministrorum lacernas, cruces et alia id genus. Atque haec quidem omisimus non ut impura et papistica, qualia ea esse quidam e fratribus nostris saepe criminati sunt, sed quum natura sua essent ἀδιάφορα, et a piis patribus ad nostri populi aedificationem vel instituta vel permissa, tamen ea seponere maluimus quam fratrum animos offendere aut minuere caritatem. Retinemus autem reliquam formam precationum et administrationis sacramentorum, quae in libro nostro praescripta est, idque consensu fere totius ecclesiae, cuius iudicium in his rebus contemnendum esse non putavimus. Eiusdem etiam ecclesiae nostrae consensu statim electus est pastor unus, concionatores duo, [6]) seniores quatuor, diaconi duo, adhibita summa cautione ut omnibus liberrima essent suffragia: nisi quod iussu magistratus ante initam electionem propositi sunt articuli nuper Edouardi regis autoritate publicati, [7]) qui summam doctrinae nostrae continent, ut illis a nobis omnibus subscriberetur. Qualis enim, inquit, futura est electio nisi ante suffragatores in doctrina consenserint? Illis articulis quidam qui antea se offensos ostenderant ultro subscripserunt. Pauci quidam abstinuerunt, de quorum tamen pacificatione bene speramus. [8])

Haec verbosius ad caritatem tuam scribere voluimus, ut a nobis ipsis seriem rerum nostrarum cognosceres. Exstat liturgia nostra gallice versa, [9]) et articuli illi nuper admodum Tiguri impressi sunt. [10]) Ea nisi existimaremus apud vos posse inveniri, curaremus exemplaria ad te deferri. Oramus autem caritatem tuam ut nihil aliud nos in toto hoc negotio quaesivisse existimes (id quod coram Domino testamur) quam pacificationem ecclesiae nostrae et gravissimorum scandalorum, quae alioqui impendere videbantur, evitationem. Dominus Iesus pietatem tuam nobis et ecclesiae suae quam diutissime servet incolumem. Vale. Francofordiae quinto Aprilis.

6) *In hac distinctione hierarchiae episcopalis anglicanae vestigia facile deprehendes.*

7) *anno* 1552, *numero quadraginta duo*, *postea sub Elisabetha triginta novem.*

8) *Verum res plane aliter evenit. Dissidium mox denuo exortum et tristes controversiae diuturnaeque inde natae.*

9) Le Livre des Prieres Communes de l'Administration des Sacremens et autres Ceremonies en l'Eglise d'Angleterre. Traduit en Francoys par Francoys Philippe serviteur de M. le grand Chancellier d'Angleterre. De l'imprimerie de Thomas Gaultier 1553. 8. *Cancellarius fuit Thom. Goodrich bishop of Ely.*

10) *Nobis vero haec editio non innotuit.*

Tuae pietatis observantissimi Angli exsules
Ric. Coxus. [11])
David Whithedus. [12])
Ric. Alveius. [13])
Thomas Beconus. [14])
Edwinus Sands. [15])
Edmundus Grindallus. [16])
Ioannes Baleus. [17])
Rob. Horne. [18])
Tho. Lever.
Tho. Sampson.

2179.

VERGERIUS BULLINGERO.

Primum defendit se a suspicione quasi autor fuerit libelli Belliani de non puniendis gladio haereticis. Tum novam controversiam sacramentariam excitatam dolet, Calvini virulentiam notat et tristiora auguratur.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 170. olim Epp. Tom. 44. fol. 658. sine inscriptione. — Appendix sive Postscriptum ibidem fol. 730. — Etiam Simlerus separatim exhibet utramque partem Vol. 84.)

Sed quid ais, Henrice *Bullingere*, te per me exercitatum diligentius coepisse expendere num ex no-

11) *postea episcopus in Ely. De eo cf. M'Crie, Knox* I. 157.

12) *Whitehead, quem Cranmerus episcopum Armaghensem creare voluerat. Strype, eccl. mem.* III. 1, 231. *Francofordiae ministerio fungebatur.*

13) *Prebendary at Westminster* 1552. *Strype* II. 2, 274.

14) *Cranmeri capellanus, plurimorum librorum autor quos edidit societas Parkeriana, et insignis orator. Eius epistola ad fideles in coetibus frequenter legebatur.* (*Strype, Cranm.* 513. 608.) *Antequam exsul fieret a Regina in vincula coniectus fuerat.*

15) *Sandys Lancastriensis, Buceri amicus Argentoratum concesserat ubi plus centum Angli excepti fuerant. Postea episcopus Worcestriensis et Londinensis, postremo archiep. Eboracensis, magnae autoritatis ap. Elisabetham. Huius et Grindalli opera ed. Soc. Parker.* (*Strype, passim.*)

16) *Ridleyi capellanus, Buceri amicus diutius in Alsatia commoratus, Martyris auditor, Wassaloniae germanicam linguam edíscebat.* (*Roehrich* III. 130.) *Postea ep. Londinensis, postremo archiep. Cantuariensis.*

17) *John Bale, theologus et historicus ep. Ossoryensis, Basileae edidit* his admirable book of Centuries giving an account of the lives and writings of all such as were born English and Scottish. (*Strype, Cranm.*)

18) *decanus Durhamensis, Eduardi VI. capellanus, Turici exsul.* (*Strype, mem.* III. 1, 409.) *Francofurdiae hebraica docebat.*

bis [1]) prodierint illi libelli Martini *Bellii*, *Monfortii* etc. Proh quid audio! Ego quidem aquam semper camino huic attuli: sed si nostri hic scirent a me te id suspicari, omnino oleum afferrem. At cave, te obsecro, ne aliunde resciscant. Confirmo ego tibi libellos istos odio haberi ab omnibus nostris, inprimis vero ab ipso Principe, qui nec duos versus potuit legere in eo qui ipsi erat inscriptus. Agnovit enim quo spiritu esset concinnatus et reiecit illico. Sed quid nos purgo, quasi tu nescias unde prodierint? Bone Deus, quid inquam audio? Mallem papista esse, speraremque illic aliquam misericordiam ignorationis meae, quam autor illorum librorum, quem scio invidia, odio, mala conscientia impulsum scripsisse, atque omnino ut diffamaret bonas ecclesias. Nos enim, tametsi ignes istos pati non possimus, tamen non laceramus, non invisos conamur reddere eos qui illis utuntur. Quantum vero intersit inter nos et illos qui sparsis libris vos traducunt, quis non videt? Sed Deus male faciat Servetis et monstris talibus quae diabolus arripuit pro occasione, qua multorum animi dividerentur, quum essent alioquin conglutinati. An nescis *Gratarolum* [2]) mihi libellum repudii misisse, non quod me Servetanum putaret (nondum enim tam male de me), sed quod dixerim et dico, si essem iudex talium parcerem vitae. Quin audi amplius: *Lactantius*, [3]) *Martinengus* et reliqui Itali qui Genevae degunt sunt etiam a me abalienati. Certe refriguit prorsus caritas qua nos patria et similitudo studiorum et conditionis coniunxerat. De animo *Calvini* erga me nihil possum affirmare, sed vix perseverabit in vetere benevolentia illis accusantibus. Sed quid agam? Deserat me mundus quantus quantus est, ego nescio adulari, nolo contra conscientiam loqui. Sat illis si non exclamo, si neminem concito, si non desino illos amare: tantum si rogor, quod et raro fit, dico modeste meam sententiam. An propterea debent abalienare animos? Res sic est, me neminem nosse in his nostris ecclesiis qui id non sentiat quod ego sentio, non quidem in gratiam Ducis. Non enim sumus tales, sed quia habemus et nos nostras causas. Ac de hoc satis. Tantum te rogatum velim, Henrice *Bullingere*, ut omnem suspicionem amoveas, esse inter nos talia ingenia quae tales libros ferant. Quaere propius Tiguro [4]) et invenies. Deinde ne putes infringendam caritatem si in eo articulo a vobis dissidemus.

Superest ut pauca dicam de silentio quod scripseram me probare in altero articulo. Mihi libellus *Westphali*, mihi literae nonnullorum non sunt visae tanti ut propter eas novi a vobis libelli ederentur, hac praesertim tempestate. Hoc sensi et sentio adhuc. At vos aliud, libellumque edidistis: at videbitis quid consequetur, me quidem flente. Suspicor enim primum emersuros qui acerrime respondeant omnemque litem renovent. Deinde et aliud timeo. At poterat redimi tale incommodum, meo quidem iudicio. Vobis vero non est ita visum. Quare superest ut Deum rogem ut omnia in bonum. Interim non desino vos amare et magni facere. Liceuerit quod sentio dicere. — — — — Stutgardiae 7. Aprilis 1555.

Vergerius.

Detinui literas usque ad hunc diem 9. Aprilis. Legi interea libellum. [5]) Doctrina nunquam displicuit. Tua mihi multo magis probatur epistola, [6]) utpote modestior quam Calviniana. Is certe hac in causa nimium mihi videtur virulenter loqui. Deus dirigat in bonum.

Idem scripsi. Diu fui cum D. *Brentio*, qui ex animo ingemit reprehendens *Westphalum* illum qui libellum edidit, et omnes qui litem renovant, addiditque Deum tempore ipso inventurum remedium huic malo: quare minime debuisse exagitari. Tum ego: Atqui iam *Calvinus* respondit. Hoc vero *Brentium* magis torsit, et certe paene flevit dolore, quod sancte affirmo. Quum enim magnopere optet concordiam, videbatur illi eam silentio non contentionibus sarciri posse. De praeteritis non est consilium, sed magno redimerem ne istic editus esset libellus. Ex hoc ducatu nemo vobis respondebit, quod certo scias: at clamabunt Saxones et nova bella movebunt. Volui scires etiam haec.

2179. 1) *Fortasse de Italis cogitaveris, qui tamen tum temporis minime in vicinia Vergerii quaerendi fuissent. Quae sequuntur potius ad Wirtembergenses referenda videntur, maxime quia ipse princeps simul producitur. Memineris libellum istum huic ipsi inscriptum fuisse.*

2) *cuius epistolas, quibus Basileenses quosdam causam Servetanam amplexos denunciabat*, *supra legisti* (N. 1914. 2066.)

3) Lact. Ragnoni, nobilis Senensis qui Italiam religionis ergo reliquerat ac circa a. 1551 semet Genevam receperat, ibi veterem cum Gal. Caracciolo amicitiam quam Neapoli iam erexerat instauravit ac non ita multo post Italicae ecclesiae est praefectus. (*Gerdes*, *Italia ref. p.* 327.)

4) *Basileae nimirum.*

5) *Calvini Defensionem.*

6) *Defensioni annexa.*

2180.

CURIA MOMBELGARDENSIS BLAURERO.

Cancellarius et consiliarii curiae Claudium Morletum vindicant a falsa quadam suggestione.

(Ex autographo bibl. civ. Sangall. MSS. Tom. 37. Epp. VIII. p. 17. Apographa exstant in Bibl. civ. Turic. MSS. F. 48, olim VIII. p. 147 verso et apud Simlerum Vol. 84.)

Ornatissimo viro D. Ambrosio Plaurero verbi Dei ministro vigilantissimo ad manus.

Bielis.

S. doctissime D. *Plaurere*. Nos intelleximus ex literis tuis non admodum pridem ad praefectum Curiae Montpelgartensis scriptis, quod Claudius *Morletus*, [1]) tum propter Simonis *Richardi* famuli, tum quatuor dimissorum quondam ecclesiarum ministrorum falsam suggestionem apud te et alios bonos viros de religionis negotio quodammodo male audiat. At quum non tantum ex testibus qui interfuerunt colloquio illi de quo *Morletus* accusatur, sed etiam ex aliis multis piis viris intelleximus sibi iniuriam fieri: non enim in eo colloquio asseruit aliud quam quod etiam in templo papistico pia possit haberi oratio a piis, modo non intersint missae neque illam approbent. Itaque volumus bonum illum virum Claudium *Morletum* apud te excusatum esse, rogantes ne posthac illis quatuor dimissis aut eorum sequacibus in eiusmodi re facile fidem adhibeas. Quod si feceris dabimus et nos operam ne ingratos nos sentias. Vale. Datae 4. Id. Aprilis a. 1555.

Carcellarius et Consiliarii
curiae Montpelgartensis.

2181.

VALLEVILLIUS CALVINO.

Laudat senatum Francofurdensem et casum aliquem matrimonialem exponit de quo Calvini consilium sibi expetit.

(Ex autographo Cod. Genev. 109. fol. 146.)

Clarissimo viro D. Iohanni Calvino ecclesiae Genevensis pastori vigilantissimo.

Genevae.

Qualis sit ecclesiae nostrae facies ex Lithurgia, [1]) quam ante septem menses symmysta noster ac carissimus in Christo frater Valerandus *Polanus* ad te misit, didicisti. Proinde in ea depingenda nihil nunc operae impendam. Quia vero nihil in vita tibi iucundius accidere posse novi quam Christi gregem adversus impios in fideli magistratu habere patrocinium, nolui quum consulis [2]) tum praeclarissimi huius urbis senatus pietatem tibi esse incognitam, quae sane huiusmodi est ut nobis dormitantibus pro nostra ecclesia excubias agere videretur. In eo vero se manifestat eorum probitas ac erga christianismum studium, quod neminem in hac urbe peregrinum volunt commorari, cuius fides peregrinarum ecclesiarum ministris non sit cognita. Quod si forsan praefractus aliquis vellet tumultuari, iubemur illum deferre magistratui, ut datis suae impudentiae poenis exsulet, ac ita non solum ecclesia nostra sed et tota civitas sectariis ac improbis hominibus qui ecclesias turbare solent repurgetur.

De Anglorum dissidio quod caeremoniarum causa obortum est nihil per me rescies, nam D. de *Cecelles*, [3]) qui principio adfuit, ea de re te faciet certiorem. Statim ubi Francofordiae appuli, ne adhuc recens nota haec ecclesia scandalum pateretur quod quibusdam infirmioribus esset praeiudicio, solo collega meo praesente clam Georgium *Maupas* adortus sum, ac illi incusationem quae apud te mihi facta fuerat exposui: quod scilicet facta cum *Barbara*,

---

2180. 1) *De hoc non habemus quod dicamus. Etiam Richardi nomen nobis ignotum. Pertinent haec quoque ad negotium quatuor ministrorum olim dimissorum. Qui videntur inter alia istius Morleti quaedam dicta syncretistica protulisse quibus suum calvinismum i. e. severiorem disciplinam vindicarent.*

2181. 1) Kirchen Ordnung Vnd Beschreibung der Ceremonien so breuchlich sind in den reformirten Ausslendischen Kirchen zu Frankfurt am Mayn. Item Ein kurtzer inhalt der Lehre vnd Glauben so dieselbige Kirchen führen. Psalm. 149. Lobet Gott in der Versamlung der Heiligen. Iohan. I. Komme vnd sihe es. Frankf. 1555. *Recusum in*: Kurtze Vnd Warhafftige erzelung welcher massen den Frantzösischen vnd Niderländischen der wahren Religion halben verjagten Christen in der Statt Frankfurt im vier vnd fünffzigsten vnd etliche volgende jar die offentliche predig in ihrer sprach verstattet *etc.* Heydelb. 1598. 4. — Liturgia sacra s. ritus ministerii in ecclesia peregrinorum Francof. a. M. Addita est summa doctrinae s. fidei professio eiusdem ecclesiae. Frcf. 1554. 8. *Excerpsit Richter, KOO. II.* 149. *Praefatio data est Cal. Sept.* 1554. *Subscripserunt Val. Pollanus pastor; Io. Murellius et D. Lud. Castellio theologi extranei dicti sive ministri, teste libro KG. der Reformirten in Fr. p.* 75, *porro Georg. Maupas ludimagister et Iac. Crucius qui fortasse diaconus fuit. — Ipse Vallevillius pridie Cal. Febr. Geneva Argentoratum venerat et mox Francofordiam se contulisse videtur ubi Pollano adiunctus fuit.*

2) *Io. Glauburgi.*

3) *alias* Secelius.

quae Domino de *Villers,*[4]) famulatur, matrimonii sponsione hic aliam duxisset uxorem. Hoc porro fecimus, ut quale in hac causa haberet patrocinium expiscaremur. Ille itaque confessus est quod sibi in uxorem adiuncturum spoponderat, sed praescriptis quibusdam conditionibus: nempe quod, si ante biennium a sponsione facta vel artificium didicisset, vel aliam conditionem nactus fuisset qua se alere posset et uxorem, rata esset sponsio, sin minus, uterque liber maneret. Deinde quum iam a sponsione effluxisset annus nullaque spes intercederet vel discendi artificii vel pinguioris conditionis, ne illi esset impedimento quominus ipsa alium duceret virum, si quidem interea temporis ab alio proco expeteretur, dedisse literas quibus eam liberam dimittebat, quas ipsa hilari exporrectaque fronte acceptas in Garnesii insulam misit fratri qui tum illic ecclesiastae officio defungebatur. Postquam vero illa venisset Genevam, neque facile eas repetere sibi esset propter locorum distantiam, denuo ipsa sciens hic ipsum esse rescripsit ut sibi consimiles mitteret literas, quibus ipsa tuta esset si forsan sibi contingeret se alteri viro dare nuptui: quod se quoque fecisse constanter affirmavit, commonstrato nobis literarum quas ab illa receperat exemplari. Caeterum ipse respondit se nihil de matrimonio unquam cogitasse ante inter eos constitutum duorum annorum tempus quibus effluxis sua utrique libertas salva manebat. Licet vero haec novissima excusatio prae caeteris aliquid videtur aequi habere ponderis, attamen nihil constituemus priusquam tuum consilium scripseris, qua de re te magnopere precamur. Quod si illa forsitan excipiat ipsum Glastonii[5]) ac Francofordiae fuisse catechistam, respondet nunquam se quadrantem eam ob rem recepisse: imo non alio respectu hanc provinciam utrobique subiisse quam ut non ferendum *Valerandi* laborem tantisper relevaret, dum alter sibi minister adiungeretur. Nam statim ubi in ministerio confirmatus fui, collega meus et ego catechistas agere alternatim incepimus. Horum te certiorem facere voluimus, ut si quid a *Georgio* in eo quod alteri uxori nupserit, postquam *Barbaram* libertate quam ipsa cum laetitia accepit donavit, effluxitque tempus inter eos constitutum, peccatum esse animadverteris, ad nos scribas, et nos pro viribus curabimus ut omne scandalum ex nostra ecclesia tollatur. Interdum te precamur obnixe, hoc apud te clausum habeas donec plane, utrum in *Georgio* fuerit culpa nec ne, deprehendatur. Non sum inscius quin posthac futuri sint nebulones qui nomen nostrum apud vos traducere tentabunt, quemadmodum quum in Anglia essemus sumus experti, vel propterea quod a nobis haud habiti fuerint deorum loco, vel quia illorum improbitati non fuerimus patrocinati: ut sunt etiam nunc erratici quidam, qui huc illucque concursantes vos quantum in se est infamant. Itaque te obtestor ut pro vere paterno, quo hactenus me complexus es, animo, si quidpiam audieris, me ut soles praemoneas, ut possim per Dei gratiam si qua in me fuerit culpa emendari. Vale. Dominus te conservet adversus eos quos per malos homines Satan insultus contra te facit, in ecclesiae suae patrocinium. Salutat te coniux mea. 10. Aprilis.

Tuae humanitati addictissimus
Richardus Vauville.

4) *Hotomano.*
5) *Glastonbury ubi Pollanus ecclesiae gallicanae praefuerat.*

2182.

MINISTRI SANGALLENSES CALVINO.

Redintegratam controversiam dolent, Defensioni utpote modestissimae libenter adhaerent, multi sunt in laudando autore, quem cupiunt aliquando apud se videre.

(Duplex ad manus fuit autographon, alterum Genevam missum, quod describimus ex Cod. Genev. 196, fol. 19, alterum Ioannis Kessleri ludimagistri Sangallensis in bibl. civ. Sangallensi MSS. Tom. 37. Epp. VIII. p. 18. — Simler Vol. 84. Varias lectiones Cod. Sangall. margini adscribimus.)

Ornatissimo viro D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis ac totius orbis christiani doctori clarissimo domino et fratri in Christo venerando.

Gratia misericordia et pax a Deo patre nostro et Iesu Christo Domino nostro. Postulasset quidem autoritas tua dignitasque rei, *Calvine* doctissime et in Domino frater colende, post acceptam Defensionem una cum humanitatis tuae literis, statim primo quoque tempore quod requirere videbaris, ad te rescribi. Verum distulimus hactenus existimantes non incommodum nobis nec ingratum tibi fore per nuncium id fieri utrisque nostrum et familiaritate ac necessitudine[1]) coniunctum D. Ioannem *Linerum,*[2]) civem Sangallensem, virum sincerum et in Gallias iam proficiscentem: nihil interim solliciti sinistri

2182. 1) familiaritate necessitudineque *SG.*
2) *ex historia martyrum Lugdunensium tibi notissimum.*

quidquam suspicari de sententia nostra contestanda, quam in hac sacrosancta consideratione sacramentorum ecclesiae nostrae proceres iam antea quum publicis synodis [3]) sub tua praesentia, tum editis voluminibus [4]) orbi declararunt. Dolemus autem vehementer, hoc maxime tempore, in tanta videlicet rerum trepidatione, infaustum hoc et plus quam civile bellum perniciosissimis offensionibus obnoxium a quibusdam male feriatis fratribus non tam imprudenter quam crudeliter instaurari, atque ita miseras per Germaniam ecclesias, haud ita pridem mutuis fratrum vulneribus saucias, et vix iam a recenti calamitate respirantes, iam denuo ceu novo incendio conturbari. Nos, quoniam istorum hominum id genus scripta longo iam tempore nulla, nec etiamnum eius nuperi cuius mentionem facis scriptoris, ad nos pervenerunt, pollicebamur nobis adversariam partem de sua cruditate nonnihil remisisse, atque eam turbulentiam quae hactenus inter nos exstiterit longa concertatione contracta per silentium hoc in imo resedisse. Utrinque nimirum edocti quid immoderata ferat contentio, ubi plurimum ecclesiarum tranquillitati gratulabamur. Quocirca irruptionem hanc dolemus hoc magis quo minus hac tempestate tale quidpiam [5]) sumus suspicati. Speramus autem per Dei gratiam, si quos sive importunus zelus sive pacis inimica Erinnys sollicitat, placabiliores sedatioresque futuros, cognita virtute ac modestia Defensionis et autoris qui his sese calumniarum vociferationibus opposuerit. Recognovimus autem [6]) ex tuis ad nos privatim et publice scriptis, quemadmodum in caeteris accuratissimis [7]) tuis lucubrationibus, quibus quotidie nostra iuvantur studia et Christi ornatur ecclesia, praeter eximiam eruditionem, gravitatem, summam quoque vigilantiam et excubias, quas mira animi fortitudine ac inexhaustis laboribus pro vindicanda propugnanda retinendaque Christi religione perpetuo ac fideliter agis, ut liquido appareat qua sollicitudine tibi curae sit christianae reipublicae procuratio. De his igitur [8]) omnibus, et quum maiora sunt quam recenseri aut referri possunt, [9]) gratos animos exhibemus, agimusque tibi gratias longe maximas, inprimis autem Deo opt. max. cuius bonitati quidquid bonorum est acceptum referimus: a quo tandem mercedem recipies iuxta promissionem in coelis copiose repositam.

Caeterum quum in hoc negotio [10]) nos, qui pastores et ministros agimus ecclesiae in Christo Sangallensis, haud aliam operam praestare possumus, preces nostras ad Deum patrem Domini nostri Iesu Christi devotis animis offerimus, ut vestra omnium studia, qui in communi salute publicum veritatis patrocinium christianaeque pietatis [11]) institutionem suscepistis, pro sapientia sua virtute spiritus sancti gubernet moderetur ac confirmet, in aedificationem ecclesiae suae et perpetuam eiusdem per doctrinam sanam [12]) incolumitatis conservationem, ad amplificandam tuendamque nominis sui gloriam. Praeterea cupimus ex animo ut Deus pacis et misericordiae nostra omnium sensa, qui communem Dominum Iesum Christum filium Dei mediatorem agnoscimus, eundemque iustificationis modum praedicamus, et si qua sunt reliqua sincerae religionis capita uno spiritu profitemur, in hoc quoque sacro mysterio, ubi ex natura et institutione sua carne et sanguine Christi vivifico participantes in unum corpus symbolis idem significantibus coalescunt, in tanta veritatis luce conciliet, ut deposito contentionis ardore mutua concordia unanimes idem sentiamus: quo tandem collectis copiis misere disiunctis, sub uno capite Christo militantes, omne robur nostrum exseratur adversus regnum Satanae, ad demolitionem munitionum et omnem celsitudinem quae extollitur adversus cognitionem Dei, potissimum autem quae effertur adversus omnem qui dicitur Deus. Gratia Domini nostri Iesu Christi sit tecum et cum omnibus qui tecum sunt ministris et fratribus venerandis.

Huius [13]) sub finem te valde memorem esse volumus eius quod ex *Linero* nostro accepimus, ut si porro Tigurum tibi fuerit repetendum hinc inde simul quoque humanitatem tuam ad nos visendos iter instituisse. Quod si tenuitas nostra digna tanto hospite visa fuerit, nihil antiquius optatiusque nobis accidere poterit. Proinde ut prosperum iter brevi contingat magnopere flagitamus. Vale, decus nostrum. Sangalli xij Aprilis MDLV.

Pastores et ministri ecclesiae in Christo Domino Sangallensis [14]) tuae fraternitatis observantissimi.

3) *Fortmüllerus Sangallensis adfuit conventui Basileensi a. d. III. Cal. Febr.* 1536 *habito in quo Basileenses, Bernenses, Turicenses, Schafhusiani, Mylhusani et Argentoratenses primam confessionem helveticam condiderunt.* (*Hottinger, helv. KG* III. 700.) *Etiam consensum Tigurinum Sangallenses receperunt.*

4) Joach. Vadiani Aphorismorum ll. VI de consideratione eucharistiae *etc. Tig. Frosch.* 1536. *fol. et* 1535. 8. *Eiusdem* Orthodoxa et erudita epistola qua haec expendit quaestionem: an corpus Christi propter coniunctionem cum verbo alienas a corpore conditiones sibi sumat? Tig. 1539.

5) tale quidpiam om. *SG.*

6) enim *SG.*

7) accuratissimis *SG*

8) ergo *SG.*

9) a nobis queant *SG.*

10) in hac re ardua add. *SG.*

11) christianae quoque pacis *SG.*

12) et per sanam doctrinam eiusdemque perpetuam *SG.*

13) huius om. *SG.*

14) *Jo. Kessler Antistes, Ant. Zili et Jo. Val. Furtmüller.*

2183.

BULLINGERUS CALVINO.

Transscribit Sulzeri iudicium de negotio Westphaliano et nunciat novissima ex Germania.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 117b. olim Serin. C. Epp. Tom. II. fol. 311. — Simler Vol. 84.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino fidelissimo Genevensis ecclesiae pastori domino meo honorando et fratri dilectissimo.

Genff.

S. D. Spero te, colendissime mi Domine et frater carissime, accepisse literas quas a ministris Rhaeticarum ecclesiarum D. *Comandro* et *Gallitio* acceptas [1]) dudum ad te misi, una cum Defensione tua hic impressa et adiecto meo in fine libelli epistolio. Quod diu nullas a te literas accipio tribuo maximis tuis occupationibus. Nec ego tibi meis libenter negotium facio. Ea de causa rarius scribo. Quid Basilienses et Milhusini responderint [2]) tibi miror. Dum *Sulcerum* nostrum Basiliensis ecclesiae ministrum urgeo, in haec verba respondet: [3]) Quod symbola attinet, mi *Bullingere,* non puto tantam esse doctrinae diversitatem inter nos quin possimus christianam in Domino fraternitatem coniunctionemque conservare. Neque de te ego ministerioque tuo et ecclesia non candide sentio et loquor. Colo te, sicut et *Calvinum,* pios doctosque omnes. Sed quod impensius abhorreo ab hac controversia veniam dabis, quia experimento didicisse mihi videor humanae faeculentiae plurimum afferre ea occasione incitatis affectibus ac scandalis perniciosis campum aperiri. Quare vacationem ab ea militia si fieri queat concedi mihi postulo, in caeteris nec laborem nec periculum recusaturus. Haec ille. Quare quid tibi eadem de re scripserit me mirari dixi.

Caesar cum pontifice, dum viveret, conspirasse dicitur in excidium evangelii, illectus defectione anglicana. Nam pari felicitate se usurum arbitratur, si serio in Germania rem tentent. Consentiunt episcopi, inprimis autem *Philippus* et *Ferdinandus.* Ideoque Augustam a pontifice missus *Moronus* cardinalis 24 Martii magno cum fastu, excipientibus ipsum rege et cardinali et episcopis, ingressus est. [4]) Cum hoc veteratore communicat consilia *Polus* cardinalis. Nam frequentissime per equos dispositos curritur Antwerpiam, inde navigatur in Angliam, hinc rursus Augustam. *Saxo,* [5]) *Brandeburgensis* et *Hessus,* nescio quid suspicati ad comitia venire nolunt: legatis suis committunt ne discedant latum culmum a pacto Pattaviensi [6]) et confessione Augustana. Rex [7]) palam dixit religionem nostram seditiosam esse et cruentam, et ideo non ferendam. Quid futurum sit brevi audiemus. Dominus infirmet adversarios suos et confirmet invocantes nomen Christi. Vale, et precare pro nobis Dominum. Tiguri 13. Aprilis 1555.

Salutant te fratres omnes. Saluta tu nobis symmystas.

Bullingerus tuus.

2183. 1) N. 2133.
2) *Huc usque nihil respondisse videntur.*
3) N. 2160.
4) *Sleid.* III. 498.
5) *Id.* 492.
6) *sic.*
7) *Ferdinandus.*

2184.

HALLERUS BULLINGERO.

Fuse narrat quae ad causam Calvini contra Zebedaeum et caeteros pertinent a legatis Genevensibus Bernae actam.

(Ex autographo Archiv. eccles. Turic. Serin. B. Epp. Tom. 32, nunc Plut. VI. Vol. 154, fol. 572. — Simler Vol. 84.)

Clarissimo viro D. Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori fidelissimo domino et compatri suo carissimo et colendissimo.

S. Plaustra haberem turbarum de quibus tibi scriberem, colendissime domine compater, si modo non deforent nuncii qui veherent. Quod enim tamdiu nunc nihil scripsi sola tabellionum factum est penuria. Decima Martii venerunt huc D. *Calvinus* et Remundus *Calvetus* illius symmysta, et cum illis duo syndici reipublicae Genevensis, qui magistratus apud ipsos supremus est. [1]) Tria habuerunt potissimum quae agerent, quorum primum *Calvinum* peculiariter, alterum ipsum et ecclesiam atque rempublicam Genevensem communiter, tertium quod rempublicam solam concerneret.

Primum erat quod ipse *Calvinus* suas persequeretur iniurias sibi et doctrinae suae a *Zebedaeo, Angelo* et *Hieronymo* medico illatas, [2]) de quibus iam antea puto me ad te scripsisse. *Zebedaeus* pro

2184. 1) *Cf. N.* 2136. 2144.
2) *Cf.* 2094. *et seqq.*

publica concione graviter exagitaverat illius doctrinam de praedestinatione, suppresso tamen nomine eius. Occulte tamen haereseos ipsum notavit. [Dixit etiam *Zebedaeus:* Ignis gallicus vicit ignem hispanicum (Servetum innuens), sed ignis Dei vincet ignem gallicum.] [3]) *Angelus* in publico colloquio occasione sumpta ab expositione verborum Hebr. V. (Et exauditus est pro reverentia etc.) manifeste haereticum ipsum vocitaverat eo quod in sua illa expositione videretur nimis evacuare divinitatem Christi, vel, ut ipsius verbis utar, nimis illum facere hominem. *Hieronymus* illum non haereticum modo vocaverat sed et Antichristum et nescio quae alia. De his ut conquereretur apud senatum venit.

Alterum [4]) deinde erat quod paucis ante diebus scriptum missum fuerat a senatu nostro ad omnes praefectos Sabaudicae ditionis, quo mandabatur ipsis ut observarent eos qui, iis diebus quibus coena Domini celebratur in ecclesiis nostris, relictis suis illis ecclesiis cum quibus habitant Genevam se conferrent ad communicandum cum ista ecclesia et sic offenderent suos cum quibus habitarent, quasi melior aut plenior illic coena esset quam apud nos: et si quos deprehenderent, si peregrini essent exsilio mulctarent, si indigenae, huc ad senatum relegarent. Hoc consilium, quamvis per se non malum, tamen nonnihil indultum erat affectibus, quum inter alia verba *Calvini* nomen aperte taxaretur, et caeremoniae ecclesiae Genevensis calvinisticae vocarentur. Acta sunt haec omnia, ut pleraque alia, nobis insciis. Praefecti accepto hoc scripto suis etiam indulsere affectibus, prout quisque erga *Calvinum* et Genevenses vel bene vel male erat affectus. [5]) Promulgarunt enim in modum generalis edicti et quisque addidit verba quae voluit. Apud plerosque vero in hanc formam est promulgata ut *Calvini* nomen egregie flagellaretur, et omnibus indiscriminatim omni communione cum ecclesia Genevensi interdiceretur. Alibi e suggestibus praelectum, alibi publice in foro affixum. Tononii minister, qui *Calvini* nomen suppressit nec legere voluit, tantum non grave periculum incurrit. Promulgatis hisce ardere tota regio contentionibus et clamoribus coepit, insolescentibus *Calvini* hostibus, amicis vero dolentibus. Intolerabile hoc visum est Genevatibus, [6]) quod viderentur a nostris quasi excommunicati, et gravius quidem quam papistae, siquidem qui papisticam missam audierit decem tantum libris multatur, qui autem cum ipsis communicaret graviora exspectaret. Venere ergo huc syndici quoque ut de illa iniuria conquererentur. Venere eodem die classis Lausannensis legati, *Viretus,* [7]) Ioannes *Tornacensis,* ut et de his et de aliis quibusdam conquererentur et ipsi. Venerunt et legati ex classe Tononiensi. Venit etiam Neocomensis ecclesiae nomine Christophorus *Faber,* [8]) qui suam quoque *Calvino* ferret opem. Maximus omnino erat motus et negotium gravissimum. Quod posterius attinet, scriptum scilicet senatus, senatus se excusavit: praeter voluntatem suam hoc esse promulgatum, praefectos hic peccasse, se tantum declinare voluisse offendiculum quod daretur indigenis si peregrini relictis suis ecclesiis diebus solennibus Genevam se conferrent ad percipiendam illic communionem: aliis enim diebus, quibus apud nostros coena non fiat, se non interdicere cuiquam suorum quominus cum illis participent etc. Responsum quidem hoc illis, sed interea praefectorum licentia impunis abiit et non nisi alio scripto privato correcta est. Habebant autem Genevates quatuor edicti promulgati formulas ex quatuor praefecturis secum plurimum inter se discrepantes, prout, sicut supra dixi, praefecti erant erga ipsos affecti.

Quod prius autem attinet, quoniam non erant praesentes *Zebedaeus* et complices sui, dictus est illis quoque dies ad ultimam Martii ut hic comparerent. Redierunt ergo eo die praedicti Genevenses. Venerunt etiam *Zebedaeus* et *Angelus.* Senatus peculiarem constituit diem quo causam hanc audiret et discuteret, secundam videlicet Aprilis. Ibi graviter disceptatum, et quod timui semper accidit. Facile enim praevidi quid futurum foret, si utrinque audirentur simul, et facile potuisset totum hoc averti, si nostra consilia aliquem locum habuissent. Antequam autem ad certamen ventum esset, iam prius animi senatorum ab adversaria parte contra *Calvinum* erant accensi, unde nonnisi cum maximis praeiudiciis omnia sunt acta. Postquam tamen satis digladiatum fuisset utrinque, sententia haec lata est: [9]) ut invicem omnes remitterentur iniuriae, quisque vir bonus maneret, et deinceps ab eiusmodi criminationibus abstinerent. Indignum hoc putare *Calvinus,* nec agi hic de privatis tantum iniuriis sed potius de doctrina: illam esse discutiendam, vel per nos ministros, vel per synodum ecclesiarum helveticarum, aut alia aliqua ratione. Itaque responso dato non contentus ad senatum una cum suis redire voluit. Nos vero, ut susciperemus hanc causam coram senatu agendam, graviter urgebat. Hoc nobis erat difficile. Accessimus tamen senatum et totam causam senatui diligenter expli-

3) *Haec in margine.*
4) *N.* 2095 *seq.*
5) *Cf. N.* 2117. 2127.
6) *Cf. N.* 2136. 2164.
7) *N.* 2150.
8) *Ibid.*
9) N. 2175. 2176 *Reg. du Conseil* 11. *Avril.*

cavimus, eumque officii sui admonuimus, ne pateretur tantum virum supprimi ab illis calumniatoribus. Susceperamus etiam quod vellemus ad classes omnes scribere pro concordia in doctrina etc. Et videbatur senatus in sententiam nostram inclinare. Admissus tamen postea *Calvinus* et *Farellus* (qui huic posteriori pugnae quoque interfuit) gravius exacerbarunt senatum quam prius unquam. Itaque in medium tum prolatae literae in quibus olim *Zuinglii* doctrinam falsam et perniciosam vocaverat.[10]) Prolatae et aliae quaedam ab ipso ad D. *Fallesium* scriptae, in quibus, ut audio (nam ipsas non vidi), confessionem vestram contra *Lutherum* taxat, et alia multa. Extrema hic tentata sunt utrinque, et gravior tandem quam prius in *Calvinum* sententia lata est. Reliqui duo tantum non iustificati videbantur. Genevenses responsum scripto sibi dari petebant: quod ipsis concessum. Sed durius multo erat scriptum quam sententia fuerat ore consulis ipsis data. Itaque tertio iterum ad senatum redeuntes mitigationem aliquam impetrarunt, talem tamen ut non sine stomacho maximo hinc discesserint, reliqui vero tanquam victores sibi plaudant.

Hieronymus medicus his pugnis non interfuit: venit demum digresso *Calvino*, vel quum iam abitum maturaret. Is nondum est auditus dum haec scribo. Nescio quid de ipso futurum sit.[11]) *Also stat die sach übel vnd ist Calvinus je vssbutst, so ist er hie vssgfäget.* Metuo ego peiora nunc sequutura. Scribunt quidem nostrates ad classes[12]) et ad pacem hortantur: sed nihil efficiunt dum pestes illae non amoventur, sed promoventur potius. Quod nos attinet, *Calvinum* et suos humaniter tractavimus, idque non simulanter, ut bona nostra pace discesserit, et hoc unum retulit secum solatium. Quid deinceps futurum sit facile cogitas ipse. Si quod habes consilium, confer quaeso. Vereor enim ne tandem etiam vestrae ecclesiae huic malo involvantur.

Tertium quod hic egerant Genevenses est continuatio foederis. Nihil adhuc conclusum.[13]) — — —

Mecardi[14]) confessionem remitto, quae ut placeat *Musculo* ex annotationibus adiectis videbis. Sunt Protei mirabiles qui se omnibus accommodare possunt, et licet aliqui eorum non male sentiant, tamen dum suas tricas volunt defendere, quales in formula Augustana multae sunt, eo prolabuntur ut vides. Haberemus materiam simplicem et planam, si non involveremus illam nostris imaginationibus. Vereor ne non *Calvinus* aliquantum in hoc etiam luto haereat. Defensio enim sua, licet bona sit, admodum tamen coacta in quibusdam videtur. Postquam hinc digressus est Bielnas concessit,[15]) ibi exspectavit eum *Farellus*. Venit etiam illuc Thomas *Grynaeus*, sed casu ut audio. Alii alia inde colligunt. Ego in bonam omnia interpretor partem[16]) — — — —

2185.

FARELLUS BULLINGERO.

Tossanus ecclesiarum eversor, luporum fautor, hypocrita, pontifex, et quid non? Heu qualis, et quantum mutatus ab illo qui quondam nobiscum faciebat.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 166, olim Epp. Tom. 24. fol. 336. — Simler. Vol. 84.)

Praeclarissimo Christi servo Heinricho Bullingero pastori fidelissimo ecclesiae Tigurinae fratri et symmystae plurimum observando.

Tiguri.

— — — — — — — — — — — — — — — — —

Quid Bernae actum sit non satis teneo,[1]) neque quod novi placet indicare. Cum hostibus veritatis verba non feci, neque interfui dum causam Christi ageret *Calvinus*. Pastores officium fecerunt[2]) pro doctrina pietatis tuenda, seque unum sentire cum piis testati sunt. Dominus Iesus eos servet et plene suo spiritu impleat ut possint tam gravi provinciae satisfacere. Nam admodum gravis est.

Valde me recreas quod Defensionem consensionis gratam habes et te eam tuiturum offers.[3])

10) *Ibid. et N.* 2187.

11) *In margine addidit:* Decretum ut intra tres menses solum vertat. *Cf. Besam in Vita C. p.* 26 *ed. Nickel.*

12) *N.* 2176.

13) *Reg. du Conseil* 25. *Mars.* 11. *Avril. Ruchat* VI. 131.

14) *Fuit aliquis Georgius Meckhart theologus Tubingensis qui scripsit:* Grundliche und kurtze Widerlegung ettlicher gemeiner Gegenwürff der Papisten. Tub. 1574. 4.

15) *De negotio Tossani cum Blaurero et Farello acturus.* (*N.* 2185.)

16) *In authentico subscriptio desideratur. In apographo refertur ad* 15. *Aprilis.*

2185. 1) *Patet cum Bernam reliquisse ante sententiam latam.*

2) *Vide praecedentem Halleri post not.* 12. *et infra Calvinum N.* 2187.

3) *Nescit ergo id iam factum Defensione Turici impressa cum epistola Bullingeri.*

Arbitror et bonos viros qui alibi sunt cupere ut consensio plene ab omnibus excipiatur, quod faciat Christus. Nonnihil a *Blaurero*, viro insigniter pio, intellexi quosdam subobscure aliquid carpere, sed vetus odium eos exagitat. Quando tandem positis affectibus rectius iudicabunt exspectamus.

Tossanus cum aliquot quos Basileae habet faciens, quamvis paucis ante annos aliquot in suspicionem veniret, non recti esse cordis et pure non sectandi Christi, plenius demum coepit et pluribus patere a capto *Serveto*, et nuper in persequutione et expulsione optimorum fratrum, quos indicta causa pellendos per principem pronunciari fecit. Quumque pro legitimis pastoribus migrare iussis lupos quaereret [4]) subrogandos in pastorum locum *Tossanus*, fratres damnati poscerent se audiri, uno tantum Germano pastore auso libellum porrigere principi nomine fratrum, princeps benigne annuit, et auditis fratribus nemo non pronunciavit eos innocentes et restituendos ministerio. Tamen ne frustra laborasset *Tossanus*, et lupi hiantes non remitterentur, suis lacrymis fecit ut mala damnatio potius firmaretur. Tandem dum intrudendi erant improbi rogavit *Tossanus* num necessaria esset ad salutem intinctio, lupi praemoniti responderunt esse. Rogati, probarent scriptura, adduxerunt locum: Nisi quis renatus fuerit ex aqua etc. Et quia Germanus faverat pulsis et aegerrime tulerat postremam sententiam priore iniquiorem, unde invidia gravi laborabat *Tossanus*, ut pars vel maxima recideret in Germanum, per eum curavit lupos interrogari, quum tam varie sentiatur de scripturis, tot ut sunt capita, ut dicebat, tot item sensus: num libere renunciatis haereticis et ipsorum erroribus, Anabaptistarum, *Zuynglii*, *Oecolampadii*, *Osiandri* et *Calvini?* Respondent: Renunciamus. Hic quid dices, mi *Bullingere*, quale et quantum monstrum sese proferat improbitas *Tossani*. Favit ad mortem usque *Zuynglio*, et postremas literas, quas cordatissimus ille vir Dei ad me scripsit mense Septembri, me tam sancte admonens ne temere me discriminibus quibusvis exponerem, sed me servarem ad opus Domini, et pius vir prius hinc bello sublatus fuit quam meas acceperit, quibus eum rogabam ut sibi ipse caveret, cui longe periculosiora imminebant — illas, inquam, literas *Tossano* dedit, non sine commendatione *Tossani*, ex quo nunquam potui intelligere quin recte sentiret de *Zuynglio*, et quantum possum mente tenere istic in ecclesia egit, et vivente et post mortem *Zuynglii*, fassus et pastorem et ecclesiam pietatem Christi tenere, alioqui improbissimus fuisset cum haereticis sponte etiam communicans. De *Oecolampadio* quid dicam? Quid de eo non dixit et sentire visus est? Audivit tamdiu praeceptorem, tam multos annos in ea ecclesia egit, ut et hodie prae se fert. *Calvinum* quid non dixit esse? Quid non in eo saepe probavit? Nonne hortatus est plebem ut gratiam Domini agnosceret in doctrina quam *Calvinus* et alii tradiderunt? Fuit in nostris coetibus et colloquiis, et intimus omnium. Nunquam passus fuisset *Calvinus* quidquam in *Tossanum* dici nec in ecclesiam. Et nunc Satanas ita occupavit cor *Tossani*, qui se pontificem erigit in ecclesiis Mombelgardensibus, pios pellit, improbos instituit, in hoc suo tam diabolico facinore, Tigurinam contumeliose damnat ecclesiam et pastorem tam pium Basiliensem cum pastore cuius pietas sepeliri nec interire unquam poterit. De Genevensi nihil dicam. Ipsa coram Deo non unum *Tossanum* nec alterum Germanum, sed omnes quotquot sunt mendaces convincet et impios et blasphemos. *Calvinus* patrocinio non opus habet contra tam insana capita.

Ego novi *Lutheri* impetum. Quid enim poterat absurdius scribi in ruinam nostrarum ecclesiarum, quam quod ad pagos conscriptum ab eo fuit? Taceo de formis loquendi quibus utitur in negotio eucharistiae, quae sunt portentosissimae. Et quod scripsit de non mutanda unquam sententia. Quae sane deberent omnes permovere ut hominem iudicarent toto prorsus errare coelo. Nolim tamen eum haberi haereticum, neque ecclesias quas formavit haereticas, quum sciam agnovisse hominem se nimium fuisse, nec reiecisse confessionem Basiliensem, nec ecclesias quae eam tenerent: et quod motus ita fuerit video inde profectum quod, ut in *Carolostadio* deprehendit quaedam quae multum aberant a viro studioso gloriae Christi et qui vere studeret aedificationi et paci, idem de aliis sensit, et tantum sibi verba dari putavit, quum ultro propensum hominem instigarent improba flabella: adeo ut nihil audire neque videre sustineret nisi unde magis accendi posset. *Calvinum* unum ex nostris tantum non passus est, verum etiam magni fecit, neque in virum verbo vel scripto invectus est. Quum lego apud *Lutherum*, quod si Christus praesens panem porrigeret suis ipsius manibus, suoque ore loqueretur se dare corpus suum, si accipiens non crederet nihilo minus acciperet, video longe aliam sententiam viri quam alibi verba sonent, et extra contentionem, ubi pacatius quid credat scribit, attendendum puto magis quam ubi tantum pugnat.

Sed non oportet me haec apud te afferre, quum pacis et aedificationis sis amantissimus, et qui cordatos et veraces ames, et non possis non abhorrere a moribus tam perditorum hypocritarum et hominum tam levium, qui sane sentient quid agant et quem persequantur. Is qui proditorem non diu tulit aperte malos ducentem ad capiendum Christum

4) *cf. N.* 2152.

non magis feret insanum ecclesiarum eversorem, et sponte in pios et gratis insurgentem — — — — — Neocomi 16. Aprilis 1555.

Tuus ex animo Farellus.

2186.

MORISONUS [1]) CALVINO.

Excusat diuturnum silentium et gratum animum Genevae memor testatur.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 55. — Edidit Soc. Parkeriana latine in Epp. Tigur. N. 74. pag. 96, anglice Tom. I. 147.)

Doctissimo viro D. Ioanni Calvino amico meo carissimo.

Genevae.

Si perinde peccat *Chekus* [2]) in tuam humanitatem atque ego me peccasse iam multos menses non fateri non possum, *Calvine* doctissime, culpam is meam geminare potest, a crimine nec ille me, nec ego illum liberare ullo modo possum. Imo est cur uterque nostrum metuat ne tu posthac nolis tua beneficia in Anglos bene collata [3]) male perire. An tu ideo cessisti nobis aedes tuas, domi tuae hospes, ut in tot mensibus ab eo tempore ne gry gratitudinis a me in te rediret? Scribo ad *Marchionem*, [4]) si nihil illic est quod me tibi purget, scio quicum mihi negotium est, maloque culpam agnoscere quam nova iniuria afficere te dum veterem frustra excuso. Et tamen scias volo me nihil falsi ad eum scripsisse, imo me et mea etiamdum in maximo discrimine versari, neque deesse qui volunt aut me domum redire aut rebus [5]) eversum foris exsulis vitam agere. Ut non desunt mihi amici qui aliud polliceantur, ita vereor ne hostes acerrimi plus ad nocendum adferant quam frigidi amici ad res recuperandas deferre velint.

Quid domi nostrae agatur, quum omnes sciant, scio te nescire non posse. Hic noster *Lucas*, quod ego scio, facile poterit tibi indicasse omnia. Postremum hoc esto me malle factis facta rependere, quam verbis totam humanitatem tuam compensare velle videri. Caetera *Lucas*. Vale, humanissime *Calvine*, et condona mihi, nescio dicam silentium an malignas has literas. Argentorati 17. mensis Aprilis 1555.

Ex animo tuus
Ricardus Morisinus.

2186. 1) *Sir Rich. Morison olim Eduardi VI. legatus in Germania, nunc Argentorati φυγάς, ubi et obiit.* (*Strype, Parker's Life.* II. 446.) *N.* 1958. 1968.
2) *Qui tamen nondum ex Italia redierat. Exstat eius ep. d. d. 7. Aug. Veronae data. Patet Calvinum in ep. quadam ad Morisonium data de eius silentio questum esse. Strype. eccl. mem.* III. 1, 515 *dicit:* I find him at Str. in the latter end of 1555.
3) collocata *ed.*
4) *Martinengum.*
5) velut *ed.*

2187.

CALVINUS BULLINGERO.

Queritur de exitu causae suae Bernae actae.

Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 166, olim Epp. Tom. 24. fol. 24. Recentiora apographa reperies in Cod. Genev. 111b. fol. 2, in Archiv. Bern. Epp. VI. p. 517 et denuo p. 545, denique apud Simlerum Vol. 84. Anglice edita est l. l. III. 169.

Praestantissimo Christi ministro D. Heinricho Bullingero Tigurinae ecclesiae fido pastori fratri et symmystae observando.

S. Quomodo nuper Berna dimissus fuerim tibi illinc scriptum fuisse existimo. Quum putidis cavillis et me et senatum eluderent adversarii, quod eorum damnationi satis superque erat cupide in eorum excusationem arreptum est. Atque ut a iure meo persequendo excluderer, falso et absque ullo colore in me detorta est cuiusdam mendae invidia, quam a librario commissam esse pueri quoque agnoscunt. [1]) Verum senatus decrevit, sicubi aberrent typographi, culpam esse praestandam librorum autoribus. Tandem visum est aliunde mihi terrorem incutere. Obiiciunt scriptas olim a me fuisse literas in quibus perstringitur *Zuinglius*, [2]) vel saltem improbatur eius doctrina. Sed quia mihi hoc minime novum vel inexspectatum erat, excipere quae ad meam defensionem facerent promptum fuit. *Zebedaeus* literas ante annos quindecim, Argentorati quum essem, privatim missas perfide vulgaverat. [3]) Ego eas in medium proferri petii, ne mihi improbi

2187. 1) *De errore typographi vide N.* 2175.
2) *Ibid. et Halleri ep.* 2184 *not.* 10.
3) *Hallerus ibid. Cf. N.* 171.

crimen de nihilo aut futili occasione fingerent. Id negatum est a senatu. Tantum mihi scriba breviculum manu sua scriptum[4]) dedit, in quo gallice scriptum erat, confundi verum discrimen rerum, ubi sacramenti nomen simpliciter pro militari iureiurando accipitur, quum potius mysterium significet ac spiritualis sit inter Deum et ecclesiam pactio, atque hanc *Zuinglii* opinionem breviter in mea Institutione refelli.[5]) Additum erat latine, falsam a me vocari *Zuinglii* opinionem de sacramentis, quod ego generaliter a me dictum esse non agnosco: quin potius sancte affirmo nunquam id mihi fuisse elapsum. Hoc tamen effugio parta fuit improbis calumniatoribus impunitas, qui me pro suggestu, in foris, in triviis, in mensis, tanquam pestilentem haereticum prosciderant. Fratres nostri Bernenses probe officio functi sunt, neque per eos stetit quominus fuerit melior exitus.[6]) Porro quia hunc clypeum opposui: si qua esset offensio, ad vos maxime spectare quorum nulla querimonia auditur: esse autem absurdum vobis tacentibus alienos surgere patronos. Si pertinacius illi insistant, vide obsecro an non aequum sit, ac non magis mihi optabile quam vobis honestum, vos medios intercedere, ne fallaci nominis vestri praetextu improbi abutantur, quum nec laesi sitis, nec vobis de pia et amica admonitione, qua homini tunc inconsiderato prodesse volui, litem contra me movere libeat. Brevi ex nundinis aliquid allatum iri spero. Tibi quidquid erit protinus curabo fieri commune.[7]) Vale, ornatissime vir et mihi honorande frater. Symmystas tuos diligenter saluta meo nomine, uxorem tuam, generos et totam familiam. Dominus semper vobis adsit, vos tueatur et gubernet. Genevae 20. Aprilis 1555.

Ioannes Calvinus tuus.

Literas[8]) D. *Levero* quam primum cum multa a me salute peto ut reddendas cures.

---

4) *Non exstat.*
5) *Cap.* XVI. *ed. tum novissimae.*
6) *Cf. Farellum N.* 2185.
7) *An haec de Commentario in Harmoniam evangelicam intelligenda, qui Cal. Aug. senatui Francof. dicatus fuit? Verum is Genevae impressus non ex nundinis afferendus erat. Potius de novis nunciis quam de libro edendo haec dicta crediderimus.*
8) *Deperditas.*

2188.

SULZERUS CALVINO.

Bernae Satanas fabulae actor. Liber de praedestinatione non nisi a pravis improbatus. Germaniae status dubius. Exsules Angli exspectati.

(Ex autographo Cod. Gothani 405. fol. 82.)

Viro praestantissimo D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis antistiti colendissimo symmystae suo.

S. De eventu tragoediae apud Bernates meos excitatae tibi nihildum cognovi: exspecto tamen a D. *Musculo* certam significationem in horas, et te quoque precor ut quis sit nunc ecclesiarum, hoc est, tuae et vicinarum status edoceas me, eo quod rumores inauspicati sed prorsus incerti sparguntur, et operosus est valde Satanas in convellenda tranquillitate puritateque doctrinae, cuius nos animadvertamus astutias et resistamus in fide eius machinamentis.

Miratus sum a semel iterumque lecto tuo de praedestinatione ad *Pighium* scripto, mea sententia solido et sinceriter pio, quemquam inde contra te potuisse irritari. Sed quid non potest pravus animus per linguae petulantiam et veneficium. At enim Dominus est et huic malo remedium adhibiturus, quem votis supplicibus pro ecclesiae suae pace interpellemus omnes.

Germaniae status valde dubius est,[1]) hinc urgente *Ferdinando* cum suis pontificiis speciosam aliquam religionis deformationem, illinc vero principibus Brandenburgensi, Saxonicis, Hassicis, Palatinis et Virtembergense cum Argentinensi civitate profitentibus ingenue, confessioni Augustanae se pro more staturos, neque ullam in deliberationem consensuros de quibuscunque pactis, nisi certam habeant in ea quam dixi confessione libertatem et pacem. Et sunt iam secundo soluta comitia, verum ut aiunt denuo colligenda. Cardinalis Augustanus cum legato pontificio per equos dispositos Romam properat ad creandum Iovem alium.[2])

Pro Anglis exsulibus[3]) apud senatum nostrum

2188. 1) *Agebatur tunc temporis de pace relig. Sleid.* III. 513, *Ranke dtsch. Ref.* V. 286 *sqq.*
2) *Obierat Iul.* III. 24. *Mart.* 1555. Veterno dicitur interiisse. Card. Moronus accepto eius rei nuncio Martii die postrema rursus illinc discedit et una cum card. Augustano Truccesio Romam electionis causa contendit. Qui Romae erant cardinales non exspectatis aliis accelerabant et d. 9. Aprilis papam renunciant Marcellum eius nominis secundum. (*Sleid.* III. 498.)
3) *Strype, Cranm. passim.* They (*the exiles*) were received with much kindness and had the liberty of their reli-

intercessimus, ut hospitium habeant qui id per ministrum quendam postularunt, et effecimus ut eis sit factus locus, et proinde arbitror ad nos aliquot eximios viros concessuros esse. Proficiscitur quidam ex iis istuc, vir singulari pietate et nobilitatis primariae, quem tibi unice commendo. Bene vale cum tuis omnibus. Basil. 21. April. Anno 1555.

T. Sulcerus.

2189.

LES MINISTRES DU VAL D'ANGROGNE A CEUX DE GENÈVE.

Relation d'un voyage de mission dans les vallées.

(Bibliothèque de Genève MS. 197a. fol. 38.)

A noz treshonnorez seigneurs Messieurs les ministres de Geneve.

La grace de nostre bon Dieu et Pere par nostre Seigneur Iesus Christ en la vertu du S. Esprit soit a jamais avec vous.

Treschers freres et peres en Iesus Christ. Long temps y a que desirions fort trouver quelque un qui vous portast de noz nouvelles, sachans vostre bonne affection envers nous et le desir qu'avez de scavoir comment nous nous portons et le trouppeau du Seigneur. Et de faict avons donné charge et memoire a quelques freres de vous reciter ce qu'ilz en avoyent veu et oy, puis que leur commodité et la nostre ne portoit pas de vous escrire. Toutesfois craignans que n'en soyez encores jnformez nous avons prié ce bon frere de vous porter la presente, afin que sachiez en brief le discours de nostre voyage [1]) et estat qui est tel qu'avons bien occasion de louer le Seigneur. Car de sa grace il nous a si heureusement conduict que, quelque grande difficulté de chemin qu'ayons eu a cause des haultes montagnes et neiges nous sommes toutesfois parvenuz en ce pais sains et sauves. Et premierement arrivames en une bourgade nommee Barbotté [2]) ou par l'espace de cinq ou six iours nous falloit une grande partie du iour et de la nuict annoncer la parolle, tant par sermons publiqs, voire entre les fideles qui sont en bon nombre, que par deviz privez. De la sommes venuz en un bourg nomme Fenestella: mais par les chemins trouvasmes force bonnes gens et femmes aussi qui nous tendoyent la main: et parce qu'au dict lieu de Fenestella trois ou quatre des principaux avoyent faict quelque difficulté de nous recevoir, pensans qu'estions prescheurs publicqs de Geneve, plusieurs de ces bonnes gens furent bien faschez, et entre autres un bon vieillard de fort bon coeur s'en vint au devant de nous: mais ayant le coeur serré de peur qu'il avoit que fussions empeschez, il ne peust faire autre chose que de se retirer et plorer. Si est ce qu'en despit de Satan nous avons là este si bien receuz que ne pouvions satisfaire leur ardeur, encores que tous les iours fissions deux grans sermons, un chascun l'espace de deux bonnes heures, sans les exhortations privees: et les maisons n'estoyent capables des personnes il falloit s'assembler es granges. Mesmes le iour de pasques celebrasmes la s. cene en meilleur nombre de gens que n'esperions, et apres disner par leur importunité nous nous laissasmes aller jusques la en leur opinion, que nous preschasmes en plain pré contre tous les abuz du Papisme. I'ay dict notamment leur opinion: car là et en tous ces pais on a communement ceste folle fantaisie qu'il se vauldroit mieulx mettre en la campagne et prescher l'Evangile en publicq qu'en secret. On leur a remonstré la captivité ou ilz sont, le grand danger ou ils mettent non pas tant nous qu'eux mesmes et leur mesgnye: Item les exemples des assemblees nocturnes de l'Eglise primitive: Item que de nostre part les voulions plus espargner qu'ilz ne se vouloyent eulx mesmes: que ne voulions estre hardiz à leurs despens: et que seulement quictant toutes les abominations de l'Antechrist un chascun s'advançast à confesser Iesus Christ selon la mesure de sa foy et selon sa vocation: du reste que doresenavant mettrions peine de ne nous laisser aller a leur temerité, et que ce qu'en avions faict n'estoit sinon afin qu'ilz ne pensassent que crainte nous fist tenir telz propoz. Par telles remonstrances nous croyons que partie d'eux a corrige ceste folle opinion.

---

gious worship granted them in Strasburgh, Frankfort, Emden, Duisburg, Basle, Zurich, Arrau, Geneva. — Laur. Humfrey wrote a book in latin intituled Optimates, being an instruction for noblemen; it was printed by Oporinus. — John Fox was received by Oporinus for the corrector of his press. He published a chronological history of the Church. At spare hours he began his history of the acts of the church in latin. John Bale the antiquarian, who published and printed in Basle his admirable book of Centuries . . . . .

2189. 1) *On voit qu'ils avaient été envoyés dans les Vallées par ceux de Genève.*

2) *Sur la carte spéciale des Vallées on lit Balbote. C'est tout près de Fenestrelle, dans la même vallée de Pragelato. Aujourd'hui il n'y a plus de communauté vaudoise ni dans l'un ni dans l'autre de ces endroits.*

Or pour revenir a nostre voyage, de Fenestella sommes venuz en la vallee d'Angreigne [3]) ou avons esté conduictz de nuict par bon nombre de freres bien embastonnez, et ce par l'ordonnance des gouverneurs dudict Fenestella, mesmes de ceulx qui au commencement nous firent assez mauvaise chere, et aussi de ceulx dudict Angreigne qui envoierent trois freres bien embastonnez au devant de nous. C'est le lieu ou sommes encores depuis y faisant tous les iours un sermon (sans les deviz particuliers) et ce en la maison d'un de leurs ministres, excepte le dimanche, auquel iour se trouvent tant de gens venans d'un costé et d'autre, voire de bien loing, qu'on est contrainct de faire le sermon en une grande court environnee de galeries, et la cour tant qu'on en peut donner: car la multitude y est bien grande. Parquoy on leur a conseille qu'ilz meissent peine d'avoir plus de moissonneurs pour ayder a ceulx qu'ilz avoyent desia, puisqu'il y avoit une si grande moisson en toutes ces vallees. Et de nostre part leur avons promis que si on nous vouloit donner par memoire le nombre des lieux qui desirent avoir ministres, et combien on en veult, nous vous en advertirions a nostre retour, les asseurant de vostre bonne affection et diligence a leur prester la main en cest endroict et en toutes choses a vous possibles. Desia le dict lieu de Fenestella ne demande autre chose qu'un ministre: et mesmes ces bonnes gens ont dict a celuy qui nous a ameiné, a scavoir a ce bon vieillard, que si quelcun de nous en vouloit prendre la charge que corps et biens estoyent a son commandement.

Voila en somme le discours de nostre voyage et estat. Il ne reste sinon que nous vous prions treshumblement et affectueusement qu'il vous plaise de continuer a prier ce bon Dieu pour nous, que comme il nous a daigné employer a une charge tant honorable, qu'aussi il nous donne de quoy fournir à l'execution d'icelle, veues les grandes difficultez que scavez trop mieulx que nous y estre, et aussi les merveilleuses jnfirmitez desquelles nous nous sentons de plus en plus environnez: pour ausquelles remedier vous plaira le plus souvent que pourrez nous escrire, a ce qu'avec vous ne nous espargnions point pour la gloire de son S. Nom, manifestacion de sa verité et l'edificacion de sa povre Eglise. Aussi, messieurs, d'aultant que n'avons le loysir de faire tel discours par letres à noz amis et parens, nous prenons la hardiesse de vous donner ceste peine de faire tant que la presente parvienne jusques a eulx: Ce qui ce fera commodement par messieurs de la *Planche*, ou *Boisboussard*, ou *Pichard*. Sur quoy nous ferons fin après nous estre recommandez a voz bonnes graces et prieres. D'Angreigne ce 22. d'Apvril.

Vos treshumbles serviteurs et freres
Iehan Vernou [4]) et Iehan Lauversat.

Nostre dict bon conducteur et pere, avec les ministres de ce lieu qui sont deux en nombre, vous saluent bien affectueusement. Et desirons tous qu'il vous plaise nous escrire de l'yssue du voyage de Monsieur *Calvin* a Berne et autres choses qui nous pourront inciter a louer et prier le Seigneur.

Depuis ceste lettre escripte jl a esté arresté que ferions jeudi prochain la cene de nostre seigneur et le mesme jour nous nous transporterons d'ici ailleurs.

3) *Angrogne est le principal endroit de la vallée dans laquelle on trouve aujourd'hui encore un certain nombre de villages vaudois.*

4) *Vernou paraît être bientôt revenu à Genève pour repartir ensuite une seconde fois. Dans ce second voyage, bientôt après son départ, il fut arrêté au col de Tamis dans le Faucigny, avec quatre compagnons, et incarcéré à Chambéry. Ils furent brûlés au mois d'Octobre. Voyez plus bas une série de lettres relatives à leur captivité.*

2190.

GARNERIUS CALVINO.

Commendat adolescentes Germanos Galliam adeuntes et simul statum ecclesiae gallicanae Argentoratensis fere deploratum describit.

(Ex autographo Cod. Genev. 110, fol. 189. Singularia scriptionis servavimus asteriscis notata.)

Clarissimo ac doctissimo viro et eximiae [1]) christianae ecclesiae doctori Ioanni Calvino suo in Domino praeceptori et maiori h. d. [2])

Genevae.

S. P. Multa habeo scribenda, pater ac praeceptor in Christo venerande, hoc praesertim tempore infelicissimo, quum de meis privatis negotiis, tum de calamitosissimo statu huius ecclesiae nostrae gallicanae. At malo ut per alios quam per me haec omnia intelligas, nec enim ferre potest calamus quae dicenda essent. Dabit Dominus ut aliquando tecum et cum aliis bonis viris et praeceptoribus meis loquar ore ad os. Hoc interea me solatur quod solus non sum in certamine, sed multos habeo

2190. 1) *sic.*
2) *hae dentur.*

sotios * quorum sotietate * indignus sum: inter quos tu non postremum obtines locum, qui pro veritate tuenda tanta ac talia pateris, idque a talibus impiis et nebulonibus. Piorum innoscentia * ad tempus latet sed suo tempore revelabitur. Iustus interea sua fide vivet.

Caeterum quum isti adolescentes Misnenses vere generosi, mei colendissimi domini et tui studiosissimi, Galliam petentes vestram ecclesiam invisere volunt, nolui illos hinc discedere absque meis ad te literis, quibus tibi ipsorum progeniem, pietatem ac religionem significarem. Sunt sane vere nobiles tam pietate quam cognatione et sanguine, et digni quibus omnis humanitas exhibeatur. Ipsorum sunt decem aut duodecim cum doctissimo et honestissimo praeceptore. Quum igitur colloquium tuum (quod alioqui omnibus bonis viris patet et denegatur nulli) cupiunt, hisce meis ad te illis accessum praebere volui, quod facturus non eram nisi scivissem eos dignos esse piorum testimonio et colloquio. Tu interea, optime praeceptor, boni omnia consules, uti soles.

Brevi, favente Deo, latius ad te scribam, quum videro finem huius nostrae plus quam diabolicae tragoediae. Nunc enim nil quam tristissima nunciare queo. Cessant iam omnes conciones in templo nostro,[3]) cessat denique totum ministerium et disciplina. Eo iam venimus, ibi iam sumus, quo Satanas ducere nos voluit. Dominus Deus nostri misereatur. Vos omnes per Iesum Christum unicum nostrum servatorem obsecramus, ut nos iuvetis vestris sanctis et piis orationibus, nos inquam homontiones * afflictissimos et destitutos omnino omni humana spe et auxilio. Rogate, rogate, precamur quae ad pacem sunt Ilhem,[4]) et ut Dominus semper nos alat spiritu suo ac in fide foveat, quo perdurare valeamus contra Satanam usque ad extremam sanguinis nostri guttulam. Meus collega D. Ioannes *Loquet*[5]) extreme etiam afflictus mecum vos omnes humiliter salutat. Dominus Deus nos consoletur. Amen.

Parce, quaeso, mi carissime praeceptor, meis affectibus hic: tam enim afflicti sumus ut sine magnis affectibus loqui nequeamus. Dominus Deus te suae ecclesiae diu incolumem servet ad sui nominis gloriam. Amen. Argentinae 22. Aprilis 1555.

Tuus semper discipulus
Io. Garnerius.

Ante mensem misi ad te exemplar earum literarum quas huc scripseras.[6]) Illudque dedi cuidam pauperi qui frequenter huc venit et vocatur *Claudius*. Rescribe igitur num receperis.

Trade, quaeso, istas literas D. *de Normandie*: nisi enim eas complicuissem istis ad illum non pervenissem *. Nemo enim hodie est qui literas ferre velit per pericula itineris.

2191.

BEZA BULLINGERO.

Inter alia queritur de iniuriis sibi illatis et Calvino, de persequutionibus in Gallia, et de Locarnensium rebus.

(Neglecto olim exemplari apographo Cod. Genev. 119. fol. 184, nunc describimus ex Herminjardi libello a. 1864 edito, cui titulus est: *Correspondance des Réformateurs dans les pays de langue française. Prospectus et spécimen p.* 20.)

Eximio servo Dei, D. Henrico Bullingero Tigurinae ecclesiae fidelissimo pastori.

Tiguri.

S. Literas quidem tuas, mi pater, avidissime lego. Sed tamen quum cogito quantopere occupatus esse soleas et quibus in rebus, privata mea commoda facile publicis antepono,[1]) ut nihil necesse sit silentii excusationem a te quaeri. Me quidem quamvis non eiusdem momenti tamen similia paene negotia diu retinuerunt, quominus ad te pro mea consuetudine scriberem, atque adeo nunc quoque et

---

3) *D.* 24. *Martii sententia senatus lata est in causa Garnerii et* 5 *eius adversariorum, ita quidem ut sibi invicem reconciliarentur. Quam publice G. iniquam quum dixisset, senatus eum in vincula coniici iussit, quia magistratum* angetastet und entuneret. *Postea vero* vff das gethone fürbitt *conventus ecclesiastici* wolle ein Rath Garnerio der Gefengnis erlaszen vnd erlaube ihm das er wider zu hausze komen müge, aber diewil die sach zur zeit dermaszen zwischen ihm vnd seinem gegenteil geschaffen, so solle er des Kirchendiensts in der Kirchen allerding still ston vff weitern bescheid. (*Marbachii diar.*) *Vide etiam not.* 5.

4) *Ierusalem.*

5) *Olim Augustinus monachus qui c. Marlorato ap. Bituriges* fit un tresgrand fruit, et depuis ont esté excellens ministres des Eglises reformées (Hist. de l'Egl. I. 56.) *Loquetus tum temporis Garnerii diaconus erat. Verum mireris etiam huic a concionibus interdictum fuisse ut Garnerius affirmare videtur. Nam de ecclesia gallicana supprimenda senatus minime cogitabat qui vel dimisso Garnerio successorem vocavit Alexandrum. Ergo iste nimia cecinisse videtur, ut est eorum mos qui se laesos perhibent.*

6) *Num N.* 2088? *Sed qua de causa tales Genevam remittebantur?*

2191. 1) *lege*: postpono.

publicis ecclesiae ac scholae nostrae negotiis et privatis quoque quorundam iniuriis[2]) valde eram occupatus quum haec ad te scriberem. Nam dici non potest quantopere nonnullos urat huius nostrae academiolae progressus et mediocris industriae nostrae fructus.[3]) Sed de his plura, vel ex D. *Calvini* literis[4]) quas ad te mitto, vel ex nostris aliquando cognosces, si Dominus dederit ut vel istis sycophantis semel os occludatur, vel mihi posthac licuerit vitam privatim in maiore otio degere. Omnino quidquid erit confectum faciam ut intelligas.

Interim rogo ut bonorum causam precibus tuis Domino commendes. E nostra Gallia nihil laeti possum tibi nunciare. Pergit Gallus[5]) in sua stoliditate, iusto nimirum Dei iudicio excaecatus. Scripsi his diebus gallicam confessionem Divionensium exsulum nomine, quam spero a senatu[6]) perlectum iri, utinam aliquo cum fructu. — — — — — — — — — —

D. *Viretus*, *Eustathius*, *Ribittus* caeterique mei collegae te mecum salutant una cum tota ecclesia. Sed uxor[7]) quoque mea nominatim tuis et lectissimae tuae uxoris precibus sese nunc primum gravidam commendat. Bene vale, mi observandissime pater. Dominus Iesus te totamque vestram ecclesiam indies magis ac magis sancto suo spiritu confirmet. Scripsimus ad fratres nostros Locarnenses his diebus et aliquantulum pecuniolae ad ill. vestrum senatum misimus quae ad eos perferatur, ut sicut possumus et quantum nobis dedit Dominus nostram in illos observantiam ac caritatem testemur. Servet illos Dominus qui hoc eis dedit ut non tantum in Christum credant, sed etiam pro ipsius nomine patiantur. Iterum vale. Lausannae 22. Aprilis.

T. Beza
filius tibi in Domino addictissimus.

2) *Hic minus cogitandum videtur de libello Genevae contra ipsum edito propter eius Poemata iuvenilia, quam de recentibus Zebedaeae factionis invectivis et senatus Bernensis declaratione.*
3) *Ipse Zebedaeus usque ad a.* 1549 *rector collegii Lausannensis alio missus fuerat, ipsorum professorum rogatu.*
4) *N.* 2187.
5) *Rex Henricus.*
6) *Bernensi, quo flagitante illi catervatim profugi et advenae fidei suae rationem reddere iussi erant.*
7) *Claudina Desnosse quacum a.* 1548 *Lutetiae clandestinum matrimonium inierat postea Genevae publice sancitum.* (*Baum* I. 61. 64.)

2192.

SULZERUS BLAURERO.

Agit de negotio Mombelgardensi, et ipse quoque Tossanum vituperat, minus tamen acerbe quam Farellus, mitioremque medicinam adhibendam credit quam qua hic uti volebat.

(Ex autographo bibl. civic. Sangall. MSS. Tom. 37. Epp. VIII. fol. 21.)

D. M. Ambrosio Blaurero domino colendissimo suo.

S. Flagrantissimum eumque consuetum *Farelli* nostri pientissimi viri zelum pro Montpelgardense ecclesia abunde cognosco.[1]) Et peccatum graviter a *Tossano* videtur in eiiciendis fratribus, primum in quibus si quid desiderabat omnia tentare potius debuit certe ut revocari ad frugem possent, quam ut ministerio cui fideliter praefuerant abdicarentur. Ac ne tum quidem sera nimis medicina fuisset, si tuam operam autoritatemque vel sub extremum actum intervenire passus esset. Sed maluit ille substitui alios quacunque ratione accersitos, forte ut suae tranquillitati consuleret. Nunc autem, ut qui recepti sunt semel, et in munus etiam principis autoritate inaugurati, denuo reiiciantur, arbitror frustra tentatum iri, nisi quis simul et *Tossanum* et *Schradinum*,[2]) quos video ὁμοψήφους in hoc negotio, vellet profligatos. Neque tam ego a sinistrae doctrinae veneficio metuo ei ecclesiae, ut a quo eius pastores etiamnum alienissimos esse mihi persuadeo, et *Tossanum* nihil minus quam Servetano esse fermento infectum,[3]) a quo *Schradinum* etiam tam abhorrere scio quam qui maxime. Suspicionem tamen fecit quaestio de irrogato supplicio autori apud Genevam, de qua tamen (nisi quid prodigiose finxit) facile apud me satisfieri sibi passus est. Remedium ergo, si quod ea requirat ecclesia, non eo usque nunc quidem dirigendum videtur, ut quisquam ex iis fratribus suo destituatur ministerio, et id agendum sit potius ut puram Christi doctrinam concorditer administrent, et veteres qui relicti sunt et novi qui sunt subingressi, et moneri simul et *Tossanus* posset quo Satanam deinceps studiosius observet, ne in sinistros affectus per eum praecipitetur, et admissum non leve peccatum agnoscat. — — Te ergo, mi venerande *Blaurere*, precor ut ipse huc te conferas, et, si ita videatur, nos illuc simul conferre,[4])

2191. 1) *Ecce tandem aliquando sanum et aequum iudicium de isto negotio.*
2) *consiliarium Mombelgardensem.*
3) *Cf. N.* 2032. 2063. 2128.
4) *sic. Lege:* conferamus.

ceu principis visitandi gratia, eaque occasione, etiamsi quod *Farellus* cupit nequeat confici, tamen aliquem fructum referamus. — — — — Basil. 26. Aprilis anno 1555.

T. Sulcerus.

2193.

VIRETUS FARELLO.

Genevenses renovando foederi unice intenti causam religionis negligunt et sic Calvinus sua excidit.

(Ex autographo bibl. pastorum Neocomensium. Epp. Vireti fasc. IX. N. 9.)

Eximio Christi servo Guilielmo Farello Neocomensis ecclesiae fido pastori fratri et patri suo plurimum venerando.

Neocomi.

— — — — — — — — — — — — — — — —

Beza cras Genevam proficiscitur ad communicanda cum *Calvino* consilia de rebus omnibus. [1]) Videtur enim *Calvinus* valde commotus hac iudiciorum iniquitate, [2]) quibus Christi doctrina tam indignis modis traducitur. Veremur autem ne refrigescant Genevatum animi, adeo intenti studiis renovandi foederis, [3]) ut causam religionis frigidius prosequantur. Hoc enim *Calvini* literae non obscure significant. Nos vero classis conventum ad Calendas Maias indiximus. Quamobrem *Beza* sibi Genevam concedendum arbitratus est, ut certius aliquid cognosceret de Genevatium voluntate. Id enim et nostra scire interest, ut in communi causa certius aliquid statuere possimus. [4]) Prodierunt edicta quae exspectabantur, in eam fere sententiam quam senatusconsultum continebat, quo legatis responsum est scripto. Non dubito quin hostes maiores resumant animos eo animati, et magnos canant triumphos. Sic malis grassantibus et ut gangraena serpentibus parantur remedia. — — — —

Salutant te uxor et familia. *Beza* te resalutat. Salutem multam dico collegae et amicis caeteris. Vale. Lausannae 28. Aprilis 1555.

Tuus Petrus Viretus.

2193. 1) *Calviniano scil. et fortassis etiam foederali.*

2) *Audivisti ipsum N.* 2187. *Senatum adiit* 23. *Apr. et iterum* 29. *de Bernensibus querens et schediasma responsionis mittendae protulit. Cf. epp. m. Maio scriptas.*

3) *Anno* 1549 *foedus in quinque annos, i. e. usque ad a.* 1556 *prorogatum fuerat.* Avant que ce terme ne fût fini les Genevois proposèrent aux Bernois, dès le mois d'Aout 1554 de faire un traité d'alliance et de combourgeoisie perpetuelle. On ne leur répondit rien pour le coup, mais comme ils revinrent à la charge au mois de Mars 1555 on leur répondit le 16 qu'ils pouvaient mettre par écrit les conditions du traité qu'ils demandaient et qu'on verroit ce qu'on avait à faire. Lorsque les députés de Genève furent à Berne pour l'affaire de Calvin, ils demandèrent prolongation de la combourgeoisie pour 25 ans. Les Seigneurs de Berne refusèrent et s'en tinrent à la réponse qu'ils leur avaient faite précédemment. Ils renouvelèrent leurs sollicitations avant leur départ, mais on ne leur répondit que par des compliments et en termes vagues etc. (*Ruchat* V. 131.) *Negotiationes per totum biennium protractae sunt usque dum* 9. *Ian.* 1558 *foedus perpetuum iure iurando sancitum fuerit. Cf. Hess, Bull.* II. 257.

4) *Classis ep. habebis* N. 2195, *Calvini duas* 2199. 2200.

2194.

BIBLIANDER LASCO.

Gratias agit de missis Westphali libellis, quibus iam responsum est tam a Calvino quam ab ipso.

(Ex tomo Epp. a Gabbema editarum pag. 63.)

Clarissimo viro D. Ioanni a Lasco ecclesiae Christi antistiti sibi observandissimo Domino.

Quum *Iacobus* noster tibi notus, ornatissime D. *a Lasco,* ire ad vos constituisset, volui per eum et literis et voce viva testificari longe gratissimum fuisse mihi quod libelli *Westphali* ad nos pervenerint, hominis inepti et importuni qui rectius farragines [1]) in agro iumentis colligeret misceretque, nisi multum erro, quam ut sacrosancta mysteria unionis et fidei christianae ac salutis humanae sacramenta tractaret. Ei responsum est a D. *Calvino,* ita ut confidam pios viros, tum in tota inferiori Germania, tum Hamburgi, ubi docet M. *Ioachimus* iste gigas imperterritus, non offensum iri. [2]) Ego, ne deessem officio meo, pro grammatici provincia missam ipsam, quid dicam, mi D. *a Lasco,* arcamne Domini an arcam Simonis magi et Iudae

2194. 1) *alludit ad libelli Westphaliani titulum, quem cum altero eodem fere tempore edito Lascus Turicensibus miserat.*

2) *Patet hic de primo Calvini scripto agi, quia talem spem post secundum nemo fere amplius alere poterat.*

Iscarioti loculos, excutiendos esse putavi. [3]) Tibi vero et omnibus piis iudicium defero an recte an secus egerim. Vide quam praeclarus missator exsistam, non factus nuper ac repente, ut poetae subito fiunt, qui semel in Parnasso monte dormirent, suaque labra poetico illo poculo proluerent, sed a puero educatus in istis mysteriis, et non modo spectator sed minister quoque, sed admirator eximius mysteriorum istorum. Ac ne parum essem audaculus in ipsa etiam legum et canonum et decretalium adyta penetravi et protuli sacrosancta mysteria in conspectum christianorum principum et populi ut pateant nunc vulgo christiano, nisi vult perpetuo caecum esse cum detrimento suo maximo, quidquid sanctitatis et imposturae plus quam satanicae papatus romanus continet. Putavi audendum esse tandem aliquid Gyaris et carcere dignum ut papam in fortalitiis suis firmissimis grammatista germanici imperii civis aggrederetur, non exercitu Xerxis aut Darii aut Cyri, sed papyro penna et atramento. Faciat autem Dominus quod bonum videtur in oculis ipsius. Obsecro te, vir observandissime, ut legas aliquando libellos istos, et mihi rescribas, non ut amicus indulgentior, sed ut censor, et qui est cum magna potestate spirituali in ecclesia Dei, quid putes recte aut secus a me factum esse et quid porro faciam. [4]) — — — — — — — — —

Tui studiosissimus
Theodorus Bibliander.

2195.

LES MINISTRES DE LAUSANNE AU SÉNAT DE BERNE.

Réclamation au sujet de l'édit relatif à la doctrine de Calvin et à l'enseignement du dogme de la prédestination. [1])

(Copie contemporaine. Bibliothèque de Genève. Carton 197[aa]. N. 21. Traduction latine Gerdes Misc. II. 1. p. 472.)

Grace et paix par Iesus Christ nostre Seigneur.

Magnifiques et tresredoutez Seigneurs. Combien que d'un coste nous ne doutons de vostre bonne volonte touchant la paix et union de l'Eglise, et d'autre coste nous sachions combien vous povez a bon droit estre las d'avoir ouy ces iours passez tant de plaintes et remonstrances: toutesfois voyans que ce mal, lequel vous avez tasche d'appaiser par voz dernieres lettres, [2]) est en evident dangier de tellement empirer, quil est grandement a craindre quil n'en advienne une dissipation merveilleuse contre vostre volunte, nous avons pense que suyvant le serment que nous avons a voz excellences et lequel il vous a pleu nous refreschir par voz dernieres lettres, nous sommes tenuz de vous advertir de ce que nous requerons comme necessaire pour la pacification entiere de ces troubles, et que nous esperons que nous ottroierez comme juste et raisonnable. Dont nous vous prions humblement au nom de nostre seigneur, lequel nous appellons en tesmoing que n'avons cherche et ne cherchons que l'avancement de la gloire d'iceluy et de nous acquiter du devoir que nous avons a voz excellences.

Ainsi donc, magnifiques Seigneurs, pource qu'en voz derniers edictz, l'un general datté du 13. de Mars [3]) et l'autre particulier aux ministres en datte du 3. d'Avril, il y a plusieurs poinctz qui nous sont obscurs et lesquelz estans mal entenduz pourroyent engendrer un effect du tout contraire au desir que vous avez que la paix et union de l'Eglise soit entretenue, nous vous supplions pour le repos de noz consciences de voz povres subjectz nous en donner plus ample declaration.

Premierement donc au mandement du 13. de Mars, lequel toutesfois nous n'avons receu qu'en la fin dudit moys, il est dit generalement et sans rien specifier quil est survenu different entre voz ministres du pays conquis de l'une, et les ministres de Geneve, principalement *Calvin*, de l'autre des parties, sur la matiere de la providence divine et autres pointz. Or est il ainsi que cela a donne occasion, comme il nous semble, au peuple de penser beaucoup pis qu'auparavant: c'est a savoir qu'en general voz ministres de deça soyent bandez contre ceux de Geneve, et le commun populaire l'a pris

3) *Vide Prolegg. nostra Opp.* IX. *p. xij seqq. Alioqui forte dixeris eum hic de alio libro loqui quem edidit sub titulo:* De mysteriis salutiferae passionis et mortis Messiae ll. III. cum oratione Lutheri de reformanda ecclesia. Basil. (1555) 4.

4) *Natales epistolae ex mentione Iacobi efficies. Cf. Ep. Lasci* 9. *Iunii. Lascus respondet ex Francofurto* 8. *Iun. Iacobum obviam habuerat Coloniae, citra dubium iam aliquot hebdomadibus antea. Eius discessum ergo facile ad finem Aprilis aut initium Maii referes.*

2195. 1) *Ruchat* VI. 130 *parle aussi d'une rémonstration semblable des classes de Payerne et de Thonon envoyée vers la Pentecôte.*

2) *N.* 2176.

3) *Le texte ne s'en est pas retrouvé, mais le contenu doit avoir été à peu près le même que celui des autres pièces relatives à la cause. Du reste les réclamants vont en donner une analyse, qui s'applique également au rescrit d'avril. (Gerdes a imprimé le* 13. *Mai.)*

ainsi, comme nous l'avons peu cognoistre: ce qui n'est pas advenu toutesfois et n'adviendra jamais, s'il plaist a Dieu. Car au contraire, quand il vous plaira en faire enqueste, vous trouverez que tous cecy est esmeu par bien peu de gens, lesquelz par cy devant ont assez monstre en d'autres affaires combien ilz sont amateurs du repos de voz Eglises et que depuis les ministres de vostre ville de Berne jusques au bout de vostre pays le reste a tousiours en bonne paix et edification consenty en la substance d'une mesme doctrine et reformation avec l'Eglise de Geneve, en tant quelle est conforme a l'escriture et a vostre disputation, sans que nous ayons rien jamais innové. Et pour tant aussi, quand ledit mandement fut presenté aux ministres de ceste ville de Lausanne pour estre publié, iceux, voyans le scandale qui s'en ensuyvroit contre vostre volunte, ont differe de le publier jusques a ce quilz sceussent vostre bon plaisir plus clairement: avec ce qu'il leur fut presente bien tard lorsque vous estiez desia prestz de faire la derniere resolution avec ceux dudit Geneve.

Item pource qu'il appert, tant par le reste dudit mandement que par voz dernieres lettres a nous adressees, que voz Excellences estiment la question, sur laquelle quelques uns ont esmeu ces differens, non seulement estre vaine et curieuse, mais aussi avoir este occasion de ces troubles, a raison de quoy vous desirez, comme il nous semble, quelle soit entierement assoupie, il vous plaira considerer quelle est nommeement exprimee au formulaire du baptesme [4]) que nous avez envoyé et lequel nous suyvons tresvolontiers, de sorte quelle ne sauroit estre assoupie, sinon en deroguant a ce qui en est journellement expose en vostre dit catechisme et audit formulaire. Davantage considerez, s'il vous plaist, combien de temps il y a quentre autres bons personages qui ont restably le service de Dieu *Zwingle* et *Ecolampade*, ayans assiste en vostre disputation premiere, [5]) ont escrit de ceste matiere comme du vray et seul fondement de toute la doctrine de Dieu contenue en sa parolle, voire plus asprement beaucoup que *Calvin* n'en a escrit depuis, pour respondre aux plus dangereux adversaires papistiques que nous ayons eu de nostre temps, comme leurs livres le peuvent monstrer: et toutesfois nul scandale n'en est advenu en l'Eglise. Et mesme ceux qui maintenant ont dresse ces contentions, combien de temps ont ilz presche ceste mesme doctrine, et pour le moins approuve par leur silence les livres quilz reprennent maintenant? Cela donc peut evidemment monstrer que le trouble ne vient pas des livres, [6]) ny que la matiere soit curieuse, ou qu'elle ait este mal enseignee, mais de la faute de ceux qui ne sauroient vivre en repos ne souffrir que les autres y viennent: comme ilz ont assez monstre par cy devant.

Item combien que par les deffenses faites par vous de ne disputer des hautz secretz de Dieu imperscrutables, [7]) nous estimons bien qu'ayez ferme la bouche plustost a aucuns qu'a nous, veu que Dieu mercy on ne trouvera, comme nous esperons bien, que nous ayons outrepasse en rien les limites de ce qui nous est revele par les Escritures. Toutesfois pource que ces deffenses se peuvent entendre comme si nous estions aucunement coulpables de ce qui nous est defendu, avec ce que l'autre admonition que vous nous faites, de ne subscrire a homme, nous a semble appartenir a la doctrine contenue es livres de Maistre Iehan *Calvin*, du nom duquel nous savons bien qu'aucuns en y a qui n'ont point de honte de nous appeler Calvinistes, combien que ceste doctrine ait tousiours ainsi este preschee en bonne paix et edification, devant que iamais *Calvin* eut escrit, par voz anciens ministres desquelz plusieurs vivent encore auiourdhuy. Nous vous requerons au nom de Dieu, devant lequel ceux la seront iugez qui introduisent telz noms de sectes et partialitez en l'Eglise, qu'il vous plaise nous declairer ouvertement, si souz ce nom de secretz imperscrutables voz excellences entendent la doctrine de la predestination ainsi quelle a este preschee et aussi escrite en bonne paix selon l'escriture saincte par plusieurs serviteurs fideles de Dieu, et nommeement par *Zvingle*, *Ecolampade*, *Calvin*, *Musculus*, qui en ont escrit conformement a l'escriture saincte, et autres bons et fideles ministres qui de tous temps ont travaille heureusement et travaillent encore auiourdhuy a l'edification de voz Eglises. Car quant a nous, magnifiques Seigneurs, a Dieu ne plaise que nous nous voulions reigler par l'authorite ne de *Calvin* ne d'homme vivant, quand il est question de la religion Chrestienne. Ce non obstant, pource que nostre Seigneur Iesus a prononce de sa bouche que celuy qui mesprise ses serviteurs le mesprise, apres avoir leu l'Institution Chrestienne dudit *Calvin* et son livre de la predestination, avec autres commentaires sur l'Escriture, nostre conscience, con-

4) *La liturgie et le Catéchisme de Berne avaient été traduits en français et imposés aux églises du pays de Vaud en* 1552. (*Ruchat* IV. 490. *comp. N.* 1572. 1582. 1591. 1597.)

5) Handlung oder Acta gehaltner Disputation zu Bern im Uchtland (1527) gedruckt zu Zürich 23. Mertz 1528 (*Hottinger Helv. KG.* III. 393. *Ruchat.* I. 361.)

6) *L'édit portait:* de se despourter de composer livres contenants si haultes choses pour presenter les secrets de Dieu . . . . qui donnent occasion de telz differens dissensions contentions et troublemens. (*N.* 2175).

7) *voir ibid.*

iointe avec l'experience et le tesmoignage evident de la pluspart de la Chrestienté, nous contraint a dire que la doctrine de la predestination contenue esdictz livres que nous avons leuz, les uns plus les autres moins, et conferez avec la parolle de Dieu, est en substance du tout conforme aux sainctes escritures, et ne sauroit estre blasmee ny ensevelie, qu'on ne renverse le principal fondement de vostre dispute et reformation de voz Eglises, laquelle reformation nous avons, Dieu mercy, maintenue jusques icy, et desirons maintenir jusques a la derniere goutte de nostre sang.

Parquoy, magnifiques Seigneurs, entant que la verite de Dieu, la paix de voz eglises, la tranquillite des consciences de voz subiectz, de tous temps ont este trescheres a voz excellences, donnez ordre sil vous plaist, que la doctrine, non pas de *Calvin* ne d'autres hommes, mais de Dieu vivant, laquelle n'est blasmee encore que par quelque poignee de gens, dont la pluspart n'entend pas ce qu'elle blasme, soit desormais confermee et maintenue en son entier. Et sil vous plaist d'en avoir l'advis des Eglises (combien que cela ne nous semble estre necessaire, veu l'accord et union qui a este perpetuelle en ceste doctrine) nous voicy prestz a rendre raison de nostre foy et a porter tesmoignage a la verite. Mais de laisser vos peuples en suspens et limiter la dispensation de la parolle qui nous est commise, en sorte quil ne nous soit permis de prescher des secretz de Dieu, autant quilz nous sont revelez par l'Escriture, et selon que jusques icy nous pensons avoir fait en bonne conscience et edification, tout ainsi que nous ne doutons aucunement que vous aussi ne voudriez faire: vous prions nous humblement au nom du filz de Dieu, qui nous a revele ses secretz pour nostre consolation, quil vous plaise declairer ouvertement cela, pour fermer du tout la bouche a tous ceux qui, souz ombre de dire quil ne faut point entrer aux secretz de Dieu ny adorer les hommes, ont ainsi blasme la doctrine de verite et pourchasse la ruine de vos Eglises.

Item sur ce que vous nous deffendez de ne mespriser personne ne le blasmer, nous essayerons, Dieu aydant, de faire en sorte que n'aurez rapport mauvais de nous, comme aussi nous pensons avoir fait jusques icy. Mais sur ce point il plaira a voz excellences nous pardonner si nous nous compleignons de Maistre Andre *Zebedee*, lequel nous a de nouveau assailliz par ses calomnies et outrages en voz presences: dont vous povez cognoistre assez facilement que c'est quil peut faire quand il est plus loing de vous. Or savons nous bien que cecy ne peut estre mis en avant par nous qu'on ne nous charge de deux crimes: l'un est que nous ne povons vivre en paix, l'autre est que cecy est le demeurant des vieilles riottes [8]) et querelles qui devroyent estre oubliees. Mais il vous plaira d'ouyr noz responses en brief.

Quant au premier poinct, il vous plaira considerer que celuy qui se deffend n'est pas cause de la riotte ne querelle, mais celuy qui est assaillant, et de nostre part nous protestons que, si l'outrage quil nous a fait a tort et sans cause ne touchoit nostre ministere, nous aymerions trop plus le oublier avec dautres que vous en importuner. Quant au second poinct, quil die luy mesme si depuis ses calomnies, desquelles il fut conveincu au synode, [9]) il a este jamais offense par nous: ains au contraire si on n'a pas parle amiablement avec luy a Nyon, esperant que tout le passe seroit oublié. Mais puis que sans nulle occasion que nous luy ayons donnee, et sans qu'aucune mention fut faite de nous en la cause pour laquelle il estoit appellé, maintenant en nostre absence et en vostre plein conseil il n'a point eu de honte de retourner a son mestier, c'est a dire de nous calomnier d'un crime capital de tyrannie, qui est une chose laquelle ne fut jamais faite ne pensee par nous: voicy que nous requerons humblement a voz excellences, assavoir quil vous plaise vous en enquerir plus amplement, et ayans trouve la verite du cas user de tel jugement envers ceux qui seront trouvez coulpables que l'exemple en puisse servir a la paix et tranquillite de l'Eglise, laquelle nous ne voyons point, comme il est possible que nous puissions voir, telle que vous desirez et que nous pourchassons de bon coeur, si la bouche pour le moins n'est close en toute severité a ceux qui font mestier de la troubler.

Voila, magnifiques et tresredoutez seigneurs, ce que necessité extreme nous contreint de vous exposer, et pour ce faire vous envoyer deux de noz freres, assavoir Pierre *Viret* et Theodore *de Besze*, [10]) pour entendre vostre bon plaisir auquel il vous plaira d'estimer que de bon coeur nous tascherons d'obeir tant quil sera possible, et serons (Dieu aydant) a jamais souvenans du serment et devoir que nous avons a Dieu et a voz Excellences. Sur ce nous prions nostre Seigneur quil vous donne accomplissement de voz sainctz et vertueux desirs a son honneur et a vostre singulier contentement.

8) de 1548, *et jusqu'à son départ de Lausanne pour Yverdun* 1549.

9) *Il n'est pas clair à quoi ils font ici allusion. On peut songer à la querelle suscitée à Viret au sujet de son livre du Ministère, ou aux lettres dérobées par Mercier* (*Août — Oct.* 1548). *Cf. N.* 1184.

10) *Ils ne partirent que le* 24. *Les noms manquent chez Gerdes.*

De Lausanne ou estoit assemblee la classe ce 2. de May 1555. [11])

2196.

SIDEMANNUS CALVINO.

Se a Calvini partibus stare fatetur in causa contra Lutherolatras quos graece et latine perstringit.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 40.)

Reverendo et clarissimo viro D. Ioanni Calvino domino et amico suo observando.

Genevae.

S. D. Literas tuas [1]) exosculatus sum: plenae enim non modo humanitatis sunt, sed etiam excellentem eruditionem καὶ σύνεσιν πνευματικὴν spirant. Iure autem stomacharis adversus quosdam indoctos et clamosos homines [2]) magisque ματαιολόγους quam theologos, qui multa non solum in nostris ecclesiis turbant, inque omnes dissentientes debacchantur, verum etiam exteros lacessere iam aggrediuntur atque audent, scilicet quia idem factitavit *Lutherus*. Admiranda vero est illorum sive stultitia sive insania: iuvenes sunt rerum imperiti, non tincti literis, infantes, et tamen de maximis rebus in ecclesia censuram sibi adsumunt, ac certamina movent, et quidem non necessaria. *Philippus* noster hactenus summa moderatione adductus assensionem de causa sacramentaria sustinere potius quam pronunciare maluit: [3]) sed iam provocatur in palaestram. [4]) Metuo tristem tragoediam. Utinam haec controversia nunquam mota esset. Nam ἐπίχαρμα τοῖς ἐχθροῖς παρέχεται, ac multi inter nostros infirmiores valde sauciantur. Ac pro tua eximia pietate eruditione prudentiaque, sat scio, quievisses omnino, nisi bellum a nostris istis vesanis theologis reintegratum [5]) fuisset, qui, ut verissime dicis, longe superant *Lutheri* vehementiam. Nec argumentis rationibus ac nervis, sed conviciis insulsitateque pugnant, pendentes ab autoritate nutuque *Amsdorffii*, senis natura iracundi καὶ πικροχόλου. [6]) Quo autem haec controversia evasura sit non prospici potest. Filius Dei Iesus Christi restituat aliquibus ablatam mentem, comprimat quorundam fervorem, detque nobis animos concordiae amantes, ac te, reverende vir et frater, diutissime conservet: καλὴν γὰρ στρατείαν στρατεύῃ. Laudant omnes eruditi et boni tuas lucubrationes. Ego in bona felicitatis meae parte pono ansam mihi datam esse iungendi amicitiam cum *Calvino*. Eius enim nomen apud me semper sanctum ac religiosum fuit. Bene vale. Erphordiae quarto Maii 1555.

Martinus Sidemannus T.

Per bibliopolam vestrum
mihi rescribas.

2197.

FARELLUS BLAURERO.

Denuo Tossanum defricat depectit distringit et quidem tam excitato animo ut non solum ille sed et sermonis syntaxis sub ferula magistri vapulet.

(Exemplar autographon passim lectu difficillimum, partim bibliopegi incuria interceptum, denique in fine mutilum, exstat in bibl. civica Sangallensi MSS. Tom. 37. Epp. VIII. p. 24. — Emendari et suppleri poterat ex apographo Turicensi, bibl. civic. F. 43. olim VIII. fol. 489 v., cuius plurimas variantes negligimus. Simleri apographon passim meliores lectiones exhibet quam Turicense. Verum Farelli stilus hic adeo intricatus et confusus est ut magis non possit et saepius quid sibi velit vel sagacissimus quisque elicere nequeat.)

S. Qui suum fudit sanguinem ut ecclesias sibi puras acquireret, tam pretiosi pretii rationem habens miseris velit prospicere coetibus, [1]) faxitque ut mala tollantur quibus tantum non obruuntur, et quae desunt bona plene dentur et perpetuo salva sint. Tui labores tuaque diligentia, optime *Blaurere*, tuumque consilium atque prudentia, quibus studiosissimo studes ecclesiis consulere, et cum fructu, quis non maxime probet? [2]) Valde displicet quod aliud non habeo [3]) utrique nostrum et facilius, in

11) *La présente lettre doit avoir été concertée avec Calvin qui écrivit lui-même le 4. après s'être adressé au Conseil de Genève (voyez Reg. du Cons. 23. 29. Avril 2. Mai.)*

2196. 1) *N.* 2148.

2) *Westphalum innui dubium esse potest, quum eos iuvenes dicat quos notat. Is enim circiter a.* 1510 *natus erat. Fortasse respicit ad Nic. Gallum, superintendentem Ratisbonensem, Flacii Centuriatoris collaboratorem.*

3) *quod ipsum aegre ferebat Noster* (*N.* 2003. 2004. 2089).

4) *Vide N.* 2204.

5) *sic.*

6) *Isenacensis, magna autoritate gaudentis ap. Io. Fridericum* II. (*Schmidt Mel.* 579.)

2197. 1) casibus *T.*

2) *sic.*

3) habes *T.*

quo te rogem, quam id in quo sunt tam impedita omnia. Sed posteaquam ita visum est Domino, et nostra ita merentur peccata, feramus et sedulo opem Domini imploremus. Quum sit negotium cum fratribus et in ecclesia Domini, et fucis hic agatur, veritas in mendacium mutetur, et non Domini gloria sed propria a nonnullis quaeratur, et tanto astu, tanto studio et calliditate, ut nisi res loqueretur nemo non subscriberet iniquae parti, quid faciant homines quantumvis boni et bene affecti, nisi totum absolvat Dominus qui astutos comprehendit in ipsorum astutia.

Tossanus scribit pacata esse omnia,[4]) et ut audio sibi gratulatur quod pulsi sunt quos vocat pacis turbatores. Ego certo scio eum non habiturum pacem,[5]) neque ecclesias, donec in gratiam Domino redierit et erga proximum egerit quod vellet sibi factum. Alios vidi et video similia ausos qui senserunt et sentiunt manum Domini. Aegre fero principem,[6]) quem non prorsus malum aiunt, ita laborare. Utinam causam possit intelligere tum ipse, tum alii, ut medeantur. Non liberabit eos *Tossanus*, qui sibi et aliis causa est malorum. Christus eum benigne intueatur et convertat. Queritur de suo ministerio. Utinam non minus esset illi curae quam nobis est. Nos mederi optamus malis, ille in ruinam ministerii fovet et adauget. Nec veretur autorem ministerii Christum, qui est veritas, mendaciis offendere. Causas eiectionis fratrum, quos indicta causa damnari fecerat, tandem ad te misit. Sed ut video eas quae lucem refugiant. Quid quaeso illud sibi vult ut nemo intelligat et resciat. Si tua tantum scire referret, et apud te unum eiecti agerent, solusque erratorum posses eos admonere, non improbarem consilium eiusmodi. Sed quum apud alios agant, et teste *Tossano* benigne sint amandati, digneque cum favore et benevolentia excipi debeant, ut taceam de bonis omnibus qui pios fratres probant et aliud non vident quam manum Domini et gravem ultionem manere *Tossanum* et omnes qui cum eo faciunt in tam iniqua causa: quid sibi vult *Tossanus* quod tam caros fratres negligit, qui non a pulsis moventur quos habuerunt parentes consiliis datis post condemnationem, et qui sunt parati quidquid fratres iusserint agere? Quid, inquam, celat his causas eiectionis, praecipue iis quibus recepit se missurum? Sane si dignae essent causae et verae ablegationis fratrum, ego non minus suspicerem *Tossanum*, quem semper habui carissimum, et ut omnes recte sentirent de eo, si vellet, me ad omnes fratres conferrem, singulos hortarer ut mecum virum observarent, quin et ablegatos ad culpam agnoscendam et palam fatendam adducerem. Tantum mihi audeo polliceri de fratribus, et Dominum sensi in eiusmodi mihi adfuisse. Quot enim conciliationes, non cum piis tantum, verum etiam cum improbissimis, factae sunt absentibus interdum fratribus, qui facile sequuti sunt et servarunt pacem, donec improbi omnia violarunt. Hac ratione facile suo ministerio et paci ecclesiae *Tossanus* consuleret. Verum, ut video, non modo me, quo non habuit magis amicum, non vult ferre ut coram agam, sed te quoque, quem rogare quam maxime deberet, vult et conatur impedire ne eo te conferas. Sane mirum est *Tossani* ingenium. Ego in omnibus turbis quae ortae fuerunt, in omnibus coetibus ubi aliquid pro ecclesiis est agendum, valde rogavi optimos quosque ut venirent, adessent. Semper fui sollicitus ut ecclesias in quibus egi viderent, concionarentur et mecum aedificarent. Scit se vocatum nonnunquam fuisse. Faciunt mecum alii fratres. Faciebat et hoc *Bertoldus* non infeliciter. *Tossanus* olim in nonnullis non prorsus hoc contempsit. Nunc totus est alius. Utinam tam esset in bono et aedificatione, quam est in malo et ruina, quam video hominem persequi. Non enim cessabit donec pios omnes expulerit. Cuius gratia te impensius rogavi. Video enim gravissimam vastationem imminere. Nam *Tossanus* potius omnes ablegabit quam ut male audiat. Qui telam orsi sunt autore *Tossano* vix ferrent damnari quod volunt probatum. Cogita si pii, qui propter Christum non veriti sunt pontificem negare, et quosvis principes, quia damnarint eos ut probarent servos Christi et pro causa Christi starent, hic possent tacere et pluris *Tossanum* facere quam quemvis alium mortalium. Ut de aliis taceam. Ideo vides quam sit necesse, ne perdantur omnia, te non concedere. Video quid moretur *Sulcerum*,[7]) et quid denique agendum putet ne quod superest pereat. Iudicat quae acta sunt sepelienda: utinam possent. *Tossanum* sanandum: utinam fiat et in hoc meus pro eo funderetur sanguis. Sed quid quaeso fiet in causa Christi, qui supra modum laesus fuit in suis servis? Aut oportet Christum manere inique damnatum, vel ablegatos non haberi

4) *quoad negotium quatuor ministrorum.*

5) *Dissidium illud inter Tossanum et Farellum etiam a.* 1558 *nondum cessaverat.* (*Kirchh.* 129.)

6) *Georgium comitem. — Nescimus unde G. Goguel suam totius huius negotii relationem hauserit quae alia est ac Farelli:* Dans ce temps quelques ministres cherchaient à séparer les églises de Montbéliard de celles du Wurtemberg pour les unir aux églises de Suisse. Ils tenaient des conventicules, n'observaient point dans l'exercice du culte les rites établis et usant d'imprudentes rigueurs se permettaient même d'exclure de la s. cène tous ceux qui ne partageaient pas leurs doctrines. Les avertissements paternels de Toussain et les ordres sévères de la régence étant demeurés sans effet, le comte George fut réduit à prononcer la destitution de quatre d'entre eux. (*Cf. N.* 2192.)

7) *qui ergo de hac causa aliter sentiebat quam ipse.*

pro servis Domini. Quod si votis posset aliquid in gratiam *Tossani* et sui ministerii et pacis ecclesiarum, id vellem. Oportet enim alterum, aut innocentes esse aut iuste ablegatos. Aliter componi res non potest, nec stare valet ordo Christi in ecclesia, qui [*neglectus*] innumera adfert mala, dum quod una eiicit altera excipit. In qua re oportet te et *Sulcerum* non [*tantum*] uni prospicere ecclesiae sed omnibus. Ut vestrum unusquisque melius me novit, si hoc fieri debite potuerit, [*alia*] facile fient. De restitutione potens est Dominus. Consulet suis servis et ecclesiis. Satis possunt assequi qui iam no[*runt*] *Tossanum* propius, eum nunquam passurum ut restituantur. Nam ut sua teste conscientia lacrymis egit cum Pr[*incipe*], affirmans se profligandum a fratribus aut se cogendum ut abeat, ita perrexit ipsis auditis, utque olim iu[*stis motus*] causis volens consulere ecclesiae (ratione quam probare nunquam potui, quamvis feliciter cesserit seces[*su ab eccl*]esia) ita non dubito secederet si revocarentur fratres: nisi Dominus plene immutet cor hominis, ut dis[*cat sibi*] vim facere, et, quod scribis admodum pie, quae sunt Iesu Christi tantum quaerat. Verum quum non in omnibus id [*facile*] inveniatur, et sensim Dominus in plerisque operetur, non potest melius consuli ecclesiae et fratri quam si id[*oneus*] ei adiungatur collega, qui cum viro agat, ut oportet, multa prudentia. Sentio enim non [*parum*] affici ab iis cum quibus agit. Longe enim alium expertus sum a duobus aut tribus annis quam prius, [*et*] ut audio nonnihil gentile patitur. Ideo opus est viro qui sedet, non augeat [8]) quod nocet. Christus [*illi*, [9]) *qui*] nihil non potest, manum clementer admoveat. Iniuriam magnam facit fratribus profliga[*tis*] super *Claudio* suo, qui tandem an *Claudius* sit vel alius patebit, quod sparserint quaedam de eo [*confecta* [10])], et spargi fecerunt per famulum hospitis. Quam vellem cogitaremus, nos Romae non esse, ubi [*nunquam*] fui, sed in ecclesia Domini: nos non digladiari pro praebendis, sed ad sanguinem usque tueri [*debere*] evangelium et veritatem Christi, nobis [11]) non coram iudicibus Rotae sed coram tribunali Christi [*comparituros*], et ideo sobrius et verius ageremus. Quid mentiri ita iuvat et non pudet? Annon prius[*quam*] fratres hinc solvissent et rediissent Mombelgardum sparsa erant omnia, omnium maximo offendi[*culo?*] Quid rasus olim, et adhuc culinae pontificiae addictus, dum cives quererentur inter se de ablega[*tis et*] de eo qui tam impie loquutus fuerat, adveniens dicebat? Nonne vobis dicebam pridem, venturos q[*ui ea*] quae dicebamus dicerent, [12]) nempe oportere missam adire et qui ex nostris essent? Ecce adsunt. Idque [*pleno*] vico, ubi circiter quinquaginta aderant. Est rasus ille canonicus Rancuriensis. Fratrum nemo ad[*huc*] aliquid audierat. Et tantum abest ut confinxerint quum in diversorio post seminata verba *Clau*[*dii*] audirent a famulo, ipsum arguebant tanquam iniurium *Claudio*. Non enim ita improbum unquam [*putassent*], nec *Tossanum* eo venisse ut talem eligeret. Verum famulus constanter affirmabat. Et quamvis [*Tossanus*] hoc intelligens iam ab hospitio *Claudium* evocasset ne is testari possit de fratrum candore, tamen hos[*pes potest*] hoc plene testificari et nos omnes a calumnia tam impudenti fratres vindicare, quum ab aliis fide dig[*nis id*] intellexerimus. Quid egerit cum famulo illo, *Tossanus* viderit. Veritas erit veritas et mendacium tan[*dem detegetur*]. An putes frustra moveri eos qui quum sciant *Boinum* [13]) ita efferri a *Tossano* ut omnium optimus hab[*eatur et*] *Castalionem* et eos qui cum eo faciunt ita cordi esse *Tossano*, quidquid fingat apud alios, favore [*illorum*] multa agere. [14]) Si iudicent Basileae huius consensu *Claudium* quaesivisse, quum *Claudius* fassus fuerit quaerenti qua via innotuisset *Tossano*, id fuisse commendatione *Castalionis*, et cuiusdam qui *a Valle* dicitur, hospitis *Castalionis*: quin et *Gastardus* hac transiens in aedibus alicuius ministri per iuvenem cum quo venerat . . . . . . iusserit salutari et se commendari et gratias agi eidem *a Valle* qui apud *Castalionem* omnia esse iudic[*at alibi*] nihil super eo, quod amplum testimonium dederit apud *Tossanum*, cuius gratia eo sit loc[*o ubi nunc*]. Si *Claudius* accepta fert omnia *a Valle* Castalionico, *Tossanus* *Sulcero* et *Wolphango*, componant [*inter se*] ut sciamus cui fidem habere debeamus. Lausannae ut egerit *Tossanus* testificari possunt fratres pii. Ego [*in literis*] quas vocatorum unus acceperat et legendas dabat, cloacae malorum salutem dici a *Tossano* legi pr[*aeteritis*] piis omnibus. Qui audierunt *Gerardum* ante annos aliquot, de quo *Tossanum* admonui pridem [*et*] qui viderunt quae bis Petro *Alexandro* affirmata fuerunt et ante annos aliquot audierunt [*quae*] *Tossanus* scripto proponebat de iustificatione fidei non purae sed ratione operum, quod heri pri[*mum*] intellexi ex amico, [15]) et alia non pauca faciunt ut non merito [16]) aliqui dubitent de doctrina, et qu[*amvis eius*] conciones nemo damnet quae semper fiunt iuxta post illa ut vocant, tamen

8) audiat *T.*
9) *Sic scribimus ex coniectura. T. praebet:* illo.
10) conficta?
11) *lege:* nos.

12) *Simlerus addit:* esse vera.
13) *N.* 2155.
14) *Haec in utroque codice ita scripta leguntur, ut ipsum autorem quid sibi voluerit nesciisse crediderís.*
15) animo *T.*
16) immerito?

hoc monent cavendum esse ne [17]) virus quod latet sese fundat. Non attingam quae bonus vir paulo ante mortem dicebat, reprehensus a *Tossano* quod huc venisset quum melius et sanctius in papismo Domino servire potuisset. Quin aliquot ecclesiam Mombelgardensem consulentes missis literis (novit *Tossanus* an eas communicarit, norunt et fratres ut actum sit an viderint) et responsum est, licere sacris omnibus pontificiis interesse, adeo ut cum gaudio canant in templis: Gaudeamus omnes in Domino, diem facit celebrem sub honore Virginis, de cuius assumptione etc. An haec sunt sanae doctrinae? Non afferam quam gratum sit audire *Calvinum* paene perditum, tabulis publicis depictum, libros omnes damnatos et hostes victores, et quid non? O Domine Iesu, qui omnia habes in manu, propitius aspice et Satanam disperde, cuius sunt tam impia gaudia, et ut tu tuis iustis moerorem super his vis ut sentiant, ita succurre et adesto. Quid facerent eiusmodi, si vera haec essent pro quibus merito omnes pii contristari debent, si in falsa auditione ita gestiant. Dignusne est servus Christi tam insignis, quem nemo bonus non amat, ut soli qui de eo pessime loquuntur, qualescunque sint, excipiantur mensa et quam avidissime audiantur et summo applausu? Ego nihil possum audire quod magis urat quam quae cogor audire de misero *Tossano*. Et nunquam tibi aut alicui verbum facerem, nisi ut Dominum precemur, et ut per gratiam Christi medearis, cuius gratia te iterum ac iterum rogo. Faxit Christus ut quos misisti fideliter omnia exsequantur.

Si potuissem convenire principem vos sane praevenissem: sed quum scirem *Tossanum* habere omnes in manu et me non posse convenire principem, satis novi nihil effecturum, verum potius res impediturum. Nunc in te et *Sulcero* quid possunt servi Domini situm est. Quod superest illius ecclesiae servate. Offendiculum non vulgare fuit quod actum est a *Tossano*. Quod si pergat, sentient omnes longe gravius quam dici queat. Vafrum est *Tossani* ingenium et parum tenet quod est Dei, ... et contemptor est providentiae non videns quale et quantum sit Domini iudicium, neque satis considerat quod sit Christus. Si in viridi, quid in sicco? O perversos affectus: quam excaecatis miseros! Dominus Iesus instauret suam ecclesiam, ut furiae eiusmodi non amplius ita insaniant.

Vale, mi *Blaurere*, et mihi quaeso ignosce. Non quaero hic aliquid nisi ut conservetur ecclesia, cuius gratia mire angor dies et noctes. Non ergo feras molestius si apud te querar, qui non minus haec sentis, ne dicam magis. Sed precemur Dominum omnes, et tu manum porrige ecclesiae te roganti: nam pro Christo ecclesiae nomine te oro. Cupio collegam salvum et *Nicolaum* cum aliis piis. Collega te salutat, et qui mecum est optimus *Humbertus* et quem prius habebam *Ioannes*: utrique pulsi tibi commendant non se sed Christi causam. Neocomi 4. Maii 1555.

Tuus totus Farellus.

17) *abhinc deficit textus authenticus.*

2198.

VECHTELDUS [1]) CALVINO.

Calvino obiter propter disputationem contra Osiandrum laudato, transit ad controversiam sacramentariam et modeste sed firmiter formulam calvinianam impugnat et reiicit.

(Ex autographo Cod. Genev. 113, fol. 116.)

S. Literas tuas, [2]) vir clarissime, bibliopola vester mihi obtulit, quas gratas habui, quod illibatam et firmam testarentur tuam erga me benevolentiam. Facile etiam excusationem admitto, quod tardius epistolis aliquot meis [3]) responderis, eoque etiam facilius quod periculum literarum, de quo scribis, propter varias peregrinationes meas agnoscam gravius futurum fuisse. Caeterum quod *Osiandri* errorum tuam quoque aliquam contradictionem nobis polliceris, [4]) in eo serio gaudebo tuum etiam suffragium ecclesiis nostris accedere, et utinam id solide possim aliquando de integro totius doctrinae consensu. Sed iam esse aliqua in parte dissidium, quod proximis literis significasse me repetis, scriptum tuum quod nuncius mihi obtulit aperte declaravit. Et sane propter id magis etiam exhorrui quam super enunciata a me dissidii mentione, quod futurum speravi ut alia adhuc ratione averteretur, facere potueris. Illud autem sancte affirmo, nunquam me, talem esse sententiam in hac re vestram, arbitratum fuisse, quam hoc scripto profitemini. *Zuinglium* equidem improbari in vestro illo coetu, audisse me certus sum, et multis frustra institutis

2198. 1) *N.* 1283 *et* 1414 *nomen aliter scriptum reperimus. Hanc novam formam etiam Ioecherus servavit, qui dicit eum patricium Brunsvicensem fuisse, prof. iuris Regiomonti, a.* 1559 *syndicum a.* 1570 *consulem Lubecae. De Erfordia ille nihil.*

2) *deperditas.*

3) *quae itidem non exstant.*

4) *ubi et quamnam?*

actionibus Tigurinis te assentiri noluisse. Satisfaciebant etiam tum mihi vestrae cum ecclesiis nostris concordantes loquendi formulae de communicatione in coena corporali et reali, item de veritate simul exhibita, putabamque nullam vobis esse cum nostris discrepantiam, nisi quod nostrorum sententia minus recte accepta aliud ab iis doceri de praesentia corporis et sanguinis Domini existimaretis, quam quod isti conveniret moderationi vestrae, qua disputandum non esse dicebatis quo modo aut qua ratione id fieret. Interim tamen fidei non esse derogandum de credenda quam Christi verba proponunt veritate, quod Deus mendax non esset. Et hanc ipsam tamen moderationem a nostris quoque retineri mihi eram conscius, haud immemor auditorum discipulus, in negata enim transsubstantione [5]) papalium et reiecta disputatione de localitate, putabamque, ut esse potest et argumenta rerum habui, aliorum pravitate utrinque vestra secius quam traderetis esse accepta. Nunc vero quae proponitis de spirituali communicatione tantum, de reprobato literali sensu verborum Christi, prorsus esse differentia a doctrina in nostris ecclesiis recepta agnoscere cogor. Itaque miratus etiam sum quod scribis, in vestro consensu reperiri quidquid continet edita Ratisbonae confessio, [6]) quam Augustanam vocemus, et quanquam non intelligam quam velis, tamen concordiam hanc nullibi invenire potui. Anno tricesimo Augustae exhibita confessio sic habet: De coena Domini docent quod corpus et sanguis Christi vere adsint et distribuantur vescentibus in coena Domini et improbant secus docentes. Cum his colloquium quoque Ratisponense non discrepat. Fatemur, inquis, in coena Domini vere et realiter corpus et sanguinem Christi adesse, cum pane et vino exhiberi sumentibus. Sed ab iis prorsus discrepant verba vestra, et nisi alia interpretatione utamini, re etiam dissentire credimini. Itaque facere adhuc quidem non possum quin dissidium agnoscam, minus autem ut ab expressa verborum Christi proprietate abduci me ulla interpretatione patiar. Et id quidem facio nulla vel morositate vel alterius magistri placito, sed illius tantum autoritate ista qui instituit, omninoque existimo debitam illi esse, si sui censeri et salvari cum eo volumus, servitutem, ut neglecto quae contradictat rationis strepitu in iis quae credi iubet ipse acquiescamus, et sensus cogitationum, ut praecipit, captivemus. Itaque condonabis mihi si in hoc vestrae non accedam sententiae, nec vestris argumentis tantum deferam, quibus de generalitate sacramentorum et humani corporis natura disputatis, quum diserta verborum prolatio in institutione ad eam generalitatem se reduci sine violatione non patiatur, et alia nulla ex scriptura evincat sententia aut ratio quare ita fieri necesse sit: corporis autem humani naturam in Christo non esse vulgarem censendum sit, quod divinae unitam essentiae credamus, et in hoc ipso corpore a Christo exhibita sint quae cum ea ipsa natura quam urgetis similiter congruere non possint et secundum eam sunt impossibilia. Sicut autem bono zelo haec a te doceri existimo, ita te per eundem tuum animum, vir multis nominibus venerande, rogo obsecro et obtestor ut etiamnum causam hanc ita perpendere velis ut debitum Christo honorem deferas et veritatem credendorum in scriptura non sensu carnali sed fidei firmitate sustineri illumque huic subiugari patiaris, donec, quae in hac carne peccati non cernimus, rerum in futura vita perficiatur patefactio, ad quam Deum ardenti pectore precor ut te coetumque vestrum dirigat et conservet. Erphordiae 4. Maii 1555.

Deditissimus Hermannus de Vechtelde.

5) *sic.*

6) *Ratisbonae a.* 1541 *Protestantes declararunt se ab A. C. non recessuros* (*Salig.* I. 546) *et peculiari scripto Melanchthonis d. d.* 23. *Iul. protestati sunt se quatuor articulos in illo colloquio conditos eo sensu accipere quo in eadem confessione eiusque apologia declarati fuerint.* (*Walch.* XVII. 863.)

2199.

CALVIN AU SÉNAT DE BERNE. [1])

Réclamation au sujet de la manière dont il a été débouté de sa plainte.

(Minute Bibl. de Genève. Vol. 107, fol. 62. Copies ibid. Carton 197aa. MS. 108. fol. 45. Bern. Epp. VI. 447. Simler Vol. 84. — Imprimée Ruchat VII. 322. Bonnet II. 43. — Trad. angl. III. 176.)

Magnifiques et honorez seigneurs, vous scavez quand dernierement ie fus en vostre ville, [2]) pour vous prier de donner ordre aux troubles et scandales que Sathan par le moyen de quelques uns avoit icy esmeuz, combien que ie fusse envoie de la part de mes seigneurs et superieurs, toutefois voiant quen vostre ordonnance [3]) il avoit plusieurs articles concernant ma personne, affin quil ne semblast que ie me voulois couvrir dauthorite publique, ie me presentay par devant vous en mon

2199. 1) *N.* 2195 *not.* 11. *Trechsel* I. 204. *Hundesh.* 294.

2) *Au commencement d'Avril.*

3) *du* 3. *Avril.*

nom propre et prive, vous requerant de mieux adviser a la cause pour y donner bonne issue, non pas tant au regard de moy que pour lhonneur de Dieu et de son Evangile, pour ledification de lEglise chrestienne et le salut de voz subiectz, mesmes le repos de vostre estat qui ne peult et ne doibt estre separe de ces choses. Or quant a moy, magnifiques seigneurs, possible quil suffiroit davoir pour un coup descharge ma conscience, comme ie fiz adonc, sinon que ie suis contraint, quant le mal saugmente, de procurer le remede entant quen moy est, ou pour le moins protester quil naura pas tenu a faire mon devoir que les choses ne soient mieux allees. Mais encores il y a double necessite qui me contraint a vous importuner de rechef. Car suyvant la responce derniere qui me fut donnee[4]) sur la remonstrance que iavois produict tant par escrit[5]) que de bouche, iesperois quen escrivant a voz ministres vous leur donneriez occasion de nourrir paix et fraternite avec nous, estans liez et uniz en doctrine. Or sans ce que ie menquerre beaucoup, ie veoy que le bruit commun est que la doctrine que nous preschons en ceste Eglise est tenue pour condamnee. Ie me tiens bien asseure que vostre intention nest pas telle: mais si vous avez declaire, comme la responce penultieme[6]) nous fut donnee en vostre ville, que les livres qui ont este imprimez par nous des secretz de Dieu servent plus a ruine qua edification, vous voiez selon vostre prudence, quen cela ie suis obliquement condamne, et non pas moy mais toute lEglise de Geneve, veu que le livre dont il est question[7]) est un accord et resolution faicte en commun par nous tous. Combien quil nest pas icy question de nous seulement: car, Dieu mercy, nous accordons avec les ministres tant de vostre ville que de vostre pays, tellement que nostre cause ne peut estre condamnee quau preiudice de la foy quon vous presche et a voz suiectz. Parquoy iay este esbay quen ceste matiere vous avez insiste sur vostre dispute et reformation,[8]) comme si on vouloit apporter changement. Toutefois ie vous ay proteste le contraire, et la verite se trouvera telle que ma doctrine, quon calumnie iniustement, est conforme a vostre dispute. Mais encores il vous fault noter quen vostre dispute tous les articles de la foy nont pas este debattuz. Parquoy comme vous ne reietterez point ce que tiennent tous Chrestiens de la Trinite, ou de la Resurrection des mortz, soubz umbre que vostre dispute nen dit mot, aussi nestce pas raison que les aultres articles soient mis bas, daultant que la il nen est faict nulle mention. Car lintention de ceux qui y ont servi a este de monstrer que la reformation quilz mettoient en avant contre les Papistes, estoit iuste et saincte. Ainsi cela ne faict rien contre nous. Au reste quant vous dites qua vostre iugement il nest pas necessaire de composer livres senquerans des secretz de Dieu, ie vous prie de penser ou cela peult venir, et nen fault ia faire long discours. Car par vostre pays plusieurs[9]) blasphement contre la saincte Predestination, et le conseil eternel de Dieu, plus quon noseroit faire en la Papaulte. Ie confesse bien quen ce haut mystere et incomprehensible, il nous fault estre sobres et humbles, et quant vous auriez veu le livre qui a faulsement este blasme devans voz excellences, vous trouveriez quil ne tend qua ceste fin damortir ou dompter laudace de hommes, pour leur faire adorer la maieste de Dieu en toute crainte, sans lascher la bride a leur curiosite. Mais si on veult sans discretion mettre bas ceste doctrine, on attente de corriger lEsprit de Dieu, et par consequent il faudroit racler de lEscriture saincte ce qui nous en est la revele. Mesmes ie mesbay comment ie suis assailly moy seul, veu que si on faict comparaison, iay tenu une facon denseigner plus moderee beaucoup que nont faict les plus scavans dAllemagne, qui de nostre tems ont remis lEvangile en clarte. Parquoy ie vous supplie suyvant la sentence de nostre Seigneur Iesus, que pour iuger en verite, vous naiez point de regard a la personne: car encores que mes livres fussent enseveliz avec mon nom, si estce que les Prophetes et Apostres desquelz iay puise et tire la doctrine quon reprouve, demoureront en leur entier.

Ie ne vous puis dissimuler, magnifiques seigneurs, la crainte que iay, comme aussi elle nest pas vaine, que si en voiant laccord que Dieu a mis par sa grace et bonte infinie entre[10]) voz ministres, vous ne faictes une bonne resolution pour appaiser les troubles qui sont par trop esmeuz, il y aura danger de tomber en confusion extresme. Ie fuz contraint de vous dire nagueres ce qui est vray: cest quen tenant la chose en suspens, vous couvriez[11]) un feu quil ne seroit point possible ny a vous ny a creature du monde esteindre. Parquoy ie vous supplie, magnifiques seigneurs, non pas pour moy, mais pour vostre bien et salut, de bien

4) *probablement de vive voix. Voyez la lettre suivante.*
5) *N.* 2177.
6) *N.* 2175.
7) De aeterna Dei praedestinatione etc. 1552. (*Le Consensus Genevensis.*)
8) *Non la dispute de Lausanne en Oct.* 1536, *comme le pense M. Bonnet, mais celle de Berne* 1527.

9) *Non seulement Bolsec et consorts mais aussi quelques ministres de différentes classes, lesquels cependant ne méritaient pas une note aussi sévère.*
10) contre *Bt.*
11) couviez *Bt.*

adviser ce qui est de Dieu et de sa parolle, affin que sans contredit il soit receu et approuve en toute reverence. Qui plus est non seulement voz ministres, mais plusieurs de voz subiectz sont informez que Iehan *Lange*[12]) na point diffame ma doctrine quant a la Predestination, comme il vous fut amplement desduit,[13]) mais sur un poinct tout divers. Et ny a homme preschant lEvangile qui ne condamne et reprouve ce quil dist en la congregation, comme un erreur insupportable, et qui destruit lesperance de nostre salut. Sans aller plus loing il neut point honte de dire que ie faisois Iesus Christ trop homme: a quoy ie respondy que sil nestoit Dieu entier et homme entier, il ne seroit point nostre Redempteur: mais il ne chault a telles gens, moiennant quilz detractent de moy. Comme vous veistes que *Zebedee*[14]) ne peult nier en vostre presence quil neust escrit en faveur de cet execrable heretique *Servet*, que le feu de Dieu consumeroit le feu de France, comme celuy de France avoit consume le feu dEspaigne. En quoy notamment il se desborda contre les magnifiques seigneurs de Geneve voz combourgeois, blasmant la iustice quilz ont faicte, laquelle est louee de tout le monde. Mais il ne se fault esbair si en vostre presence il les osa ainsi blasmer, veu que le deshonneur et iniure sarrestoit a vous qui avez exhorte par voz lettres nos seigneurs et superieurs de purger le monde dune telle peste.

Mais ie me deporte[15]) de me plaindre davantage des personnes qui mont iniustement et a tort outrage, prenant en patience les opprobres desquelz iespere que Dieu me delivrera. Car mon intention nest sinon ainsi que pour eviter noises et contentions, iay mon refuge a vous, comme a princes Chrestiens qui devez maintenir en vostre protection tous ceux qui servent fidelement a Dieu, et bataillent pour maintenir sa verite, vous prier de rechef quil vous plaise, si vous trouvez que ie naye enseigne que bonne doctrine et pure, que vous ne souffriez quen vostre pais ie sois plus vilainement denigre quentre les Papistes. Ie vous laisse a dire que le cousturier de Rolle[16]) auquel vous fistes faire amende honorable, sest depuis vante quil mavoit maintenu heretique devant vous. Mais il y a pis que tant *Hyerosme*, vostre prescheur de Servant,[17]) auquel ie neuz iamais querelle, que *Corbeil*, diacre de Morges, pour lequel ie me suis employe quant il estoit en prison,[18]) ont publie en plaine rue devant bons tesmoings que vous maviez condamne comme heretique. Et maintenant vostre pays est si remply de ceste fable quon en parle plus que de lEvangile. Ie ne vous dy rien que les preuves ne soient toutes claires. Or ie croy que ce nest pas raison quant ie travaille iour et nuict au service de lEglise et pour maintenir la foy qui est commune entre nous, que ien aye une si pauvre recompence.[19]) Vray est que pour lingratitude du monde, ie ne desisteray iamais de faire ce que Dieu me commande. Mais cest a vous dempescher que ie ne sois ainsi opprime a tort, veu que mes labeurs meritent plus tost quon me soulage.

Au reste, quant telle licence et si confuse aura son cours, ie ne dois pas estre si lasche que ie ne maintienne la querelle que ie scay estre de Dieu. Cependant comme iay tousiours desire de servir a voz Eglises, et y veoir prosperer la doctrine de lEvangile, ie vous prie quil vous plaise de pourveoir que la foy quon vous presche tous les iours ne soit point vilipendee et moquee soubz mon nom. Car si cela est permis, il ny a nulle doubte quen brief nostre Seigneur nenvoie une horrible dissipation, dont les commencemens apparoissent desia par trop.

Quant a ce qui me fut obiecte des lettres,[20]) puisquil ne vous pleut point, quant ie moffry a men purger, men faire plus ample declaration, ie ne voy point quil soit mestier den faire aultres excuses que celles que ie vous fiz, tant par escrit que de bouche.

Ainsi, magnifiques, puissants et tres redoubtez Seigneurs, pour ne vous point importuner plus oultre, ie supplieray nostre bon Dieu de vous gouverner par son S. Esprit en toute prudence et droicture, vous avoir en sa saincte garde et vous augmenter en tout bien. De Geneve, ce 4. de may 1555.

12) *Comp. N.* 2158 *où l'accusation cependant n'est pas formulée aussi explicitement qu'ici.*
13) décrit *Bt.*
14) *Calvin ne parle pas ici de la prédestination; il préfère mettre Zébédée aux prises avec les Bernois eux-mêmes.*
15) reproche *Bt.*
16) *Comp la lettre du 3. juin.*
17) *Cervens près Draillans, bailliage de Thonon.*

18) Compagnon de captivité des cinq étudiants de Lausanne, Louis Corbeil aurait partagé leur sort sans l'intervention des seigneurs de Berne qui le réclamèrent comme leur sujet, et le sauvèrent ainsi du bûcher. (*Bonnet.*) *On doit se rappeler ici tout ce qui a été dit sur le compte de cet individu N.* 1127 *et suiv.* 1321. 1354 *etc. Il était si mal noté que ni l'Histoire des Martyrs ni la correspondance ne le mentionnent à l'occasion des cinq étudiants.*
19) recongnoissance *Bt.*
20) *N.* 2175. 2184. 2187.

2200.

CALVINUS MINISTRIS BERNENSIBUS.

Remonstrat contra nuperum Senatus decretum, utpote veritati christianae contrarium et sibi ipsi iniurium, poscitque ut collegae bonam causam apud suos sustineant.

(Exemplar authenticum ex parte Calvini manu scriptum exstat in Codice Genev. 107ᵃ. fol. 98. Apographa contulimus Genevense Turretini Cod. 108. fol. 44, Bernense Epp. VI. p. 442, et Turicensia duo, alterum amanuensis Hottingeri in Bibl. civica F. 46. olim XI. fol. 656, alterum Simleri Vol. 84. Denique recentius descriptum vidimus Parisiis in Cod. bibl. nation. Dupuy 102, fol. 21. Versio anglica III. 171.) [1]

S. Quanquam senatus literae cum ultimo responso quod nobis dederat proconsul [2]) minime conveniunt, optimi et venerandi fratres, nihil tamen accidit quod non fuerit timendum. Optabam quidem posse rem in melius componi, ut mihi et collegis meis quiescere liceret: nec verbum eramus facturi, si vel pauxillum remedii gravissimis malis allatum foret. Sed quum vulnus, quod iam prioribus edictis [3]) inflictum erat, ultima haec epistola, [4]) quae moderatrix esse debuerat, iterum renovarit, saltem voce nostra cogimur testari quam acerba sit nobis haec indignitas, quae et evangelii fidem labefactat et exitium ecclesiis minatur. Utinam id agamus cum aliquo profectu. Verum ut successu careat labor noster, necesse tamen est vel sine ulla spe clamare. Nam huius tragoediae otiosos sedere spectatores plus quam turpis esset perfidia. Caeterum quando in manu Domini eventus est, sperabimus ipsum facturum ne irrita sint nostra studia. Sed quia in communi causa vos adiutores habere cupimus, danda simul opera est ut vobis probetur nostrum consilium. Scio et memini, quum senatus nihil in utramvis partem pronuncians [5]) nos domum remitteret, quamvis decreti absurditas non parum vos offenderet, tamen obtemperandum putasse, [6]) ne constantia nostra quosdam male affectos ad nocendum magis accenderet. Sed ego rationes tunc attuli quae abunde ad excusationem sufficerent. Nam quum publice missi essemus, a mandatis senatus nostri discedere integrum non fuit, et servilis ignaviae fuisset, tam crassum ludibrium tacite haurire: saltem quum et verbis et scripto pollicitus esset senatus vester, se causa cognita de re et personis ita iudicaturum ut sublatis offendiculis pax inter ecclesias coalesceret, rogandus fuit ut fidem praestaret. Id vero neque modestius fieri potuit quam factum est, [7]) nec cum magis placida et facili iuris nostri remissione. Multa enim omisimus, in quibus senatus ipse videbat nos iniuste laesos esse. Praefati etiam sumus, nisi iniuncta legatio coegisset nos non fuisse venturos, [8]) ut facile colligerent omnes, nos serio non incumbere vel eniti, sed tantum leviter defungi his partibus. Ego etiam seorsum et privatim meo nomine testatus sum, totam actionem me deponere, si modo a sinistra nota doctrinam meam et ministerium eximere vellent.

Exitus [9]) non fuit ex voto. Sed hoc non efficiet ut me unquam huius tam moderatae nec minus necessariae actionis poeniteat, ut proderem Christi causam. Impetrare a legatis non potui ut se dedecori et periculo exponerent: nec vero debui, quum mihi incumberet commune onus, vel hoc illis suadere vel meo exemplo mecum eos trahere in manifestum discrimen. Atque ut istis rationibus colligendis supersedeam, nisi libere professus essem, mihi non esse satisfactum, dixissent omnes vulgo me, quia male conscius mihi forem, lucem metu fugitasse. Quod scribere nisi alieno permissu ausi non fuistis consilium illud mihi semper displicuit. Sed quia praeterita corrigere non licet, quid nunc factu opus sit dispicite. Quod ad me spectat, utinam me officii fides et religio tacere pateretur, quemadmodum ad omnia ferenda obdurui. Sed quum coelestem Christi doctrinam, cuius me voluit ministrum esse, passim videam contumeliose proscindi, quam turpe mihi esset quasi constricta lingua obmutescere? [10])

An ego verborum patrocinio eam fraudarem pro qua sancti martyres proprium sanguinem fundere non dubitant? Si quis excipiat, alium esse probae et legitimae defensionis modum, quam ut a terreno magistratu petatur eius approbatio, mihi in promptu responsio est, me nihil morari hominum suffragia libenterque hoc remittere ne suam autoritatem interponant, modo vicissim ne obliquis praeiudiciis confodiar. Sed quum ad me falsa invidia gravandum edicta quae nostis volitent, nisi me oppono, quis non socordiam meam damnet? Ut hoc quoque omittam, fasne mihi erit tacite vorare probra quae eiusdem evangelii professores in me iactant? Nuper *Corbellius* et *Hieronymus*, [11]) classis Tononien-

2200. 1) *Cf. Trechsel.* I. 204 *Hundesh. p.* 295. — *Ruchat* VI. 130 *tacet.*
2) *Naegelinus mitiora promisisse videtur. Cf. praeced. not.* 4.
3) *N.* 2096.
4) *N.* 2175. 2176.
5) le different doigt estre et demourer entierement sopy et abbatus (*l. l.*)
6) *vide Hallerum N.* 2184.
7) *N.* 2177.
8) *ibid., ut et sequentia omnia.*
9) *Abhinc Calvinus manu propria.*
10) *Hucusque manus Calvini.*
11) *Vide praeced. not.* 17 *et* 18.

sis minister, palam vulgarunt Berna me fugisse quum haereseos convictus essem. Atque his autoribus non tres vel quatuor sed mille homines per totam ditionem de haeretico actum esse clamitant.[12]) Annon praestaret decies esse mortuum quam vivum et videntem contumeliose proscribi? Quorsum suggestum quotidie conscendo, si tam impia maledicta dissimulem quibus tota regio personat? Si docendi munere absistere iubear, paulo saltem magis excusabile erit meum silentium. Sed quid nobis spiritus sanctus praescribat vos minime latet: nempe ut os obstruamus adversariis. Quare me evangelii ministrum esse absurdum erit ac merito pudendum, nisi saltem ingenuus sim eius assertor, dum palam et hostiliter a domesticis oppugnatur. Iam quum gravem poenam denunciet Senatus,[13]) si quis proferre audeat quod a me didicit, an mihi exspectandum est dum saeviat in fratres meos persequutio cuius mihi culpa imputabitur? Sed quum molliter et minus cordate quam par est me geram, apud vos sollicite excusare supervacuum est, qui pro vestra prudentia dispicitis quanta me necessitas, velim nolim, urgeat. Certe mitius remedium non occurrit quam ut querimonias meas ad senatum deferam.[14]) Qua in re si patrocinium vestrum implorem, nihil a communi officio alienum petere videor.

Sed vos, optimi fratres, altius respicere convenit: vobis scientibus obruitur ab auditoribus et discipulis vestris unum ex praecipuis fidei nostrae capitibus. Minaciter vetant ne quis de eo verba faciat. Postquam a templis prohibuerunt hanc doctrinae partem, a tota etiam sua ditione exterminant, et suos ministros plus aequo propensos ad turbandum promiscue armant contra rectos et simplices quicunque de sacro Dei mysterio verbum fecisse comperti fuerint. Neque enim poenae subiiciunt qui impium aliquid vel falsum vel perversum effutiverint, sed absque exceptione quicunque attigerint Dei praedestinationem. An hoc vobis tolerabile sit, videte. Ego quidem mihi linguam abscindi mallem, quam tale exemplum in ecclesia curae et fidei meae commissa dissimulanter ferre. Nec vero dubito eundem vobis esse animum, sed tamen familiariter monendos esse duxi, nihil minus esse consentaneum quam ut timide agatur haec causa. Ut in aliis rebus concedam offensiones cavendas esse, nullus hic circumspectioni locus superest. Nec est quod vos impediat alter metus, ne irrita a vobis sumatur opera. Nam si perquam exigua hodie vobis manet libertas, autoritas vero fere nulla, minime exspectandum est dum utramque vobis sponte restituant, quos ipsum quoque pastorum nomen urit et torquet, qui conspectum nostrum ferre nequeunt, qui denique memoriam nostri penitus e medio sublatam cuperent. Quod si autoritate minus valetis, saltem postliminio vobis revocanda est libertas, ut qui hactenus nimis secure sibi plauserunt in peccatis sentire tandem incipiant, Christi servis ad eos monendos linguas suppetere.

Quanquam autem ego privatim impetor, quum tamen satis pateat vos omnes per mea latera vulnerari, nec obscurum sit quorsum tendat scelesta haec conspiratio, vos et rogo et obtestor, optimi et venerandi fratres, ut non minore studio ad commune ministerium asserendum enitamini, quam videtis rabiosa audacia canes istos ad ipsum evertendum insurgere. Nam ut nobis cessare libeat, mirum tamen erit nisi stuporem nostrum expergefaciat eorum protervia. Neque etiam despero, ubi seria admonitione excitata fuerit senatus attentio, quin tolerabilem aliquam sedandis turbis rationem excogitet.

Valete, eximii viri et observandissimi fratres. Collegae mei vos reverenter salutant. Dominus spiritu prudentiae zeli et constantiae vos gubernet vestrosque conatus benedicat. Genevae 3. Nonas Maii 1555.

12) *Cf. infra Calv. Farello Id. Mai.*
13) Tous personnages, tenants propos contraires a nostre disputation et reforme, jceulx punyrons *etc.* (*N.* 2175.)
14) *Quod et fecit in praecedente ep.*

2201.

LE SÉNAT DE GENÈVE AU SÉNAT DE BERNE.[1])

Affaire de Calvin contre Zébédée et consorts.

(Bibl. de Genève. Carton 197[aa]. N. 22. Il en existe aussi un exemplaire aux Archives, qui contient des changements. C'est celui qui est suivi par M. Bonnet II. 50.)

Magnificques et puissans seigneurs, treschers amis et honnorez combourgeois, apres vous avoir presente nos humbles recommandations et amiables services.

Quand noz commis estant retournez de la iournee assignee pour appaiser les troubles et scandales survenuz (daultant quaulcuns de voz prescheurs et subiects avoient blasme la doctrine de

2201. 1) *Voyez Reg. du Conseil* 29. *Avril* 2. *Mai. Il est hors de doute que cette pièce a été rédigée par Calvin.*

nostre Eglise et les ministres qui la portent, aussi a loccasion des mandemens publiez au deshonneur de nostre ville, [2]) nous eurent fait le rapport de vostre ordonnance, et aussi du refuz quilz avoyent fait de laccepter, nous pensions avoir desia iuste raison et suffisante de vous declairer en quelz poinctz et articles nous estions grevez, et ne pouvions estre satisfaitz de vostre dite ordonnance. Mais pource que nos ditz commis nous avoyent donne esperance, suyvant la response derniere a eux donnee le Vendredy cinquiesme davril, et en particulier a Maistre Iehan *Calvin*, quil y viendroit en brief lettres de vostre part, pour moderer mieux les choses et y provoir, [3]) nous avons differe iusques icy de vous respondre et declairer nostre intention. Car nous eussions mieux ayme [4]) beaucoup avoir dequoy nous contenter que de nous plaindre. Mais pource que nous voyons le contraire de ce quavions attendu, nous vous prions tant que possible nous est, de bien adviser sur les raisons qui vous seront icy par nous deduites, pour monstrer que nous sommes contrainctz par necessite urgente de faire nouvelle et plus grande instance en la cause presente, iusques a ce quil y soit donne meilleur ordre.

Premierement en ce que vous laissez en suspens la doctrine de la predestination et Providence de Dieu, contre laquelle on avoit blaspheme publiquement, il nous semble quen cela nous demourons fort chargez. Et quand noz commis par nostre commandement vous en ont demande certaine declaration, ce na pas este pour vous faire souscrire avec nous, [5]) mais seulement puisque nous avions este diffamez, quon sceut qui a tort ou droit. Comme aussi la raison et equite le veult. Quant a ce que vous declairez de vous arrester et tenir a vostre dispute et reformation, nous aussi nentendons pas de vous en distraire. Car comme nous avons desia proteste, nous napportons nulle nouveaute ou changement. Mais quand on combat quelque article de nostre foy, cest bien raison quon soit resolu dun commun accord dabolir les contentions en se tenant a la verite de Dieu. Qui plus est quand Hierosme *Bolsec* nous esmeut icy trouble touchant ceste matiere, voz prescheurs suyvant le conge que vous leur en donnastes a nostre requeste, nous en respondirent conformeement a ce que les nostres en preschent, et en ont escrit; [6]) parquoy nous sommes daultant plus esbahiz que vous nen voulez rien determiner a present, attendu quil est requis de savoir si nous avons este mal iniuriez, ou non. Et combien que noz prescheurs, par nostre authorite et adveu, se sont pour ce coup offertz a maintenir leur doctrine, fut par dispute ou synode, ou autre moyen Ecclesiastique que vous trouveriez bon, neantmoins si vous nestes en propos dadmettre aulcune dispute, aussi cela nest pas necessaire, veu que voz prescheurs, a ce que nous entendons, saccordent tres bien a ce que nous en tenons, mesme que vostre dispute ne peult consister sans cela.

Quant a ce que nous admonnestez de ne laisser imprimer livres senquerans des haultz secrets de Dieu, nous avons loeil dessus a ce que nul livre ne sorte de nostre ville qui ne soit de bonne edification, ou pour le moins qui nengendre nul scandale. Et du livre dont il est question, pource quil nous avoit este presente en commun par tous les ministres de nostre Eglise, nous avions depute autres gens pour le voir, lesquelz navoyent pas trouve chose qui empeschast de le faire imprimer, comme nous esperons quil ny a rien contenu en iceluy qui ne soit accordant a la saincte escriture. Et combien que la Predestination soit un secret qui surmonte tout sens humain, toutesfois nous ne voudrions nullement empescher quon en traite ce quil a pleu a Dieu nous en reveler, comme aussi il ne nous est licite de fermer la bouche au sainct Esprit. Au reste nous ne souffrirons pas, en tant quen nous sera, quil en soit parle ny escrit quen toute reverence. Mais ce nest pas a nous dempescher que la verite ait son cours, et ia a Dieu ne plaise que nous lattentions. Ains nous vous prions de vostre coste ne souffrir quon blaspheme en vostre pays contre la saincte Predestination, iusques a lappeller maudite. Si on demande dou vient la faute, la doctrine quon impugne auiourdhuy nest pas publiee depuis trois iours. Il y a desia si long temps que les livres en sont imprimez et receuz paisiblement, que cela monstre quelz sont les autheurs des contentions, asavoir ceux qui nous ont assailliz.

Quant a la faute que vous taxez en lInstitution de Maistre Iehan *Calvin*, nous croyons quil sen est tellement purge devant vous quil nest ia besoing den rien reiterer. Car il nest pas correcteur dimprimerie, et la faute sappercoit pour iuger quelle nest pas de luy. Et puis cest en ung passage des Proverbes, avec cottation du chappitre, tellement quil faudroit que Salomon en fut coulpable, si on la vouloit imputer a lautheur de la sentence. Cependant nous sommes esbahiz comme vous dites que Iehan *l'Ange* a pris occasion sur ceste faute, veu quil na pas blasme la doctrine de Maistre Iehan *Calvin* en cest endroit, mais en matiere toute diverse.

Mais en laissant les personnes a part, nous

2) *p. ex. par les divers baillis.*
3) prévoir *Bt.*
4) ayme *om. Bt.*
5) *Allusion à un passage de l'arrêt, ci-dessus page* 549.
6) *Procès de Bolsec* (*Tome* VIII.) *Pièces N.* 52 *et* 53.

vous prions de considerer si cest pour nourrir paix et fraternite,[7]) que de laisser ainsi les choses en confuz, et non plus tost pour amener en la fin grande ruine, si le remede ny est mis. Vous commandez en general a voz ministres de ne blasmer personne; mais ceux qui vouldront prendre licence de troubler allegueront que telle deffense ne fait non plus en nostre faveur que des papistes ou des Turcz. Comment nous ayderons nous mutuellement a garder la vraye religion, si nous ne sommes autrement conioinctz?

Davantage veu que *Zebedee* et *l'Ange* avoyent iniustement accuse vers vous noz prescheurs, comme estans promoteurs de schisme et noyse, ainsi quil est contenu aux articles qui nous furent envoyez de par vous,[8]) et que noz prescheurs sen estoyent completement purgez, nous sommes esbahiz que telles calomnies nont este reprimees, selon ce quaviez promis en vostre response,[9]) donnee au premier voyage a nosditz commis.

Aussi quant a ce que noz commis nous ont rapporte que le dit *Zebedee* nous diffama devant vous sur la iustice que nous avons faite de cest heretique *Servet*, mesme y estans exhortez par voz lettres, comme le cas le meritoit bien, nous trouvons fort estrange que cela luy ait este permis, car nous ne voudrions nullement souffrir que vostre honneur fut ainsi blesse en noz presences, sans en faire bonne punition. Combien que le tout considere liniure est aussi bien faicte a vous, qu'a nous; mais tant y a que ce nest pas chose supportable que nous ayons este ainsi oultragez.

Autant en est il de Hierosme *Bolsec* lequel ne comparut pas au terme, et estant retourné s'est mocqué derechef comme s'il eut tout gaigné.[10])

[Sur cela dautres ont prins licence de faire pis que devant, comme vostre diacre de Morges et le prescheur de Servant ont publiquement dit que Maistre Iehan *Calvin* sen estoit fuy de vostre ville, comme heretique.]

Cest bien arriere que les delinquans soyent puniz, que les scandales soyent ostez de toute lEglise, et les debatz entre les particuliers, quand ceux qui ont tant lourdement failly eschappent ainsy. Mesmes nous ne povons dissimuler quant a ce quil ne sest fait plus ample declaration sur les mandemens publiez a nostre grand preiudice et diffame de nostre ville, en cela nous ne sommes point satisfaitz. Nous serions bien contens que le mal fust ensepvely, mais tant sen faut quainsi soit, que de plus en plus il empire. Car cest grand honte pour nous et qui redonde sur lEvangile, douyr les bruitz qui vollent par tout le pays. Les papistes nous tiennent comme chiens et chatz, comme a la verite si cecy continue, il semblera que nous soyons divisez comme Iuifs et Samaritains.[11]) Et le commung peuple estant abbreuve de mal parler, oubliera toute crainte de Dieu, comme beaucoup ne cherchent sinon quil ny ait plus nulle foy. Et a cela les malveillans sont encore plus armez soubz ombre de menasses que vous faites contre tous ceux qui parleront contre vostre reformation; non pas que cela sadresse a nous, mais ilz sont bien aises den faire bouclier. Et de fait nous ne voyons pas a quel propos cela est mis, car il ne peut sinon allumer le feu davantage, au lieu que de nostre part nous ne tendons qua concorde, desirans de maintenir la foy commune entre nous, comme nous y sommes tenuz, et nous efforcans de tout nostre povoir de monstrer aux ennemiz de la verite que nous ne sommes point divisez; mais qui touche lun il touche lautre. Et aussi que gaignerons nous de nous picquer les uns les autres, si non a nous ruiner?

Pour conclusion, magnifiques Seigneurs, quand nous ne serions pas combourgeois, ny alliez, la grace que Dieu nous a faite daccorder en son Evangille nous oblige assez de nous ayder mutuellement, evitans toutes zizanies de haynes et debatz. Mais nous sommes contraintz outre le devoir commung de Chrestiente de vous prier et exhorter au nom de Dieu de bien regarder a ce que porte la combourgeoisie, et vous porter envers nous comme nous voudrions faire de nostre coste en cas semblable, et qu'aussi vous auriez iuste cause de nous en requerir. Quil vous souvienne en quelle modestie et doulceur nous y avons procede iusques icy, afin destre tant plus enclins a nous faire raison, quand nous avons nostre refuge vers vous, et quil vous plaise donner meilleure provision que iusques icy a ces troubles, affin questans en repos nous soyons muniz dautant pour batailler dun accord contre nos ennemiz et vivre fraternellement ensemble. Pour ce faire, si besoing est, les requestes que noz commiz vous ont faites cy devant par escrit vous pourront servir dadvertissement. Selon que le mal est grand, nous vous prions de rechef y donner soudain remede, et faire cognoistre

7) tranquillité *Bt.*
8) *N.* 2095. A.
9) *N.* 2095.
10) *Cet alinéa ne se trouve que dans l'exemplaire de la Bibliothèque de Genève, lequel par contre ne contient pas le suivant relatif au diacre de Morges, que M. Bonnet a emprunté à une pièce des Archives que nous n'avons pas collationnée. On voit que Calvin n'attachait plus une importance majeure aux dires de Bolsec et le passage fut omis dans la copie.*

11) que nous soyons de religions toutes diverses. (*Ex. des Archives.*) *Il est question de ce changement dans les Reg. du Conseil au 9. Mai.*

par effect a voz subiectz le desir quavez de nous tenir avec vous en bonne et saincte union.

A tant prierons Dieu quil face heureusement prosperer vostre noble et excellent estat. De Geneve ce 6. de may 1555.[12])

Vos amys et bons combourgeois,

Les Syndicques et Conseil de Geneve.

2202.

CALVINUS GUALTHERO.

Commendat ei puerum Turico Argentoratum deducendum et hac occasione denuo de iniuriis sibi illatis queritur.

(Ex autographo bibl. civic. Turicensis MSS. F. 38, olim Thesaur. Hottinger. III. fol. 19.)

Eximio Christi servo D. Rodolpho Gualthero Tigurinae ecclesiae ministro et doctori et symmystae colendissimo.

S. Quia patruus *Aegidii* alumni tui nunc eum Argentinam mittere instituit, et puero iter sine fido custode incommodum et periculosum foret, pro nostra amicitia me rogavit ut hoc officium abs te impetrarem: ne aliter eum dimittas quam reperto homine idoneo qui eum ducendum suscipiat. Ego vero quod ille pro suo nepote et veteris mei amici filio pie a me petebat negare ausus non sum. Ergo quoad tua commoditas patietur puerum tibi commendo, ut tuto illuc ducendum cures. Si ad reliquam humanitatem hactenus abs te praestitam hic cumulus accesserit, eo magis nos tibi devincies.

D. *Bullingero*, tametsi eius literas non ita pridem accepi, in praesentia non scribo. Ipse autem, ut video, silentium meum pro sua aequitate facile excusat. Quam indigne assidue vexer ab improbis vos non latet: nec dubito perinde tibi acerbas esse meas iniurias ac si tibi mecum essent communes. Etsi autem palam nuper apparuit emissarios istos canes aliis venditare suos latratus, Dominus tamen opposito suo praesidio eos aliquando compescet. Interea me vestris omnium precibus commendo. Vale, optime et mihi sincero cordis affectu colende frater. D. *Bullingero* et reliquis fratribus plurimam salutem. Christus vos semper sustineat et gubernet. Genevae nonis Maii 1555.

Ioannes Calvinus tuus.

2203.

VIRETUS CALVINO.

In lucta cum Bernensibus minime cessandum docet, seque et suos neque bonae causae neque Calvino defuturos promittit.

(Ex autographo Cod. Genev. 111ª. fol. 112. Habent etiam Cod. 116. fol. 121. Epp. Bernenses VI. 452 et Simlerus Vol. 84.)

Eximio Christi servo Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae fido pastori fratri et symmystae plurimum observando.

Genevae.

S. Omnino illud sequendum nobis est consilium ut antequam apud nos habeantur classium conventus [1]) nostram obeamus legationem:[2]) quod mihi quoque venerat in mentem, atque ita apud me constitueram. Nam nisi legatos praeveniamus qui conventibus istis praefuturi sunt, metuendum est ne cum mandatis emittantur quae minus erit postea integrum revocare. Pudet enim culpam agnoscere et quod perperam factum fuerit corrigere, quum alioqui non magnopere pudeat saepe in iustis decretis mutare sententiam. Scripsi itaque ad *Musculum*,[3]) rogans nobis ut certo significet quid hactenus et constitutum sit de classium conventibus et factum, et de legatorum reditu admoneat, ut in tempore iter arripiamus. Non deerimus autem nostro muneri, si modo Dominus, cuius agimus causam, consilium, prudentiam, constantiam, fortitudinem animi et vires suppeditare dignabitur: quod facturum non diffido. Scio equidem quam sim ineptus ad omnia, sed spem et fiduciam in illum repono qui aptos et idoneos facere potest. Scio non tuam modo, sed nostram omnium, imo Christi Domini causam agi, cuius gloria vita ipsa longe carior nobis esse debet. Cur ergo tibi par pari non re-

12) *L'exemplaire des Archives, auquel nous empruntons aussi la souscription, porte la date du 20.*

2203. 1) *Novus aliquis cf. N.* 2193.

2) *Cum Beza Bernam ire debebat in causa Calvini. Quod ergo nondum factum erat et N.* 2195 *ut videtur nondum traditum.*

3) *Non reperimus.*

feremus? Cur causam tuam nostram esse non existimabimus, qui nostram semper non secus tutatus es, quum Satanas per latus nostrum ecclesiam conatus est transfodere, atque si tuum ipsius latus petivisset? Ea est enim nostra in Christo coniunctio ut impeti sine magno doloris nostri sensu non possis. Impeteris enim non ut *Calvinus* sed ut Christi minister et Satanae et impiorum omnium hostis. Quare si idem tecum agimus, si sub eodem duce et vexillo militamus, perfidi certe erimus ac velut transfugae si fratres belli impetum sustinentes auxilio destituimus, quibuscum eodem sumus sacrae Christi militiae sacramento obstricti. Furant igitur hostes quantum volent, conspirent omnes adversus Christum, plus tamen apud nos valebit sanctum in Christo foedus ipsius sanguine sancitum, quod nos semel inivimus. Tu interea esto bono animo et cum Paulo saepe apud te reputa cur emissi sint angeli isti Satanae, qui tam contumeliose te colaphis caedant. Sunt praeclara haec eorum stigmata, quibus suam potius faciem quam tuam deformabunt et deturpabunt. Laxatae sunt illis habenae ut in suum exitium ruant praecipites illudque sibi accelerent. Praebet nobis pater clementissimus materiam in qua exerceamur, et novas in Christo speremus victorias. Scis quamdiu luctatum * sit antequam eluctari potuerimus e lucta sacramentaria. Scis quos habuerimus adversarios et quos illi habuerint patronos. Scis qualis tandem fuerit exitus. Et forsan Dominus nunc statuit perficere quod tunc iam coeptum est. Utut res habitura sit, eventus est in manu Domini. Ubi fidem animasque nostras liberaverimus, non luserimus operam nec irriti cedent conatus. Simul atque aliquid Berna acceperimus te faciemus certiorem. Spero autem brevi nos aliquid accepturos. Salutant te collegae, *Beza*, et caeteri omnes, ac in his uxor et tota familia. Vale. Lausannae 12. Maii 1555.

Tuus Petrus Viretus.

2204.

MELANCHTHON CALVINO.

Nunciat contra se a duobus adversariis grande aliquid parari. Quibus se responsurum ait vel exsilium, si necesse fuerit, non recusans.

(Autographon contulimus Vratislaviae in bibl. Rhedigeriana Epp. Tom. V. fol. 9. Edidit Beza Genev. p. 162, Laus. p. 341, Hanov. p. 382, Chouet p. 218, Amst. p. 100. Corp. Ref. VIII. 482.

Reverendo viro eruditione et virtute praestanti D. Ioanni Calvino fratri suo carissimo s. D.

Reverende vir et carissime frater. Scio te pro tua excellenti prudentia ex scriptis adversariorum tuorum iudicare quales sint eorum naturae et quod intueantur theatrum. Ideo nihil de eis scribam. Tantum oro filium Dei, ut ipse suae lacerae ecclesiae medeatur, velut Samaritanus ille saucio viatori. Audio nunc *τὸν ὑπερήφανον καὶ τὸν ἀλεκτρύωνα ἐν ὄχϑῃ Ἴστρου ποτάμου* magnum volumen *στηλιτευτικὸν* contra me cudere: [1]) quod si edetur, decrevi respondere simpliciter et sine ambiguitate. Eumque laborem debere me Deo et ecclesiae iudico. Nec in hac senecta pertimesco exsilia et alia pericula. Bene et feliciter vale. Die 12. Maii.

Philippus.

2205.

BEZA GUALTHERO.

De lite Calvini contra Bernenses obtrectatores ἐν παρόδῳ.

(Excerptum ex autographo Bibl. civic. Turic. MSS. F. 37, olim Arch. Hottingeri II. fol. 178. — Simler Vol. 84.)

Eximio servo Dei D. Rodolpho Gualthero fideli verbi Dei ministro amico et fratri observando.
Tiguri.

— — — — — — — — — — — — — — — — — —

Quod ad res nostras attinet, utinam laeti quidpiam tibi possem nunciare. Appetitur ipsa veritas, mi frater, per unius hominis latus, quod iam dudum suspicati sumus fore, nunc vero re ipsa experimur. Itaque nihil possum nunc quidem exspectare praeter ingentes turbas, quae utinam in satis laetam catastrophen desinant. Sed de his brevi ut spero copiosius. Interim obsecro bonorum causam nobis-

---

2204. 1) *Graecis istis nominibus designat Io. Stoltz, concionatorem aulicum Vinariensem et Nicol. Gallum, ministrum Ratisbonensem (ad ripam Danubii), utrumque Flacianum. Ipse Mel. Langueto scribit Idib. Iul.* 1556: Cum indoctis, rabiosis, furentibus odio, aulicis gnathonibus aut tribunitiis hominibus, qualis fuit Superbus, et quales video esse Gallum et Aurifabrum, quid prodest colloqui? *Caeterum Gallus iam saepius contra Mel. scripserat et quidem nuper a.* 1554. (*Planck. Lehrbgr*. V. 2. *p*. 441. *Schmidt Mel*. 582. *Herzog Encycl*. IV. 639.)

cum Domino commenda. Nam certe precibus hic opus est, si unquam alias. — — — — — —

Accepi Geneva *Calvini* literas ad te, [1]) itemque alias ad Anglum quendam, [2]) cum decem coronatis, quae omnia ad te mitto. Lausannae xiij. Maji.

2206.

CALVINUS FARELLO.

Vix se habere dicit quod scribat: queritur tamen libris suis Bernae exsilium indictum et civiles turbas Genevae praesagit.

(Ex autographo Cod. Genev. 107ª. fol. 100. Exstat praeterea Genevae in Cod. 108, fol. 49, Bernae in Epp. VI. p. 454 et Turici ap. Simlerum Vol. 85. — Anglice versam habes ed. Philad. III. 181.)

Eximio Christi servo et fido Neocomensis ecclesiae pastori Guillelmo Farello fratri et symmystae integerrimo.

S. Cur *Sechelio* nostro [1]) istuc proficiscenti nihil ad te literarum dederim ex eo intelliges, nisi forte iam confessus est sua culpa id accidisse. Nam me in tempore de suo discessu non admonuit. Quum simul Torneti coenati essemus, miratus sum a coena audiens postridie velle discedere. Sed facilis erit culpae deprecatio, quia non nisi aridas literas tulisset. Sicuti nunc in ampla et varia materia licet, quid tamen scribam vix occurrit. Quantam undique caliginem nobis offundat Satan dicere nihil attinet. Domi res admodum confusae. Tota vicinia in nos accensa est, et nova quotidie fomenta igni augendo ingeruntur: quasi improbi in me lacerando parum insaniant, eorum petulantia acuitur dum se potentibus gratificari vident. Quin etiam libris meis palam exsilium coepit edici. [2]) Nam prius oblique impetebantur. Te, mi *Farelle*, sancte obsecro, ut in precibus tuis sis nunc praecipue nostri memor. Pluribus supersedeo, ne te frustra mecum excruciem. Genevae 15. Maii 1555.

Amici te plurimum salutant. Dominus te semper regat, tueatur, benedicat. Amen.

Ioannes Calvinus tuus.

De intestinis urbis nostrae discordiis vereor ne brevi tristem nuncium audias. [3]) Iactat enim se nimis licentiose improborum furor. In senatu gravitas fere nulla.

2207.

PACEUS CALVINO.

Satis contorte de pace restituenda, si quidem id fieri possit, disputat, ita ut quo pacto eam procurare velit haud facile perspexeris.

(Ex autographo Cod. Genev. 110, fol. 42.)

Viro Dei magno singularique D. Ioanni Calvino apud Genevenses Christum profitenti amico perpetuo suo.

S. P. Gratissimae hae proximae [1]) etiam, ut omnes ad me tuae, fuerunt literae, ex quibus intellexi te, quod semper iudicavi, et prudentia singulari et fortissimi maximique animi hominem neque consilio neque consolatione alicunde aliqua egere nostra, quum domi haec tibi omnia nascantur tuae, ac nos in sylvam veluti ligna suesque Minervam, quod dicitur, quum istaec nuper ad te. Quod optimo certe quidem candidissimoque animo quum scias nos fecisse, non poterit mihi esse dubium quin et haec et alia in meliorem semper optimamque partem interpretaturus sis et accepturus, quae tua

---

2205. 1) *N.* 2202.

2) *deperditas. Turici tunc temporis commorabantur Jewel, Horne, Lever, Parkhurst, Humphrey, Beaumont, Mullings alii.* (*Strype, Mem.* III. I. *p.* 409.)

2206. 1) *Quem Francofurti vidimus N.* 1954. 1958, *Genevae* 2181.

2) (*Les libertins*) prenant occasion de la remontrance que les Bernois avoient faite aux députés de Genève disoient qu'il ne falloit plus tant imprimer de livres et de commentaires. (*Roset* V. 65, *Ruchat* VI. 136.)

3) *Hoc ipso die quo haec ep. scripta est seditio maior quam unquam antea media nocte exorta est. Iam m. Ianuario Libertinorum factio contra consistorium eiusque ius excommunicationis senatui negotium facesserat. Altera pars in electionibus superior evasit, sed crescens Gallorum numerus quibus ius civitatis quotidie concedebatur, alteri bilem movebat et aegerrime ferebant quod in locum Casp. Favre et I. B. Sept in senatum cooptati fuerint Io. Baudichon de la Maisonneuve et Io. Pernet Perrino quam maxime exosi. Quo autore pridie Idus Maii Hudriod du Molard, lieutenant de la justice, senatui proposuit ut Ducenti consulerentur de quaestione an in posterum usque Galli advenae cives creari debeant nec ne. Quod ei, et sociis eius Perrino et Petro Vandel negatum fuit. Haec fuit occasio seditionis de qua mox plura.* (*Reg. d. Conseil, Ruchat* VI. 136 *ss. Spon.* I. 296. *Bonivard Police p.* 127. *Gaberel* I. 432.) *Qui duo posteriores falso seditionem ad* 18. *Maii referunt.*

2207. 1) *N.* 2135.

est humanitas pietasque adeo erga fratres, de quorum corde animoque tibi constare puto speroque satis. Sed haec nobis inter nos firmata testataque satis omittantur posthac.

D. *Philippo τῷ Μελ.*,[2]) quum legisset mihi ad se tuas, autor fui ut statim tibi rescriberet. Rescripserunt etiam aliquot multi. Nec est quod dubites te apud doctos bonosque passim heic etiam plurimos in summa et gratia esse et autoritate. Utinam illud unum Dominus clementer vel tempore dare non dedignaretur, ut vel nos tantum inter nos, aut nostrorum aut vestrorum etiam principum ductu autoritateque coram etiam congredi possimus,[3]) aut si Domino videretur omnibus etiam veteribus recentioribusque *ἀντικειμένοις* convocatis in unum obviare liceret *κατὰ πρόσωπον τοῖς κατεγνωσμένοις καὶ οὐκ ὀρθοποδοῦσιν πρὸς τὴν ἀλήθειαν τοῦ εὐαγγελίου*, quam visurus esses, mi *Calvine*, mi frater *Calvine*, oculis tuis וראה תראה רק בעיניך תביט, non *Westphalos* modo, *Stolzios*, *Amsdorfios*, *Galliculos*,[4]) sed universam etiam lernam malorum aut confundendam propalam, aut ad saniorem mentem redituram. Etiam ex episcopis illis in verba idoli romani iam olim iuratis nonnullos fore confiderem (ut certe apud nos iam nunc sunt quidam), quibus multo mitioribus aequioribusque quam unquam antea, aut nunc credat quisquam, usuros nos experiri ipse possis. Ne credas enim * certe quidem quam multi alioqui honesti et optimi viri his tam multis diversisque *τῶν σχισμάτων ἀποσχίσμασι* impediti sint ac impediantur in hunc diem et scandalizentur, ne manus dare Christo captivareque intellectum in obsequium veritatis solius iam nunc possent tam cito. Quod [5]) si sectarum neotericarum istarum paleotericarumque nomina tam multiplicia et innumera ne fando quidem essent audita, et veritas ipsa per se inter doctos moderatosque, convenientibus in unum vel in oecumenica, vel in nationali, vel quibuscunque tandem piis christianisque ac liberis et legitimis *ταῖς συνόδοις* congressibus aut colloquiis amicis: equidem omnino etiam atque etiam persuasum habent docti optimatesque et moderatissimi quique tam facile posse de principalibus omnibus transigi constituique formula vere piis et catholicis sanisque per omnia probanda, quam facile manum vertas dextram tuam. Hac de re quum non possim deponere unquam curam cogitationemque istam, quin diu noctuque mediter quae ad pacem videri queant Ierusalem, multa saepe veniunt in mentem: nec dubito quin, si vel vestrates aliqui, vel nostrates quidam etiam, coniunctionem piam malint quam distractiones duriores periculosioresque et priva quaedam suaque et non quae Christi et universitatis, facillime (ut dixi) haberi possint omnia. Quamvis sint qui dicant, hunc nostrum etiam *Philippum* nunc ipsum etiam abhorrere ab omni congressu et disputatione colloquiisque de religione omnibus paene publicis ac liberioribus. Quantum tamen tibi tribuat, quantumque te amet, non puto tibi esse obscurum: et ad me his ipsis diebus tam honorifice amicissimeque, ut nihil possit honorificentius unquam. Rogo te, si quid bonae spei in vestris magistratibus iisque penes quos summa fere nunc rerum est, et quod ad scholas et quod ad *εὐταξίαν* adtinet ecclesiasticam, mihi ut vicissim communices. Nostri frigent admodum et occupatiores sunt multo filii huius saeculi cum curis istis suis de rebus temporalibus, saepe etiam ludicris, voluptariis ne dicamus: quaerere ut absumant absumpta requirere certum, atque ipsae vitiis sunt alimenta vices,[6]) quam ut pro sano multa videantur facturi suscepturive. Nisi quod quidam multique adeo in omnibus quaerunt quae sua sunt, non quae Iesu Christi nominisque et evangelii libertatisque Christi ita abutantur [7]) ut nihil supra. Sed vivit tamen Dominus qui ipse ecclesiam sponsam carissimam suam liberali asseret causa * manuque sua omnipotenti.

Sed provectus sum longius amore quidem erga te meo singulari quem et accipies tu ita in partem optimam. Et similibus melioribus et quam copiosissime respondebis. Aeternum vale, vir doctissime humanissimeque et amice perpetue. Dat. ocius Lipsiae 12. Calend. Iunii anno 1555.

Aeternum et ex animo tuus
Valentinus Paceus.

---

2) *Constat eum d.* 10. *Maii Lipsiae fuisse.*
3) *Iam inde a conventu Numburgensi m. Maio* 1554 *celebrato de colloquio theologorum agebatur quo tandem omnes controversiae sopirentur. Quod maxime dux Christophorus effici posse cupiebat.* (*Planck* V. 2, *p.* 441. *Heppe deutscher Protest*. I. 109.)
4) *Cf. N.* 2204. (*Hebraica ex parte Ps.* 91. 8.)
5) *Sequentia si ad leges logicas exigere valueris eris mihi magnus Apollo.*
6) *Unde hos versus sumpserit pro tempore nescimus.*
7) *abuti libertatis!*

2208.

BERTLINUS BULLINGERO.

Mittit ei libellum Westphali, gaudet a Calvino refutatum, et optat ut haec refutatio germanice quoque edatur.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 117ª, olim. Scrin. C. Epp. Tom. I. fol. 418. — Simler Vol. 85.)

Viro humanissimo eruditione et pietate insigni D. Heinricho Bullingero, ecclesiae Tigurinae antistiti fideli et prudenti domino et amico suo reverenter observando.

Zürich.

S. D. et se commendat. Habes quem tantopere a me petiisti libellum, [1]) clarissime et mihi carissime *Bullingere*. Tardus ad me Campidona rediit, tum tardi sese offerunt nuncii certi et fideles: alioqui pridem accepisses. Westphalicum illud iudicium, per omnem Germaniam et Westphaliam ipsam abolitum et obliteratum, instaurare nobis adeoque postliminio restituere carnalibus ac cruentis suis scriptis visus est nobis velle *Westphalus* ille. Nam importuni quidam stentores, seu rixosos sophistas dixeris, certe conviciatores potius dicendi quam concionatores, ex Saxoniis prodeuntes, huius scriptis imbuti, vel magis infecti et inflati, Deus bone, quas nobis turbas movent, ecclesias perturbant pacataque dissipant. Testis est Augusta ipsa cum Campidona et Ravenspurgo. Speramus tamen tranquilliora, quum videamus quosdam nonnihil mitiores aequanimioresque redditos scripto pio docto modesto et solido D. *Calvini*, viri pii docti modesti et solidi, quod multi pii ministri et alii sinceri et constantes in linguam germanicam quoque versum cupiunt vehementer, quum videant Westphalicos a Nurembergensi quodam ministro in germanicam translatos. Rogo igitur, humanissime *Bullingere*, ut in hac quoque re fratribus piis, imo ecclesiis sanctis inservire velis, et in hoc incumbere, ut simplicem de eucharistia veritatem, olim Christi verbis institutione et spiritu doctam, nunc testatam ac adsertam audiant et confirmentur. — — — — —

Vale et vive, pristinis recuperatis Dei bonitate viribus, cum tuis omnibus feliciter, et cura ut *Calvinus* nobis Germanis loquatur. Vale iterum. Ex Memminga xj. Kalendis Iunii anno Christi MDLV.

Tuae Humanitatis deditissimus
Bartholomaeus Bertlinus.

2208. 1) *Errat Simlerus qui hic Westphali Iustam defensionem innui putat. Vide potius N.* 2140. — *Collectio sententiarum Augustini m. Sept.* 1554 *scripta et* 1555 *Ratisbonae impressa fuit, Iusta Defensio m. demum Iulio.*

2209.

ZERKINTES CALVINO.

Rogatus ut eum contra calumniatores adiuvet, exponit quid sibi in hoc negotio optimum videatur, quid consilii dederit, et quid potissimum appetendum sit.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 108.)

Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae ministro in Christi Iesu evangelio longe praestantissimo fratri observando suo.

Accepi animo gratissimo commentarios tuos in Genesim, *Calvine* frater in Domino venerande, sed hac conditione ut pretium numerem quum indicaveris. Tuo enim sumptu meam ornare bibliothecam haud statui. Caeterum quod petis, ut consilio et opera te iuvem adversus calumniatores illos tuos, non satis paci et tranquillitati ecclesiarum propitios, fecissem equidem perlibenter, non quemquam evertendi proposito (quod tu non expetis ipse), sed studio dulcissimo et nunquam nimis in Christi populo affectatae pacis. Verum enim vero boni illi fratres a te missi [1]) visi sunt non tam consilium et operam cuiusquam quam sui consilii approbationem flagitare. Neque expenderunt satis quid obtineri posset, sed toti in eo fuere occupati quod obtinere cuperent, immemores illius Ciceroniani: operam ludere eos qui a civibus etiam suis contendant quod obtinere se posse diffidant. Toti in hoc erant ut senatus edicto novo mitigaret prioris acerbitatem, idque tam aperte ut suis copiam faceret libere tractandi praedestinationis argumentum, placide id quidem et sine cuiusquam insectatione, et quemadmodum hactenus in ecclesiis Bernatum et Genevensium consensu maximo, disputationi et reformationi tamen sese conformantes, ministri sine controversia in tractatione eius argumenti publice docere populum consuevissent. Ego, qui videbam hoc utcunque disputationis et reformationis mentione plausibile consilium, id tamen urgere ut senatus ad tacitam quandam confessionem et assensum dogmatis de praedestinatione perduceretur, deinde obtrudi ei

2209. 1) *Chauvetus, Macarius et Cl. Molinaeus (vide seq. ep.). In hoc scripto ut et in praeced. N.* 2104. *Zerkintes se virum praestat sani et moderati iudicii ut magis non possit. Utinam tales auditi fuissent. Caeterum ex his facile colliges legatos Genevenses nunc demum Bernam profectos esse non iam statim post Nonas; neque ipsum Calvinum iis se comitem addidisse ut volunt Hundesh. p.* 296 *et Trechsel p.* 205. *Hic tamen allegat quandam:* Instruction et Charge à Sp. M. Iean Calvin *etc. d. d.* 22. *Maii ex Archiv. Bern.* VI. 435 *quam dedimus ad a.* 1553.

pro certo consensum ea in re non animorum tantum sed publice pro suggestu in nostris ecclesiis contestatum, quum sciant omnes hoc argumenti genus neminem (quod meminerim) ministrorum unquam ex professo tractasse, dissuadebam plane ne hac ratione, hoc tempore et in tanta rerum omnium exulceratione, rem gererent: satis esse si obtinere possent ne senatus damnasse Genevensium doctrinam videretur, etiamsi aperte non approbaret: nam hoc vix extorqueri posse. Hunc unum scopum esse spectandum rebar, ut dissidia tollerentur ex ecclesiis, compescerenturque male feriati homines ad ea nati. Id quod futurum sperabam si senatus rescripsisset, non animo damnandi sed coercendi vanos et Dei irreverentes garrulos homines, a tractatione praedestinationis suos revocasse. Sed ubi vidi meum consilium, quod ministris nostris satis probabatur, fratribus illis vestris displicere, malui statim cedere quam sollicite tueri quod alienae magis quam meae utilitati paraveram. Puto, si adfuisses, tibi non displicuisset, qua es in circumstantiis rerum considerandis prudentia. Etenim ne mala me fide agere putarent, obtuli eis ipsis (pridie quam poenituisset assentientibus et flagitantibus) consilii mei summam gallica lingua scriptam, quam servarent ipsi, germanicum exemplar pollicitus quod senatui offerrent: sed detrectantibus reluctari nolui. Interim non desinam te et illos amare indesinenter. Me meaque consilia tanti non facio ut spreta doleam. Hoc me magis angit quod pax et tranquillitas ecclesiarum laborant. Vale in Christo Iesu, carissime frater, et animum ne desponde, sed memento illius servatoris nostri, duodecim esse horas diei, momenta quoque rerum et temporum in manu eius qui semper suorum miseretur. Bernae 24. Maii 1555.

N. tuus Zerchintes.

2210.

VIRETUS ET BEZA FARELLO.

Referunt quid Bernae egerint et quo pacto a Senatu benigne excepti et auditi tamen pro tempore nihildum assequuti sint.

(Ex autographo Bezae in Bibl. pastorum Neocomensium asservato. Edidit Baum, Tom. I. p. 440.)

Eximio servo Dei D. Gulielmo Farello Neocomensis ecclesiae fidelissimo pastori.

Neocomi.

S. Paucis accipe quid sit confectum a *Fabri* [1]) nostri discessu: superiora enim ex eo intellexisti. Heri, qui fuit dies Sabbati, [2]) intromissi sumus in senatum, deinde etiam Genevenses. [3]) Visi sunt oratores nostri *Derlacus* et *Steigerus* [4]) causam egisse satis diligenter. Egressis nobis horam integram et amplius deliberatum est, ut plane speraremus nos responsum aliquod accepturos quo semel ista deciderentur. Tandem respondit consul, [5]) perlectis Genevensis reipublicae et ministrorum nostris item et Tonnonensium literis: [6]) placere senatui ut res omnis integra in proximum diem Veneris [7]) servetur, quo die frequentes senatores convenirent. Nobis licere domum reverti, daturos ipsos omnem operam ut his malis remedium aliquod opportunum afferatur, quod brevi ex senatus sententia intelligeremus. Quia vero a Genevensibus nominatim tres sunt delati, nimirum faber quidam lignarius qui Tonnonii exsecranda blasphemia doctrinam de praedestinatione detestatus est, [8]) Hieronymus de *Carraria* minister Servantii in Tonnoniensi classe, et Ludovicus *Corbellius* Morgiensis diaconus, [9]) qui publice Morgiis affirmarunt, *Calvinum* pro haeretico damnatum fuga sibi consuluisse, statim et eodem paene momento publicus missus est nuncius qui eos ad ipsum diem Veneris adesse iubeat, et praefectos etiam iubeat testes a Genevensibus edendos intra eum diem audire et testimonia statim mittere. Haec nobis retulit consul non humano modo sed paene etiam renidenti vultu, quod valde sumus mirati, quod nos mane satis aspere accepisset. Quin etiam nobiscum pransus est hilaris admodum, et a prandio nos benigne auditos benignius dimisit. Nos reliquum diem visendis amicis consumsimus, qui nobis spem bonam faciunt, fore ut nostra legatio non sit inutilis, et ut isti, si convicti fuerint, eas dent poenas quibus caeteri possint ab his spargendis rumoribus deterreri. Heri igitur *Remondus* noster [10]) discessit ut in tempore Morgiis et Tonnonii esse possit et nomina testium edere. *Macarium* [11]) ipsius collegam et Claudium *Molinaeum* [12])

2210. 1) *Liberteti, qui ergo Berna discesserat antequam res confecta fuisset.*
2) 25. *Maii.*
3) *quorum nomina infra leges.*
4) *Senatores Bernenses qui pro Neocomensibus germanice causam agebant.*
5) *Negelinus.*
6) *N.* 2195. 2200. 2201. *Tonnonensium literas desideramus. De Paterniacensibus quos adducunt Trechsel et Hundesh. ll. ll. hic nihil.*
7) *pridie Cal. Iun.*
8) *Nicol. Basst* (*N.* 2213.)
9) *De Hieronymo et Corbelio v. N.* 2200. 2201.
10) *Chauvet qui iam m. Aprili c. Calvino adfuerat.*
11) *Io. Macar v. d. m. in Russin* 1553, *Genevae* 1556, *Parisiis* 1558.
12) *N.* 2073. 2092.

Bernae relinquimus, partim ut adventantes senatores conveniant et negotium non sinant diutius procrastinari, partim ut praesentium adversariorum novas calumnias diluant. Ministros Bernenses omnes non modo nobiscum consentientes, sed etiam in hac causa supra quam dici possit egregie affectos invenimus. Quod si sese caeterae classes adiunxissent omnia paene nobis auderemus polliceri. Nihil enim aeque confirmat bonos et malos territat atque noster hic consensus, qui spem nobis facit Dominum ecclesiae suae misereri nunc quoque constituisse.

Eramus istac iter facturi. Sed vides quam sit nobis properandum ut *Remondo* Morgiis laboranti adesse possimus. Itaque non utemur magis accurata excusatione. Quum autem res tota sit in acie novaculae, quod aiunt, nec desint adversariis vires et animus, non modo non intermittendae sed etiam frequentius quam unquam antea et ardentius usurpandae sunt preces ut Dominus Satanam et ipsius emissarios compescat, quod te cum caeteris collegis assidue fecisse et deinceps facturum non dubitamus. Quidquid acceperimus dabimus operam ut primo quoque tempore intelligas. Bene vale. Dominus Iesus ecclesiae suae misereatur et suos indies magis ac magis confirmet. Murati 26. Maii 1555. Totam ecclesiam nostro nomine salutabis.

Tuus Petrus Viretus.
Th. Beza.[13])

2211.

LE SÉNAT DE BERNE AU SÉNAT DE GENÈVE.

Affaire de l'émeute du 15. *Mai. Intercession pour les fuyards à l'effet de leur ménager la permission de venir se défendre.*

(Archives de Berne. Welsch Missiven-Buch D. fol. 53 avec cette inscription: *Genff, vffrur.*)

Nobles etc. Nous avons aiourdhuy este advertys s'estre ces jours passes suscites certaine esmotion entre vous en vostre ville a cause des francois habitants dans jcelle.[1]) Dequoy en sommes tresmarrys et desplaysans, et ce a cause des perilz dangiers et jnconvenients qu'en pourroient paravanture survenir. Aussy que de nostre coste pourrions bien souffrir que ce fut este entrelaisse ou que ce peut venir a bonne paix et concorde (ce que esperons Dieu aydant que ce fera): enquoy de nostre part de tout nostre pouvoir par debvoir de bonne voysinance et bourgeoysie nous voullons bien employer et en ce (cas advenant que la necessite le requerroit) nespargnerons aulcune peyne ny labeur, comme ce aussy nostre debvoir y est. Davantaige nous est venuz a notice comme certains de voz citoiens soient suspecones de telle esmotion et par ainsy absente vostre ville, et sur ce les auries faict proclamer a voix de trompette, estants deliberes de retirer leurs biens entre voz mains: Surquoy vous auroient plusieurs foys humblement supplie leur voulloir oultroyer sauffconduict pour se pouvoir purger en justice de ce que leur auroit este jmpose. Ce que leur auroit este par vous reffuse, dont a cause de ce n'auroient voulsuz comparoistre en personne, ains estoient derechieff occasionnes vous treshumblement prier leur voulloir conceder tel sauffconduict. Et pource que par tel moyen lon pourroit entendre si jceulx sont coulpables ou jnnocents, et affin que la verite puisse venir en avant, a ceste cause vous prions tresaffectueusement voulloir audicts voz citoyens oultroyer ledict sauffconduict affin que par droict se puissent deffendre, et cas advenant quil se trouvent estre coulpables pourres rien de tant moins encore contre eulx comme de present proceder. Ce que vous prions entendre de nous en toutte amytie bonne voysinance et debvoir de Bourgeoysie, enquoy sommes envers vous enclins. Priant sur ce le createur vous voulloir par sa saincte grace entretenir en bonne paix concorde et tranquillite eternelle. Datum ultima Maii 1555.

Ladvoyer et conseil de Berne.

---

13) *Uterque manu propria.*

2211. 1) *Dans la nuit du* 15. *au* 16. *éclata la fameuse émeute des Libertins qui avaient excité la populace contre les Français. On attaqua la maison de Baudichon (fils du premier adhérent à la Réforme) au quartier de la Fusterie, dans les rues basses, où plusieurs Français s'étaient réfugiés. Le syndic Aubert arriva sur les lieux avec son bâton dont Perrin essaya envain de s'emparer. Il réussit à enlever celui du syndic Bonna, mais le rendit sur les instances de celui-ci. Le coup était mal organisé et manqua. Vandel, qui était à la tête des émeutiers du Bourg de Four, fut le premier à battre en retraite. Il n'y eut pas de sang versé. Les Deux-Cents ordonnèrent des arrestations le* 24. *seulement, quand les chefs s'étaient déjà réfugiés sur terres de Berne: Perrin, Sept, Verna, P. Vandel, Ph. Berthelier échappèrent. Ils demandèrent un sauf-conduit pour venir se justifier. Mais le parti qui était au pouvoir n'y consentit pas.* (*Reg. du Conseil* 16. *Mai suiv.*) *Le récit de Bonivard* (*Police* 136) *n'est pas impartial. On remarquera le langage que tiennent ici les Bernois qui s'érigent en patrons des fuyards.*

2212.

HALLERUS BULLINGERO.

Tumultum ex coniuratione Genevae ortum nunciat et statim suppressum. Calvini negotium usque agitatur et agitat mentes.

(Excerptum ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 154, olim Scrin. B. Epp. Tom. 32, fol. 218. — Simler. Vol. 85.)

Clarissimo viro D. Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori fidelissimo domino et compatri suo honorando.

— — — — — — — — — — — — — — — — — —

Diser Nacht kumpt ein Bott von Genff,[1]) bringt boese Mär, das die vnrůw zu Genff sich wyter erhept: dann vff den 16. Mayens (ut puto me proxime scripsisse) sind ettlich vffrürer eim ehrenmann[2]) vff die nacht ins hus brochen, jn zigen er enthalte darinn ettlich vffrürig frantzosen die wellind sy sůchen. Aber habend niemann funden. Vnd ist die sach ylends gstillet, doch ettlich der vffrürer inglegt. Darzwüschend als sy angfangen den coniuratis eigenlich nachfragen, vnd der vrsach jr vffrur, ist Houptman[3]) *Perrin*, ein gwaltiger zu Genff, mit ettlichen burgern in eim Schiff vff dem Roddan entwichen. Dess sich die sach noch mer geböseret. Was wyters verhanden weisz ich nitt. Min Herr Stattschryber *Äscher*, so jetz vor räth vnd burgern ist wyl ich disz schryb, wird villicht mee darvon vernemmen, vnd üch zwüszen thun dann ich noch wüste.

Interea unus ministrorum Genevensium[4]) hic agit, *Calvini* eiusque doctrinae gratia, et accersiti sunt denuo aliqui ministri agri nostri, agitaturque causa haec cum maximo offendiculo et exacerbatione omnium nostrorum: et nisi Dominus singulari gratia nobis consensum dedisset in hoc negotio, omnino actum esset de ecclesia hac. — — — — — Bernae ultima Maii 1555.

I. H. tuus.

2212. 1) *Reg. du Conseil* 28. *Mai. Chauvet berichtet über die zu Bern umlaufenden Gerüchte.*
2) *Baudichon.*
3) *capitaine-général. De fuga eius v. Bonivard p.* 143.
4) *Macarius.*

2213.

CALVINUS COXO.[1])

Suam sententiam de Francofurtensium controversiis propter ritus anglicanos ortis vindicat.

(Manuscripta non exstat. Edidit Beza Gen. p. 158, Laus. p. 342, Hanov. p. 382, Chouet p. 214, Amst. p. 98. — Exstat vetus translatio anglica in libro: *Brief Discourse of the Troubles at Frankfurt* in Opp. Knoxi ed. Laing. IV. 53 seqq.)

Literis vestris,[2]) eximii viri et mihi vere colendi fratres, serius forte quam spes et opinio vestra ferebat respondeo. Sed quum sciatis vias a latrunculis aliquamdiu fuisse obsessas, ut nulli fere nuncii hinc ad vos commearent, facilis erit apud vos huius morae excusatio. De contentione illa, quae inter vos parum feliciter mota fuerat, libere optimo fratri nostro Thomae *Sampsoni* exposui,[3]) quod ex quorundam literis didiceram.[4]) Conquesti enim apud me amici quidam fuerunt, vos ita praecise caeremonias anglicas urgere, ut satis constaret, vos plus aequo esse patriae addictos. Rationes quidem, fateor, audiebam in medium a vobis proferri, quae a recepta forma discedere non sinerent, sed earum facilis erat promptaque refutatio. Sicuti autem eos qui a vobis dissentiebant hortatus sum, ut se qua possent moderatione inflecterent, ita mihi displicuit nihil vicissim a parte vestra concedi vel remitti. Quia vero nullius mihi nomen perscriptum fuerat, me interponere ausus non sum, ne in temeritatis notam incurreret mea fiducia. Nunc vos in ipsa disceptatione fuisse magis humanos ac tractabiles et totum negotium placide fuisse compositum,[5]) gaudeo. Certe luminaria, cruces et eius farinae nugas ex superstitione manasse, nemo, ut arbitror, sano iudicio praeditus negabit. Unde constituo, qui eas in libera optione retinent[6]) nimis cupide ex faece haurire. Nec video, quorsum attineat ecclesiam frivolis et inutilibus caeremoniis, ne proprio nomine noxias appellem, onerari, ubi puri et simplicis ordinis libertas nobis permittitur. Sed me

2213. 1) *Beza perperam scripsit* Knoxo. *Is tum Genevae erat et non eius partis cui haec scripta est. Versio anglica habet:* To the worshippfull my lovinge brethern in the Lorde, Mr. R. Coxe and the rest of the Englishmen whiche nowe remaine at Fr. *Etiam in versione anglicana* III. 189 *Knoxi nomen servatur.*
2) *N.* 2178.
3) *Non exstat. Respondisse videtur ad N.* 2119.
4) *N.* 2059 *et* 2163.
5) *Translator Anglus qui a Knoxi partibus stabat hic addit:* as ye saie, *sic ostendens se rem bene compositam esse non credere. Calvinus Knoxi dimissionem hic silentio praeterit, satis habens rem ipsam excussisse.*
6) they whiche reteine theis ceremonies in a free choise or when they maie otherwise doo.

cohibeo, ne de re, ut ex vobis audio, bene transacta novum certamen movere videar.[7]) Hoc quidem non dissimulo, nec pie nec fraterne, meo iudicio, actum fuisse cum N. si clandestino quorundam instinctu in crimen vocatus est.[8]) Praestabat enim manere in patria quam iniustae saevitiae facem in longinquas regiones afferre, quae nolentes quoque inflammet. Caeterum quoniam delicta, quorum memoriam perpetua oblivione sepultam cupio, vel leviter attingere piget, tantum vos hortabor, venerandi fratres, ut si quorundam animos sentitis iure exulceratos esse, eorum offensioni placandae operam detis. Quum audirem partem aliquam velle istinc migrare, admonui diligenter, ut par erat, si non omnibus commodum esset eodem habitare in loco, ne locorum distantia fraternum consensum dissiparet. Verebar enim, ne qua ex priori contentione occulta maneret simultas. Ac mihi nihil erit gratius, quam hoc metu liberari. Nam si qui forte ad nos concederent, mihi tristis esset vel sola occulti inter vos dissidii suspicio. Ergo quod de reconciliata gratia scribitis, firmum stabileque esse magnopere cupio: ut si contigerit partem alio migrare, locis tamen dissiti sanctam amicitiam colatis. Nam ut non longius serpat discordia iam plus satis peccatum fuit. Vestrae tamen prudentiae et aequitatis erit, ut benevolentia retineantur, quidquid alienationis erit residuum sedulo purgare. Valete, fratres observandi. Dominus vos praesidio suo tueatur, spiritu suo regat, benedictione prosequatur et exsilii tristitiam mitiget. Collegae mei vos amanter salutant. Genevae, pridie Idus Iunii 1555.[9])

7) *Hic Besa nonnulla omisit. Nam versio anglica sic pergit:* All good men will allowe the Pastours and other Ministers elections with common voices, so that non complaine that the other parte of the churche was oppressed fraudulently and with craftye practises. For it standethe your Wisedomes in hande to consider that howe muche commoditie the goodnesse of the Senate dothe deserve, so muche envie shall yow be giltie of or charged withall yf yow have abused their lenitie or gentlenesse whiche were so well affected towardes your nation. Yet I woulde not have this so taken that I go abowte to be prejudiciall to anie man, but I rather shewe plainely what maie be saide then to norishe an ill opinion by silence or in holdinge my peace.

8) But certenly this one thinge I cannot keepe secret that Maister Knox was, in my judgement, nether godly nor brotherly dealt withall *etc.*

9) *Sic quidem Besa. Sed vetus versio anglica praebet:* this last of Maie anno 1555. *Pro Idibus ergo Calendae reponendae, ut etiam Laing observavit.*

2214.

LE SÉNAT DE BERNE AU SÉNAT DE GENÈVE.

Résultat des informations prises à l'égard des plaintes formulées par les ministres de Genève, lesquelles se sont trouvées mal fondées.

(Archives de Berne. Welsch Missiven-Buch D. fol. 54, avec cette inscription: *Genff predicanten schmachreden.*)

Nobles etc. Suyvant voz lettres a nous 25. du moys de May dernierement passe envoyees[1]) a vous debvoir donner responce sur voz lettres, aussy celles de maistre Iehan *Calvin*,[2]) lesquelles nous aves nagueres rescript concernant certaines parolles jniurieuses lesquelles aulcungs des nostres debvoient avoir proferees contre ledict *Calvin* etc. Avons sur ce escript a noz Balliffz de Thonon et Morges a debvoir sur ce prendre jnformations et jcelles nous envoyer. Ce quilz ont faict et quant et quant cite ceulx la qui debvoient avoir dict telles parolles[3]) a debvoir vendredy passe[4]) par devant nous comparoistre. Lesquelz estants auiourdhuy par devant nous comparuz et leur ayant faict entendre le contenuz de vosdictes lettres et desdictes jnformations, singulierement a nostre predicant de Servent et diacre de Morges, ont denegue avoir profere jcelles parolles contre ledict *Calvin* ainsy et en la sorte comme de ce ont este charges. Dont ce voyant ny scaurions faire aultre sinon si ledict maistre Iehan *Calvin* pretend aulcune chose alencontre d'eulx, quilz les prenne par justice[5]) au lieux ou telles parolles sont este dictes, et procurerons que a luy en cest endroict sera administree bonne et briefve justice.

Touchant Piere *de Plan*[6]) avons aussy mande a nostre Balliffz de Morges debvoir examiner les tesmoings a luy par voz commis nommes, par lesquelz nullement ne se trouve jcelluy avoir profere telles alleguees parolles. Dont ne scaurions plus oultre alencontre de luy proceder. Ains si vous ou ledict *Calvin* n'estoient content de ce et esties delibere de prouver encor telles parolles sus luy, nous voullons aussy (que aux deux precedents) oultroyer ce pouvoir faire par justice.

2214. 1) *Il s'agit évidemment d'une lettre de rappel perdue.*
2) *N.* 2199. 2201.
3) *Jérome de Carrare, L. Corbeil etc.*
4) *le* 31. *Mai.*
5) *En vue des dénégations des inculpés la voie administrative ne pouvait aboutir.*
6) *Cet individu paraît être le même que celui qui est appelé ailleurs* le cousturier de Rolle (*N.* 2199).

Au surplus quant a vostre ministre appelle Reymond *Chauvet,*[7] lequel az faict mettre en escript en nostre Chancellerie comment certain minusier demourant a Thonon nomme Niclas *Basset*[8]) d'heust avoir dict les parolles suyvantes, ascavoir: a tous les diables la predestination, a tous les diables les predestines: En avions semblablement rescript a nostre Balliffz de Thonon d'en prendre jnformations, par lesquelles navons sceuz comprendre quilz aye dict telles parolles, ains que en ce luy est faict tort. En consideration de quoy est nostre desiree requeste que doresnavant de telles et semblables parolles que pourries avoir a desplaysir vous mieux jnformer.[9]) Car combien que sommes enclins d'user envers vous de tous debvoirs de bonne amytie et voysinance, si est ce que ne scaurions endurer que les nostres soient ainsy pour uneschunes parolles incertaines par les vostres pourmenes et mis en grosses coustes, ains serions occasiones demander telles coustes a ceulx qui font plaintiffz. Ce vueilles entendre de nous a la bonne part. Donne ce iij^e de Iuing 1555.[10])

Ladvoyer.

2215.

FARELLUS BULLINGERO.

De negotio Calvini cum Bernensibus deque Tossani deplorata improbitate.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 166, olim Epp. Tom. 24, fol. 339. — Simler. Vol. 85.)

7) *envoyé à Berne pour suivre toute cette affaire.*
8) *nom douteux et à peu près illisible.* (*Basst?*)
9) *Langage diplomatique pour les envoyer promener avec des plaintes aussi mesquines et tracassières.*
10) *L'affaire paraît en être restée là. Calvin ne jugea pas à propos d'aller aux tribunaux. Voyez Reg. du Conseil aux 7. et 10. Juin. Ruchat* (VI. 130) *dit:* Les classes de Lausanne, de Payerne et de Thonon firent encore de nouvelles instances auprès des Seigneurs de Berne dans les lettres qu'elles écrivirent dans leurs assemblées de Pentecôte, remontrant que si l'on se conformoit aux autres églises, comme Genève, pour la doctrine, les règlements et les cérémonies ce seroit le vray moyen d'apaiser tous les troubles et de rétablir l'union . . . . Les Seigneurs leur répondirent le 9. Juillet fort sechement, que puisqu'on leur avoit fait savoir leur intention par rescription et mandemens et qu'ils étoient résolus à n'y rien changer, ils leur défendoient de les importuner davantage sur ce sujet. (*Welsch Miss.-B. f.* 58.) *Comme la Pentecôte tombait cette année au* 2. *Juin, ces démarches coïncidaient avec la présente lettre.*

Clarissimo Christi servo Henricho Bullingero pastori ecclesiae Tigurinae quam fidelissimo, insigni pietate et pari eruditione praedito fratri et symmystae quam carissimo.

Tiguri.

S. Per iuvenem qui hic agit pridem ad te literas dedi,[1]) et existimo te eas recepisse. Interea exerciti fuimus ab improbis, qui doctrinam pietatis[2]) nobis evertere sategerunt, siquidem, si eorum error locum haberet, iustificationem gratiam et ipsum evangelium cum Christo oporteret sublatum, et pro exaltatione Dei hominem oporteret magnifieri. Invidia qua *Calvinus,* insignis Christi servus, laborat apud multos, et immerito, multum causae obfuit. Digni quidem sunt adversarii qui malam mali agunt causam, nec possum satis mirari tantum ipsis posse favoris uspiam esse, et eo ventum fuisse ut praeter veritatem, et eos qui pro ea egerunt et steterunt, hactenus nulla offendiculi habita fuerit ratio, sed magis quaesita fuerit occasio. Supra modum placuit in hac causa *Hallerus* cum collegis, qui unanimes pro veritate Domini egerunt. Christus eis perpetuo adsit. Quid tandem actum sit non intellexi,[3]) quum nemo mihi aliquid indicarit: licet non parum angar, ut taceam de *Calvino, Vireto,* et de piis aliis qui ex animo student gloriae Christi. Et ne quid hostis quietum sinat, gravis ruina *Tossani*[4]) tantum non me conficit, et nihil patet unde consuli possit. Eo venit improbus ut parvi faciat innocentes damnare et omnia ex arbitrio pervertere. Christus causam suam curet et suis adsit et miseros convertat. — — — — — — Neocomi 4. Iunii 1555.

Tuus totus Farellus.

2216.

FARELLUS BLAURERO.

Recoquit suam cramben de Tossano et nullum non lapidem movet ut Blaurero persuadeat adeundum esse Mombelgardensem principem qui ecclesiae illi prospiciat.

(Autographon exstat in Bibliotheca civica Sangallensi MSS. Tom. 37. Epp. VIII. p. 32 pessimo pro more calamo et stilo

2215. 1) *N.* 2185.
2) *i. e. praedestinationis.*
3) *Ultima responsio Bernensium hoc ipso tempore data fuit.*
4) *N.* 2197. 2216.

exaratam, et praeterea ut prior eiusdem ad eundem a bibliopego ita tractata ut plurima vocabula oculis se subducant. Contulimus tamen apographon bibliothecae Turicensis civicae MSS. F. 43 olim VIII. fol. 492 v. alioquin erroribus librarii scatens, cuius tamen ope lacunas illas fere omnes satis facile supplere potuimus. — Simlerus ex autographo descripsit Vol. 85.)

S. Utinam vera essent quae scribit *Sulcerus*, eaque obsignare possem meo sanguine, et quidquid ego sensi dixi scripsi et audivi omnia essent quam falsissima, non dubitarem me posse redire in gratiam cum *Tossano*, cuius salutem semper quaesivi et nunc quoque quaero: imo sperarem me posse alios conciliare, quantumcunque putent se laesos, ut sane quam gravissime fuerunt, et multo magis ecclesiae. Si enim pestes potui conciliare *Calvino*, quae perdite egerant in ecclesia Genevensi, ut taceam de *Carolo*, quid mihi non pollicear de integerrimis fratribus qui parati sunt in omnibus sequi quod visum fuit ecclesiis, qui non impios neque haereticos sed pios et sanos, non fucis et mendaciis sed nuda et aperta egerunt veritate, ut res ipsa magis loquatur quam pii fratres querantur. Videat Dominus et iudicet. Magnam certe video iram Dei in *Tossanum*, qui adversatur quidquid sanum est, et viam praecludit amicis qui sunt magis solliciti de salute ipsius quam miser sit. *Boino* [1]) praecipue utitur viro prorsus impio, qui facit cum Davide *Georgio*, [2]) quo terra non fert hodie parem in impietate: imo totus *Boinus* illius *Georgii*, et fucus ille crebrius invisit *Tossanum*. Suadet, consulit quidquid vult. Habet improbus assentatores: quin pulsos ob impietatem in delitiis habet, qui in *Calvinum* insaniunt, a quo veniam petierunt etiam in ipso senatu Bernensi. O miserum hominem qui nihil sibi timet a tam perditis: te ne fratris facias officium (ut de aliis taceam) suis technis impedit ne sanetur. Literis speras te posse aliquid. Sane cautiorem et deteriorem reddes, non emendabis, nisi coram et re ipsa convincas. Si callidi sint et spatium habeant pro voto confingendi, tantum acuis scriptis. Vellem *Sulcero Tossanum* magis notum, et *Beraldum* [3]) quoque quem perdere *Tossanus* et *Boinus* ille perditus cum aliquot aliis impie sentientibus conatus est, ut nihil fixum et firmum haberet, verum in omnibus nutaret, [4]) ac pro solido et firmissimo fidelique Christiano impius et incertus esset Academicus: quod non ex ipso rescivi *Beraldo*, sed aliis fide dignis et pluribus. Et sane nescio quid iam serio *Tossanus* agat et dicat, nisi cum suis. Quid *Beraldus* de *Tossano* iniquius sentiat non video, quum per eum nactus sit id quod vel maxime optabat, nempe ut non modo idololatriam fugeret (cuius gratia insignem recusavit conditionem in qua plurimis poterat quam maxime prodesse in bonis literis, sed horror idololatriae avocavit virum), sed etiam pietatem aperte in ecclesia testaretur, ut non dubitem virum nihil non facturum et dicturum in gratiam *Tossani* quod possit salva pietate. Religionis doctrinam salvam et integram perstare [5]) scribit *Sulcerus*. Utinam quanto vicinior est tanto exactius id disquireret. Sane videret quantum veneni *Boinus* et *Castalio* in *Tossanum* et suos evomuerunt. Si iustificatio evertatur, ubi doctrina integra? Si *Bellius* locum habeat, si nulli cedat *Boinus* in pietate, qui praeter Davidem *Georgium* nihil suspicit, quaeso invenias sani aliquid? Pacata scribunt omnia et tranquilla consiliarii. Utinam essent et sancte perseverarent. Verum si omnes ita loquerentur non crederem: aut oportet pios omnes prorsus fractos et Christi oblitos vel nullos esse et solos impios regnare et superesse, aut fieri non potest ut pax aliqua sit. Nam te [6]) quaeso, putas aliquem sanae mentis, qui novit tuam constantiam et sanctum illic servatum ordinem, qui ferre possit dicentes, ideo lugubrem et calamitosam ei contigisse calamitatem quia disciplinam haberet evangelicam? Quod tam est vulgatum apud *Tossanum* et suos quam apud nos fidentibus [7]) Domini affuturum auxilium. Sed Bellistae impii non verbum attendunt, nec ex eo iudicant, sed ex eventu, et nigerrima illa inferni republica [8]) quam candidam vocant: nec tantum disciplina Constantiensis illis flagitiosis damnatur, verum insuper quidquid verum et pium est, quidquid *Bellio* et *Serveto* adversatur. Hic quis pius pacem habuerit cum tantis portentis? Doctrinam fidei et gratiae et id genus aperte testantur non inculcandam plebi, nec ea quae Deo tantum tribuit scriptura, cuius interpretationem et sensum tam [9]) iudicant incertum quam humana dogmata. Nec enim aliter legunt; imo nec tam certam [10]) habent scripturam, quam etiam nonnulli haesitantes Lutetiae Parisiorum legunt Aristotelem, quia receptus et probatus sit Gymnasio: homini tantum deferunt ut nihil non sit in ipsius viribus, si velit tantum. Officiarii *Bellio* non contradicunt: quin supra omnes evehunt. *Tossanus* et sui menses aliquot priusquam prodiret liber [11]) minabantur si-

2216. 1) *Cf. N.* 2155.
2) *Joris.*
3) *Quem, si talis fuisset ac hic depingitur, Calvinus non Genevam vocasset* (*N.* 2155).
4) mutaret *T.*
5) praestare *T.*
6) et *T.*
7) fidelibus *T.*
8) *locus in T. et ap. Simlerum varie corruptus.*
9) tuum *T.*
10) testam *T.*
11) *Bellii farrago.*

lentium omnibus indicendum, et futurum ut edito libro omnes contradicentes mutarent sententiam: quin [12]) argumenta *Bellii* evomebant. Nam huic hominum generi contingit quod Davidi *Georgio*, *Boino*, *Castalioni*, qui somniant omnes in eorum sententiam ituros aut prorsus perituros, Satana in ipsis agente et sibi tribuente ea quae sunt Dei, cui omnes pareant oportet aut pereant [13]) tandem. Sane si quod parturit *Tossanus* cum suis semel pepererit et confirmarit se in tam perniciosis erroribus frustra tandem adnitemur, potissimum quum *Boinum* valde probet, qui pergit semper mentiri confingere simulare et dissimulare, negare et affirmare nihil formidat. *Tossanus* a puero mentiri volupe duxit. Accessit canonicorum, qui improbi sunt supra omnes qui cis Alpes agunt, perfidia, inter quos egit, ut taceam romanismum. Nunc se adiunxit anatibus qui anatem revocant ut natet in aquis [14]) mendacii in quibus perpetuo agunt. Ideo mendaces improbi nihil magis verentur quam ut cognoscantur et in lucem veniant. Fucus *Tossani* ita perstrinxit omnes, ut non modo officiariis verum etiam fratribus omnibus, etiam oculatioribus imposuerit. Quum omnia facta fuerint ex *Tossani* sententia, nolunt officiarii acta damnari, imo ne attingi quidem. *Sulcerus*, etsi probare non potest quod in fratribus egit *Tossanus*, tamen quia *Nicolaus* qui se *Claudium* vocat, [15]) qui in patrem eduxisse gladium dicitur occisurus eum per quem hic vivere coepit, vocatus est a *Tossano*, cum improbis impie [16]) loqui coeperit et insolentius contrectavit puellas aliquot, e quibus una fertur Germani et aulae concionatoris puella, ut alia taceam quae ex aliis rescire potes, qui norunt et educarunt hominem, quia verba magis quam mentem tenet *Lutheri*, et impanatum Deum vult tueri, ideo bonus est ac integer frater: quum si [17]) *Tossanus* aliquam dederit significationem quod in hanc flectat sententiam, mox omnia bene habebunt. Quod sane olim deprehendi et virum admonui, et nisi fallor *Beatum* quoque. Nam hoc valde nocuit ecclesiis dum propter *Lutherum* probavimus non probandos, imo prorsus reiiciendos. Ideo non multum moveor, sed facile assentiatur praefecto Mompelgardensi, et invidiam *Tossani*, qua gravissime laborat apud omnes qui eum plenius norunt, et quae iniquissime ac profanissime egit, derivet in sanctos et pios fratres, et eorum pertinaciam, qui veluti oves passi omnia sunt et indicta causa sceleste damnati, et ubi auditi fuerunt, vel ipsis iniquissimis damnatoribus testibus cogniti innocentes, et hoc tantum fuit refugium larvae impientissimae, [18]) principem posse disponere de pastoribus (quum servi sint principis) et ministris, non secus quam [*de aliis*] ministris et ecclesiis et pastoribus, si ad tantum scelus sileant et tam atrocem contumeliam patiantur in Christum, in ecclesiam, [*in*] sanctum ministerium. Ita satagebant hic agere improbi, sed ecclesiae consultae plene talem contumeliam damnarunt quam [*renovat*] *Tossanus*. Sane Dominus causam suorum suscipiet ferietque calumniatores tam impudentes, et quotquot cum eis [*fecerunt debent*] timere, qui pro viribus non reluctantur. Sed, mi *Blaurere*, quem semper plurimi feci a primo colloquio, quum *Sulce*[*rus te*] avocet, et officiarii omnes, et tuam profectionem nihil profuturam iudices, et tecum *Sulcerus*, et intelligas me diver[*sum sentire*], *Beraldum* quoque et qui supersunt fratres, meo more [19]) tibi ingenue dicam, me nihil mutasse de sententia, imo magis [*et magis*] sentire, opus esse ut id agas, nisi exspectare velis ut pessima malis superaddantur, ita ut nihil supersit. Sed agen[*dum erit*] cum principe, qui ita tibi formandus et informandus erit de omnibus, ut praeter aequitatem nihil patiatur apud se [*valere ne*] eum [20]) rapiant meretriciae lacrymae *Tossani*, neque fascinum, neque artes consiliariorum, neque eorum conspiratio. Ubi princeps, quod te hic [21]) [*solum puto*] posse, ita fuerit compositus, ut germano pectore quod aequum sit velit tueri et sequi, ut merito eum decet, tunc fa[*cile erit*] ecclesiae consulere. Audientur qui supersunt fratres, veritas patebit, an *Bellius* et Servetini, et improbi et caput [*malorum*] *Tossanus* recte sentiant, vel pii fratres qui optant ex verbo Domini componi et regi ecclesias: aequumne [22]) pium *Beraldum* [*ipsis*] [23]) esse tanquam profanum, et ipsam profanationem sacrorum tractationi locum primum habere. Quam male audiat princeps, [*quam*] merito traducantur *Tossanus* et officiarii doctrina et agendi ratio, tu non ignoras. Haec, nisi prorsus sibi exciderit [*princeps*], quis non iudicabit iustas esse rationes ut tu amicissime eum volueris omnium admonere, et magis coram agere verbis [*quam*] absens scriptis, et tuam operam paratus sis impendere? Habebis ut affinem tuum probe commonefacias, indices omnibus quid in [*ecclesia*] sit agendum, in qua re parum videntur

12) qui *T.*
13) peccant . . . . . parcant *T.*
14) natent in agris *T.* nata in aquis *S.*
15) *N.* 2197.
16) *om. T. Caeterum in his omnibus aliquis Ariadnes filum desideraverit, si quidem hic usque legere ausus fuerit.*
17) *sic et S. legit. Videtur tamen* quin si *legendum. T. habet:* quum se.

18) tantum sint refugium in pientissimum principem *T.*
19) amore *T.*
20) valere non tam rapiant *T.*
21) his *T.*
22) aequum me *T.*
23) *Sic supplet S. In cod. T. legitur* ex *pro* ipsis. *Unde coniicimus fuisse:* exceptum.

nosse, et si norint, quid tam improbi contra faciunt! Habes literas, habes [*praesentes*] illis qui faciunt omnes fidem [24]) expedivisse te venire non ut turbatorem importunum, sed commodum amicum et pacatorem. [*Et ne*] tantum movearis ob ea quae acta fuerunt in veros servos Christi per servos nescio cuius dicam, quae merito ad[*monere*] debent ut consulatur iis qui supersunt piis, et quae iam intentata in eos fuerunt, quae praesens rescies. En tibi apo[*logiam*] viri quem *Bucerus* non parvi fecit, D. *Martyr* item, pro quo Argentoratenses scripserunt, quem *Tossanus* impie persequutus est, dum [*ille*] pie egit. Sunt et alia quae adduci possent, sed quid oportet ut tu monearis, ne prorsus omnia pereant, tantum [*itineris*] conficere? Et valde mihi adlubescit optimi viri consilium, ut neque *Tossanum* neque officiarios consulas [*neque*] convenias, quam prius egeris plene cum principe. Si Dominus ita voluerit et cor tuum tangat, etiam omnibus reclam[*antibus*] ut eo te conferas, scio laetus redibis et gratias ages Domino. Sin minus, videbis quam oportuerat, eritque [*tibi*] dolor, una cum piis omnibus: quod Christus prohibeat, propter quem et te supplex oro ut non tardes tam sanc[*tam*] suscipere profectionem et strenue pro Christo agere. Non malum esse principem audio, et qui veritate co[*gnita*] nolit contraire. Non patiare, quaeso, ubi ad manum habes virum, eo uti et eum formare in gloriam [*Christi*]: alioqui videbis quae te valde angent. Faxit Christus ut plenum reportes gaudium de instau[*ratis*] quae iam conciderunt et servatis quae valde sunt ruinae vicina et perditioni. [25]) Ego apud te tacere non po[*ssum nisi*] sciens ecclesias prodere velim, et Christo nostro iniurius et evangelio infidus. Et ante horas aliquot in[*tellexi*] longe magis expedire [26]) quam tibi aperiam. Licet fratrum nemo scripserit ad me, tamen intelligo suspiria [*gemitus*] et planctus in quibus sunt, dum praeter ruinam et vastationem omnium nihil vident. Amici aliquot me [*rogant*] ut me tibi adiungam. Sed non reclamo tuae sententiae, non expedire, quemquam istinc * praeter Germanos [*ire et me*] potissimum. Verum si mihi liceret principem convenire, nihil morarer quin pro gloria Domini me impenderem. Tu [*si non*] facis, vide quid Christo et ecclesiis propter Christum te flagitantibus sis responsurus in die [*Domini*], ut taceam offendicula quae non solum supersunt et augentur, verum etiam imminent gravissima in ruinam qu[*am plu*]rimorum, et remoram maximam cursus evangelii, quibus tu unus, si serio admonueris principem, facile per [*Dominum*] consulere potes. Noli quaeso tantum opus negligere. Christus oculos aperiat iis qui te remorantur [*et avocant*]. Nam si pii sint, magis te urgerent quam te aliquis hactenus rogarit. Dominus Iesus benigne tandem suam intu[*eatur*] [27]) ecclesiam et te permoveat ut ei consulas, ut per Dominum potes.

Vale bene et haec boni quaeso consule et dil[*igenter*] causam examina, et vide quam expediat te his incumbere rationibus et causis longe potioribus quam ego af[*feram*]. Vale bene, vir sancte, et quod facis absolve. Ecclesiam Domini plene aedificato. Saluta pios istic om[*nes, ne*] praeteream collegam. Nostri te salutant, collega potissimum. Neocomi 4. Iunii 1555.

Tuus Farellus.

Memineris quaeso nostri et huius ecclesiae in tuis sanctis precibus. *Calvinus* te salvum optat meminitque literarum D. *Martyris* quas audivit tibi datas et sibi non redditas. Agit et pro vincto. Sed quid opus tibi commendare quam commendatissimum?

24) *De hac lectione ipsi dubii haeremus.*
25) proditioni *T.*
26) prolixe *T.*
27) inducatur *T.*

2217.

VIRETUS CALVINO.

Ab Anglo quodam certior factus Bernae nihildum a senatu in causa sua statutum esse, iam veretur ne longius differatur. Interea se et amicum solatur argumentis e fide christiana petitis.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 47.)

Eximio Christi servo D. Ioanni Calvino fido Genevensis ecclesiae pastori fratri et symmystae observando.

Genevae.

S. Venit modo Berna ad me Anglus quidam qui mihi ex *Macardo* nunciavit nihildum in senatu de rebus nostris fuisse confectum quum illinc discessit. Discessit autem die dominico. [1]) Die Saturni rogavit *Macardus* consulem, quale esset senatusconsultum. Respondit consul, nihil fuisse iis de rebus deliberatum. Cogitur interea talia multa devorare *Macardus*. Quare rogat ut scribamus an

2217. 1) 2. *Iunii. Viretus cum Beza Bernae fuerat ubi Macardum reliquerant. Senatusconsultum factum est 3. Iunii* (*N.* 2214).

redire, an adhuc responsum exspectare debeat. Haec mihi Anglus verbis exposuit. Nullas enim dedit literas *Macardus*. Idem narravit fuisse Bernae legatos Tigurinos [2]) ac inde iam abiisse. Hodie sunt nundinae Bernae. Quare si heri Senatus non deliberavit de communi causa, protrahetur in diem crastinum, si modo non longius differatur. Metuo ne turbae vestrae deliberationem remorentur. Sed nos Domino eventum committamus, qui testimoniis manifestissimis in causa hac una testabitur sua se providentia omnia moderari et suam ecclesiam haudquaquam negligere. Qui nos impetit hostis quoties iam turpiter victus in fugam conversus est? Quem habuimus romano Antichristo hostem potentiorem? At Dominus hactenus ab illius nos furore liberavit. Quoties intestinis bellis nos hostis aggressus est? Dominus felicem semper dedit successum. Nulla est praeclara sine periculoso bello victoria. Vult nos pugnare Dominus, sed ut vincamus in tam praeclaro certamine in quo etiam occumbere vincere est. Dominus dux est sub cuius signis militamus. Ut omnes adversus nos insurgant, vincemus tamen causae bonitate. Hoc unum nobis solatium satis esse debet: cui tamen hoc accedit aliud non vulgare, nempe omnium doctorum et piorum ministrorum mutuus consensus, qui nobiscum parati sunt Christi causam tueri. Si vinceremur malorum multitudine fortiter tamen pugnandum esset. Quos igitur nobis dare animos debet haec tam sancta consensio quae nobis est cum fratribus nostris qui hoc sunt titulo digni? Te igitur quaeso per Christum Iesum ut in mediis istis turbis te ipsum colligas, infractus adversus omnes hostium furores. Nos precibus totos Domino committamus et tradamus regendos. Hi sunt extremi Satanae conatus, qui nusquam non insultat bonis viris nullasque suas artes negligit. Loquor tantum de malis vicinis. Non satis erat turbarum in tota hac provincia, ob quaestionem de qua nunc controvertitur, quae latissime effusae sunt, nisi et proprias vobis turbas Satanas alias excitasset in urbe. Quid conetur in Montebelgardo [3]) non ignoras. Orbae, Grandissoni suas etiam novas turbas habent, [4]) ne usquam ulla sit quies. Sed spero fore ut brevi Dominus ipse manum admoveat. Eo res devenerunt ut necesse sit qui rerum potiuntur re ipsa palam facere, serione cupiant Christi causam tueri an aperte et palam oppugnare? Spero autem meliora, nisi valde iratus Dominus poenas exposcere statuerit communis omnium ingratitudinis et contemptus evangelii. Quidquid decreverit Dominus in manu sumus illius cui stamus et cadimus. Mihi dolet non prudentius et diligentius fuisse omnia procurata quae ad causam agendam necessaria erant quam susceperamus. Sed cogitamus ne hic quidem quidquam sine numine evenisse. Nos bona cum spe exitum exspectemus divinorum consiliorum, quorum tum sapientiam inscrutabilem admirabimur, quum Dominus patefaciet quos sibi fines in his proposuerit.

Salutat te *Beza* et nostri omnes officiosissime. Uxor mea se tuis precibus commendat, quae nonnihil est afflicta valetudine. Tota reliqua familia bene valet. Spero hac hebdomade me Orbam profecturum, si volet Dominus, sed non ante diem Saturni. Spes est bona fore ut qui illic novas turbas adversus magistratum excitarunt causa excidant. Saluta amicos. Vale optime ac diutissime, frater animo meo carissime et coniunctissime. Lausannae 4. Iunii.

Tuus Petrus Viretus.

---

2) *De alio quodam negotio missos.*

3) *in negotio quatuor ministrorum dimissorum.*

4) *Ibi reformatione ecclesiae antea decreta nunc d. 22. Apr. d. Lunae post Dom. Quasimodo, Grandissoni primum, deinde Orbae, de bonis ecclesiasticis et monasteriorum actum est. Quod tamen negotium usque in annum sequentem protractum est.* (*Ruchat* VI. 78.)

2218.

CALVINUS BULLINGERO.

Strictim narrat quae nuper Genevae exstiterint turbae nocturnae ex coniuratione Libertinorum, plura pollicitus si desiderentur. Addit quaedam politica et ad receptionem Defensionis apud varias ecclesias pertinentia.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 101 coll. c. exx. Turretini Cod. 108, fol. 30, Bernensi Epp. VI. p. 455, Simleri Vol. 85. Exstat etiam in Arch. Genev. Pièces hist. 1569 et edita est in Vita Calvini Henry III. App. p. 126. Anglice ed. Phil. III. 185.)

Eximio Christi ministro D. Henricho Bullingero ecclesiae Tigurinae fido pastori fratri et symmystae colendissimo.

S. De nostris turbis [1]) iam procul dubio volitarunt etiam istic magni rumores. [2]) Neque fuerunt excitati de nihilo: quia parum abfuit quin nox una nos omnes cum hac urbe perderet. Sed factum est mirabili Dei consilio ut prius remedium apparuerit quam discrimen illud ultimum in quo nescientes

---

2218. 1) *seditione scil. Idibus Maiis facta.*

2) *imo nimis.* (*Reg. du Conseil.* 28. *Mai.*)

versati sumus. Tota illa factio, quae tribus annis continuis nobis infesta fuit, postquam se vidit modis omnibus prostratam, [3]) consilium cepit quale solent desperati. Non educti quidem fuerunt servi ex ergastulis, ut olim quum servi essent, sed homines circumforanei ad cauponas vocati sunt qui operam mercenariam locarent. Quum multis nebulonibus (quod claris testimoniis liquet) data esset in duobus locis gratuita coena, repente excitatus fuit tumultus contra excubias. Quum nemo ex probis se moveret illi omnes ad arma clamitabant. Saepe vero nominatim Franci [4]) in ore erant, a quibus dicebant urbem proditam. Ex Francis ne unus quidem apparuit. Pauci ex civibus syndicos, qui ex lectis surrexerant, sequuti sunt. Tanta vis syndicis illata [5]) ut ab ultima memoria tale editum exemplum non fuerit. Longe autem alius fuit eventus quam seditiosi sibi promiserant. Certum illis erat, si quis ex gente Francica prodiisset, eum occidere et canere victoriam, trucidare statim syndicos quatuor et primores senatus. Sed Dominus operimentis suis nudatos dedecori exposuit. Caeterum tanta moderatione actum est ut dux [6]) semel atque iterum inter iudices sederit, omnia contra se testimonia audierit, quibus liberum erat contradicere. Sed quum tumultuari coepisset, iussus egredi e curia [7]) fugam arripuit cum quatuor comitibus. Alii tenentur in vinculis, forte ante paucos dies aliis erit respondendum. In fugitivos, quum satis convictum esset eorum crimen, lata est capitalis sententia. [8]) Ab eo tempore nonnulla in urbe trepidatio fuit, quae tamen non concuteret tranquillum statum. Si plenius totam historiam explicari tibi cupias, mihi non grave erit laborem hunc tibi impendere. [9]) Sed nunc veritus sum ne ineptum me putares, si minutas partes argutius colligerem.

Quid de causa nostra Bernae statutum sit nescimus. [10]) Quia video me tanta invidia apud quosdam flagrare, ut finem turbandi vix unquam facturi sint, nisi me profligato forte illorum furori cedendum erit.

De nostra defensione [11]) Curienses pro omnibus Rhaeticis ecclesiis gratias pridem egerunt. De Schaffusianis taceo, quorum literas ipse miseras. Sangallenses etiam perquam liberaliter se nobis subscribere testati sunt. Quid *Sulcerus* noster [12]) responderit, quia meis verbis referre pudet, ex eius literis malo te intelligere. Semper equidem veritus sum ne frigidus esset dum vult medius videri. Sperabam tamen aliquid melius, vel saltem minus insipidum. Quia tamen a nobis non dissidet fovendus est. Ex quo libere refutavi quae obiicit, nescio an deflexerit a priore sententia: tacuit saltem.

Ex Germania nihil pacatum nunciatur. Scis inter Gallum et Caesarem agitata fuisse quaedam pacta: sed nihil bello certius. Quin etiam classis Turcica adventare dicitur, quae decem paces turbaret. Sero de nuncii discessu admonitus fui, quum meditanda post coenam foret crastina concio. Vale igitur, ornatissime vir et frater ex animo mihi observande. Symmystas tuos saluta meo nomine, et familiam, addo etiam D. *Lismaninum*. Deus vos omnes tueatur ac regat perpetuo. Genevae 5. Iunii [13]) circiter nonam.

3) *maxime electionibus m. Februario factis.*

4) On a murmuré contre les nouveaux bourgeois de la nation françoise. (*Reg. du Conseil* 13. 27. *Mai.*) Ils prenoyent leur couleur sur ce que plusieurs François estoyent venus habiter en la ville et qu'il estoit à craindre qu'ils ne la trahissent (*Colladon Vie de C.*)

5) Perrin la nuyct du tumulte a voulluz hoster le baston sindical au Sr. Aulbert. (*Reg.* 24. *Mai. Bonivard, Police* 137. *suiv.*)

6) *Perrinus usque ad* 24. *Mai in senatu adfuit et negavit se Syndico vim intulisse.*

7) *Eodem die Veneris in conventu Ducentorum* Perrin, Sept, Chabod, Verna, Michallet furent décrétés de prison. (*Reg. du C.*) *Bonivard p.* 142 *hunc conventum die Lunae celebratum dicit. Verum illo die Perrinus iam fuga sibi consuluerat Geneva die Saturni relicta, et in senatu* le saultier a refferuz que Perrin a disparu item Sept, Verna, Michallet. *Fugam pluribus enarrat Bonivard.*

8) *D.* 3. *Iunii.*

9) *Vide ep. Idibus Iul. scriptam.*

10) *Epistola Bernensium Genevam pervenit d.* 7. *Iunii* (*Reg.*). *Totum hoc comma in codice cancellatum.*

11) *Contra Westphalum. — Curienses audivisti N.* 2133, *Schaffhusianorum nullam habemus nisi forte N.* 2098, *Sangallensium N.* 2182.

12) *Nomen cancellatum, a Beza puta qui prelo hanc parabat. Cf. N.* 2168.

13) *Apographa praebent Iulium. Annum adscripsit alius in autographo.*

2219.

CALVINUS SOCINO.

Respondit ad aliquot eius quaestiones.

(Editam a nobis reperies inter Consilia theologica quae collecta exhibuimus in Tomo X. Operum, parte priore p. 160 seqq. Incipit a verbis: *Regula vulgaris est.*)

2220.

CALVINUS VOLMARIO.

Gratias agit de dono sibi misso. Novum suum librum ei tradit. Iudicium de Frechto, Vergerio et

Gribaldo qui omnes ipsi minime per omnia satisfaciunt. Suas ipsius tribulationes exponit, Lausannensium fidem praedicat.

(Exemplar authenticum Bezae manu scriptum videtur in Cod. Genev. 107a, fol. 117 cuius margini Calvinus addidit: *Meliori Volmario*. Legitur praeterea in Cod. 108, fol. 24, in Epp. Bern. VI. p. 475 et ap. Simlerum Vol. 85.)

S. Facis tuo more quod auro nescio quid chartarum compensas.[1] Verum quod si astute aditum mihi praecludas, ne legendi taedio conficere te pergam? Scio enim quamvis tibi liberum sit libros meos seponere, ut tibi nihil molestiae afferant, amorem erga me tuum non sinere ut a lectione prorsus abstineas. Huius studii tibi conscius forte cavere vis ne tibi materiam posthac obtrudam. Nihil tamen hoc artificio proficis: quia se tibi ingerit novus liber,[2] sed cum hac commoditate ut si primo gustu non placeat tibi integrum sit abiicere. De aureo interea tibi gratias ago non vulgares, ut certe inscriptio rarum esse munus ostendit.

De scribendis ad tetricum vestrum[3]) literis video quid mihi tacens praescribas. Ergo donec paulo sit mansuetior praestabit nihil tentare. Olim quum me alloquebatur residebat eius ferocia: sed non committam, ab amico prudente admonitus, ut me barbare excipiat. *Frechtum*[4]) etiam audio stomachose dicere, novum in causa sacramentaria ignem mea culpa fuisse excitatum, quia sobrie et modeste nostram doctrinam contra importunos paucorum hominum[5]) clamores defendere ausus fuerim. Mirae vero sunt istorum hominum lautitiae, quos nulla quamlibet furiosa in nos intemperies offendit: si autem nos pro veritate verbulum facimus, excandescunt ob turbatam pacem. *Vergerius*[6]) quoque, ut apud eos gratiam sibi conciliet, praeconis operam impendit. Ego vero, qui pridem ab iniquis iudiciis non pendere didici, magis respicio quid postulet communis ecclesiae utilitas. Quid de me sentiant illi vel loquantur nihil moror. *Frechtum* cuperem esse aequiorem. Nec vero, si qua erit eius placandi ratio, negligam. Tantum quid sentias admone. *Vergerius* non adeo me movet, cuius probata esset sedulitas, nisi satagendi fervor ad multas eum ineptias abriperet. Dum vero videri appetit aliquid agere, sua inquietudine se absque laude et fructu conficit. Est homini etiam ingenita quaedam nimia facilitas, quae adeo flexibilem reddit ut saepe cogatur mutare sententiam. Scio me nihil scribere quod non usu tibi compertum sit. Iuvat tamen haec familiariter in sinum tuum deponere, vel una de causa, ne eius levitas, quum istic venerit *Gribaldus*,[7]) sibi fraudi sit. Non disputo in praesentia cur eum accersiverit vel insinuaverit in gratiam principis. Speciosus est color, hominem evangelii causa a Venetis expulsum recipere. Verum si mihi non credis, res tandem ipsa ostendet, hominem qui sua virtute stare nequit malis praesidiis se fulcire ne labascat. Fallitur tamen, neque enim columnam adeptus est, sed ambo mutuo onere se in ruinam communem trahent.

De *Gribaldi* ingenio non est quod sententiam proferam. Ipse pro tua singulari prudentia statim perspicies quam putida sit eius assentatio dum vult blandiri, quam temeraria ostentatio, quam stolida iactantia, quam thrasonicus fastus, ut tandem quisquilias esse appareat. Sed utinam nihil esset deterius. Nam quum et vulgari tantum doctrina leviter tinctus sit et tenui iudicio praeditus, tantum sibi arrogat ut convellere audeat prima religionis capita. Fatetur quidem Christum esse Deum, sed unam eius et patris essentiam esse negat, qui si Deus est ex Deo necesse sit duos esse deos. Eiusmodi deliriis homo fanaticus ecclesiam turbare non dubitat, quum tamen Christi nomen recte scribere non possit. Nam αὐτόγραφον eius ostendam, ubi semper ponitur Cristus. Fortasse tamen praestiterit tacere, ne propriam iniuriam ulcisci videar. Id si excipiat, mihi calumniam promptum erit refellere. Caeterum alia de causa me cohibeo, ne longa et molesta narratione te obtundam, nisi intellexero historiam tibi exponi esse operae pretium. Nam ex tuis ad *Bezam* nostrum literis cognovi, ut te novis molestiis non onerem, satis graves et indignas istic tibi esse sustinendas. Sed ea ubique nunc est servorum Dei conditio, ut si tibi infesti sunt improbi nulla te privata cura angere debeat. Quam me indigne et crudeliter totis sex mensibus vexaverint, quos potius aequum erat manum labo-

---

2220. 1) *Fortasse pretium libri cuiusdam a Calvino editi huic miserat.*

2) *De commentario in Harmoniam cogitare possis.*

3) *Quemnam ex Tubingensibus hoc nomine salutet definire non ausimus quum Volmarii literas non habeamus. Schnepfius solus in hoc thesauro occurrit. Caeteros, Kilianum, Schegkium, Beurlinum, Heerbrandium Noster vix noverat. Nobis tamen potius Brentius hic in censum venire videtur.*

4) *Nunc iam ex quarto anno Magister domus stipendii Tubingensis.*

5) *Flacianae partis.*

6) *A.* 1553 *vergente a duce Christophoro vocatus Tubingam venerat ubi liber ab omni officio publico versabatur, Brentio et Andreae, tum Goeppingensi, familiaris, Calvino propter sedulitatem, quam vocat, s. ambitionem ut alii dicebant, tum quoque de Lutheranismo suspectus.* (*N.* 1415; *Sixt. p.* 215; *Kugler, Hs. Chr.* II. 320; *Trechsel.* II. 124.)

7) *Vere a.* 1555 *Patavium ultima vice reliquerat et iam* (*ut videtur*) *inter eum et Calvinum ea intercessit disputatio de qua Beza in Vita ad h. a.* (*Trechsel* II. 282 *sqq.*). *Quum Vergerius eum Wirtembergensi duci commendasset Tubingam vocandum ad iuris professionem, Noster Volmario autor est ut ne ei fidant. Ipse Gribaldus teste Comm. Ministerii adhuc* 29. *Iun. Fargiis in suo castello sedebat. Cf. etiam Pfister Hs. Chr.* I. 491 *ubi ducis de eo iudicium leges.*

ranti porrigere, tibi ne moerorem afferam exponere non audeo. Sic tamen paucis accipe: quum me impugnarent pauci nebulones, omnium fere ordinum favore ad me opprimendum fuisse adiutos, me vero fere ab omnibus turpiter desertum. Quo plus laudis meretur incredibilis ecclesiae Lausannensis constantia, quae ducibus amicis nostris duobus [8]) non minus cordate totum impetum suscepit quam si meo loco singuli fuissent. Interea urbem hanc intestina seditio [9]) propemodum exitio dedit. De qua tamen fusius scribere supersedeo, quia a *Beza* nostro de summa redditum fuisse certiorem arbitror. Vale, praestantissime vir, et mihi ex animo semper observande.

2221.

VIRETUS CALVINO.

Quo magis Satanas furit et improbi conspirant eo magis tenendum illud: tu ne cede malis sed contra audentior ito, Deo iuvante.

(Ex autographo Cod. Genev. 111a, fol. 193.)

Praestantissimo Christi servo D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis fido pastori fratri et symmystae coniunctissimo.

Genevae.

S. Accidit aliqua ex parte quod suspicabar, fore scilicet ut domesticae vestrae turbae causae [1]) incommodarent cuius exitum exspectabamus. Sed in hoc uno falsus sum quod tam parum aequos habuimus, quos sperabamus fore omnium aequissimos. Etsi haec me urunt vehementer, minus tamen cruciant, propterea quod pridem didici pauca ab hominibus sperare quae cadant ex animi sententia. Quo fit ut minus commovear etiam nunciis tristioribus. Sic sunt tempora. Si cessassemus, adscriberemus nostrae cessationi culpam. Quanquam non praestitimus quod debuimus: aliqua tamen ex parte culpa nos liberavimus, quae maior iam in illis [2]) haeret qui toties admoniti nos toties vana spe lactaverunt. Ego saepe invitus ad illa recurri auxilia, quamvis illud tentandum esse iudicarem, non tam adductus spe aliqua successus felicioris quam ne nostro videremur muneri defuisse. Iam Dominus palam declarat se alia ratione constituisse his malis mederi. Quod utinam non faciat remediis tam acerbis quam nos omnes meruimus, maxime vero illi tum qui sunt turbarum autores, tum qui frigidam suffundunt et pestes exitiales ecclesiae fovent. Ut ab hominibus destituamur, non deerit causae suae Dominus nec eorum curam abiiciet qui ex animo ecclesiae saluti consultum cupiunt. Nos ergo ne stationem nostram deseramus, qui vindicem habemus in coelis. Unius huiusce causae actio satis multa exempla et testimonia afferet ad confirmandam nobis magis atque magis divinam providentiam in qua asserenda laboramus. Qui hanc nolunt scriptis et sermonibus in medium proferri, [3]) suo tempore illam nobis privatis et domesticis exemplis abunde confirmabunt, atque utinam non suo magno malo. Hic morbus quo ubique laborat ecclesia alios requirit medicos quam homines. Virgis castigari et flagellis oportet qui verbis non commoventur. Nos convertamur ad Dominum securi in omnem eventum. Ad ecclesiae arma recurramus, preces et lacrymas. Interea non desinamus bene sperare.

Nescio quid hic nuncius ad vos afferat. Ego nihil ominor boni. Gaudebo si mea opinione et exspectatione falsus fuero. Si nondum nos satis colaphis angelus Satanae cecidit, maxillas praebeamus quamdiu his stimulis nos pungi Dominus volet, et saturemur gloriosis istis apud Christum opprobriis. Facito laetus quod facis, non ignarus cui milites domino, a quo laborum tuorum mercedem, non ab hominibus, exspectas. Quo minus mihi ab hominibus spero auxilii, eo magis Domino confido, qui praeter spem omnium testabitur suos sibi curae fuisse. Vale optime et diutissime. Lausannae 5. Iunii 1555.

Tuus Petrus Viretus.

2222.

VIRETUS FARELLO.

De tumultu Genevensi et Perrino in absentia damnato. Turbae ubique, Calvinus in angustiis.

(Excerptum ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium, Epp. Vireti fasc. IX. N. 12.)

---

8) *Vireto et Beza.*
9) *Haec satis recens fuisse videtur, ita ut iam Turretinus epistolam h. l. reposuerit.*
2221. 1) *Calvini contra Zebedaeum.*
2) *an de ministris Bernensibus dicat, tu videas. Ipse quidem Calvinus eos in suis literis minime suspectos habet.*
3) *Senatus consultum vetabat doctrinas de praedestinatione tractationem.*

Insigni Christi servo Guilielmo Farello Neocomensis ecclesiae fido pastori fratri et patri suo plurimum venerando.

Neocomi.

S. Non dubito quin de turbis Genevensibus nimis multa audiveris. P. [1]) cum aliis aliquot proclamatus et damnatus est. Audio illum heri hic dormiisse et Arctopolin profectum. Quam metuo ne istae turbae plurimum spem illam renovandi foederis [2]) remorentur quam conceperamus. Satanas nihil usque relinquit intentatum. Sunt turbae Grandissoni, sunt Orbae [3]), sunt ubique. Quid in his malis speremus auxilii ab hominibus non video. — — — — — — — — — — — — — — — — Recte feceris si saepe ad *Calvinum* scribas. [4]) Nam in magnis constitutus est angustiis. Quid si illum inviseres? [5]) — — Saluta collegam et amicos. Vale optime. Lausannae 5 Iunii 1555.

Tuus Petrus Viretus.

2223.

SECHELLIUS BULLINGERO.

Nonnulla scribit de tumultu Genevensi.

(Excerptum ex autographo Bibl. civic. Turicensis MSS. F 62, olim Epp. Tom. 27, f. 493. — Simler. Vol. 85.)

Doctissimo excellentissimoque viro D. Henr. Bullingero ecclesiae Tigurinae pastori vigilantissimo.

Tiguri.

— — — — — — — — — — — — — — — — — — —

De tumultibus qui hic evenerunt tibi pauca scribam: nam etiam te latere non credo. Quinque per praeconem ter vocati non comparuerunt, [1]) sed tamen morti fuerunt condemnati. Adhuc quinque in carcere detinentur, [2]) huius rei conscii, quos immunes non spero fore. Hi omnes contra praepositos civitatis ac Gallos (quos extraneos vocant) conspirarant. Sed Dominus eos impedivit. — — — — — — — — — — — —
Ex Geneva 5. Iunii 1555.

Tuus ex animo
Sechelles.

2224.

BLAURERUS BULLINGERO.

Lutherani pacis turbatores. Calvini laus. Genevensis tumultus.

(Excerptum ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 163, olim scrin. B. Epp. Tom. 28, fol. 412. — Simler. Vol. 85.)

— — — — — — — — — — — — — — — — — — —

Consensionis vestrae in coenae doctrina defensione quid apud istos quosdam, quibus nihil satis nisi quod immodicum est, profectum sit, non ignoras. Supra modum mihi dolent tam irritabiles stomachi, quos nulla ecclesiarum vel pericula vel offendicula remorari possunt quominus, ut iam dudum coeperunt, pertinaciter adeo pergant. Dominus Iesus Christus princeps solidae nostrae aeternaeque pacis omnium ecclesiae suae ministrorum animos suae caritatis vinculis arctissime constringat, ut quae pacis sunt serio aemulentur.

Incomparabilis theologus *Calvinus* noster tanta laborat invidia apud plerosque, quos sua luce obscurat, ut pro haereticissimo ab ipsis haberi et apud alios etiam traduci incipiat, praecipue ob editum de divina praedestinatione libellum, in quo iniquissimi interpretes inveniunt nonnulla quae affectatis exquisitisque calumniis odiosissime insectentur. Interim ille magno et infracto spiritu omnia perfert, victor absque dubio etiam toleranter sustinendo evasurus, non deserturus tamen interim veritatis honestissimum patrocinium.

Audimus iam periculosissimos motus Genevae exortos, nondum tamen liquido cognoscere licuit quibus autoribus quaeve ob causas, tametsi istuc quoque ex amicis in horas intelligere magno desiderio exspectem. Non dubito vero quin tu certiora habiturus sis antequam has meas accipias. — — — — — — — 7. Iunii 1555.

Vere T. Ambr. Blaurerus.

2222. 1) *Perrinus.*
2) *Reg. du Conseil* 27. *Mai. Ruchat* VI. 131 *ss.* (*N.* 2193).
3) *N.* 2217.
4) *Mireris tam paucas Farelli ad Calvinum hoc tempore scriptas esse superstites: a* 24. *Mart. ad* 10. *Iul. nullam.*
5) *Quod et fecit* (*N.* 2230).

2223. 1) *Perrin, Sept, Chabod, Verna, Michallet.* (*Reg. du Conseil* 3. *Iun.*) *Petrus Vandel serius demum Genevam reliquit.*
2) *Inter quos duo Comparet fratres, et Claudius Geneve. Franc. Dan. Berthelier pro tempore nondum carceri mandatus fuit. De quatuor postea supplicium sumptum.*

2225.

LASCUS BULLINGERO ET BIBLIANDRO.

Narrat quo pacto in ecclesiis Frisiae ipso absente motus de re sacramentaria factus sit et recognitio quaedam Catechismi, hoc est, mutatio doctrinae tentata. Quae quidem post suum reditum mox inhibita est, ita tamen ut ipse diutius in illis terris stare noluerit.

(Gerdesii Misc. IV. a. p. 485. Kuyper II. 710.)

Quum relicta Frisia iter huc meum instituissem, fratres in Domino observandissimi, fuit mihi forte fortuna Coloniae in itinere meo obvius *Iacobus* [1]) qui cum vestris ad me literis Aemdam veniebat. Is igitur literas vestras mihi reddidit, ast libellos quos mittebatis reddere non potuit: nam in navi quadam repositi iam fuerant cum aliis sarcinis Aemdam devehendi, priusquam me *Iacobus* convenisset, unde postea non facile eximi poterant. Itaque illos non vidi, sed *Micronio* nostro et Gerardo *Campio* tradi iussi. Literas autem vestras magna cum voluptate legi, nisi quod me ea quae tu, mi *Bullingere*, scribis de foederatorum vestrorum consiliis papaeque conatibus et tua valetudine non leviter perturbarunt. Cogor autem nunc utrique vestrum unis atque iisdem literis respondere, imo vero non tam respondere, quam potius vos de rebus meis facere certiores. Ita vero rem paucis accipite.

Moliti hoc sunt iampridem quidam in mea Frisia, priusquam eo ex Anglia venissem, ut doctrinam Saxonicam sub mea absentia inducerent. Id vero aperte professi non sunt, sed viam se quaerere simularunt componendae controversiae sacramentariae. Quia vero praetextui huic occasio nulla dabatur, eo quod maxima ministrorum totius patriae pars doctrinae nostrae unanimiter subscripsisset, neque ab ea vel latum unguem discedere vellet, quaesita est ratio vocandi me in suspicionem, quasi ego doctrinae meae genus de re sacramentaria in Anglia mutassem. Et sunt reperti quidam, et quidem symmystae mei, qui id paulatim auribus plurium instillarent, me interim ne verbo quidem admonito quem tamen pro pastore agnoscebant. Mox erant qui nescio quam Philippi *Melanchthonis* moderationem proferrent ut ea ecclesiis proponeretur. Alii ex *Petri Martyris* tractatione in suam sententiam dotorserant verba quaedam, quaedam item ex vestra cum *Calvino* consensione, qua de re ad *Calvinum* etiam scripsi. Et quoniam ego aliis quibusdam verbis utor, etiamsi eodem spectent, quemadmodum vos quoque recte indicatis, spargere coeperunt me et a *Petro Martyre* et a vobis omnibus dissentire, qui prius me vobiscum consentire profitebar. Et eo res tandem, me nihil quidquam vel sciente vel etiam suspicante, est deducta ut doctrina sacramentaria, cui omnes alioqui symmystae mei subscripserant, corrigi coeperit, ac ne ea sola corrigi videretur totius Catechismi recognitio instituta est.

Haec vero mihi demum in Anglia versanti indicata est, sed non facta ulla mutandae ullo modo doctrinae significatione, de qua alioqui nullus e symmystis, uno aut altero excepto, cogitabat. Itaque nec ego recusabam quominus Catechismus recognosceretur. Eo porro recognito suboluit plerisque fucus, atque ita unanimi symmystarum omnium in coetu publico consilio constituebatur ne recognitus ille Catechismus invulgaretur, priusquam ad me mitteretur meaque de illo sententia haberetur. Ibi vero recognitor ille moras nectere quominus ad me mitteretur, et paulo post rursum moram nimium longam accusare, si mea sententia exspectanda esset. Breviter, editum volebat recognitum Catechismum illum non exspectata mea sententia: denique iam curaverat ut typis mandaretur. Atque aulam hic sibi faventem habebat, quae aliud nihil quam doctrinae mutationem meditabatur.

Interea vero ego ex Anglia venio omnium istorum plane ignarus, et priusquam in Frisiam pervenissem, admoneor de sparsa de me suspicione, quasi doctrinam meam mutassem: ea re plerosque offensos esse, neque ita iam ut antea erga meam doctrinam esse affectos, imo vero novum Catechismum sub prelo esse qui diversam doctrinam a mea contineret. Ingressus Frisiam sciscitor a quibusdam fratribus ut se ea res haberet. Intelligo latere quiddam. Posco a recognitore [2]) Catechismum cuius pars iam excudi coeperat. Adnoto quae mihi non probabantur. Postea convocatis collegis de mutata doctrina cum recognitore expostulo. Moneo ne in editione pergat, alioqui me contra scripturum esse. Protuli quae me offendebant et volebam ut ad ea mihi responderet et editionem interea differret. Placuit id reliquis collegis. Recognitor Catechismi defensionem in se recepit suppresso Catechismo. Ego defensionem refutavi ut amplius respondere nollet, et conventum est ut se omnes intra voces vestrae consensionis deinceps cum iusta earum explicatione continerent.

Ita conquievit tragoedia. Ego vero postea confessiunculam meam edidi [3]) ut sparsae de me suspicioni occurrerem, in qua mihi minime haerendum,

---

2225. 1) *Sine ulla causa Kuyperus hoc nomen sollicitat et Ioannem aliquem eius loco reponere vult. Iacobum istum, quisquis ille fuerit, habuisti in ea ipsa epistola ad quam haec respondet* (*N.* 2194).

2) *cui nomen erat Gellio Fabro, teste Kuypero.*

3) De communione Christi. *Opp. ed. Kuyper* I. 235.

multo minus autem illam silentio meo approbandam esse putavi. Ibi rursum recognitor ille novas in me turbas movere protinus coepit: confessionem meam in ipsius contumeliam editam esse, et nescio quae. Respondi me non ipsius causa eam edidisse, sed ut sparsam falso de me suspicionem apud pios omnes a me depellerem. Quod si ipse eius suspicionis autor non esset, confessionem meam ad ipsum nihil pertinere. Si vero autor esset, tum sane adversum ipsum et omnes qui idem agnoscerent scriptam esse. Quod si aut ipsum aut alium quempiam nulla in parte offenderet, me illam approbaturum esse. Postulabat demum ille, ut in coetu publico pastorum excuteretur: excussaque et approbata est. Interim ille tamen articulos quosdam suos protulit, volebatque ut ad illos responderem. Respondi scripto ut nihil demum contradiceret et plane etiam conquiesceret. Haec porro res aulicos illos vehementer offendebat. Mox editus est Catechismus consensu omnium, reiectis prioribus illis recognitionibus,[4] quo aulici multo adhuc magis sunt offensi. Et quum viderent, me illic praesente non posse sine magno totius patriae motu mutationem doctrinae ullam induci, consilium de me illinc propellendo inierunt: me videlicet ita invisum esse aulae Burgundiacae, ut sine patriae periculo ferri illic amplius non possem. Cessi itaque furiis illorum hortatu totius ecclesiae, quae me interim tota unanimiter pro suo adhuc pastore agnoscit, neque alium quemquam vult petere aut agnoscere, et tantis me est officiis prosequuta, atque etiamnum prosequitur, ut illius ergo me amorem ac fidem satis praedicare non possim. Volumen esse oporteret si omnia prosequi vellem: sed neque tempus id iam patitur, neque mea etiamnunc valetudo permittit. Alias igitur plura, Tantum hoc addam, ita me illic et ministros ecclesiarum fere omnium et universam meam eclesiam, ad haec et proceres patriae omnes in doctrina nostra confirmatos planeque consentientes reliquisse, ut nunquam antea tanta omnium simul animorum coniunctio sit illic conspecta (sit gratia Domino Deo nostro), nisi quod aulicus magistratus plane impius est. Et ipsa princeps vidua in studio religionis plane refrixisse videtur. Ad reliqua vestra nunc nihil respondeo, nam re vera non possum. Salvere iubeo patrem nostrum communem D. *Pellicanum* et symmystas omnes. Dominus adsit vobis spiritu suo. Amen. Francoforti 8. Iunii 1555.

Vester quantus est
Ioannes a Lasco m. ppr.

---

4) 6. *Oct.* 1554.

2226.

CALVIN A UNE DAME.[1])

Consolations et encouragements.

(Copies. Bible de Genève. Vol. 107ᵃ, fol. 332. Vol. 108, fol. 188. Berne, VI. 125. — Lettres fr. II. 57. Trad. Angl. III. 187.)

Madame, combien que ieusse desire douyr encores milleures nouvelles de vous, assavoyr que vous fussiez en repos desprit, servant[2]) paisiblement a Dieu, toutefoys iay este ioyeulx de savoir que vous ne vous lassez point de soupirer, et estre en painne pour chercher le moyen de vous acquiter de vostre debvoyr: cest ainsy quil nous convient batailler pour suyvre le filz de Dieu. Vray est que tous nont point un pareil combat. Si esse[3]) que sathan ne souffre iamais que Dieu soit plainnement honnore de nous, sans y mettre quelque resistance. Vous en sentes de vostre part beaucoup plus que plusieurs ne font, mais nostre bon Dieu sait bien pour quoy il vous esprouve ainsy, car langoisse ou vous estes est vrayement un examen de vostre foy, pour vous faire sentir que vault se tresort inestimable, lEvangile, lequel est tant mesprise du monde. Il reste

---

2226. 1) Lettre sans adresse, portant pour unique date: Ce 10ₑ de juin . . . Ecrite à la duchesse de Ferrare en 1555, à l'occasion des persécutions que cette princesse avait eu à souffrir pour son attachement à la foi réformée, et qui ne cessèrent pas entièrement avec sa captivité. Voir la lettre du 2 février. C'est à ces épreuves domestiques que le réformateur fait allusion dans le passage suivant: „— Vous en sentez de vostre part beaucoup plus que plusieurs ne font, mais nostre bon Dieu sçait bien pour quoy il vous esprouve ainsy, car l'angoisse où vous estes est vrayement un examen de vostre foy, pour vous faire sentir ce que vaut ce thresor inestimable, l'Évangile, lequel est tant mesprisé du monde." — Cette lettre fut portée à la duchesse de Ferrare, par un seigneur de Naples, réfugié à Genève, le marquis de Vico. Il partit de cette ville, le 15 juin 1555, chargé d'une mission secrète de Calvin pour Renée. Voir la *Vie de Galéas Caraccioli, marquis de Vico*, traduite en français par Teissier. Amsterdam, 1681. 1 Vol. in-18. (*Bonnet*). *Nous transcrivons cette note en entier parce que nous n'avons rien de plus positif à donner. Nous ferons cependant observer que les arguments allégués ne constituent pas encore ce qu'on pourrait appeler l'évidence. Nous ne savons si la Duchesse dans le courant de l'année a pu se dégager de la contrainte d'aller à la messe. Une lettre d'Olympia Morata à Vergerius datée de Heidelberg paraît rendre cela peu probable, en ce qu'elle parle de la faiblesse de son caractère* (*Ol. Mor. Opp. p.* 158. *Blümmer*, *Renata* 1870, *p.* 142. *Renata, ein Lebensbild. Goth.* 1869, *p.* 86). *Quant à ce qui est dit du voyage du marquis de Vico, nous ignorons sur quoi se fonde la notice relative à une mission secrète. La biographie insérée au Mus. helv.* II. 550 *et la Note de Heyer p.* 5 *ne parlent que d'une entrevue de Galeasso avec son père à Mantoue.*

2) *la copie que nous suivons porte:* seurement.

3) *sic.* (est-ce).

que vous preniez encor couraige pour ladvenir, et quelque longue espace de temps que vous ayez a languir, que vous attendiez tousiours bonne yssue de voz perplexitez, car il est certain que Dieu en la fin exancera voz gemissemens, si vous continuez a le requerir quil vous tende la main. Seullement que vous soyez faschee de ce que vous ne pouvez venir a bout de vous employer du tout a glorifier son nom. Une telle facherie est cent foys plus desirable que le bon temps que se donnent ceux qui se flatent en leur pouvrete. Cepandent il vous fault tousiours espier toutes les ouvertures que Dieu vous offrira pour marcher plus avant. Cest bien loffice de Dieu de nous mener comme pouvres aveugles, quant nous sommes au bout de nostre sens, et trouver des moyens que nous neussions iamais attendu, nous faisant surmonter tous empeschemens, sens que nous y voyons goute. Cest aussy nostre office de le prier quil luy plaise nous ouvrir les yeux, afin que sy tost quil nous a donne quelque signe, nous le suyvions. Ne vous espargnes point donc a essayer de iour en iour tous les moyens quil vous sera pocible de vous advancer au droict chemin. Faisant ainsy, combien que vous soyez encore loing du but, toutesfoys se ne sera pas en vain que vous y tendrez, car nostre cource est certaine, moyenant que nous suyvions tousiours, encor que se soit foyblement. Et telle certitude nous doit fortifier pour surmonter toutes tentations. Car sy les mondains travaillent tant a laventure pour quelque espoir dont ils sont souvent frustres, que sera ce de nous qui avons la prommesse de Dieu pour nous asseurer de nostre salut? Toutesfois, Madame, que secy ne soit point pour vous endormir, que vous ne regretiez tousiours la miserable servitude ou vous estes, comme deffait cest le moyen pour estre delivrez de Dieu. Quant nous sentons combien nostre prison est dure. Au contraire, celuy qui se plaist en son mal, ferme quasy la porte a Dieu, a ce quil nayt point pitie de luy. Or ie me fie en Dieu que tout ainsy quil a imprime en vostre coeur une affection singulliere de lhonnorer, quil augmentera et ouvrira quant et quant le moyen pour mettre en execusion le bon vouloir quil vous aura donne. Puis que cest a luy de commencer et de perfaire, esperans hardiement quil est puissant pour nostre salut, et que cest la ou il veult desployer sa vertu. De ma part ie le priray aussy, Madame, quil vous ait tousiours en sa saincte protection, quil vous augmente et en congnoissance et en zele et en fermete et en tout bien pour servir plus en plus a sa gloyre. Ce diziesme de iuing.

Charles dEppeville.

2227.

RADZIVILIUS CALVINO.

Civiliter et honorifice respondet ad literas a Calvino sibi missas.

(Exstat cancellarii manu scripta in Cod. Gothano 405, fol. 8. Nonnulla excerpsit Bretschneiderus p. 203.)

Excellentissimo ac doctissimo viro D. Ioanni Calvino summo [*ap*]ud Helvetios religionis Christi professori . . . . amico suo [*cari*]ssimo et honorando.

Ut notitiam tuam, vir clarissime, summo semper desiderio expeterem fama nominis tui, quae etiam apud nos satis celebrata est, effecit. In quo quoniam me epistola tua [1]) antevertisti, et quod mihi omni ratione exoptatum erat praeter omnem spem nunquam sibi antea noto occasionem ultro dedisti ut et ego te nosse inciperem et vicissim me tibi notum facere magnopere vellem, dicere non queo quam ea res mihi grata iucundaque acciderit. Quapropter ingentes tibi eo nomine ago habeoque gratias, et quia non provocatus (quod utique mihi constitutum erat ut facerem) tuam mihi obtulisti benevolentiam, in amicitiam te meam assumo, petoque abs te uti me abhinc iam tibi esse notum sinas dicique mihi velis amicus. Quod fiet si, ut coepisti, literis me tuis saepius compellabis et quam te nostrarum ecclesiarum sollicitet religio facto testaberis. Ego, quod me muneris christiani admonueris, non solum non tuli moleste, verum etiam maximam tibi habui gratiam. Etsi enim, quantum in me situm est, soleam ipse ubi licet opera mea veritati consulere, tamen mirum dictu est quam me suavissima tua adhortatione et excitaveris et confirmaveris. Verum ut labor noster non sit irritus, utque exemplo nostro caeteri ad provehendam illustrandamque veritatem evangelii accingantur, tu pro tuo, ego pro meo munere Dominum precabimur. Interim me officiaque mea tibi diligenter commendo, persuasumque tibi esse magnopere volo, sic mihi istam tuam tam ingenuam scribendi libertatem gratam iucundamque fuisse, ut tibi eius nomine sim omnia summa amicitiae et gratitudinis officia libentissime debiturus. Vale felix quam diutissime in Dei gloriam et in universae Christi ecclesiae commodum ac utilitatem. Datum Vilnae Idibus Iunii Anno Domini 1555.

Vester bonus et integer amicus. [2])

2227. 1) *N.* 2113.
2) *Haec manu propria.*

Nicolaus Radziwil Dei gratia dux in Olilia et Nieswiesz, Palatinus Vilnensis, magni ducatus Lithuaniae suppremus Marsalcus et Archicancellarius, Brzescenensis Borissoniensis Schavolensisque Capitaneus generalis etc. [3])

manu sua.

2228.

BULLINGERUS CALVINO.

Gratulatur ei seditionem Genevae victam, nunciat ecclesiam italicam Turici constitutam Ochino ministrante, item quaedam politica.

(Ex autographo Cod. Gen. 114, fol. 86, quocum contulimus exx. Cod. 111ª, fol. 229, Bernense Epp. VI. p. 466 et duo Simleri Vol. 81 et 85.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo domino meo colendo et fratri carissimo.

Genff.

S. D. Binas [1]) a tua humanitate literas accepi moeroris et afflictionis refertas. Dominus pacare dignetur turbas illas propter nomen sanctum eius. Tibi omnino, quod ultimis quoque meis [2]) ad te inculcabam, tanto laboranti odio dissimulanda videntur, et magis opportunum tempus exspectandum, ne dum contra flumen niti videris fluctibus adoperiaris. Nosti illud sapientis: omnia suum tempus habent. Orandus quoque Dominus ut in tantis odiis ipse sua potentia dissipet consilia pravorum. Agnosco insignem Dei curam et bonitatem in ecclesiam vestram, quam in media illa seditione servavit incolumem, eiecitque per illam eos qui se hactenus obiecerunt vobis obices. Dominus custodiat vos porro et servet ab omni malo. Rem longe gratissimam feceris si totam historiam huius miraculi finita actione tota descripseris.

Locarnensis ecclesia ab amplissimo magistratu urbis nostrae collecta est. [3]) Concessum est templum S. Petri. Vocatur D. Bernardinus *Ochinus* [4]) ut pastor sit ecclesiae exsulis. Magistratus illi solvet annuatim 15 urnas vini, 18 catinos [5]) tritici, avenae 2, Tigurinos aureos 50 et hospitium. Viri sunt honesti qui ad nos venere. Cives nostri illos amant et fovent. Sed [6]) oderunt extreme nos confoederati nostri qui illos eiecerunt. Sed novit nos Dominus. Novam iam ordiuntur telam. Exigunt a nobis ut et ab aliis foederatis ut iuramento confirmemus foedera, iuramento autem praestito per Deum et sanctos. Nostri aegre ferunt et de his iam consultant. Quid futurum brevi audiemus. Tractabitur causa Badenae proximis comitiis celebrandis 26. Iunii. Ora Dominum, mi frater, ut in turbis et tentationibus nos servet et confortet. Libenter scripsissem copiosiores, sed non potui, ita [7]) me hoc negotium turbat et multum involvit. Vale aeternum. Tiguri 14 Iunii anno 1555. Salvi sint fratres omnes. Te salutant fratres nostri.

Bullingerus tuus.

---

3) *Infra legitur Palatini monogramma.*

2228. 1) *Altera est N.* 2218. *Altera (si exstiterit) N.* 2187.

2) *Ultima eius, quam nos habemus, erat N.* 2183.

3) *Cf. N.* 2107. 2120. 2132. *De adventu Locarnensium v. Meyer* II. 1 *ss.*

4) *Primum Beccariam arcessere voluerant, qui recusavit. Ochinus tum Basileae erat.* (*Meyer p.* 8.)

5) *Sic autogr. Turretinus, Bernense et S. omiserunt, spatio relicto. Pro avenae praebent annonae.*

6) *Sequentia usque ad verba:* 26. Iunii *a Besa cancellata. De Bernensium in Bullingerum animo v. Meyer l. l. p.* 13. *Caeterum etiam Bernae pecunia in commodum exsulum collecta est.*

7) ita . . . . involvit, *a Besa cancellatum.*

2229.

VERGERIUS BULLINGERO.

Discordias inter theologos Helvetios nascentes sedare cupit.

(Excerptum ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 170, olim Scrin. B. Epp. Tom. 44, fol. 662. — Simler. Vol. 85.)

— — — — — — — — — — — — — — —

Audi frater, scio esse magna semina iacta discordiarum inter non paucos fratres Genevenses et alios. Nunc laboro si possem ea evellere antequam excrescerent. Scripsi ad Lactantium *Ragnerium* [1]) in Helvetiam ob eam causam ut veniat et experiar. Rogate Dominum ut iuvet meum conatum. Stuttgardiae 15. Iunii 1555.

Vergerius.

2229. 1) *Lege* Ragnonium *cf. N.* 2179 *et Trechsel* II. 280.

2230.

GALLASIUS [1]) CALVINO.

Si forte Calvinus in Psalmos commentarium edere voluerit, ei quae ipse ex eius ore excepit tradet ut illis quasi suis utatur. Invitat eum ad baptismum pueri sui.

(Ex autographo Cod. Gothani 405, fol. 28.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino ecclesiae Dei vigilantissimo pastori patri ac praeceptori observandissimo.

Genevae.

S. Statueram apud te relinquere quae ex tuis lectionibus excepi in Psalmos Davidis. [2]) Sed variis subinde negotiis districtus non memini. Nunc vero, quod nuper ad spondam lecti in cathedra tua vidissem nonnulla quae olim in eosdem Psalmos scripseras, mihi in mentem venit te manum huic operi adhibere velle. Quamobrem differre nolui quin mea quoque, aut potius quae abs te habeo, ad te mitterem, si cui tibi usui esse aut laborem tuum sublevare possint.

Baptismus pueri, quo me Dominus auxit, ob valetudinem D. *Budaei* usque in diem Iovis dilatus est. Quo die ego te adesse, quod sine incommodo tuo fiat, magnopere vellem. D. *Farellum*, quem istuc esse audio, [3]) meo nomine quaeso saluta. Bene vale. 16. Iunii 1555.

Tibi deditissimus
Nicolaus Gallasius.

2231.

CALVINUS GARNERIO.

Si res Argentorati male cesserunt ipsum Garnerium non sine culpa fuisse docet. Etiam ab Alexandro sibi cavere non abs re erit.

(Praebet Cod. Genev. 107ᵃ, fol. 113 Ionvillaei manu scriptam. Turretinus habet Cod. 108, fol. 25, Epp. Bern. Tom. VI. pag. 478 et Simlerus Vol. 85.)

S. Quod nihil ad te pridem scripsi, mi frater, praesertim quum res tuae adversae aliquid consolationis flagitarent, etsi in eo culpam negligentiae non prorsus deprecor vel excuso, tamen certe persuasum tibi esse velim, ac bona fide testor, quadam potius doloris societate quam neglectu me a scribendo fuisse retentum. Nam etsi graviter indigneque ferebam te in Petri *Alexandri* causa inconsiderate egisse, [1]) non tamen aliter tibi quam mihi indignabar. Videbam eo te prolapsum unde non facile tibi esset gradum recipere. Libenter cum reliquis amicis conatus essem huic errori mederi, sed nulla ratio nobis constabat. Fueram autem de periculo quod impendebat aliquanto ante admonitus. Porro quum ego tecum mihi quidquid mali foret commune esse ducerem, non parum cruciabar novam molestiam tua culpa tibi conflatam esse. Nam quod nuper accidit [2]) non interpretor in quatuor vel quinque nebulonum gratiam factum esse, sed eos qui in *Alexandri* persona laesos abs te se putabant propriam iniuriam ultos esse. Quod autem sinistrum, quod de illo dedisti, testimonium extenuas, utinam sic res ut dicis fuisset. Sed quum scripseris, malis artibus illum se insinuasse [3]) ut in locum tuum obreperet, hac in parte magistratus se perstringi sensit. Quum scirem hinc tibi grave odium conflatum esse, mihi vehementer doluit *Tossani* illecebris elicitum fuisse quod abs te exire non oportuit. Angebar etiam quod saltem non olfaceres, unde vel qua occasione infensus tibi esset senatus. Me enim non latebat quales comiti *Georgio* literas scripsisset. [4]) Quod etiam in crimen vocabas quaedam et in Anglia et Weselii ab eo facta, suspecta in eo fuit vindictae cupiditas. Certe qualisqualis esset *Alexander*, quia tunc non occulta fuit *Tossani* in fratres suos crudelitas, literis tuis armari hominem tyrannice saevientem non oportuit. Negas te scivisse. Atqui quum sinistri de eo volitarent rumores praestabat meo exemplo quiescere. Nam ego, quoad licuit, eum retinere conatus sum. Sed interim, si hostis bonis esse pergeret, me ei non fore amicum ingenue professus sum. Certe tua imprudentia bonae causae opprimendae apertam esse ianuam et mihi acerbum fuit et veris Christi servis odiosum. Hic te liberius obiurgo, non secus ac si tuam personam sustinens mecum ipse expostularem.

2230. 1) *Qui tunc erat V. D. M. in Iussy.*

2) Pour les Vendredis en la congregation on print le livre des Psaumes . . . . . L'an 1557 il mit en lumiere son commentaire sur les Psaumes. (*Bèze, Préface de Josué ad a.* 1555.)

3) *Cf. N.* 2222, *not.* 5.

2231. 1) *Teste Memor. xxi. d.* 9. *Febr.* 1555 *Alexander apud F. de Gottesheim queritur* dass G. und die Aeltesten der welsch Kirch nach Mümpelgard geschrieben derselbe habe die welsche Kirchen zu Strg. und Wesel verwirrt und ihn (*Garnier*) von seinem Dienst zu drengen unterstanden, worüber Martyr an Hz. Georg schreiben soll auch sich erkündigen ob solchs von G. wahr sei.

2) *Alludere videtur ad decreta Senatus d.* 24. *et* 30. *Martii edita quibus Garnerius a munere suspendebatur.*

3) *Vide not.* 1. *Id ipsum erat de quo Alexander querebatur, et hic Garnerius aperte fatetur se fecisse. Senatus d.* 25. *Mai* 1554 *Alexandrum vocare decreverat.* (*Marb. diar.*)

4) *Per P. Martyrem.*

Neque enim publica tantum ecclesiae vestrae calamitas nobis lugubris fuit, sed privatim me gravius vulneravit inflicta tibi ignominia [5]) quam verbis exprimam. Nec quieto animo fui, donec melioris exitus fama pauxillum me levavit. Utinam me spes ista non frustretur, quae magis solida esset, nisi me de novo quodam hospite vestro alia cura angeret. Equidem tuum consilium felix faustumque tibi esse cupio. Verum si nondum tuo incommodo expertus es te errasse, cavendum tibi mature censeo. Hoc tibi in aurem dictum sit, plus tibi forte ab uno quam a decem Alexandris impendere periculi.

De rerum nostrarum statu intelliges a nuncio. In urbe Dominus nos subinde variis modis exercet. Nuper tamen non solum deiecta sed fere afflicta fuit improborum factio. [6]) Vicini [7]) mihi molesti esse non desinunt. Quanquam illi quoque prostrati nunc iacerent, nisi vester ille omnium impiorum receptator sua perfidia novum certamen fabricasset. [8]) Nam literas quae mihi invidiam cum discrimine crearent sibi olim a me scriptas scelerate prodidit. Hoc aculeo relicto ad vos concessit. Caeterum quum videam nihil fore illi acerbius, quam apud te eius pecuniae rationem reddere quae ex testamento amici et hospitis mei apud eum deposita fuerat, in istas plagas nunc a me coniectus est. Si te domum accersat, non consulo ut venias. Ipse enim ad te potius, vel si gravabitur saltem mittat qui doceat sexcentos coronatos pauperibus fuisse erogatos. [9]) Tuum postea erit de re probata iudicium facere. Sic enim iussit testator ut tres fideicommissarii suae dispensationis rationem vel D. *Bucero*, vel si abesset ecclesiae gallicanae pastori ederent. A vestro *Amerpachio* nihildum venisse miror. [10])

5) *Carcer et suspensio a munere* (24. *Mart.*)
6) *Pertinet hoc ad tumultum* 16. *Maii.*
7) *Zebedaei factio.*
8) *An Fallesium notat? Quemnam alium in Helvetia degentem adversarium* vestrum *dicere poterat, ad Garnerium scribens? Rem conficere videtur quae habet Hallerus N.* 2184 *not.* 10. *Vide etiam N.* 2187 *not.* 2. *Sed Zebedaeum vix* impiorum receptatorem *dixisset, nomine nimis splendido. Omnibus consideratis res dubia manet. Nam is quem hic accusat* aculeo relicto Argentoratum concessisse *dicitur. An Alexandrum ipsum dicas?*
9) *Haec tibi Busantonii testamentum in memoriam revocant. Conferenda fortasse N.* 1069. (*Bolsec, Vie de C. ch. xi.*)
10) *sine die et consule. Patet hanc non respondere ad N.* 2232 *neque hac ipsa Garnerium ad nostram respicere. Utraque fere eodem tempore scripta videtur.*

2232.

GARNERIUS CALVINO.

Tristissimum statum coetus Gallicani Argentoratensis deflet; ipse a magistratu exauctoratus Genevam concessurus est.

(Ex autographo Cod. Genev. 110, fol. 191.)

Clarissimo viro et eximio christianae ecclesiae doctori D. Ioanni Calvino suo in Domino praeceptori ac maiori h. d.

Genevae.

S. P. Statum infelicissimum ecclesiae huius, [1]) pater ac praeceptor in Christo venerande, facile intelliges ex harum latore, fido fratre et amico *Aarone* quem optime nosti. Iam dudum ad te scripsissem de rebus nostris si tutum nuncium fuissem nactus. Nam tempora sunt periculosa, nec est tutum omnia committere chartis: praeterea talia erant quae hic agebantur quae nil quam tristitiam afferre poterant. At quando Domino Deo (sine cuius providentia nil quidquam accidit nec in coelo nec in terra) ita visum est ut Iherusalem converteretur in Babilonam et argentum in scoriam verteretur, silere nequeo. Diabolus enim antiquus ille hostis tantum effecit hic per suos ministros ut omnia everterit. Quo modo et quibus artibus norunt omnes qui spectatores fuerunt huius tragoediae. Haec omnia prudens pro nunc silentio transeo quoniam charta ferre non potest. Narrabo tibi aliquando coram, idque brevi, si Dominus dederit. Etenim ad vos profectionem paro, atque me una cum tota familia mea iam itineri commisissem nisi meae uxoris uterus impedivisset: est enim propediem paritura. Quo fit ut meam profectionem ad unum aut alterum mensem differre cogor. Caeterum magistratus noster me una cum omnibus senioribus ecclesiae et omnibus diaconis exauctoravit. [2]) Unus solus D. Ioannes *Loquet* in officio remansit. Sed sequetur etiam nos et ipse brevi, uti adversarii iactant, quo fiat nova omnino Iherusalem ex civibus Babiloniae. Quod et ipse *Loquetus* inprimis cupit. [3]) Fieri enim non potest ut pius aliquis hoc tempore ministret in ista Babilona. Nec enim pii templum Gallorum frequentant ab eo tempore quo prolata fuit sententia in templo, non D. *P. Martyr*, [4]) non D. *Zanchius*, non seniores ecclesiae, non diaconi, non alii boni viri, nec Angli qui antea quotidiani erant nec unam

2232. 1) *Cf. N.* 2125. 2190.
2) *a. d. III. Cal. Apr.* (*Diar. Marbach.*)
3) *N.* 2190.
4) *Vide eius ep. ad Bullingerum N.* 2237.

concionem intermittebant, sed tantum adversa pars ingreditur. Commune proverbium hic est: quod hircus[5]) ingressus per tectum fugavit oves. Ego plurimum doleo huic miserae et afflictae ecclesiae quam plus quam propria viscera adamavi. Dominus Deus illi misereatur eamque consoletur.

Nos habuimus magnos et potentes adversarios,[6]) qui lapides proiiciebant et manum (ut aiunt) celabant, quorum instrumenta fuerunt isti . 5 . adversarii.[7]) Hoc tempore semper subolfeci et nunc experior. Hinc perpetuo rogavi ut ad nos descenderes una cum D. *Vireto* aut *Farello*. At hoc factum non est quoniam haec non fuit Domini voluntas. Haec omnia, uti caetera, facta sunt summa providentia Dei quam ego veneror et adoro. Dominus Deus Opt. Max. ita voluit punitam nostram ingratitudinem et nostram patientiam probare. Ego quidem pro mea persona libenter aut potius patienter fero, sed valde aegre fero desolationem ruinamque ecclesiae huius.

Ante 15. dies exauctorati sumus omnes. Nullus tamen interea nobis successit, neque mihi neque senioribus, sed manet interim cahos apertum. In exauctoratione autem noster magistratus fuit paulo mitior erga me quam erga seniores nostros: me enim honoravit munusculo aliquo, nempe 12 fl., concessitque mihi aedes meas usque ad festum Michaelis. Quod testimonium meae innoscentiae * esse videtur. Nam si talis essem qualem impii adversarii me praedicarunt apud illum et caeteros omnes, illi non fuissent dignati me honorare tali munusculo, nec sinerent me hic tanquam civis * habitare. Ego vero totam rem Domino Deo et servatori meo Christo, cuius res agitur, committo. Hic suo tempore omnia aperiet. Quomodo autem nostri concionatores se gesserint in hoc nostro negotio, et quomodo se gerant hodie cum nostro *Boquino*: quid iste *Boquinus*[8]) cum suis boquinis (conveniunt enim rebus nomina saepe suis) tentaverit, quomodo ingressus sit, quomodo pergat, ab aliis volo ut intelligas potius quam a me.

Multa praeterea habeo quae chartis committere non audeo. Licebit aliquando haec omnia coram eloqui. D. Petrus *Martyr* bene habet teque plurimum salutat. Item D. *Zanchius*, D. *Sturmius*, D. *Sceleidanus*, D. Io. *Loquetus*. Salutatos cupio omnes pios, praesertim verbi Dei ministros. Indica quaeso haec omnia D. fratri meo Petro *Vireto*, ad quem non scribo ob nuncii celeritatem, brevi tamen scripturus favente Deo. Dominus Deus te suae ecclesiae diu incolumem servet ad sui nominis gloriam et nostri omnium aedificationem. Amen. Argentinae 18. Iunii 1555.

Tuus per flammas, per ignes
Ioannes Garnerius.

---

5) *Alludit ad Petrum Bouquin qui olim Carmelitarum Biturigensium prior Calvini cathedram Argentorati occupaverat a Melanchthone commendatus, sed non diu eo munere functus est.* (*Röhrich* II. 69.) *Nunc cum Balduino Argentoratum reversus invitus ministerium a senatu sibi oblatum capessivit, reclamante magna ecclesiae parte, maxime presbyteris et diaconis qui cum eo coenam sumere recusarunt* (22. *Apr. Memoriale xxj.*) *ideoque et ipsi exauctorati sunt* (18. *Maii*).

6) *in ipso magistratu.*

7) *Garnerii in coetu gallico.*

8) *Ἀποστασίας accusatus fuerat d.* 18. *Maii. Paulo post de Petro Alexandro vocando actum est.* (*Memor. l. l.*)

2233.

VERMILIUS ALEXANDRO.

Affirmat se omnia rata et vera habere quae ille ad se purgandum de Mombelgardensium criminationibus scripsit; innuit tamen se eas non pro meris calumniis habuisse, quippe quas a probis viris prolatas existimaverit. Bono animo eum esse iubet, apologiam principi missam approbat, vocationem Argentaratensem gratulatur. Denique nova quaedam ex Anglia et Germania allata tradit.

(Ex epistolis P. Martyris impressis ad calcem Locorum eius communium Tig. 1580, fol. 578. Ed. 1587, pg. 1096.)

Literas quas ad me, carissime atque observandissime *Petre*, 3 Iunii dedisti quarta decima ego accepi, neque dubito integra et optima fide te mihi ea significasse quae indigna sane tuis meritis et innocentia contigerant. Cur enim tibi non crederem? aut quare mendacii suspectum haberem? Ut mentireris causam non video, neque ratio ulla est propter quam tua fides mihi non debeat esse spectatissima. Proinde non solum iis quae scripsisti fidem adhibui, sed etiam inde, ut par erat, vehementer dolui. Quod vero tibi sim visus calumniatores[1]) excusare, id fortasse fuit quod, quum literas ac testimonia eorum non viderim, nihil saevum aut atrox de talibus hominibus facile potui cogitare, qui mihi hac de re, quando cum ipsis expostulavi, responderunt se nihil contra te scripsisse, quod aut verum non putarint, aut christianae modestiae limites excesserit: neque de te quidquam per se ipsos vel dicere vel scribere voluisse, nisi ab ecclesia illa Mom-

---

2233. 1) *Ad haec illustranda maxime facit ipsius Alexandri apologia N.* 2128.

belgardensi fuissent adiurati et per omnia sacra obtestati. * Quum haec ab illis audivi sic mecum coepi cogitare: ad te fortasse rem aliquanto acerbius esse delatam quam ab eis scripta fuerit. Hinc, ut arbitror, est in meis literis quod tibi sim visus factum eorum lenire ac mitigare. Quid hic faciam? Eo sum ingenio, ut de viris quos probos existimo non facile suspiciones criminosas admittam. Nunc vero, quia testaris tibi rem omnino compertam esse, illi quid fecerint videant: mihi non est animus, quae male vel ab ipsis vel ab aliis gesta fuerint, aut fovere aut excusare. Hoc tamen tibi confirmo, propter hanc turbam et casus quos es perpessus nihil apud viros probos ac prudentes de tua dignitate ac existimatione detractum esse. Mombelgardensis ecclesia lugenda est, quae in has ruinas et gravia mala, quae scribis, adducta fuerit. Deus illius tandem misereatur. Dolendum etiam est quando calumnias pii viri patiuntur. Haec ut acerba et tristia mentibus piorum sunt, ita orandum est ut aliquando tandem finem ac modum habeant.

Apologiam quam scripsisti ad principem vidi atque mihi optime placuit: et D. *Marpachio* dixi mihi videri mittendam. Spero etiam, si eam legerit princeps, non passurum ut in animo suo posthac mala suspicio inhaereat. Det Dominus illum successum quem optamus. Consilium tuum de exspectanda honesta vocatione,[2]) atque amplectenda quum offeretur vehementer approbo, nec dubito Deum te in opus suum cito missurum. Non enim dona quibus te ornavit diutius patietur otiosa.

Nunc de aliis quid acciderit accipies. In Anglia hebdomada superiori septem boni viri sunt combusti, qui bono animo atque firma constantia testimonium fidei reddiderunt. Regina non adhuc peperit, et iactasse scribitur se non posse feliciter parere, neque putare sibi quidquam prospere successurum, nisi omnes haereticos quos in carcere habet ad unum combusserit. Quamobrem ex his potes cognoscere D. *Cantuariensem* in magno nunc esse discrimine.[3])

Wormacienses dicuntur Gallis ecclesiam daturi, quam instituet ille theologus amicus tuus, qui fuit olim apud D. *Elyensem* defunctum, et apellatur, nisi fallor, *Philippus*.[4]) Poloniae regnum, admisit evangelium, et Augustae, ut omnes putant, ecclesiis confessionis Augustanae pax dabitur, quae in comitiis decreto imperiali confirmetur. D. *a Lasco* est Francofordiae.[5]) Nam coactus est e Phrisia discedere. *Iulius*[6]) cum uxore te et tuam lectissimam coniugem salutant, cui ego quoque salutem dico. Meo attamen nomine non gravaberis D. *Vireto*, *Bezae* ac *Eustachio* clarissimis viris salutem dicere. 18. Iunii 1555 Argentinae.

2234.

HALLERUS BULLINGERO.

Contentiones ministrorum Genevensium pro tempore silent, utinam et posthac, taedii scilicet plenissimae.

(Excerptum ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 154, olim Scrin. B. Epp. Tom. 32, fol. 219. — Simler. Vol. 85.)

— — — — — — — — — — — — — — — —

Geneva adhuc saucia est: quid vero agatur certo nescio. Insolitis horis senatus noster ipsorum gratia coiit his diebus aliquoties.[1]) Contentiones ministrorum nunc silent. Nescio vero quamdiu hoc duraturum sit. Metuo ne mihi iterum proficiscendum sit ad illos. Ita enim defatigant me amarae illae lites, ut quidvis potius facere quam illis misceri cuperem. — — — — — Bernae 19. Iunii 1555.

Io. Hallerus tuus.

2235.

VERGERIUS LASCO.

Calvini contra Westphalum libellum infaustis avibus editum perhibet.

(Describimus ex Gabbemae syllege p. 120, qui fontem suum non indicat.)

---

2) *Senatus Argentoratensis iam m. Maio* 1554 *eum in Garnerii locum cooptaverat* (*Diar. Marb.*) *verum ipse, utpote Calvinianorum coetuum morem et leges respiciens, exspectare malebat dum ipsa ecclesia eum vocaret. Caeterum senatus d.* 27. *Maii decreverat, presbyteros invitandos esse ut cum eo de ea re agerent.* (*Memor. XXI.*)

3) *Eodem supplicii genere periit d.* 21. *Mart.* 1556.

4) Tho. Goodrich, bishop of Ely, lord chancellor, *ille ipse fuit qui olim Tremellio praebendam dari curaverat. Quantum ad Philippum s. Philips, nescimus quem potissimum designet, quum plures eius nominis exstiterint. Quid quod ne de Wormaciensi coetu gallico quidem nobis quidquam innotuit.*

5) *N.* 2225.

6) *Santerentianus Placentinus, Martyris perpetuus comes, morte demum ab eo separandus.*

2234. 1) *Io. Fc. Naegeli d.* 18. *Iun. Genevam missus est ut pro fugitivis intercederet* (*Reg. du Conseil*).

Clarissimo pietate atque eruditione viro D. Ioanni a Lasco fratri honorando.

Francfordiae.

— — — — — — — — — — — — — — — —

Vix crederes quantum distulerit speratam vindemiam libellus optimi fratris nostri et servi Iesu Christi Ioannis *Calvini*,[1]) quem postremo edidit de eucharistia. Paulo enim durius videtur alicubi loquutus, dico in eos qui a nobis dissentiunt. Audivi viros prudentes deplorare eam editionem. Fui nuper Tiguri. Egi de hac re cum *Bullingero*, atque animadverti tum hunc tum ipsum *Calvinum* sibi persuasisse, istos nihil aliud cogitare quam de opprimendis reliquis, aut certe odisse. Quare multa dixi et spero me movisse nonnihil. Vere enim neque oderunt neque de opprimendis cogitant, quidquid in comitiis Augustanis aiant, ubi scilicet sequuntur veterem formulam qua ante viginti quinque annos uti coeperunt, quum Anabaptistas et Zwinglianos excluderent. Consultum putarem si abstineremus ab editione librorum novorum, hac quidem in materia, et Deum rogaremus ut nobis ad tam necessarium negotium ostium aperiret. — — — — Stuttgardiae 21. Iunii 1555.

Vergerius frater.

2236.

LOCQUETUS CALVINO.

Garnerio eiecto utrum communionem cum novo ministro Boquino inire an ministerio ipse quoque decedere debeat ambigens consilium sibi dari cupit.[1])

(Ex apographo Cod. Paris. Collect. Dupuy 102, fol. 96.)

Vigilantissimo pastori ecclesiae Genevensis Ioanni Calvino.

Genevae.

S. P. Damnavi saepius meam taciturnitatem, vigilantissime pastor, quod nihil unquam de statu ecclesiae nostrae ad te scripserim: et damnarem magis nisi scirem frequentibus literis D. *Garnerii* tibi omnia patefacta. Iam vero eo deduxit nos Dominus Satanae ministerio ut percusso pastore nostro ac senioribus nostris destitutis dispersae sint oves gregis. Nec video quomodo rursum colligi possint nisi suffecto viro quem doctrina et irreprehensibilis vita dignum testentur. Nam introducto Petro *Bouquino* magistratus autoritate coepit magis dividi, partim quod non videretur legitime vocatus, ac quod retrorsum abiisse compertus sit, nec (ut par erat) publici delicti publica processisset poenitentia. Sed quum magistratus nomine (apud quem nihil valemus) omnia fiant, quid mihi agendum totus dubius maneo. Praesertim dum tacitus cogito nos in alieno solo versari lingua incognita. Sed Domino, cui quantumvis modeste resistere non valemus absque magna ecclesiae iactura et forsitan omnimoda dissipatione.[2]) Dura est nobis et universae ecclesiae pastoris nostri D. *Garnerii* eiectio, atque durior foret nisi certo crederemus omnia fieri Dei providentia, qui malis hominum conatibus novit bene uti, et certe facile fuit non repugnantem vinci ab adversariis. Adversum me quoque quidam moliuntur et terrere conantur quo sponte cedam. Verum quum nefas sit lupis grassantibus gregem deserere, visum est firmius standum ac resistendum, si dederit Dominus. Concionibus D. *Bouquini* assistendum iudicavi, existimans meum esse munus cognoscere qua esca pasceret oves nostras, neque (ut quidam putarant) mea praesentia ministerium eius probare: coenae vero dominicae illi socius esse nolui,[3]) nec ministrare in ea calicem, quod rebus confusis et usque adeo turbatis id tranquilla conscientia efficere non possem. Obsecro te, pater observande, si quid in his omnibus peccatum esse censes, me admoneas et pro tua prudentia ac modestia reprehendas, ac doceas quid agendum iudices. Nempe si a concionibus eius desistendum, a coenae participatione, vel etiam si ministerio cedendum prorsus, tuam christianam correctionem atque exhortationem benigne recipiam, tuoque iudicio, cui ex animo me totum submitto, parebo. Velim autem intelligas dictum *Bouquinum* edicto magistratus fecisse publicam suae fidei suique lapsus confessionem,[4]) ut, quantum suspicamur, ministerio dignus habeatur. Deus Opt. Max. adsit suae ecclesiae, quam tuis ac fidelium precibus iuvari cupio. D. *Garnerius* te plurimum salutat. Vale in Domino, qui te nobis perpetuo servet, Argentinae 29. Iunii 1555.

Tuus obsequentissimus Locquetus.

2235. 1) *Defensionem notat. Ipsum Vergerium inter Suevos degentem cum iis eandem cantilenam canere non est quod mireris.*

2236. 1) *Cf. N.* 2232. 2233 *et Memoriale xxj.* 22. *April.*

2) *Hic deest aliquid. Fortasse addideris:* res committenda *aut simile complementum.*

3) *sic emendamus nos. Codex praebet:* sociis esse nolunt.

4) *Memor. ad* 27. *Maii.*

Petrus *Alexander* iturus Argentoratum voluit amicum invisere: [4]) *Dommartinus* una ivit. Nescio an *Tossanum* inviserint. *Beraldus* missionem petiit et obtinuit, nescio ad diem Marci, et dicit rogatus haesurus illic sit: si non commodum (quod sibi aliqui quaerunt ex eo) non magis eos moveret quam affectus aliquis in virum, non dubitarim eum non minus sensurum quam fecerint servi Christi, quorum causam suscipiat Dominus et medeatur malis suisque succurrat ecclesiis. [5]) *Boquinus* coenam bis de more fieri solitam coactus fuit omittere, nam *Loquetus* particeps cum eo esse noluit, neque poculum porrigere, ut intellexi. Utinam *Alexander* consulere possit recte. Vale bene et tecum pii omnes, collegae, frater, *Normandius* cum *Budeis*, *Trecio* et reliquis. *Viretum,* si istic sit, ut recepit se iturum, opto salvum. Collega te salutat. Praefectus te in Domino carum habet. Neocomi 10. Iulii 1555.

Tuus Farellus totus.

2241.

DUARENUS HOTOMANO.

Acriter invehitur in Balduinum hominem mendacem calumniatorem versutum et versatilem et ita depingit ut conceptis verbis ei applicet tritum illud: Hic niger est, hunc tu Romane caveto.

(Edita est ab ipso Calvino ad calcem epistolarum Balduini in sua Responsione ad Balduini convicia 1562 pag. 55—69 hoc titulo: *Franc. Duareni Iurisconsulti ad alterum quendam Iurisconsultum epistola de Francisco Balduino.* Quum plura quae in hac epistola attinguntur minus ad nostra pertineant, satis habemus initium et clausulam in nostrum thesaurum referre quia haec ad illustrandum et vindicandum Calvini ipsius iudicium maxime facere videantur. [1])

Postquam literas tuas accepi quibus me certiorem fecisti collegam nostrum in Germania esse, crebro argumentum ad te scribendi a me quaesitum est. Sed mihi tandem occurrit forte fortuna odiosius ac molestius quam vellem, de ipso eodem nempe de quo perinvitus, ita me Deus amet, nunc apud te communem amicum queror et expostulo. Ac ne longiore prooemio te morer, incidit in manus nostras oratio illa quam nuper edidit: praeclarum scilicet morum ingeniique sui specimen, idque scholae titulo, quum potius χολή inscribi debuerit, ut ab eo homine scripta qui ira odioque impotenti commotus ac lymphatus evomuit in nos non quod ratio dictavit, sed quod ei suggessit splendida bilis. Cui orationi quo paulo prolixius ac liberius respondeo boni consulas rogo, idque magnitudini rei et atrocitati iniuriae nobis illatae magis quam vel loquacitati meae vel asperitati adscribas. Nam et multa quae ab inimico vere possent obiici reticebo, memor christianae modestiae, et ea tantum dicam quae causae necessaria erunt et quae proferri ac detegi e re publica christianaque esse videbitur.

Ac ne singula tibi referam quem non dubito orationem rabulae istius legisse, hunc sibi scopum propositum habet ut persuadeat Germanis, se virum bonum simplicem verecundum pium religiosum esse, ab omni simulatione fuco ambitione quam maxime abhorrere, unum se iurisconsultum esse hac tempestate qui puram sinceramque iurisprudentiam et nulla impietate contaminatam docere possit ac velit: nos autem non solum triviales leguleios esse sed etiam pravos homines astutos ambitiosos denique profanos impios Epicureos, qui iuvenes ad impiorum observationem decretorum iureiurando obstringamus, qui doceamus numen omne, religionem omnem contemnendam esse. Si qua sit de religione controversia, oportere spectatorem esse fabulae, et interim suaviter utramque partem ridere: se huius tantae impietatis odio ad Germanos a nobis defecisse. Quorsum haec? Ut Germani, in quorum fines christianus Solon quasi coelo delapsus pervenit, felicitatem suam agnoscant, nec adeo desipiant in posterum ut liberos suos ad nos impietatis magistros dimittant, sicut facere adhuc consueverunt, sed sanctissimo potius iureconsulto instituendos committant. Non enim hoc ambit gloriae suae causa, nec theatri plausum captat vir omnium qui unquam fuerunt hominum modestissimus et ab omni ambitione alienissimus, quanquam suspicari quis forte posset, eum haec moliri et comminisci in ea urbe in qua non est usitata iuris professio, quod famae nimis famelicus homo vix aliter famam existimationemque colligere se posse confidat quam si arte aliqua singulari discipulos atque auditores ad se pellexerit. Sed haec cogitare religio est, de homine tantae religionis ac sanctitatis: praeterea acerrimo insectatore eorum qui

---

4) *Adfuerat ergo Neocomi et Mombelgardiam in transitu petebat. Eius eiectio ergo non strictim observabatur vel etiam rescissa fuerat.*

5) *Tu vero, benevole lector, medearis quaesumus huic abstrusae eloquentiae.*

2241. 1) *Balduinus in sua lectione inaugurali Argentorati m. Martio* 1555 *habita (edita est sub titulo:* Iuris civilis schola Argentinensis. Per Fr. Balduinum. Arg. 1555 *cf. Heveling. p.* 9) *inter alia dixerat Argentoratenses neutiquam opus habere ut filios suos ad extraneos professores ablegarent quum iis in patria satis prospectum esset.* Conquerens tempora et homines religionis negligentes, calore cogitationis incitatus subito imaginem minime splendidam iurisperiti cuiusdam depingit, in qua adumbratione periti auditores Duarenum cognoscunt . . . . Duarenus orationem ad se spectare expertus epistola de Balduino ad Hotomanum data respondit. (*Heveling.*)

splendorem theatri requirunt in quo se suamque sapientiam ostententen. Haec summa est orationis istius ventosae et loquacis, quae ad nos quin pertineat ne ipse quidem infitiari potest . . . .

* *

*

Perorationis argumentum ex eo sumit quod Balduinus historiae ecclesiasticae conscribendae consilium cepisse dicebatur. Quam peculiari de causa non negligendam esse duximus.

Quid, ut de caeteris taceam, magnificentius quam historiam ecclesiae perpetuam ita contexere, ut causas rerum gestarum inquiras diligenter ac de eisdem iudicium facias? Quod se effecturum vir historicae fidei gravitatisque plenus iam vobis pollicetur. Sed mihi in mentem venit dubitare quid de Ecebolio [2]) iudicaturus sit. Non enim, opinor, hunc sanctissimum patrem in tanta historia praetermissurus est, quem in plerisque ita effinxit atque expressit quasi a teneris annis vitam sibi eius ad imitandum proposuisset. Fuit is sophista Constantinopolitanus, qui quum esset ethnicus metu Constantii imperatoris simulavit se christianum esse: deinde Iuliani tempore ad paganismum rediit. Rursus imperante Valentiniano, qui christianus erat, reversus ad ecclesiam prostratus est ante fores templi magna voce clamans: Concultate me salem insulsum. Verum hoc superior fuit magistro discipulus quod pro insigni aliqua palinodia ac poenitentia, quae ab eo exspectabatur, incredibilem attulit impudentiam. Ac vide quam nos fefellerit exspectatio. Ut primum ex literis tuis cognovi ubi esset, protinus egomet mecum cogitavi, brevi ad nos venturam, typographorum opera, supplicis hominis, demissi ac sordidati luctuosam miserabilemque deprecationem, in qua illud esset Ecebolii: Conculcate me salem insulsum, et alia huius generis. Ecce autem rumor insperatus de civium istorum in homine excipiendo humanitate incredibili, cuius fiducia sic exsultaret ut qui unus homo nobis cunctando restituit rem: perinde quasi absentia illa tot annorum, cum procrastinatione et tarditate revertendi ad suos, Fabianae cunctationi par aut etiam maior gloriosorque habenda sit. Subsequuta est oratio severitatis cuiusdam censoriae, sed hominis animadversione censoria (ne quid gravius dicam) dignissimi, ut nihil unquam impudentius ne fingi quidem possit. Nec potui non summopere gentis lenitatem ac mansuetudinem admirari, quam a Novatianorum secta quam alienissimam esse vel hac re una satis perspexisse mihi videor. Sed et illud demiror, tantam calumniandi licentiam ei datam esse in tali urbe et conventu, quantam nos in ista oratione deprehendimus. Et magis profecto mirarer, nisi suspicio esset, eos vafritiem hominis ac flexiloquum sermonem haud satis percepisse, quem tamen admoniti facile, ut spero, assequuturi sunt. Scitum est illud Simonidis: Non desines me auribus calumniari, quum ostendere vellet, eos quoque calumniatores habendos esse qui aures calumniatoribus faciles praeberent. Sed ut viros bonos notari hoc crimine nolim, ita non infitior nonnullam ex ea re mihi allatam esse dubitationem, quae nondum plane sublata sit. Ac ut libere loquar apud te et sine dissimulatione, consilium illud migrationis, de quo te aliquid inaudiisse credo, labare coepit, postquam de hac re certior factus sum, quamvis ante satis fixum videretur. Nec viro bono et studioso optabile duco in iis locis vivere, in quibus Ecebolii isti et sycophantae impotenter regnent nec ullius autoritate magistratus coerceantur.

Verum de hoc negotio adhuc est deliberandi locus. Ac spero fore ut, quid consilii captum a nobis postea fuerit, coram tibi exponam brevi tempore. In quod tempus ea quoque reservo quae fortassis a me nunc in magna festinatione omissa ad causae huius defensionem pertinent. Cui defensioni ut vos faveatis, certe quatenus id religioni christianae necessarium erit, a vobis etiam atque etiam peto. Non enim hic tam res mea, tametsi et mea quoque, agitur quam publica, id est, Christi et evangelii, [3]) cuius causae haec maledicendi licentia et rabies maxime nocet. Nec puto expedire hoc tempore ut multitudo intelligat, me aut alium quempiam mei similem inter profanos et impios numerari, quae exemplo aliorum, praesertim qui alicuius nominis sunt, facile adducitur ut religionem contemnat. Sed haec parum curant nebulones isti, verbo pii et christiani homines, re profani atque ethnici, imo ethnicis aliqua bonitate naturae praeditis longe deteriores, qui impuritati suae obtendunt titulum religionis, ut Christi, non suum agere negotium videantur. Huic igitur defensioni meae et purgationi ut Christi nomine faveatis iterum postulo. Quod quidem a te bonisque omnibus et piis hominibus non despero me impetraturum esse. Id si aliter evenerit, saltem

2) *Ecce prima mentio huius nominis in hac longa cum Balduino controversia saepius repetiti, quod maxime Beza in delitiis habuisse videtur, ab alio scil. repertum sed sibi commodissimum. Vide Prolegg. nostra Tom. IX. pg. xlvij et lxxij, et Ep. [Bezae] ad Bald. de officio retinendo ed. Calvini l. l. p. 72.*

3) *Idem sane senserunt nostri, quibuscum Hotomanus hanc epistolam communicavit, cupide arreptam, a Besa excerptam, a Calvino prelo mandatam, quum postea ipse Balduino publice diem dicere instituerit, et quidem occasione satis incaute delecta.*

conscientia mea me sustentabo et consolabor, quam ego Christo servatori nostro me approbaturum confido. Vale. Idib. Iulii M. D. LV.

Franc. Duarenus
ex animo tuus.

2242.

HOTOMANUS CALVINO.

Occasione privati alicuius negotii suam erga eum observantiam commendat et eius benevolentiam laudibus extollit.

(Ex autographo Cod. Gothani 405, fol. 132.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino.
Genevae.

Etsi mihi perexigua notitia, familiaritas plane nulla est cum D. *Poterio*, faciendum tamen putavi ut illi per literas gratias agerem. Eas autem ad te misi humanitate in me tua fretus, ut, si tibi commodum est, perlectas ei reddi iubeas aut igne comburas. Rem autem ut persequatur, neque illum rogare sum ausus, neque ut id facerem adduci potui, spe prorsus omni destitutus. Praeterea me measque omnes rationes tuae fidei ac potestati commisi. Perspexi enim quinque iam ipsos annos, id est postquam huc commigravi, sed maxime ex tuis postremis suavissimis amantissimisque literis, me tibi curae esse. Dominus pro sua misericordia singulari faxit ut hanc meam aetatem ita honeste et prudenter agam in ipsius ecclesia, ne te unquam tuae istius in me benevolentiae poeniteat. Equidem, modo ut ipse velit, dabo operam ut beneficia in me tua nunquam in hominem ingratum et immemorem collata esse videantur. Peto igitur abs te, mi domine et pater optime atque amantissime, ut quando me tua sponte in fidem atque amicitiam recepisti tuam, si me tibi eam quam debeo praestare observantiam intelligis, tu me ea qua instituisti benevolentia prosequi ne desinas. Vale. Lausannae Idibus Iulii 1555.

Deditissimus tibi
Franciscus Hotomanus.

2243.

CALVINUS BULLINGERO.

Relatio accuratior seditionis Genevensis.

(Exstat manu Ionvillaei scripta in Cod. Genev. 107ª, fol. 103 et in Arch. Genev. Pièces hist. 1569. — Partem posteriorem edidit Beza Gen. 163, Laus. p. 343, Han. p. 384, Chouet p. 219, Amst. 101. Unde sumpserunt translator gallicus Berol. p. 197 et Anglus Philad. p. 192 item Simlerus Vol. 85.)

S. Quanquam satis apparet non tantum odio ardere vicinos vestros[1]) sed illis crevisse audaciam imo rabie quadam impelli ut omnes nocendi occasiones quaerant, Dominus tamen ut spero hunc quoque impetum franget. Quod si mitigari non poterit malitia et pravitas, qui tamen e coelo ridere solet hominum superbiam, discutiet improbos istos conatus efficietque ne Senatum vestrum vel piae suae constantiae vel humanitatis poeniteat. Nam quidquid minati fuerint hostiles socii cordate in eadem sententia stetisse confido, ne impiis iurandi formis nomen Dei profanet. Proximi tamen Badensis conventus[2]) decretum scire anxie cupio.

Librarius quidam ex Saxonia nuper reversus hoc attulit, quod etiam *Melanchthon* suis literis[3]) confirmat, fieri non posse quin brevi graves motus Lutherani sua vesania excitent. Promittit *Philippus* ipse, si exeat liber cuiusdam Nicolai *Galli*, quem iam excudi audierat, ingenue et sine ambiguitate se responsurum et hunc se Deo ac ecclesiae laborem debere agnoscit. Acriter enim denuo hortatus fueram ne semper mundum media ista et perplexa loquendi ratione suspensum teneret. Quanquam autem non nisi quatuor aut quinque clamores suos attollunt, reliqui lateant in suis sterquiliniis, erumpet tamen proximis nundinis incendium. Sed hoc boni fore ominor, quod suam stultitiam omnium ludibrio exponent. Nam quia vix credibile foret tam crasse ipsos desipere, hoc ipsum prodi eorum confessione praestabit quam a nobis traduci. Quum autem illis iam fixum esset tacentibus nobis bellum inferre, opportune edita fuit doctrinae nostrae defensio, quae multis futilibus calumniis ansam praecidet. *Philippo* certe et reliquis proderit ut confidentius se nobis adiungant. Adde quod iam in illis partibus multi ad nos inflecti incipiunt. Me quod optavi adeptum esse gaudeo, ut sentiant non ita sibi facile posthac fore nostram doctrinam gravare suis conviciis. Nam inde tantus furor quod maledicendi campus, in quo se hactenus insolenter iactarunt, in angustias redactus est.

2243. 1) *Cum quinque pagis catholicis de iurisiurandi formula nuper et nunc quoque disceptatum esse iam alibi dictum.* (*Cf. Hess, Bull.* II. 267, *Meyer, Loc.* II. 48.)
2) *m. demum Octobre celebrati.*
3) *N.* 2204.

Optanda quidem pax foret, sed *Philippum* in aciem protrahi necesse fuit quem plurimi libere sequentur. Deinde utile fuit illis eripi, quod maxime plausibile habebant et in quo soliti sunt fucum imperitis facere. *Brentium* quem aliqua ex parte mansuefactum credebam magis praefracta quam antehac esse duritie, amicus cordatus et verax Tubinga mihi scripsit.[4]) Quid tamen illud sit experiar.

Nunc venio ad urbis nostrae statum. Quod tuis literis[5]) rogasti, ut proximi tumultus historiam apertius tibi et plenius exponerem, eo libentius facio quod nostra valde interest rem istic et apud vicinos probe cognosci. Sinistros enim rumores de nobis spargi plus satis notum est, idque eorum artificio, qui suo commodo nos passim exosos reddere cupiunt. Itaque gratum nostris officium praestabis, si summam eorum quae scripturus sum curaveris apud clarissimum senatum vestrum recitandam. Quin etiam, si tibi grave non erit, hanc epistolae meae partem fratribus nostris Schaffhusianae ecclesiae ministris descriptam mitti cupio, ut ipsi quoque apud suos urbem hanc falsa infamia liberent.

Res omnino sic habet.[6]) Duo fuerunt in senatu improbi homines, atque audaces usque ad summam impudentiam. Ambo etiam inopes et famelici. Alter *Perrinus* vocatur,[7]) alter *Vandelius*. Prior, quum capitaneus esset urbis, colluviem improborum proposita scelerum impunitate sibi conciliaverat. Nam si quid nequiter, proterve, dissolute gestum fuerat, ne vigerent legum poenae, patrocinium suscipere mox paratus erat. Alter vero fidus erat in his omnibus adiutor. Partem senatus blanditiis illectam tenebant. Quosdam sordidos, et qui gradum suum nisi eorum favore retinere non poterant, timore perculsos cogebant in suum obsequium. Cognati propinquitatis gratia devincti assentiebantur. Itaque in minore senatu eo usque invaluerat eorum potentia, ut libidini resistere vix quisquam auderet. Certe iudicia pluribus annis fuerunt in eorum arbitrio: et nundinatio minime obscura erat.[8]) Hoc non modo civitas videbat, sed apud vicinos et exteros eorum culpa pessime audiebamus. Neque tacebant permulti: quia saepe atrocibus probris vexati et lacerati fuerunt. Si quis contemptior eorum flagitia detexerat, illis in promptu erat ultio. Quidquid ab aequalibus dictum erat, facile vorabant. Interim tamen multi iam contraxerant callum servitutis. Omnia edicta in chartis mortua iacebant. Nullus denique legum metus vel pudor, si modo illi faverent. Nam et iudices cum urbis praefecto[9]) nonnisi eorum voto quotannis creabantur: eoque tandem progessa est petulantia, ut populus ipse, postquam suffragiis suis quisquilias nescio quas, imo turpissimas sordes elegerat, suum dedecus horreret. Hoc quidem proximo anno fatebantur omnes, si hostibus urbis permissa fuisset electio, non potuisse maiore cum ludibrio nihili homines ad honorem vocare. Iam quum antea, si quid peccaret minor senatus, vitiis et corruptelis medicinam afferre solerent Ducenti, multos illuc coniecerant ex faece, partim clamosos iuvenes et turbulentos, partim turpis et dissolutae vitae. Et ne copia eos deficeret, posthabita numeri ratione in turbam intruserant quoscunque sibi putabant fore appositos. Denique tam confusa fuit licentia, ut in curiam irrumperent quidam, ne ab ipsis quidem lecti.

Illa fuit factio, quae unum ecclesiae iudicium[10]) sibi obstare videns, quo minus effraenis impunitas vitiis omnibus exposita esset, ne quid disciplinae residuum maneret, de excommunicatione nobis certamen movit:[11]) nec destitit sursum ac deorsum omnia versare, donec magna contentione obtinuimus, ut consilium saltem ab ecclesiis Helveticis peterent.[12]) Quia autem responsum vestrum improbos spe et voto deiecit, paulo quietior deinde status fuit: sic tamen ut intenti subinde ad novas occasiones excusso pudore vincula omnia abrumpere tentarent. Caeterum, quum nobis molestum esset assidue fluctuari, tandem ausi sumus eos lacessere, ut certi aliquid decernerent. Qua in re mirabiliter eos frustratus est Dominus. Nam in illa promiscua colluvie suffragiis fuimus superiores.[13]) Sequuta sunt paulo post creandis syndicis comitia, ubi inopinata conversio apparuit. Hic vero improbi palam furere: quia se videbant in ordinem coactos. Itaque petulanter coeperunt multa tentare ad labefactandum praesentem statum. Nostris semper satis fuit, compescere sine tumultu eorum conatus, vel saltem frangere. Sed quia minime obscurum erat, illos sine modo inhiare novandis rebus, senatus optimum remedium eorum libidini opponere statuit. Ex hospi-

4) *Videtur de Volmario loqui cf. N.* 2220.

5) *N.* 2228. *Vides hanc nostram non d.* 15. *Iunii scribi potuisse.*

6) *Praeter has Calvini epistolas N.* 2218. 2244 *adeas Bonivardum, Galiffe, Not. gén.* III. 546 *et alterius Quelques pages p.* 99, *maxime vero Commentarios senatus quos in Annalibus exhibebimus.*

7) vocatus *edd. Eaedem ubique* Vandellius.

8) *Hic non penitus obliviscenda esset summa iustitiae lex: alteram quoque partem audiendam esse. Uterque, Perrinus et Vandelius, iam plus semel syndicus, nunc in senatu, prior olim Calvini fervidus assecla eum Genevam revocari curaverat.*

9) *hoc anno is erat Hudriod du Molard lieutenant de justice, vir consularis.*

10) *Consistorii.*

11) *Bertelerii causa iam conciliatione diremta erat, utraque parte promittente* de laisser caler toutes heines et inimitiés sans jamais s'en souvenir. (*Reg. du C.* 30. *Janv.* — 2. *Fevr.* 1554.) *Grenus.*

12) *Reg. du C.* 14.—22. *Jan.* 1555.

13) *N.* 2111. 2120.

tibus Gallis, qui hic diu habitaverant et quorum nota erat probitas, quosdam adoptavit in civium ordinem, forte ad quinquaginta usque.[14]) Senserunt improbi, quanto munitior hoc praesidio futura esset bonorum manus. Itaque omnem lapidem sibi movendum duxerunt, ut consilium hoc everterent. Res inter eos per compita passim et in cauponis et clam in privatis aedibus agitata fuit. Quum traxissent quosdam in suam sententiam, non modo fremitu sed apertis minis insurgere coeperunt. Subornatus fuit urbis praefectus, qui cum magna, sed turpi et pudenda caterva in curiam ascendens, denunciavit senatui periculum, si pergeret.[15]) Magna pars ex nautis, piscatoribus, cupediariis et cocis similique nobilitate conflata erat. Multi inquilini permixti. Quasi nonnisi his vindicibus ius suum civitas tueri posset. Senatus graviter respondit se nihil novi aggressum: sed quod antiquissimo usu semper in urbe receptum fuisset. Indignum vero esse, nunc et vetustum urbis morem convelli, et arceri a civium ordine, qui honeste longum tempus in urbe transegerant: et sibi denique eripi potestatem ab ultima memoria per manus traditam.[16]) Quia autem nihil violento imperio senatus agendum censebat, apertae conspirationi veniam in praesentia dedit. Tantum obiurgatus fuit praefectus quod protervis hominibus operam in causa tam iniusta locasset. Simul tamen factum fuit decretum de vocandis Ducentis: ad quos ubi ventum est, sancita fuit senatus minoris auctoritas, et permissum, ut posthac suo arbitrio ex Gallis hospitibus cives deligerent.

Sed antequam hoc postremum statuerent Ducenti, repente longius erupit eorum furor, qui ad extrema quaeque, ut in rebus desperatis, se proiicere in animum induxerant[17]) Nam tumultu nocturno prope ad summam cladem adducta fuit civitas. Pridie quam id accideret, multis nebulonibus datum fuerat gratuitum prandium. Duces alibi epulabantur: ex quibus alter, quem nominavi, *Vandelius* sumptum prandii sustinuit; *Perrinus* vero coenae. Volitabant interea nuncii: multae sinistrae notae observabantur: ut non frustra boni sibi metuerent. Moris autem est, postquam dispositae sunt in portis excubiae, praefectum vigilum circumire et dispicere stationes. Hoc munus singuli senatores vicibus obeunt.[18]) Quum media in urbe starent vigiles noctis eius clamorem non procul audiunt. Nam e regione post tabernas mercatorias quidam lapide percussus clamabat se occisum. Accurrunt igitur pro officio. Contra insurgunt duo fratres germani,[19]) ex sodalibus *Perrini* et *Vandelii*, homines quidem infimae sortis, cupediarii scilicet: sed qui in eadem mensa gratis coenaverant. Rem ex composito agi deinde patuit, quod duo soli plures armatos aggredi ausi fuerant. Atque hoc ambo confessi sunt et iudicibus, et pluribus aliis, et mihi privatim. Tametsi autem quum ad supplicium traherentur,[20]) negarunt signo dato se tumultum movisse, sic tamen multis indiciis convicti erant, ut sua impudentia nihil profecerint. Hoc quidem minime negarunt, se eodem die inter prandium et coenam *Perrino* animi gratia in propinquam villam egresso fuisse comites: inter eundum de quingentis hominibus armatis ad urbis custodiam aliunde vocandis habitum fuisse sermonem. Quum in merenda renovaretur eius rei mentio, *Perrinum* opificum adventu repressum, germanice, *Schwik, Schwik*, silentium indixisse. Quia autem villa illa extra fines Genevensis ditionis sita est, dixisse paratum illic fore asylum et hospitium, si quis in urbe capitale facinus patrasset. Crescente tumultu unus ex syndicis,[21]) qui non procul aberat, cum suo scipione, quod est insigne magistratus, et luminibus accensis prodiit. Tanta autem semper in hoc populo fuit sacri illius baculi reverentia, ut eius conspectu non modo sedatae fuerint maximae turbae, sed quum ad caedes ventum foret vis cohibita fuerit. Unus ex fratribus illis, exserto gladio obvius syndico incurrit. Syndicus insigni potestatis

---

14) *Inter quos Nic. Le Fert Ant. Calvini socer, Laur. de Normandie, Germ. Colladon, J. Crespin, Cl. Baduel, Pet. d'Aireboudouze etc. (Apr. et Mai.)*

15) ***Idibus Maii Du Molard plus semel senatum adierat de hac re acturus.*** Interrogé qui étaient ceux qui l'avaient ému ou contraint à cette démarche, il répondit que personne ne l'avait ému mais que plusieurs étaient venus le trouver . . . . non point pour forcer la Seigneurie, mais pour éviter confusion et pour le profit de la chose publique. (*Galiffe l. l. p.* 103.) ***Quae Calvinus hic aliter narrat ea sane non falsata esse dixeris, etsi de eius studio et invidia penes te iudicium esse debeat.***

16) *Galiffe p.* 101: Au mépris des arrêtés du Deux-cents le conseil calviniste s'était adjugé de fait le droit (qu'il se fit confirmer plus tard) de faire des bourgeois selon son bon plaisir sans qu'aucun autre corps politique eût à s'en mêler. . . . . . . *p.* 103: réceptions illégales, puisque le Deux-cents avait décidé de ne pas les continuer avant d'avoir fait de nouveaux édits sur ce sujet. — *Le Reg. du C.* 27. *Mai dit:* Les CC arrestent que les seigneurs du petit conseil continueront comme d'anciennete (sancita fuit senatus minoris autoritas *Calv.*). *Utri hic credas?*

17) *Galiffe:* Le prétendu complot du parti le plus faible de beaucoup n'était qu'un coup d'état monté d'avance par le parti calviniste. . . . . Les magistrats calvinistes étaient assemblés d'avance malgré l'heure insolite (9 à 10 du soir). *Cui contradicit expressis verbis Protocollum senatus. Caeterum Galiffius tumultum d.* 16. *Maii exortum perhibet.*

18) *Bonivard* 137: Arriva l'eschargnet (*la ronde*) commis par Messieurs, en armes, qu'estoient tous ieunes gens et la pluspart esleus nouvellement du Conseil des Deux-cents, un Michel Roset secretaire au lieu de son pere (qui estoit lors au lict de la mort) et depuis ha este mis a sa place, J. Fç. Bernard, Jaques fils de J. A. Botheillier, Fç. Baudichon, Me. P. Tissot de Crusillie chyrurgien etc.

19) *Comparet, qui d.* 27. *Iunii capitis damnati sunt.*

20) ***Vides epistolam m. demum Iulio scriptam fuisse.***

21) *H. Aulbert.*

fretus manum iniecit, ut in carcerem duceret. Advolant complures ex factione. Quidquid luminis erat exstinguitur. Negant illi se passuros bonum sodalem in carcerem duci. Adest confestim *Perrinus.*[22]) Ac initio pacificandi studium simulans, syndicalem baculum arripit, syndico in aurem susurrans: Meus est, non tuus. Ille quanquam pusillae staturae homo, non tamen cedere, sed contra animose et fortiter obniti. Passim interea per omnes urbis vicos clamor erat sublatus, et fere momento pervaserat, Gallos in armis esse ac urbem insidiis proditam: domum senatoris, qui nocte illa praefectus vigilum erat, refertam esse hominibus armatis. Emissarii, quos sibi favere noverant, eos tumultuose accersere. *Perrinus* quum minime dubitaret catervam suam iam satis validam esse, vociferari coepit: Noster est syndicalis baculus: eum enim teneo. Ad hanc vocem nullum consensus signum datum est, et tamen undique cinctus erat coniuratis: ut facile appareat arcano Dei instinctu retentos fuisse. Pudore ergo confusus et simul territus, paululum se recepit. Sed in alterum syndicum[23]) affinem suum incidens, baculum ei[24]) violenter extorsit. Ille quiritari vim sibi esse factam, ius urbis esse violatum. Quia autem armorum potentia longe vincebant improbi, nemo ad syndici querimoniam digitum sustulit ut subsidio veniret. Sed pessimos quosque rursum quaedam religio tenuit, ut nullus eorum *Perrino* succineret. Ita metu coactus baculum clam reddidit.

Erant iam in armis plurimi nebulones. Una vox ubique sonabat, trucidandos esse Gallos, et urbem ab ipsis proditam esse. Dominus autem pro miseris suis exsulibus incredibiles excubias agens, partim sopore eos perfudit, ut inter horrendos strepitus suaviter in lectis dormirent: partim continuit, ut minis et periculi terrore non fuerint perculsi. Nemo certe domo egressus est. Atque hoc uno Dei miraculo fractus fuit impiorum impetus, quod nullus ad conflictum se obtulit. Statuerant enim, ut postea facile innotuit, si qui aggressi essent, se defendere: occisis quibusdam, grassari in alios: quasi a nobis exorta esset seditio. Nec vero tantum hospitibus minitabantur, sed quidam etiam clamabant patronos esse occidendos, et poenas de senatu sumendas esse.

Atque hic vide senatus nostri clementiam. Nam licet deprehensi fuerint tam nefariae vocis autores, ac convicti, non modo pepercit eorum vitae, sed etiam a mediocri castigatione abstinuit, ut ne virgis quidem caesi fuerint. Syndici dum senatum cogi iubent, per urbem cursitare. Sed improbi suis copiis freti, non modo eludere eorum imperium et spernere, sed etiam conviciis obstrepere, ut spes esset remedii exigua. Hoc tamen praeter spem divinitus effectum est, ut paulatim resideret tempestas. Postridie[25]) decretum est, ut quaestio haberetur de vi publica. Syndici triduo in testibus rogandis consumpto, ne quis diceret se falso premi, Ducentos vocant. Dum recitantur testimonia, inter alios iudices sedebant ipsi quoque coniurati. Ut quemque vel culpae obnoxium vel sinistra suspicione gravari apparuit, tandem iussi sunt egredi ex curia: quia integri ad dicendam sententiam esse non poterant. Sed *Perrinus* detectum scelus videns, cum tribus aliis fuga elapsus est.[26]) Maior senatus, rei indignitate in iustam iracundiam accensus, decernit severe ulciscendum esse conspirationis scelus: et minorem senatum, penes quem sunt iudicia, ad poenas strenue exigendas hortatur. Citantur a primo apparitore fugitivi, deinde a praecone publico, ut fieri solet: quod per quindecim dies praecinente tuba factum est. Illi missis chirographis testari, se nisi data fide publica minime venturos. Atqui absurdissimum fuisset, quos ex vinculis reos causam dicere oportuerat, tanquam beneficiarios legibus solvi. Praescripta igitur die, quinque damnati sunt.[27]) Sed antequam iudices pronunciarent, coram toto populo recitata sunt crimina quorum convictos teneri necesse fuit, qui se vocati in ius non purgabant. Accessit postea eorum confessio, de quibus sumptum est supplicium, et qui adhuc in carcere tenentur.[28]) Unde constat magis esse noxios et sceleratos, quam ut effugium ullum pateat.

Et tamen, ut sunt perfrictae frontis, odiosos rumores spargere non desinunt: se falsa invidia fuisse oppressos, quod civium causam contra Gallos et senatum Gallis deditum tutati sint. Quasi vero

22) *Eadem fere narrat Galiffe, asserit tamen:* Toutes les dépositions, même les plus hostiles, s'accordent sur ce point que Perrin n'avait pas cessé de commander aux gens des deux partis de se tenir tranquilles *etc.*

23) *Petr. Bonna. Galiffe:* Aulbert était l'un de ces types qu'une foule de ridicules, innés et acquis, auraient à toute autre époque écarté de la magistrature *etc. Scilicet pharmacopola erat et* pusillae staturae! *Pergit:* Quant à Bonna, ses propres collègues l'avaient menacé de l'écarter du conseil à cause de ses harangues perpétuelles qui fatiguaient tout le monde. *Quid haec ad rem? Num Calvinus sua interesse putavit moriones primo loco in republica ponere? Syndicus Bonna testis esse contra Perrinum recusavit propter affinitatem prid. Cal. Iun., sed coactus fuit, et confirmavit quod et Albertus dixerat. Perrinus damnatus fuit* pour avoir attenté aux bastons sindicales. *Galiffius factum negat ut et ipse Perrinus fecit.*

24) Vi *edd.*

25) 19. *Maii:* On suyvra aux informations apres lesquelles on tiendra le CC. (*Reg.*)

26) *Perrinus d.* 24. *Maii in praedium suum Pregny, Bernensis ditionis, se recepit. Cum eo simul excesserunt Balth. Sept, J. Michallet et P. Verna. Vandelius et F. D. Bertelier remanserunt.*

27) *d.* 3. *Iunii, sc. quatuor illi fugitivi iam dicti et F. Chabod.*

28) *De Comparet fratribus v. not.* 19, *post eos Claudius Geneve et Fc. Daniel Bertelier.*

Ducenti, quorum praeiudicio confossi sunt, non sint ex civibus. Quasi collecto exercitu expulsi fuerint. Quasi plebs, si intelligeret libertatis suae patronos crudeliter opprimi, tantam iniuriam passura esset. Quin potius eorum discessu compositae sunt omnes turbae: discussa fuit quam induxerant caligo, leges revigueruut, reddita fuit urbi tranquillitas. Viderunt certe legati Bernenses[29]) qui illorum rogatu ad deprecandum venerant, non diversis studiis urbem scissam esse, nec ullis contentionibus flagrare: sed placido omnium consensu probari decretam in illos poenam. Ut summa impudentia praediti sunt, non modo extenuant admissum facinus, sed futilibus cavillis crimen in se de nihilo conflatum fuisse iactant. Quae tamen diluere non difficile est. Probabile esse negant, quum sub manu haberent magnam turbam, temere ipsos sine valido praesidio ad arma prorupisse. Quasi vero rarum sit vel infrequens exemplum, improbos amentia caecos et praecipites ferri. Certe quidquid obtendant, manifesta rabies unum ex cohorte impulit ut ictu lapidis hominem deiiceret, [30]) unde exortus est clamor. Eadem quoque duorum fratrum [31]) caecitas, dum gladiis nudatis in vigiles armatos impetum fecerunt. Iam vero syndicorum imperia, quibus non parere semper capitale fuit, petulanter et cum ludibrio spernere, non solum repentini furoris, sed conceptae prius audaciae, diuque inter ipsos concoctae[32]) signum est minime ambiguum. Clamor adhaec inter ipsos omnes consonus, de urbe a Gallis prodita, unde nisi ex coniuratione? Nisi enim ex compacto hanc tesseram sibi mutuo dedissent, qui fieri potuit, ut statim in locis longe inter se distantibus, vox illa de nihilo conficta congrueret? Nam et illius, quem dixi, *Vandelii* uxor[33]) quoscunque suae factionis fore sperabat, ostiatim accinit, [34]) Gallos proditionis incusans. Verum hoc est scilicet, quod confessus est quidam *Perrini* assecla, et quo nemo illi magis familiaris erat, nempe duos illos seditionis principes quatuor ante vel paucis diebus sic inter se loquutos: Quid cessamus brevi ignaviae nostrae poenas daturi? Iam triennium est, ex quo in caedem nostram conspirarunt hostes. (Porro, mihi in illo catalogo primum locum dabant.) Ergo antevertamus necesse est. Speciosus autem nunc oblatus est color. Dicemus e republica non esse, tam multos civitate donari. Nihil impetrabimus nec in minore senatu nec apud Ducentos. Ad populum provocabimus. Advolabit multitudo, etiam invitis syndicis. Partis nostrae homines subornabimus ut tumultum concitent. In tollendis hostibus nihil erit negotii. Tantummodo audendum est: quia de victoria securi sumus. Hoc ille *Perrino* intimus, et fere individua eius umbra, quater repetivit. Negent se iure damnatos esse, quibus in medio populi conventu et loco sancto duos ex syndicis, quosdam senatores, ex civibus optimos quosque, omnes innoxios trucidare propositum fuit. De me taceo, quem sibi gratis inimicum sumpserunt. Nam quod me caedem moliri, obtendere ipsos non puduit, putidius est quam ut excusatione indigeat. Et tamen nondum iudicio *Vandelium* persequutus est senatus.[35]) Sed eum mala conscientia urbe expulit: ut facile appareat, in maximo tumultu moderationem, qualis in rebus tranquillis servari solet, fuisse retentam: nec callide vel festinanter quidquam actum esse contra improbos. Quin potius tu si adsis, senatum nostrum lente progredi ac remisse dicas. Sed in hanc partem satius est peccari, ne quis praepostere, ut in iracundiae fervore accidit, saevitum esse queratur. Faxit Dominus, ut tantae liberationis memoria nos assidue ad gratitudinem stimulet, semperque in officio contineat.[36])

Quum has literas dictare inciperem, non putabam ab *Othomano* nostro perlatum iri. Nam etsi iam de suo itinere verba fecerat, quia tamen incertus erat, an recta istuc venturus foret, alio potius nuncio statueram uti. Nunc opportune accidit: quod non parum gaudeo: ut si quid propter brevitatem erit obscurius, sermone plenius confirmet atque explicet. Quod me ad patientiam bis hortatus es: ego vero tot indignitates placide tulisse mihi videor, et quasi vorasse, ut dum stomachum cohibeo, animus mihi quoque defuerit. Utinam saltem meo silentio ac dissimulatione placassem, qui odio mei in omnes bonos furere non desinunt. Sed quanquam inde magis accenditur quae pridem nimis grassata est rabies, mihi tamen fixum est nihil movere. N. provinciam obtigisse gaudeo, in qua se utiliter exerceat. [37]) Det modo ei Dominus fideliter ea defungi. Eum cum N. [38]) salvere cupio. Symmystis etiam tuis omnibus, uxori et familiae plurimam meo nomine salutem dices. Vale, ornatissime vir et semper

29) legati Bernenses *om. edd.*

30) *Bonivard* 145*:* Les Comparets mis a la torture confesserent que le jeune Berthelier (*not.* 26. 28) havoit donné le cop de pierre et deffraié la bende. *Hic Idib. Iul. in vincula coniectus est.*

31) *not.* 19.

32) conceptae *edd.*

33) *De ea et marito* (capitaine du Bourg de Four) *vide Bonivard* 141.

34) accivit *edd.*

35) *In actibus causae* (22. *Iul.* — 2. *Sept.*) *Vandelius agmen ducit* 25 *reorum. Ergo ante* 22. *Iul. scripta est haec epistola.*

36) *Hic subsistit Codex. Reliqua manu scripta non reperimus.*

37) *Scil. Ochinum inter Locarnenses.*

38) *Lismanino?*

observande frater. Dominus te spiritu suo regere et benedictione prosequi pergat. Genevae, 15. Iunii[39]) 1555.

Ioannes Calvinus tuus.

2244.

CALVINUS BLAURERO.

Eiusdem relationis exemplar ei mittit.

(Apographon praecedentis cum peculiari introitu et autographo post-scripto in Bibl. civica Sangallensi MSS. Vol. 37. Epp. VIII. fol. 37. Aliud exemplar mendosum extat in Bibl. Turic. F. 43, olim VIII. fol. 447 v. Edidit Pressel, p. 580.)

Ornatissimo viro et eximio Christi servo D. Ambrosio Blaurero Biellensis ecclesiae pastori fratri mihi observando.[1])

Quia ex proximo tumultu, qui hanc urbem et nos non parum turbavit, rumores et varios et sinistros etiam magna ex parte istuc quoque perlatos esse non dubito, qui te et plerosque nobis amicos non modo suspensos teneant, sed magna anxietate constrictos, mei officii esse arbitratus sum quod accidit historice et absque ulla amplificatione referre. Res igitur omnino sic habet.

(*Sequitur eadem relatio verbo tenus descripta quam modo in epistola ad Bullingerum missa legisti. Incipit a verbis:* Duo fuerunt *et desinit, ut et Ionvillaei exemplar, in verbo:* contineat.)

S.[2]) Ignosces, ornatissime vir et venerande frater, quod scriptae ad alterum epistolae exemplar tibi mitto. Succedent brevi alia quae novam materiam mihi suppeditent.[3]) Interim quidquid rumorum percrepat,[4]) quieto sis animo. Nec vero est quod metuat optimus *Musculus*, quemadmodum admonui, ne quid tentent nostri quod prudentibus et cordatis displiceat. Vale, et fratrem nostrum *Funclium*[5]) et reliquos amicos, praesertim qui me nuper in transitu hospitaliter exceperunt,[6]) plurimum saluta. Dominus vos omnes regat ac tueatur perpetuo. Symmystae mei vos diligenter salutant. Genevae 16. Iulii 1555.

Ioannes Calvinus tuus.

39) *Hic Bezam errasse ostendunt supra allata argumenta Not.* 5 *et* 20. *Incunctanter reponimus Iulium.*

2244. 1) *Haec C. manu propria.*

2) *Hoc etiam additamentum ipse exaravit.*

3) *Negotia plusquam difficilia cum Bernensibus Libertinorum fugitivorum patronis et foederis renovandi conditiones duras nimis proponentibus.*

4) *T. praebet* prorepat *et in margine* perstrepat.

5) *Bielensem ministrum.*

6) *De tali itinere etiam Pressel (in maiori opere* 1861 *edito p.* 503, *in minori p.* 142) *loquitur, sed ut videtur ex hoc loco argumentum sumens. Nos alibi nihil legimus.*

2245.

CALVINUS FARELLO.

Paucis pauca de coniuratione et coniuratis refert, omnia ex epistola ad Blaurerum accuratius cognituro.

(Ex autographo Cod. Genev. 113, fol. 134. Angl. III. 204.)

Eximio Christi servo Guill. Farello ecclesiae Neocomensis fido pastori fratri integerrimo et observando symmystae.

S. Nescio quid scribam, mi *Farelle*, nisi quod adeo turpis est mea ignavia ut culpam deprecari fere pudeat. Nuncius me de suo discessu tempestive admonuerat. Quum putaret literas paratas esse deceptus fuit. Restabat tamen adhuc aliquantum temporis, nisi a coena ad noctem usque me quaedam negotia retinuissent. Nunc meditanda est crastina concio et lectus me vocat, si valetudini consulere velim. Quare uno verbo scribam sic publice tranquillum esse urbis statum, ut ego minus sim otiosus vel quietus quam in maximis turbis. Fratres duo, qui capitis supplicio affecti sunt, signa in morte dederunt perditae obstinationis.[1]) Sed bene habet quod eorum dedecus magis ac magis indies detegitur. *Claudius* spurius,[2]) quem scis *Perrino* fuisse intimum, quamvis scelera omnia perfide supprimere conetur, praecipuum tamen caput aperuit, consulto motum esse tumultum. Iam minor *Bertellerius*,[3])

2245. 1) *Vide relationem de tumultu praecedentem not.* 19. *Alter fratrum d.* 28. *Iunii, alter* 3. *Iul. capite plexus fuit.* (*Bonivard* 146, *Galiffe, Qques pages* 110.) *Carnifex exsilium passus est* pour avoir mal fait l'execution. (*Reg. du* 4. *Juillet.*)

2) Claude Geneve le Bastard. (*Boniv.* 147. *Galiffe l. l.*) *Hic rem sic narrat:* Ce fut lui qui du haut de l'échafaud jeta aux réformateurs Calvin Viret et Farel (venus pour l'occasion) cette terrible accusation de ne l'avoir visité dans la prison que pour en obtenir, en lui faisant esperer sa grâce, des aveux propres à inculper ses prétendus complices. Ces aveux, l'abus de la torture avait seul pu les lui arracher. Il les avait révoqués chaque fois. Prêt à tomber sous la hache il déclara solennellement devant Dieu, faux et mensonger tout ce qu'on pourrait lui imputer dans ce sens. Ces accusations donnérent ensuite lieu à un procès posthume, dans lequel on eut soin d'écarter tous ceux qui avaient entendu ces paroles.

3) *Daniel, maître de la monnaie.*

qui nudius tertius captus est, incipit diserte loqui. Sed nihil adhuc certi perscribo, nisi quod ex epistola ad *Blaurerum* disces, quae tibi antehac magna ex parte nota erant. Vale, frater integerrime. Dominus tibi semper adsit teque servet ac benedicat. D. praefectum salvere cupio et reliquos amicos, inprimis *Christophorum* et *Maturinum*. Nostri, quibus salutem dixi tuo nomine, te resalutant, *Budaei*, *Normandius*, *Triecius*, frater meus. Genevae 16. Iulii de nocte 1555.

Ioannes Calvinus tuus.

Unum mihi exciderat, nisi forte antehac tibi significaveram, *Melanthonem* postremis literis mihi testari, se ingenue absque ambiguitate se * proditurum quid de sacramentis sentiat.

2246.

CALVINUS STURMIO.

Commendat ei Franciscum Hotomanum Argentoratum petentem.

(Ex autographo Bibl. Hamburgensis ubi asservatur Codex epistolarum a theologis Saec. XVI. scriptarum signatus N. 61. qui continet 122 epp. ordine chronologico dispositus. Haec nostra est quinquagesima quarta. Cf. librum qui inscribitur: Conspectus suppellectilis epistolicae et literariae manu exaratae quae exstat ap. J. Cph. Wolfium. Hamb. 1736. 8.)

Ornatissimo viro et mihi multis nominibus honorando amico D. Ioanni Sturmio.

S. Ubi propius tibi innotuerit hic amicus noster, magis tibi, ut spero, eius ingenium et eruditio placebunt quam ut mea commendatione indigeat. Nunc vero, ne ignotus ad te accederet, sine meis literis eum dimittere nolui. Fieri quidem potest ut nomen audieris: idque probabile est. Est Franciscus *Hotomannus*, qui iam lucubrationibus aliquot non poenitendum specimen elegantioris doctrinae edidit. [1]) Sed ne forte erubesceret, si forte negotiis districtus eum primo congressu minus familiariter exciperes, aditum patefacere volui. Quum pridem magno tui videndi desiderio flagraret, nunc ut vires ex diuturno morbo languidas reficeret hac occasione cupide usus est. Haec eadem commendatio apud D. *Petrum Martyrem*, D. *Sleidanum* et similes valebit, quos ego salvere cupio. Quod autem ad eos non scribo dabunt veniam: quia, dum *Hotomanus* de sua ad vos profectione me certiorem fecit, mihi scribendi defuit opportunitas. Vale, ornatissime vir et mihi plurimum honorande. Dominus semper tibi adsit teque gubernet. Amen. Genevae 16. Iulii 1555.

Ioannes Calvinus tuus.

2246. 1) *Post plura scripta iuridica ediderat a.* 1554: De statu primitivae ecclesiae eiusque sacerdotiis *etc. et* 1554: Comment. in nobiliores M. T. Ciceronis orationes, eas maxime quae quaestionem aliquam iuris civilis insignem continent. (*Rob. Steph.*)

2247.

VIRETUS FARELLO.

Geneva redux nonnulla tradit de exitu coniurationis.

(Ex autographo Bibl. pastorum Neocomensium, Epp. Vireti, Fascic. IX. N. 14. Exemplar in margine arrosum vetustate.)

Eximio Christi servo Guilielmo Farello fido Neocomensis ecclesiae pastori patri suo plurimum venerando.

Neocomi.

S. Heri Geneva redii ubi totos octo dies commoratus sum. Ecclesia est pacatissima. Ex quo abiisti nemo alius est in carcerem coniectus praeter unum *Bertillerium*, qui proximo die dominico captus est, [1]) non autem ille qui tamdiu vixit excommunicatus, sed eius frater qui monetae excudendae praeerat. Alter [2]) ab urbe profugit. Sunt nautae aliquot pr[*ehensi*]. Duo illi qui iam capti erant quum illic esses, nempe *Claudius* ille qui N[*oth*]us Genevensis dicebatur, [3]) et eius frater cui cognomen est pilloso *, adhuc in carcere d[*etinentur*]. Ego illos cum *Calvino* invisi, rogaruntque ut te plurimum

2247. 1) *ergo pridie Idus Galiffe vero dicit:* Il ne fut arrêté qu'après avoir fait le 15 son rapport sur sa mission (relative à son office de monnayeur pour Salins). *Accusatus erat laesae maiestatis et quod lapidem in Gallum quendam iecerit quae tumultus origo fuit.* (*Bonivard* 137. 146.)

2) *Senior frater Philibertus postridie Nonas Augusti absens capitis damnatus fuit.*

3) *N.* 2245, *not.* 2. — *Pater erat* Jehan de Genève, chastelain de Genthod. *Erat haec spuria progenies veterum comitum Genevensium. Huic alteri poena decreta fuit* à être fouetté jusqu'au sang et à garder les arrêts perpétuels, c'est à dire à ne pas quitter la ville sans permission sous peine de mort. (*Galiffe* 110.)

suis verbis saluta[*rem, tuisque*] commendarem precibus. Dominus magistratum spiritu prudentiae et fortitudinis imple[*at*] et dirigat.

De rebus nostris quid scribam non habeo. Habent ut prius. — — — — —

Calvinus et fratres omnes Genevenses et Lausannenses te a[*mantissime*] salutant. Salutat uxor et familia. *Mariam* filiolam tuam duxi Genevam, quam commisi compatri meo *Enoco* ludimagistro, ab uxore instituendam. Saluta collegam, ad quem mitto 13 asses quos dederat ad viaticum mulieri quae huc missa est ad uxorem. Saluta D. praefectum et amicos alios. Lausannae 18. Iulii 1555.

Tuus Petrus Viretus.

2248.

VERNOU AUX FRÈRES DE GENÈVE.

Récit de sa translation à Chambéry et de celle de ses compagnons et de leurs premiers interrogatoires. [1])

(Histoire des Martyrs, éd. de 1619, fol. 345. v.)

Mes freres, il a pleu à nostre bon Dieu nous faire cest honneur d'avoir esté menez l'un apres l'autre enchainez de la prison en l'auditoire par devant le lieutenant du Vibailli, le Prevost, l'Advocat du Roi, les Officiaux de ceste ville et de Tarantaise, l'Inquisiteur de la foi, l'Evesque portatif nommé *Furbiti*, [2]) quelques moines et autres personnages. Là derechef on nous a demandé si nous voulions estre opiniastres en nos heresies, qu'ils appelent: mais apres nous estre recommandez à la conduite du S. Esprit avons remonstré que quand on nous print nous ne faisions quo passer nostre chemin paisiblement, et au reste, quant à nostre foi, qu'elle estoit telle que celle de Geneve, Berne et autres Eglises reformees par l'Evangile et comme desia en avions fait quelque confession. De nous contraindre à la quitter pour accepter celle de l'Eglise Romaine, qu'ils ne le pouvoyent faire legitimement: veu en premier lieu que ceux qui ne troublent l'ordre publique ne doyvent estre persecutez pour leur foi. Secondement, combien que graces à Dieu, soyons certains de nostre foi, toutesfois si on nous monstroit par la saincte Escriture estre defaillans en quelque chose, nous serions prests de nous assuiettir à nostre Dieu puis que de tout temps il nous avoit donné ce sainct desir de le servir, mesme du temps de nostre ignorance, auquel nous le servions à l'esgaree. Et que par ce moyen il nous a incitez à nous enquerir de quel costé estoit sa verité en ces grands troubles touchant la Religion. Et nous a finalement rengez au parti de ceux de Geneve entant qu'ils soustienent la verité, et ne demandons autre chose sinon que la Bible soit mise avant pour estre nostre Iuge. Et puis que l'Institution Chrestienne dont fusmes trouvez saisis estoit là sur la table, qu'en icelle nous monstrerions responses peremptoires à tout ce qu'ils pourroyent alleguer: voire encore qu'ils dissent que ledit livre estoit reprouvé et condamné au Concile de Trente, avec defense de ne le lire aucunement. — —

Mercredi 10. de Iuillet nous fusmes amenez l'un apres l'autre enchainez par devant le lieutenant du Vibailli, accompagné de deux vicaires l'un de l'Evesque de Tarantaise l'autre de l'Evesque de Grenoble, l'Inquisiteur de la foi et d'autres moines tant Iacopins que Cordeliers et un Evesque portatif nommé *Furbiti* . . . . Et apres que le Prevost nous eut lu nostre confession de foi, on nous demanda si cela contenoit verité et si nous voulions y persister: nous dismes en la vertu et force du S. Esprit qu'oui et que voulions soustenir le contenu en icelle iusqu'au dernier souspir de nostre vie et effusion de la derniere goutte de nostre sang, comme estant fondee sur la parole de Dieu contenue au vieil et nouveau Testament. Bien est vrai que d'autant que les Seigneurs de Berne avoyent presenté requeste aux seigneurs du Parlement et envoyé herauld accompagné d'un escholier de Lausane pour nous delivrer, nous requismes qu'il nous fust faict droict là dessus, et que ne recevions pour nos Iuges competens lesdits Vicaires et Inquisiteur de la foi, comme estans parties adverses de l'Evangile et des Eglises reformees: bref que ne respondrions point devant eux. Ce que nous disions non pour reculer mais pour ne les habiliter pour nos Iuges. Car quand la cour nous en bailleroit d'autres, estions prestz de faire ample confession de nostre foi et religion Chrestienne et de la prouver par l'Escriture selon la grace que Dieu nous en auroit donnee. Le Lieutenant nous commanda par deux ou trois fois et usa de commination: mais nous persistasmes en nostre appel et ainsi fusmes ramenez aux prisons, excepté que nostre frere et compagnon en

---

2248. 1) *Nous ne donnerons de cette longue lettre que les parties essentielles pour l'histoire. Le procès se prolongeant, elle est suivie d'une série d'autres, que nous n'insérerons non plus toutes dans notre collection.*

2) *Ce nom est fameux dans l'histoire des premiers mouvements de la réforme à Genève.*

l'oeuvre du Seigneur, maistre Iean Vernou, disputa contre les moines environ cinq heures. [3])

— — — — — — — — — — — — — — — — —

Hier 17. les moines par leur sentence definitive nous declarerent heretiques et nous excommunierent de l'Eglise Romaine comme membres pourris. Et nous bien ioyeux declarasmes que cela nous estoit un tesmoignage que nous estions de l'Eglise Chrestienne ayant pour chef Iesus Christ, puis que l'Antechrist nous bannissoit de la siene, et que nous estions en la voye de paradis puis que les membres de Satan declaroyent que nous n'estions des leurs. Loué soit le Seigneur de la grace qu'il nous a faict d'estre sortis des horribles blasphemes de ces diables encharnez. Nous attendons nostre sentence de iour en iour et l'issue que le Seigneur Iesus nous donnera, lequel nous est gain soit à la vie soit à la mort. Et bienheureux serons nous si nous mourons au Seigneur, comme il est escrit en l'Apocalypse. — —

Ce dixhuictiesme de Iuillet 1555 vous disant à Dieu pour la derniere fois et nous recommandant à vos bonnes graces et sainctes prieres. Vous disant le grand et dernier adieu de ce monde pour aller à la gloire celeste et recevoir la couronne qui nous est preparee par nostre Roi et Seigneur Iesus.

2249.

BEZA BULLINGERO.

Quoad tumultum nocturnum Genevae ortum eum ad Calvini relationem remittit. Altera controversia eaque ecclesiastica nondum diremta. Opus suum biblicum sub prelo esse docet.

(Ex autographo bibl. civic. Turic. MSS. F. 62 olim Epp. Tom. 27, fol. 15. — Simler. Vol. 85.)

Eximio servo Dei et patri mihi inprimis observando D. Henrico Bullingero ecclesiae Tigurinae fidelissimo pastori.

Tiguri.

S. Quum *Hotomannus* noster ad vos proficisceretur, mi pater, nec potui, nec sane debui illum praetermittere absque meis ad te literis. Accipe igitur diuturni nostri silentii causam. Occurrebant quidem quotidie nimis multa de quibus scriberem, sed exitum aliquem harum turbarum censebam exspectandum, ut semel omnia ad te perscriberem. Hoc igitur dum exspecto multum temporis effluxit. Ecce vero, dum totus in eo sum, D. *Calvinus*, qui rebus omnibus praesens interfuit, quemque etiam adversarios non pudet (ut sunt omnium hominum impudentissimi) tanquam istorum malorum autorem accusare, isto labore nos liberavit. Ex eius literis igitur omnia abunde cognosces: cognosces, inquam, singularem Dei nostri in miseris suis exsulibus conservandis curam ac sollicitudinem, ut plane verum sit quod scripsit David, saepe hoc idem in se ipso expertus, Israëlis custodem non modo non dormire sed ne dormitare quidem. Ut nunc quidem res sunt, incredibilis tranquillitas istas turbas excepit, neque ulla unquam maior illic fuit inter omnes consensio. Sed vereor ne illi plures reperiant suae improbitatis patronos, quam ut pacem istam ausim mihi in longum tempus polliceri: neque usquam nisi in solis precibus nobis praesidium relictum video, quod tamen unum satis erit profligandis adversariis omnibus, modo hoc nobis tribuat Dominus ut rite possimus precari.

Quod ad alteram controversiam [1]) attinet, quam istae controversiae sunt sequutae, liberavimus animas nostras, exposuimus sententiam nostram, [2]) questi sumus de [*in*]dignitate, praediximus quae mala im[*minerent*. *Ne*]mo adhuc nobis credidit. Supe[*rest ut ad ea subeunda*] nos comparemus quae D[*ominus nobis imponet*. *Quid eveniet*] solus ipse novit, sed non possumus non exspectare tristissima in tanta hominum ἀναλγησίᾳ.

Haec habui quae nunc scriberem, mi pater. De vestris scholasticis nihil sinistri audimus, Dei beneficio, et speramus officium facturos. Nos quidem constituimus illis non deesse. Quod ad me scripsisti de Novi Testamenti versione, [3]) ita est ut acceperas. Nam veterem interpretationem cum caeteris comparare coepi iampridem, et iam coepit opus excudi. Horum omnium quae vel immutantur a nobis (quae pauca sunt) vel retinentur ex vetere interprete, quum sint ab *Erasmo* mutata, rationem reddimus in annotationibus quae simul excuduntur. Utinam hic noster labor ecclesiae Christi tam sit utilis quam est a me prompte et alacriter ex amicorum consilio ac paene mandato et imperio sus-

3) *La substance de cette dispute est résumée dans la partie de la lettre que nous omettons. Elle portait sur la messe, la transsubstantiation, l'autorité de l'Écriture, le témoignage du S. Esprit, la certitude de la foi, et les traditions.*

2249. 1) *de Praedestinatione.*
2) *N.* 2195.
3) *Prodiit tandem a.* 1556 *forma maxima ap. Rob. Stephanum:* N. T. latine iam olim e veteri interprete nunc denuo a T. Beza versum cum eiusdem annotationibus. *Cf. Masch. II.* 3. *p.* 576. *Reuss, Bibl. N. T. p.* 84.

ceptus, qui a me aliquid in hoc genere praestari posse existimarent. Bene vale, mi optime pater. Dominus Iesus te magis ac magis indies confirmet et suae ecclesiae incolumem servet. Lausannae 21. Iulii.

Th. Beza plane tuus.

2250.

CALVINUS FARELLO.

Quid iam in causa seditiosorum actum sit et porro actum iri oporteat. Captivi Cameracenses. Mutationes in ministerio Genevensi.

(Ex autographo Cod. Genev. 107ᵃ, fol. 111. — Legitur quoque in Cod. 108, fol. 51; in Epp. Bern. VI. p. 468 et apud Simlerum. Vol. 85.)

Eximio Christi servo Guillelmo Farello ecclesiae Neocomensis fido pastori fratri et symmystae vere mihi colendo.

S. Quod de urbis nostrae statu rarius ad te scribo, eorum potius tarditati imputa a quibus petenda erat scribendi materies, quam meae pigritiae. Nam dum tempus lento progressu extrahitur, scribere me pudet nihildum esse actum. Quam improbe tenebras in morte offundere conati sint duo fratres, haud dubie istuc est perlatum. Bene tamen est quod omnibus perspicua est eorum nequitia, nisi quis sponte caecutiat. Et certe mihi persuasum est, non absque certo Dei iudicio sub manu carnificis praeter iudicum sententiam ambos longum cruciatum pertulisse. [1]) Nunc vero qui in vinculis tenentur eorum flagitia satis aperte detegunt, quanquam hi quoque iudices suos crasse deludunt. *Claudius* nothus, [2]) quem scis intimum fuisse *Perrino*, scelestam et nefariam conspirationem retexit, quae nondum comperta fuerat. *Bertellerius* iunior hominem iactu lapidis prostratum a se fuisse non negat. Sed deinde ambo puerilibus cavillis fucare omnia conantur. Videbimus tamen ante biduum, ut spero, quid illis extorqueat quaestio. Porro ne urbem tot civium absentia, quod per ludibrium iactabant fugitivi, vastitate deformet, revocatus est a praecone *Vendelius* cum magna caterva. [3])

De fratribus nostris qui Cameraci tenentur in carcere non aliud in praesentia scribere expedit, nisi incredibili alacritate ad mortem obeundam esse accinctos. Exitus in Dei manu adhuc clausus nos latet. Duas ab illis epistolas accepimus, quarum in priore te verbis quae ad marginem adscripsi [4]) salutabant. Alteram, quae tribus ecclesiis est communis, Lausannam misi, hac lege ut fratres exemplar tibi describi mox curarent. *Viretus* hinc nuper discedens [5]) propinqui reditus, nisi quid accideret, spem mihi iniecit. Rogavi, si ad proximum Septembrem veniret, ne id sine comite. Videbis igitur quid ferat tua commoditas.

Vale, optime frater et praestantissime Christi serve. Dominus te semper gubernet tueatur ac benedicat. Saluta collegam et reliquos fratres. Salutant te symmystae mei, in quorum numerum cooptatus est nuper *Anduxius*, [6]) quia in urbem revocatus est *Gallasius*, quod plures nunc conciones habentur. Salutant te etiam *Budaei*, *Normandius*, *Triecius*, frater meus et alii amici. Genevae, 24. Iulii 1555.

2251.

LES PRISONNIERS DE CHAMBÉRY AUX MINISTRES DE GENÈVE.

Pour ne point compromettre les chrétiens des vallées ils se sont permis un mensonge devant leurs juges. Ils s'en accusent, et s'en excusent en invoquant les exemples d'infirmité de la chair consignés dans l'histoire des Patriarches.

(Histoire des Martyrs. fol. 353. v. Éd. de 1619.)

I. Vernou, A. Laborie, I. Trigalet, B. Bataille, G. Tauran, [1]) prisonniers de nostre Seigneur Iesus

---

2250. 1) *Cuius tamen imperitia talis fuit ut senatus publicae indignationi morem gerens cum exsilio mulctavit.*

2) nostras *apogr. omnia.*

3) Devant que faire mourir les Comparets lon fit crier et proclamer tous les accoulpez comme lon havoit faict paravant les autres, et condamna on les cries a diverses peines, Wandelli, J. Sept et l'ancien Berthelier a estre decapitez, des autres les uns furent bannis perpetuellement de la ville et de son ressort, les autres pour dix ans, pour trois *etc.* (*Bonivard*, 146. *Reg.* 6 *août*.)

4) Pource que nous nescrivons point a nostre bon pere Monsieur Farel, nous vous prions le saluer de par nous et nous recommander à ses ardentes prieres.

5) *N.* 2247.

6) Pierre d'Aireboudouze, seigneur d'Anduze (*Reg. du Conseil* 12. *Iul.*) *V. D. M. in Jussy creatus est; in locum Gallasii. De aucto numero concionatorum v. Reg. ad* 24. *Iun.*

2251. 1) *Leurs prénoms étaient Jean, Antoine, Jean, Bertrand et Guyraud.*

Christ aux ministres de Geneve et à tous nos bien-aimez freres au Seigneur: Grace et paix de par Dieu nostre Pere et de par nostre Seigneur Iesus Christ en la vertu du S. Esprit. Ainsi soit-il.

Puisque Dieu par sa misericorde, nous ayant retirez de ce meschant monde rempli de scandales infinis, nous a fait ses vaisseaux d'honneur, à ce que sa gloire reluise en nous pour amener en son Eglise nos prochains, c'est bien raison que mettions toute diligence, non seulement à nous contregarder de tout scandale, mais aussi de toute aparence de mal, et au contraire que nous soyons touchez au vif d'un tel zele de la maison de nostre Dieu que nous soyons comme bruslez et consumez à l'exemple de David, miroir de tous fideles, ou plus tost de nostre chef et capitaine Iesus Christ par lui representé. Toutefois le diable a de tout temps, et surtout auiourd'hui, une telle vogue par le monde que quelque solicitude qu'ayent les serviteurs de Dieu de ne scandaliser personne mais d'edifier tous, si est-ce qu'ils n'en sauroyent venir à bout comme ils devroyent, comme nous voyons en Abraham pere des croyans, en Loth, David, Rahab et autres fideles, qui sont presque venus iusques là, tant par la malice de Satan et des siens que par l'infirmité de leur chair, qu'ils ont quelquefois usé de moyens obliques, et comme à travers champs, pour parvenir à quelque bonne fin. En quoi le Seigneur les a voulu, et nous en eux, instruire en humilité et crainte: tant s'en faut qu'il en ait voulu donner quelque coussin à nostre maudite chair, ou occasion de nous esgayer en moyens illicites: que plustost nous tremblions devant sa bonté, puisque selon l'alliance qu'il a daigné faire avec nous povres charongnes puantes, il nous traite si humainement.

Ceci disons-nous, messieurs et freres tres-chers, non point afin que vous nous excusiez ou flattiez en nostre ignorance et foiblesse procedantes d'une trop grande infidelite et desfiance de la sagesse incomprehensible et de la providence plus que paternelle de nostre bon Dieu tout sage et tout puissant, qui sait bien besongner sans moyens et mesme contre tous moyens: mais afin que par pitié vous le priez pour nous, nous consoliez par vos lettres, et apreniez à nos despens de vous exercer en la meditation de ceste tant saincte et admirable providence de Dieu, ayans en detestation ces malins qui ne demandent qu'à renverser un article de nostre foi tant utile, tant necessaire, et lequel par experience avons senti estre un trespuissant et tresferme boulevard contre toutes les tentations des ennemis: mais ce n'a pas esté tousiours d'une egale mesure de foi: qui a esté cause qu'avons esté contrains d'user d'un moyen oblique en quelque endroit, comme vous pourra dire plus au long ce bon frere porteur de la presente, et aussi nous en dirons quelque mot.

C'est qu'estans interroguez si ce n'estoit pas l'un de nous qui a presché à Barbotta, Fenestella etc. et mesmement le iour de Pasques en un pré, et si nous ne reconnoissions point Barbe[2]) *Paul* et plusieurs autres qu'ils nous nommerent (suyvant la teneur des lettres que leur escrivoit le premier President de Grenoble touchant ce poinct) et mesme toute l'entreprise et poursuite de nos bonnes gens, au moins pour la plus grande partie, nous niasmes tout à plat le faict et que ne savions rien de tout cela. Ce que ne fismes sans y estre fort solicitez par les Freres, avec gemissemens et prieres à ce bon Dieu, lesquelles tant lesdits Freres que nous lui presentasmes bien affectueusement, ni aussi sans avoir bien mis à la balance, tant que l'imbecillité de nostre iugement se pouvoit estendre, lequel des deux maux seroit le moindre, ou d'user de mensonge, ou de mettre au trenchant de l'espee, et exposer au feu tant de bons personnages anciens, femmes et enfans: voire que les pasteurs fussent aucunement les bourreaux de leurs brebis pour lesquelles ils ne devoyent mesme espargner leurs ames. O quel creve-coeur! Certes, tres-chers freres, quand il n'estoit question que d'abandonner nos personnes à la mort pour la confession de nostre foi, Dieu avec un tel honneur nous faisoit aussi la grace d'estre gais en lui et de lui chanter Pseaumes, au grand regret et rage de nos ennemis. Mais nous confessons que quand on apporta les nouvelles que l'on nous devoit interroguer de tels poincts à la requeste dudit President, qui mettoit en avant ce que nos Iuges taisoyent volontiers, encores qu'ils en eussent quelque occasion à cause des lettres que portions: alors nous fusmes bien estonnez, ne sachans que penser, ne dire, ne faire. Car quand il n'eust esté question que d'endurer toutes sortes de tourmens: et bien la chair eust fremi et fait des sienes, si est-ce que l'Esprit l'eust gaignee: mais selon nostre iugement nous voyons qu'ils n'eussent pas laissé pourtant, quelques tourmens qu'eussions endurés d'estre en danger: veu que si nous eussions dit qu'oui, on nous eust trainé à Grenoble et là tourmenté, confronté tesmoins et mesmes mené sur le lieu. En ceste perplexité nous fismes conclusion de tout nier, nous remettans toutefois à la conduite de la providence de Dieu qui pouvoit user de moyens à nous inconus. Or il lui a pleu que les choses ayent esté tellement menees que cest orage est aucunement cessé: de sorte que tous nos amis disoyent que tout ira bien, et qu'il ne reste plus qu'à prononcer nostre sentence des galeres: comme vous dira ce porteur. Cependant nous remercions le

2) *le ministre* (*terme vaudois*).

Seigneur de sa bonté envers nous, et mesmement envers nos entrailles, assavoir nostre povre troupeau: et le prions qu'il lui plaise la continuer et accroistre selon sa promesse et maniere de faire envers tous les siens. Et quant à ce qui a esté meslé de nostre corruption parmi sa providence et son ouvrage, qu'il n'entre point en iugement avec nous, mais qu'il nous pardonne et cela et tant d'autres meschancetez au Nom de son Fils Iesus: et qu'il nous reforme tellement par son Esprit que nous sabbatisions mieux que iamais, renonçans à tout ce qui est du nostre, pour nous laisser paisiblement conduire selon sa saincte volonté. Et s'il lui plait nous chastier comme ses enfans, qu'il nous laisse plustost aux galeres, ausquelles nous sommes condamnez à perpetuité, ou en quelque autre sorte qu'il lui plaira: seulement qu'il frappe sur nous et la maison de nos peres et que ce peuple estant espargné plustost il nous abysme. Helas, Seigneur, ta volonté soit faicte. Ayes pitié de nous et des brebis de ta pasture, lesquelles tu nous as commises, voire ame pour ame. Que ce que tu disois à S. Pierre resonne tousiours en nos oreilles et en nos coeurs: Pierre m'aimes-tu? Pai mes brebis. Que la charité de Moyse, de S. Paul et mesme de Iesus Christ soit tousiours devant nos yeux. Ce que nous demandons pour nous aussi faisons-nous pour vous, ô bien-aimez, et mesmement pour vous nos bons Peres en Iesus Christ, treschers et tres-honorez pasteurs de son Eglise: vous prians de faire le mesme en vostre endroit pour nous, ainsi que nous nous recommandons affectueusement à vos bonnes graces. La grace et dilection de Dieu nostre bon Pere par nostre Seigneur et Sauveur Iesus Christ son Fils en la communion du sainct Esprit soit à iamais avec vous tous. Amen. Des prisons de Chamberi ce vingtcinquiesme de Iuillet.

Vos humbles freres les susnommez.

2252.

FARELLUS CALVINO.

Gratulatur ei Gallasium collegam restitutum et Melanchthonem in re sacramentaria tandem publice veritati calculum adiecturum. Seditiosos contra ecclesiam potius quam rempublicam conspirasse putat.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 121, coll. cum Cod. 116, fol. 39, Epp. Bernens. VI. pag. 471 et Simleri Vol. 85.)

Praestantissimo Christi servo Ioanni Calvino pastori ecclesiae Genevensis invicto Christi athletae fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Vix tandem potui intelligere, quum tamen diligenter inquirerem, audiens ut necesse erat, octavum esse datum ministrum *Gallasium* tibi et ecclesiae restitutum.[1]) Tibi, isti et ecclesiae gratulor. Utinam ita miseris possem gratulari, qui autores fuerunt in tui invidiam, ut a te remotior fieret. Sed plus quam infelices, quum gravate te audirent, ut dicebat *Viretus*, nunc si vellent non possunt. Merito agere gratias Domino debemus quod ita ecclesiam repurgarit. Historia,[2]) quae non sine causa gemitus excitare debet, quod ita insani homines in Dominum insurgant, magnum affert gaudium quod tam benigne Deus suis prospiciat et consulat eripiatque a malis neque praevisis neque cogitatis. Nondum ad *Blaurerum* missa fuit quia nuncium non habui. Quantum possum assequi, dudum parturiebant improbi quae male tandem parere enitebantur. Hostes omnes tam qui cum *Hieronymo* quam *Serveto* et *Castalione* faciunt minabantur Genevae, ne dicam tibi. Dominus omnium immutet corda, ut omnes discant eum timere ac verbo ipsius parere.

Valde me recreasti spe quam facis de *Philippo*,[3]) qui utinam tandem praesenti animo ecclesiae rationem habeat, et excusso omni metu quod verum est plane fateatur et falsa omnia damnet. Spero multum fructus ad ecclesias rediturum. Opto vinctis nostris[4]) praesentem Dominum semper adesse, et veram largiri liberationem. Quod olim abs te petebam, iterum et iterum peto, ne in tantis laboribus te consumas, teque graves scribendo ad me et mei similes sed provinciam aliis iniungas. Omnes laetantur super gratia Domini isti facta urbi et piis peregrinis et exteris. Gratissima fuit praefecto tua salutatio, iubetque te salvum esse et collega item. Cupio pios salvos, collegas et reliquos, quos praetereo nominare ne te diutius remorer. Vale bene. Dominus Iesus semper tibi et ecclesiae maiorem addat gratiam, omniaque reddat feliciora. Neocomi 27. Iulii 1555.

Tuus totus Farellus.

2252. 1) *Vide praecedentem Calvini. Antea iam eius fuerat amanuensis.*
2) *N.* 2243.
3) *N.* 2245.
4) *Cameriacensibus.*

2253.

HALLERUS BULLINGERO.

Negotium Genevense concordiam inter utramque civitatem minime firmat. Calvinus pessime audit, apud Bernenses quibus ipse et collegae pro libitu satisfacere nequeunt.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 154, olim. Scrin. B. Epp. Tom. 32, fol. 221. — Simler. Vol. 85.)

Clarissimo D. Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori fidelissimo domino ac compatri suo honorando.

Tiguri.

S. Quamvis nihil sit nunc quod scribam, nolui tamen hosce tuos sine meis ad te venire. Per ipsos enim abs te exspecto copiosiores. Quid hic fiat exponent ipsi. Genevae audimus exulcerata omnia. Aliqui nunc supplicio affecti. Nostri exacerbantur quoque in illos magis ac magis. Vereor peiora sequutura nisi Dominus avertat. *Calvinus* pessime audit.[1]) Literae quaedam illius ad amicos scriptae et ab illis dum incautius servarentur surreptae, seu potius antequam ad illos pervenirent interceptae, magna illum gravant invidia.[2]) Nihil efficimus illum defendendo et excusando. Nova etiam lis[3]) inter quosdam ministros est, qui iniuriarum se mutuo accusant, et vereor ne plures adhuc involvantur alii. Magnum hinc gignitur scandalum, et eo magis ministerii deprimitur autoritas quanto magis ipsi contendendo eius dignitatem extollere conantur. *Calvino* et *Farello* parum nos praestare videmur. Sed quid agamus in mari isto turbarum et negotiorum, nisi ut ad clavum fortiter stantes, si non fluctus compescere, saltem navem incolumem servare enitamur? Cras praefecti creabuntur. Unde iniquo admodum tempore hi abs te vocati videntur. Velim enim eos interesse. De expeditione gallica satis tibi constat. Ex Gallia nihil habemus, nisi quod Cameraci et alibi multi propter veritatis professionem in vinculis detinentur, et quotidie aliqui tolluntur. Dominus misereatur ecclesiae suae et servet nos a malo. Salutem tuis omnibus meo meorumque nomine dicito. Bernae 27. Iulii 1555.

I. H. tuus.

2253. 1) *Bernae.*
2) *N.* 2199. 2231.
3) *De qua hucusque nihil.*

2254.

VIRETUS FARELLO.

Novissima ex Geneva et de vinctis Cameracensibus.

(Ex autographo bibliothecae pastorum Neocomensium. Epp. Vireti fasc. IX. N. 15.)

Eximio Christi servo Guilielmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fidelissimo fratri et patri suo plurimum venerando.

Neocomi.

S. Quia multa ad te legenda mitto, ideo tibi parco literarum brevitate. Huc adde quod nihil est quod me prolixiorem merito facere possit. Nam nuncius tibi referet quid hic agatur, et quid tum Genevae ageretur quum inde simus egressi. Ex quo discessimus publica praeconis voce citati et proclamati sunt circiter 27 ex profugis,[1]) qui ex urbe egressi nondum damnati fuere, in quibus *Vendelinus* primum obtinet locum. Qui iam damnati sunt[2]) cum aliis aliquot proximis diebus hac iter fecerunt, Bernam, ut dicitur, proficiscentes. Sunt qui addant, et ad alios Helvetiorum pagos accessuros, questuros de iniuria sibi allata. Haec vulgo iactantur. Dominus omnes hostium suorum conatus evertat et suos suo regat spiritu. Mitto ad te historiam seditionis qualis a *Calvino* descripta est et missa ad *Bullingerum.*[3]) Huic addidi exemplar literarum vinctorum fratrum qui Chamberiaci detinentur[4]) et summa capita reformationis evangelicae quae in regno Poloniae recens recepta est.[5]) Vincti damnati erant ad remos, nempe eo consilio ut hac via liberarentur. Sed Satanas novum illis bellum excitavit per *Truchetum,*[6]) emissum a *Guisano* ut retegeret quod adhuc latebat de constitutione ecclesiarum Pedemontanarum ad quas vincti mittebantur. Haec ad te scribo ut ad-

---

2254. 1) *Cf. N.* 2250.
2) *Quorum nomina supra legisti. Quo pacto Bernae de suis questi sint v. ap. Ruchat* VI. 141.
3) *Farello iam cognita* (*N.* 2252.)
4) *N.* 2248
5) *In comitiis Petricoviensibus a.* 1555 *celebratis nuncii quos vocabant i. e. parlamenti polonici membra concilium nationale de rebus religionis habendum flagitaverunt, et rex Sigismundus Augustus Paulo IV. papae quinque postulata obtulit sc. linguae vernaculae usum in missa, communionem sub utraque, matrimonium clericorum, abolitionem annatum, et concilium nationale de abusibus cf. Sarpi* V. *c.* 23 *ed. Cour.* II. 154, *Salig A. C.* II. 597. *Regenvolscius, syst. hist. chron. eccl. slav. p.* 77.
6) *Vide captivorum Cameracensium ep. N.* 2248. 2251.

versus novum certamen novas preces concipiamus, quibus pro fratribus pugnemus. — — — — — — — — Salutant te fratres omnes, nominatim uxor et tota familia. Salutem dico collegae, *Maturino*, *Dommartino* et caeteris amicis, inprimis vero praefecto. Vale optime. Lausannae 28. Iulii 1555.

Tuus Petrus Viretus.

2255.

BEZA CALVINO.

Praemissis nonnullis de rebus Mombelgardensium et de profugis Genevensibus fuse exponit suam sententiam et dubia quaedam de praedestinatione et non parum curiose Dei consilia scrutatur.

(Ex autographo Cod. Genev. 117, fol. 20. coll. c. cod. 119, fol. 27. Edidit Baum, Beza I. 442.)

Eximio servo Dei D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis fidelissimo pastori et patri mihi observandissimo.

Genevae.

S. Ergo, quando ita placet, tabellae nostrae excudantur:[1]) sed rogo perficias ne prius admoveatur manus operi quam appendicem misero cum reliquis duabus tabellis in quibus sum conatus adversariorum opinionem repraesentare. Mittam autem brevi si dederit Dominus.

De *Beraldo* utinam ne nos fallat exspectatio.[2]) Mombelgardi ad *Comitis* nuptias[3]) audimus inter caeteros etiam *Wirtembergicum*, *Bipontinum* et *Lantgravium* affuturos. Cogita an hic sese commoda offerat occasio, saltem per literas tentandi aliquid de coenae negotio et turbis illis rursum a quibusdam excitatis. Censerem quidem ego aliquid esse de eo scribendum ad Tigurinos, ut si ita illis videretur communi nomine ac consilio res tota administraretur. Sed de his tu constitues. Quia tamen assidue de his rebus cogito, non potui non ad te scribere quod mihi in mentem venit.

Literas tuas ad *Musculum* primam quamque occasionem nacti curabimus perferendas. *Hotomannus* iampridem discessit.[4]) Hodie mane discesserunt ex hac urbe Bernam versus quatuor ex vestris exsulibus, *Perrinus*, *Balthasar*,[5]) *Bertelerius* et *Verna*. Aiunt Bernam ire et inde ad caeteros quoque pagos, nempe ut, si fieri possit, omnes inflamment. Hic ergo dispiciendum censerem an commoda aliqua ratione possit incendiis nondum excitatis et fortassis etiam nunquam excitandis occurri. Nosti enim quam avide plerique haec imbibant, et semel hausta quam aegre eiiciant ex animo, ut fortassis nihil nocuerit reipublicae vestrae publico scripto rem gestam complecti, ipsiusque adeo iudicii rationem ostendere, et illorum calumnias diligenter diluere, quod iam videris magna ex parte praestitisse. Vellem autem id etiam attingi quod isti dictitant, tuo scilicet arbitrio haec omnia fieri, qui privatas inimicitias persequaris, quasi scilicet istic regnes, quod mihi quidem videtur dici non posse quin toti reipublicae vestrae inuratur quaedam servitutis nota. Sed de his quoque tu deliberabis.

Tu nostris annotationibus[6]) quo plura mutaveris, eo mihi minus displicebunt. Itaque rogo ut hic in amicum eam severitatem exerceas qua tu soles scilicet in adversarios tuos uti, si quid istorum mendaciis credimus, id est, ut non conquiescas nisi prorsus deletis quae tibi displicuerint.

Sed ecce ad tabellas redeo. Incidit mihi nodus quem rogo ut tu mihi explices. Scribit Paulus nos esse ante mundi creationem electos in Christo. Hic primum quaero, quomodo sit accipienda electio: an scilicet pro aeterno illo Dei proposito quo nos destinavit adoptioni, an vero potius pro huius propositi exsequutione? quae quidem (si non in nobis, qui certo momento nascimur et vocamur, sed in Deo consideretur) non minus est aeterna quam primum illud propositum, quamvis ordinis habita ratione illa isti substernatur. Deinde hoc etiam rogo, quomodo in Christo dicamur electi: an quod Deus in Christum respiceret quum nos praedestinaret, an vero quod, quum nos iam in sese constituisset servare, postea (si causarum ordinem spectemus)

2255.1) Summa totius christanismi s. descriptio et distributio causarum salutis electorum et exitii reproborum ex sacris literis collecta, cum brevi explicatione tabulae. (*Beza, Tract. theol.* I. *p.* 170.) *Est declaratio dogmatis de praedestinatione methodo tabellari, quam dixeris, concinnata cum annotationibus.*

2) *Mombelgardia dimissus* (*N.* 2240) *Lausannam vocatus fuisse videtur in locum Hotomani. Ibi enim docuisse certum est; haec notitia ad tempus accessionis definiendum valet. Postea Genevam concessit.*

3) *Georgius comes Barbaram Philippi Landgravii Hassiae filiam duxit, eiusque filius Fridericus post Christophori mortem ducum Wirtembergensium seriem continuavit.* (*Pfister.* I. 309. *Kugler* I. 406.)

4) *Cf. N.* 2246. 2248. *Vide tamen eius ep. d. d.* 29. *Sept.*

5) *Sept. Is ex officio muneris Comparetos in vincula coniecerat, postea vero ipse cum Verna carceri addictus* (23. *Iul.*) *fuga se cum caeteris subduxit.*

6) *N.* 2248.

Christum subordinarit per quem suum propositum exsequeretur in nobis? Causa vero haec est cur ista petam. Si haec Pauli verba ad primum illud propositum Dei referamus, quo nos non tam elegit quam eligere constituit, et hoc propositum dicamus Christi respectu niti, simul, ni fallor, constituamus necesse est, Christum ordine illud praecedere, ex quo scilicet tanquam e fonte quodam scaturiat. Iam vero cogimur morbi praescientiam (haec enim omnia in Deo ab aeterno recondita consideramus) priorem facere cogitatione remedii, id est, mittendi Christi. Sed et creationis consilium oportet lapsum praecesserit. Haec autem si vera sunt, iam ex illis efficitur in mente Dei creationem, lapsum et Christum, et ex alia parte creationem lapsum et veterem hominem ordine praeponi ut his demum electio et reprobatio substernantur. Ego vero contra in meis tabulis haec omnia subordinavi primo illi Dei proposito tum eligendi tum reprobandi, quo nihil prorsus facio superius. Ut autem hunc ordinem causarum ponerem non modo sum adductus ea ratione quod finis primus sit in intentione, quod aiunt, sed etiam ob alias causas. Nam si electionis propositum facias ordine posterius corruptionis praescientia, idem erit certe in reprobationis proposito constituendum, ut sit eadem contrariorum ratio. Itaque causa propositi reprobationis ea erit quam ponit *Sampaulinus*, praescientia nimirum lapsus et corruptionis, et certe videbimur in eam sententiam inclinare si cum Augustino per massam figuli totum genus hominum in Adamo corruptum intelligamus, quum hac ratione corruptio in mente Dei propositum eligendi et reprobandi antecedat. Hoc autem si verum est, id est, si intelligi potest cur Dominus aliquos proposuerit reprobare, quid necesse fuit humanae rationi aditum obstruere quominus altius progrederetur? Hinc est quod Augustinus plerumque, si recte intellexi ipsius sententiam, Dei arcanum inscrutabile non in eo ponit quod aliquos eligere aliquos reprobare constituerit, sed quod causa non possit afferri cur hos potius quam illos. At ego nihil tale in Paulo (Rom. 9) animadverto. Apud eum enim queruntur reprobi, non quod potius quam illi praeteriti sint, quum sint omnes eiusdem conditionis, sed quod Dei voluntate adstricti sint cui non possint reluctari. Ergo, ut paucis absolvam, massae puto comparari a Paulo genus humanum nondum conditum, ut ostendat Deum tanquam opificem aliquem, antequam gentem humanam, non modo conderet, sed etiam constituisset condere, deliberasse de gloria sua duplici ratione declaranda, et postea in hunc duplicem finem homines condidisse, quorum alios ex suo decreto, cuius rationem nemo potest intelligere, per Christum misericordia sua servaret, alios propter ipsorum corruptionem et eius fructus iusto iudicio damnaret, ut in utrisque ipsius gloria declaretur. Itaque si quaeratur cur Deus alios ab aeterno constituerit eligere, alios reprobare, si quidem de fine quaeratur, respondendum puto: ut melius Dei immensa potestas declaretur. Sin vero de causa huius aeterni decreti materiali, quam vocant, non habeo aliud quod afferam, nisi voluntatem Dei, cui saltem idem licet quod figulo, nimirum aliud vas in honorem, aliud in contumeliam fingere.[7]) Rursus si quaeratur, cur hos potius quam illos vel saluti vel exitio destinarit, iterum afferam Dei voluntatem, in cuius potestate situm est, non modo alia vasa in honorem alia in contumeliam fingere ex eadem massa, sed etiam in hoc discrimine suum unius iudicium sequi. Itaque in neutra hac quaestione deveniam ad causas secundas, inter quas Christum et Adamum numero, sed in iis potius quae sequuntur. Nempe si quaeratur, non de decreto eligendi aut reprobandi, sed de exsequutione illius. Sunt enim causae secundae ordinatae ad consilii aeterni exsequutionem. Afferri potest igitur ratio cur et quomodo electi simus, nimirum quia Deus pro sua immensa caritate nos respiciens in Christo suo, cui nos dare constituit ante tempora aeterna, non potuit nos non amare, ut qui in illo iusti et sancti essemus. Contra vero, si quaeratur cur aliquos reprobarit, respondebo causam in ipsis esse quaerendam. Haerere enim ipsos in corruptione et iniquitate, quae iustum Dei odium meretur: itaque merito eiusmodi homines a Deo reiici ac reprobari. Postremo si de ultima exsequutione electionis ac reprobationis, id est, absolutione et condemnatione agatur, causae manifestae afferri possunt: nempe in electis iustificatio et sanctificatio ipsorum ex fide in Christum ipsis imputatum, in reprobis autem iniquitas et immunditia ex corruptione, non autem ex creatione promanans. Itaque, ut tandem ad rem veniam, quum dicimur in Christo electi ante mundi creationem, vel hoc refero ad primum illud propositum, ut eligere et reprobare nihil aliud declaret quam electioni et reprobationi destinare, sitque hic sensus: Deum ab aeterno, quum nos saluti destinaret, simul huic decreto substravisse Christum in quo nos eligeret et electos vocaret, iustificaret, glorificaret; sicut contra, quum aliquos destinaret exitio, simul constituit Adamum in quo corrupti indurarentur, ut in illis tandem potentiam suam declararet. Vel hoc ad summi illius decreti exsequutionem refero, ut sit haec sententia: Deum, quum nos eligeret quos efficaciter vocaret, minime nos respexisse, aut fidem aut opera bona nostra praevidisse (quid enim in

---

7) Distinguo propositum eligendi ab electione, et illud dico non niti alia re quam proposito Dei in semetipso, hanc vero a Christo promanare in quo dilecti gratis ideoque electi sumus. (*Haec in margine.*)

nobis praeter corruptionem inveniret aut prospiceret?), sed Christum suum cui nos donare constituit ante tempora aeterna, ut nulla sit in nobis qui in Christo sumus condemnatio. Contra vero Dominum eos quos nunquam dignatur evangelii luce, contemplari quales sunt in se ipsis, nimirum corrupti et filii irae quorum perditio ex ipsis proficiscitur.

Haec sunt, mi pater, quae copiosius putavi a me explicanda ut a te erudirer. Ideo enim rogaram ut nostram illam tabulam diligenter inspiceres: quod etiam nunc a te peto maiorem in modum, ne, dum aliis prodesse volo, ego et illos et me ipsum in errorem praecipitem. Novi quidem quot et quantis negotiis distinearis: sed quia vicissim scio quo favore me complectaris, non dubitavi tecum, ut mihi licere vis, familiariter de istis agere et quidem ἄνευ προοιμίων. Sic enim constituo, si quidem recte hic sentio, tibi non iniucundam fore συζήτησιν: sin autem aliter iudicas, te id quoque non invitum facturum ut aberrantem revoces in viam. Mihi quidem quidquid praescripseris et gratum et utile et iucundum erit. Rogo autem ut, si per occupationes tuas licebit, mature rescribas, ne, si forte hic erratum est, dum appendicem scribo, de errore confirmando laborem. Simul rogo ut tabellam pro arbitrio, si necesse fuerit, emendes.

Bene vale, mi optime pater. Dominus Iesus te servet incolumem cum tota ecclesia, et indies magis ac magis invicto suo spiritu confirmet. Quod de nostris fratribus captivis intelleximus partim nos exhilaravit magnopere, partim etiam nostram pro illis sollicitudinem auxit. Servet illos Dominus in vita et in morte, et Satanam caeterosque adversarios sub pedibus illorum conterat. Lausannae 29. Iulii.

Qui has tibi literas reddit commendatus est nobis ab Embdensibus fratribus, qui testantur illius parentum studio et opera potissimum esse perfectum ut evangelium illic regnet.[8] Itaque non dubito eum hoc quoque nomine tibi de meliore nota commendare.

Conventus classis indictus est ad nonas Augusti.

Beza
filius tibi in Domino addictissimus.

8) *Hic ergo ipse Embdensis fuisse videtur, non vero ex Anglorum exsulum coetu.*

2256.

LE SÉNAT DE GENÈVE AU SÉNAT DE BERNE.

(Minute originale de la main de Calvin. Arch. de Genève. Lettres de la Seigneurie. Année 1555. Bonnet II. 60. Trad. angl. III. 202.)

Magnificques seigneurs, quant aux entreprinses[1]) dont nous vous avons advertis, il y avoit deux raisons qui nous ont faict haster. Lune estoit quil nous sembloit bien que limportance meritoit que ce qui vous concerne, vous le sceussiez plus tost que plus tard. Laultre pource que si bon vous sembloit de faire confronter lhomme que nous detenons[2]) avec celuy que nous souspeçonnons, selon les marques et enseignes quil nous en donne pour sçavoir ce qui en est, il estoit a desirer que cela se fist de bonne heure. Or combien quen noz letres nous naions pas nomme[3]) le messaiger qui nous est suspect, nous vous declarons a present que nostre coniecture, tombe sur Balthazar *Sept*,[4]) pource que la stature, la couleur, les accoustremens, et toutes choses saccordent selon que lhomme en dict, ioinct que nous avons entendu dailleurs que pour le temps dont il est question, le dict *Balthazar* estoit absent, de quoy nous avons bonne esperance destre mieux certifiez, avec aultres nouvelles qui nous sont venues pour nous confermer en ceste opinion. Quant a demander iustice, nostre intention na pas este telle. Mais pource que laffaire vous attouche comme a nous, il nous a semble advis pour le mieux de le vous communiquer, afin que chascun aidast de son coste

2256. 1) *On soupçonnait Perrin de s'être mis en rapport avec le duc de Savoie dans des desseins hostiles à la République. Il en est question dans le Reg. du conseil au 27. Juillet. On en donna avis à Berne, mais l'affaire n'eut pas de suite.* (*Gaberel* I. 435.)

2) *Ruchat* VI. 141 *d'après Roset:* On surprit à Genève un Italien qui épioit la ville. Il déclara que le Pape, le roi d'Espagne, le prince de Piémont et le duc d'Albe avoient résolu de détruire les réformés et de prendre Berne et Genève, aprés qu'ils auroient mis la désunion entre les Suisses par le moyen du nonce (*Riverda év. de Terracine*). Il dit de plus qu'il avoit vu auprés du prince de Piémont un Genevois qui lui demandoit un certain nombre de gens à l'aide desquels le capitaine général lui rendroit la ville. Confronté à Berne avec les fugitifs il n'en reconnut aucun. *Cet Italien s'appeloit Scipion del Castro. Il prétendait avoir appris la chose chez le duc d'Albe à Milan.* (*Galiffe* p. 119, *dont la source cependant ne paraît avoir été autre que la Vie de Calvin par Bolsec. Ch.* 20.)

3) *On avait écrit à Berne pour se plaindre des fugitifs et pour demander qu'on les chassât comme des ennemis déclarés de l'état condamnés avec justice.*

4) *Il s'était enfui avec Perrin* (*Reg.* 25. *Mai*). *Bonivard p.* 142 *le nomme avec Perrin comme l'un des principaux de ceste sedition. Mais il ne figure ni parmi les accusés le* 22. *juillet ni parmi les condamnés.*

vous lamener en lumiere. Parquoy de rechef vous avons bien voulu envoyer ce porteur en diligence pour vous faire sçavoir que nous detenons encor lhomme qui a faict tel rapport, affin de le confronter, si besoing est, avec celuy duquel on se peult doubter. Pource que le prisonnier nous a assez donne a entendre que, sil luy est presente, il le recongnoistra. Or le ferons bien mener en lieu propre que vous adviserez cy-apres riere vostre seigneurie, avec requisitoires a la forme accoustumee. Nous laissons a vostre discretion sil nest pas expedient de senquerir pour le moins de la verite du faict. Car en cas que le dict detenu nous eut donne faulses parolles, possible quil se trouveroit digne destre chastie. De nostre part tant sen fault que nous y aillions trop chauldement que nous ne desirons sinon que le tout se verifie, comme le cas requiert. Et ne doubtons pas que de vostre coste, vous nen faciez comme de vostre propre affaire, de quoy nous vous prions affectueusement, et sur ce attendrons vostre bonne et briefve response. [5])

2257.

CALVIN AUX PRISONNIERS DE CHAMBÉRY.

Protestations de sympathie et conseils relatifs à une supplication à adresser au Roi.

(Histoire des Martyrs fol. 359. v. — Lettres fr. II. 63. Trad. angl. III. 220.)

Mes freres, incontinent que nous fusmes advertis de vostre captivité i'envoyai messager par dela pour en savoir certaines nouvelles et s'il y auroit moyen de vous secourir. Il partit Ieudy dernier trois heures apres midi: il retourna seulement hier au soir bien tard. Maintenant il va derechef pour vous faire tenir nos lettres et aviser en quoi il nous seroit possible de vous alleger en vostre affliction. Il n'est ia besoin de vous exprimer plus au long quel soin nous avons de vous et en quelle angoisse vos liens nous tiennent enserrez. Ie ne doute pas donc, puis que tant de fideles prient instamment pour vous, que nostre bon Dieu n'exauce leurs desirs et gemissemens: et ie vois par vos lettres comment il a commencé de besongner en vous. Car si l'infirmité de la chair se monstre parmi, tellement que vous ayez des combats rudes et difficiles à soustenir, ie ne m'en esbahi point, mais ie magnifie Dieu de ce qu'il vous esleve par dessus. De vostre costé les freres *Laborie* et *Trigalet* ont à se consoler, de ce que leurs plus prochains se rengent doucement à la volonté de Dieu. Au reste vous avez tellement profité en l'eschole de Iesus Christ que vous n'avez pas mestier d'estre exhortez par longues lettres. Seulement pratiquez ce que vous avez apris, et puis qu'il a pleu au Maistre de vous employer en ce service, continuez à faire ce qu'avez commencé. Combien que la porte vous soit à present fermee d'edifier par doctrine ceux ausquels vous aviez dedié vostre labeur, le tesmoignage que vous rendrez ne laissera pas de les confermer de loin. Car Dieu lui donnera vertu pour resonner plus outre que voix humaine ne sauroit parvenir. Quant aux moyens selon le monde, ie voudroi bien que nous les eussions tels pour vous delivrer que sans y esperer nous les fissions valoir et ne tiendra pas à nous y efforcer: mais Dieu nous solicite à regarder plus haut.

Aussi le principal est de recueillir tous vous sens pour reposer en sa bonté paternelle, ne doutant pas qu'il n'ait et vos corps et vos ames en sa protection: et si le sang de ses fideles lui est precieux qu'il le monstrera par effet en vous, puis qu'il vous a choisis pour ses tesmoins. Et s'il lui plait se servir de nos vies pour aprouver sa verité, outre ce que vous savez que ce lui est un sacrifice plus qu'agreable, consolez-vous qu'en lui remettant le tout entre ses mains vous ne perdrez rien. Car s'il daigne bien nous avoir en sa protection durant ceste vie caduque, à plus forte raison nous ayant retirez d'ici il se monstrera fidele gardien de nos ames.

Touchant le conseil que demandez [1]) ie crain qu'il ne soit plus temps: car à ce que i'enten vous avez fait ample declaration de vostre foi. Puis que Dieu vous a amenez iusques à ce degré il n'est question de reculer, remettant le tout à la providence de Dieu. Cependant avisez que vostre prudence à respondre soit vrayement de l'esprit de Dieu et non pas de l'astuce du monde. Si i'esperoi que vostre supplication deust venir iusques au Roi, ie n'auroi garde de l'empescher: mais ie croi que celui qui le vous a promis vous a seulement voulu amuser. Toutesfois afin qu'il ne semble qu'il tiene à vous ie n'ose pas du tout contredire que vous ne

---

5) *M. Bonnet ajoute la date du* 10. *juillet. Nous ignorons sur quel témoignage cette note peut se fonder. L'interrogatoire de Del Castro n'ayant eu lieu que le* 27, *et la pièce aux Archives portant, écrit de la main d'un secrétaire:* Envoyé à Berne le 30 de Iullet 1555, *nous ne saurions la rapporter qu'à la fin du mois.*

2257. 1) *Une lettre des prisonniers doit avoir été perdue.*

persistiez en l'offre que lui avez faite. Pource qu'en la forme que vous m'avez envoyee ie ne trouvoi rien necessaire à corriger, sinon possible la comparaison d'Achab et choses semblables qu'il seroit expedient d'adoucir: i'ai retenu ceste copie vers moi. Il est vrai que i'en eusse peu coucher une forme diverse, mais i'aime mieux, s'il en faut presenter, qu'il n'y ait sinon ce que Dieu vous aura donné, esperant qu'il le fera mieux fructifier. Si le monde n'accepte une protestation si iuste et saincte, pour le moins elle sera aprouvee de Dieu, de ses Anges, Prophetes et Apostres, et de toute son Eglise: mesmes tous fideles la voyant auront de quoi le glorifier de ce qu'il la vous a dictee par son Esprit.

Ie ne vous ferai plus amples lettres, ioint que nostre bon frere maistre *Guillaume* s'est trouvé à poinct pour vous escrire. [2]) Parquoi, treschers freres, faisant fin ie supplierai nostre bon Dieu vous maintenir en sa saincte garde, vous gouverner par son Esprit, vous armer de force et constance pour batailler, en sorte qu'il triomphe en vous soit par vie ou par mort, et qu'il vous fasse sentir que c'est d'avoir tout nostre contentement en lui seul. Pource que la presente est commune [3]) ie ne vous ai point fait de recommandations à part au nom de mes freres. Mais ie croi que vous estes assez asseurez, tant d'eux que d'un grand nombre de fideles, mesme de tout le corps de nostre Eglise, que tous pensent de vous comme ils y sont tenus.[4])

Vostre humble frere que conoissez.

---

2) *Crespin n'a pas eu de lettre de Farel, à ce qu'il paraît.*

3) *Non pas à vous, mais de nous, c'est à dire, écrite au nom de la compagnie.*

4) *M. Bonnet imprime:* De Genève 5. Sept. 1555. *Cette date ne se trouve pas dans l'édition de* 1619 *que nous avons sous les yeux. Et elle est due probablement à une conjecture de l'éditeur qui a pu s'en rapporter à ce que les prisonniers, dans une lettre que nous publions plus bas parlent effectivement d'une lettre de Calvin du* 5. *Septembre. Mais en aucun cas il ne s'agit là de la présente, qui s'annonce elle-même assez clairement comme la première qui ait été écrite de Genève à cette occasion. Or Vernou avait écrit dès le* 18. *juillet pour annoncer son arrestation et celle de ses compagnons* (*N.* 2248). *Il est donc impossible de remettre celle-ci à une époque si éloignée. Le messager envoyé par Calvin, dont il est parlé ici, n'est certainement pas le conseiller Curtet envoyé par le Sénat, et de plus, si ce dernier ne fut envoyé que le* 8. *Sept., Calvin ne pouvait pas écrire le cinq qu'il était parti jeudi dernier.*

2258.

CALVINUS SENATUI FRANCOFORDIENSI.

Dedicatio Commentarii in Harmoniam evangelicam.

(Ex editione principe.)

Clarissimis viris et magnificis dominis Consulibus Senatuique inclytae urbis Francofordiae Ioannes Calvinus.

Si virtutum exempla ad imitationem proponi unquam utile fuit, quae pigris et lentis vel minus strenue currentibus stimulum adderent, facit huius corruptissimi saeculi non ignavia modo sed etiam socordia ut maiorem hominum partem, quae sponte non progreditur, quin potius retrocedit, pudore saltem necesse sit ad officium cogi. Omnes quidem videmus et privatim et publice ad pravam aemulationem intentos, ne cui monarchae ad propagandos quibuslibet modis imperii sui fines minus vel ingenii, vel industriae, vel nervorum, vel audaciae, quam vicinis suppetere videatur: ne qua civitas vel respublica laudem astutiae et captionum omnium aliis concedat: ne quis inter homines ambitioni deditos malis artibus sit inferior: denique ad vitia certatim alii alios quasi mutua conspiratione absque voce se invitant: atque ut quisque pessime se gerit maximam turbam suo exemplo facile praecipitat. Interea in communi vitiorum regno paucissimi reperiuntur recte agendi autores.

Quo utilius esse iudico, si in illustribus personis eminent rarae virtutes, eas iustis elogiis quasi longe spectandas in sublime efferri, ut ad imitandi studium multi excitentur. Atque hoc mihi praecipue consilium fuisse profiteor, Viri amplissimi, cur meum hunc laborem sub nominis vestri inscriptione in lucem prodire vellem. Nam etsi praeclarum officii mei fructum fore iudico, si qua forte alacritas sponte currentibus inde accedat, magis tamen illud alterum respexi ut pares alii vobiscum progressus faciant, vel saltem eundem sequantur cursum. Neque tamen omnium quibus excellitis virtutum catalogum texere mihi propositum est. Sed unam in praesentia laudare sufficiet quae me et complures Christi servos quasi sanctiore vinculo vobis devinxit. Magnum illud fuit quod ante quinquennium, horribili terrore passim omnibus iniecto, quum et Germanicis ecclesiis miseram dissipationem et evangelio interitum prope minitaretur accepta clades, vos ad primos quosque telorum iactus expositi in libera fidei confessione tunc valde odiosa firmi stetistis, ac constanter retinuistis quam eratis amplexi sinceram pietatis doctrinam: ut facile constaret, vobis inter summas

curas et discrimina nihil pluris esse quam militare sub Christi vexillo.

Sed hoc magis ad memoriam insigne quod non modo inter vos fovetis purum Dei cultum fidelemque operam datis ut se vestri cives inter Christi septa contineant, sed dissipatae ecclesiae reliquias aliunde expulsas tanquam lacera membra colligitis. Hoc certe ut in rebus acerbis non parum mihi attulit solatii, quum audirem pios Dei cultores, qui ex Anglia profugi et aliis partibus advenerant, istic benigne fuisse hospitio exceptos: neque modo tristi eorum exsilio portum esse datum, sed iustum quoque honorem filio Dei fuisse habitum, ut in urbe vestra eius evangelium linguis exteris personet. Non absimilis nuper Tigurini senatus humanitas erga miseros Locarnenses enituit: quibus non urbem modo suam patefecit, quia domi Christum ex animi voto colere non licebat, sed templum quoque attribuit, in quo sacros suos conventus habeant; nec eos deterruit linguae diversitas quin Christum apud se italice quoque loqui cuperent.

Ut autem ad vos revertar, ego, simul ac linguae nostrae hominibus vestra humanitate permissum esse audivi ut ecclesiam istic instituerent, privatim me vobis obstrictum sentiens, hoc munere quod nunc offero meam gratitudinem testandam censui. Nam ut merito deflenda gentis nostrae conditio est, cui ob sacrilegam papatus tyrannidem habitatio patriae exsilium fere est a regno Dei, ita vicissim non parum iuvat in alieno solo aliquam dari stationem, ubi legitimum Deo cultum praestent. Haec certe sancta hospitalitas, non tam hominibus quam ipsi Christo oblata, vos iam prospero statu florentes novis, ut spero, Dei beneficiis ornabit et continuam apud vos fovebit eorum seriem. Me quidem, ut nuper testatus sum, ad dicandum vobis hunc meum laborem impulit.

Est autem Commentarius in Harmoniam ex tribus Evangelistis contextam, a me summa fide parique diligentia elaboratus: in quo tamen quantopere sudaverim longius referre nihil attinet. Quid vero adeptus sim, aliorum esto iudicium: ingenuos, doctos et cordatos lectores intelligo, quos nec barbarus discendi pudor a studio profectus impedit et communis utilitas delectat. Nam perversos malignosque nebulones (non modo cucullatos monachos dico qui pro tuenda papae tyrannide bellum palam nobiscum gerunt, sed degeneres fucos qui nobis permisti, dum tegendae suae ignorantiae latebras captant, omnem vellent doctrinae lucem exstinctam) nihil moror. Quantumvis enim proterve me allatrent, in promptu semper erit exceptio, me eorum censurae neque divino neque humano iure esse obnoxium, qui non minus propter foedissimam inscitiam ferula, quam propter obstinatam malitiae et impudentiae duritiem flagello digni sunt. Sane ut ecclesiae Dei prodessem, me fidelem operam dedisse sine iactantiae specie profiteri mihi licebit. Iam ante biennium prodiit Ioannes cum mea interpretatione, quam non fuisse inutilem confido. Sic ergo tanquam unus ex apparitorum numero Christum regiis suis quadrigis vectum magnifice, quoad ferebat virilis mea facultas, celebrare conatus sum: nec ingenuos lectores, ubi mea opera adiuti fuerint, fateri pigebit studio respondisse aliqua ex parte successum. Evangelicam historiam a quatuor testibus divinitus ordinatis proditam quadrigis non abs re comparo, quia ex apta concinnaque hac harmonia videtur consulto Deus quasi triumphalem currum filio suo parasse, unde toti fidelium populo conspicuus appareat, et cuius celeritate terrarum orbem perlustret. Nec vero inscite Augustinus tubis similes facit quatuor evangelistas, quarum clangor omnes mundi plagas impleat, ut ab oriente, occasu, meridie, septentrione in sacrum fidei consensum accita ecclesia confluat. Quo minus tolerabilis est insulsa eorum curiositas, qui coelestibus istis praeconiis non contenti putidas nugas obtrudunt sub evangelii nomine, quae nihil aliud quam fidei puritatem contaminant et Christi nomen exponunt impiorum sannis ac ludibrio.

Vos autem, praestantissimi viri, quando et ab omni fermento quo genuina corrumpitur evangelii sinceritas abhorretis, et ostenditis nihil magis vobis esse cordi quam simplicem doctrinam, ut a Christo prodita est, tueri et asserere: non modo persuasus sum lucubrationem hanc, quae thesaurum evangelicum explicat, vobis summopere probatum iri, sed quod vestro nomini dicata est, hoc etiam meae erga vos observantiae signum gratum fore confido. Valete, clarissimi domini. Christus spiritu suo vos gubernet semper, virtute fulciat, praesidio conservet, vestramque urbem et rempublicam omni benedictionum copia locupletet. Genevae. Calendis Augusti M. D. LV.

2259.

CALVINUS VIRETO.

Agit de fratribus Cameraci in vincula coniectis.

(Ex autographo Cod. Genev. 107[a], fol. 114. Reperies eandem in Cod. 108, fol. 51, in Epp. Bern. VI. p. 469 et apud Simlerum Vol. 85. Anglice III. 217.)

Eximio Christi servo Petro Vireto ecclesiae Lausannensis pastori fratri et symmystae integerrimo.

S. Brevem me in scribendo facient nuncii, quorum quisque tibi vice epistolae esse posset. Hoc tamen scribendum fuit, nihil me tenere quod non secum deferant, quod quidem ad urbis statum pertineat. Literas vero fratrum nostrorum, qui Cameraci in vinculis tenentur, [1]) legendas tibi mitto, quas prima occasione mihi reddendas curabis. Nam quia sine multorum periculo nondum vulgari poterant supprimendas duxi. *Insularius* spem occultae liberationis fecerat; [2]) sed tandem deprehendimus nos inanibus illecebris lactari. Ergo exspectabimus quid ex aula mandetur. Rogavit enim *Cognetius* [3]) ut saltem causam suspenderent donec Regem fecisset certiorem. Vale, optime et integerrime frater, cum *Beza* nostro et reliquis fratribus. Dominus semper vos regat, tueatur, benedicat. Amen. Genevae pridie Nonas Augusti. Nam a concione meridiana scripsi.

2260.

FARELLUS BLAURERO.

Pauca de rebus Genevensium praefatus redit ad suum Tossanum nunquam satis depexum, aliosque ex eius societate peiores etiam adeoque haereticos, denique laudat constantiam vinctorum Gallorum.

(Ex autographo Cod. 37 Bibl. civicae Sangallensis, al. Epp. Tom. VIII. fol. 40. — Exemplar recentius reperies in Bibl. civic. Turicensi F. 43, ol. VIII. fol. 495 sed mendosum.)

Praestantissimo Christi servo Ambrosio Blaurero pastori ecclesiae Bielensis studiosissime munus tantum obeunti, fratri et symmystae plurimum observando.

Bielis.

S. Quum essem in conventu pleniore fratrum vocatus a virgine filia optimi *Iacobi*, [1]) quod mihi alias non contigit, ante solutionem coetus abii egressus ut *Calvini* ad te literas [2]) darem et Tabellam *Beza* dignam, [3]) quam ad te remittendam Lotharingus vir pius legendam dederat. Valde mihi placuit. Gratulor ecclesiae Domini tam praeclarum ingenium. Scribere non licuit quum ad fratres redirem et puella [4]) se ad iter iam accingeret, et quum hic sese obtulerit, nolui committere quin te literis salutarem et indicarem quae accepi de Geneva, quae multa pace fruitur. Quanto magis tumultuantur foris qui intus eam turbabant, tanto plus pacata redditur. Caput unum iam damnatum [5]) sequitur alterum iam vocatum cum maiori multitudine. Conciones sunt frequentiores [6]) et in pluribus locis quam prius. *Gallasius* in agrum missus in invidiam *Calvini* revocatus est et eo auctus est pastorum urbis numerus.

Lubens vidi *Leonardum* [7]) apud quem tam mala fide egit miser [8]) *Tossanus*. Quum *Musculus* merito quereretur, quod alii potius et novi vocarentur quam fratres [9]) qui constantes maluerunt pelli ob Interim quam illi subscribere, tam sancta mihi erant omnia *Tossani*, ut pluris facerem eius iudicium, quod putabam rectum esse, quam piam *Musculi* reprehensionem: sed, ut plene intelligo, non iudicium sed odium fuit et ingenium vere pontificium viri, qui tantum praecipere et in omnibus probari vult, cui nemo dicat: cur ita facis? et multo minus: non licet, quum libeat. Miratus sum viri simplicitatem quum a vidua mariti defuncti vestem et capitium accomodato acceperit. Ne teruncium quidem habebat, ut meus mihi retulit *Humbertus*: [10]) tamen nulli verbum fecit, sed ita dissimulabat paupertatem ac si ditissimus fuisset, et nisi *Humbertus* adegisset hominem, tacebat prorsus. Et ita cogens fateri [11]) pauper pauperem sublevavit: quod sane indigne tuli mihi indicatum fuisse postquam abierat. En tibi fratres, qui ultra doctrinam pietatis talibus et tam piis sunt moribus, quos *Tossanus* indignos reputat qui secum ministrent. Hunc pellit, illum contra fidem datam non revocat. Audivi de malo *Georgio*, [12]) qui omnia egit contra datam nobis fidem. Receperat enim tuo consilio omnia facturum ac dicturum. Quis melius nosse potest in quo peccarit, et cuius sit arguendus, et qua ratione consuli ecclesiae possit, quam tu qui vides et nosti quid expediat. Sed perversus sibi malum maius peperit non audiens te neque fidem servans. Intellexi te etiam

---

2259. 1) *N.* 2248. 2251.
2) *viva scil. voce, nam in ipsis epp. de hac re nihil.*
3) *An legatus Bernensis ipse, vel Lausannensis ille scholaris de quo Io. Vernou scripserat?*

2260. 1) *Funklii.*
2) *N.* 2244.
3) *N.* 2255.
4) procella *Tur.* (!)
5) *Comparetos fratres?*
6) *N.* 2250.
7) *Leon. Camuset, v. d. m. in Valentigney, unus ex quatuor illis saepius dictis.*
8) miser *om. T.*
9) status *T.*
10) *Fuit aliquis H. Artus minister in ditione Mombelgardensi.*
11) facturi *T.*
12) *Quisnam hic fuerit nescimus. De Comite dictum non crediderimus, imo cogitari nequit.*

nuper multum laborasse literis pro ecclesiis Mombelgardensibus. Christus det successum tuis laboribus et per te succurrat.

Beraldus nescio a quibus acceperit *Geraldum* diaconum et *Paulum*, qui male sentiunt in multis, multum incommodare *Tossano*: siquidem uterque in multis, ut audio, facit cum Anabaptistis, et *Geraldus* negat praeordinationem Dei aeternam, quum se expedire non possit, ea stante, quin Deus sit autor peccati. Quasi vero ordinatio Dei aeterna peccatis sit obnoxia, et idcirco peccati autor Deus habeatur. Ideo bonus vir, volens consulere divinae maiestati ne rea [13]) peragatur, pernegat propositum et decretum aeternum. Ita rursus, ne nimis derogetur eminentiae et maiestati Christi et secundus Adamus coelestis non plus aequo deprimatur, negat ex semine, ex carne Mariae Christum esse et fratribus esse consubstantialem, similem per omnia. Et ubi fratrum aliquis semen mulieris Christum vocat, vere ex carne Virginis, subinde inculcat: Videte, fratres, ne nimis deiiciamus Christi dignitatem. Sed *Boinus*, [14]) qui totus prorsus est Anabaptismus, et homo mare errorum et perversissimorum dogmatum plene perdidit *Tossanum*, qui unam illam pestem pietate nulli parem iudicat. Sane si impietatem pro pietate iudicat minime fallitur. Non enim puto monstrum impietatis uspiam horrendum magis. Haec etsi molestissimum est mihi scribere, ad te praesertim, sed Christus, amor ecclesiarum, et quod revocatum vellem *Tossanum*, me cogunt ut ardentioribus precibus Dominum ores et magis studeas consulere ecclesiis. [15])

Existimo te intellexisse de vinctis [16]) qui non aliter loquuti sunt cum hostibus, ubi ignis est paratus, quam cum fratribus. Tam libere Christum sunt confessi et aversati omnem impietatem. Commendemus eos Domino. Videntur persimiles *Saxoni*, [17]) qui captivus longe videbatur liberior omnibus qui captivum tenebant: ita illi vincti magis sunt expediti quam ii qui eos detinent, qui vix norunt quo se vertant. Tam sunt impediti et quum agnos teneant plus haerent quam si lupum auribus [18]) tenerent. Christus suos servet et miseras conscientias tam varie distractas adeo intricatas ad se trahens suo extricet spiritu. Vale bene cum collega et piis omnibus. Collega te salvum optat et *Humbertus* item. Neocomi 4. Augusti 1555.

Tuus totus Farellus.

13) ita *T.*
14) *N.* 2155. 2197. 2216.
15) *Genuinum Farelli stylum hic agnoscas, non vero nostram aut operarum incuriam taxes, quaesumus.*
16) *Cameracensibus.*
17) *Electori proelio Mühlbergensi victo, 3 Martii mortuo.*
18) avibus *T.*

2261.

CALVINUS ADOLPHO GLAUBURGERO.

Senatui Francofordensi Commentarium in Harmoniam evangeliorum dicat, toti quidem collegio, sed maxime ipsum et patruelem observantia prosequi gestiens.

(Autoschediasma Calvini exstat in Cod. Genev. 107[a], fol. 89; ad manus erant praeterea exemplaria Turretini Cod. 108, fol. 27, Bernense epp. VI. p. 480 et Simleri Vol. 85. Versio anglica ad m. Maium refert III. 182.)

Pridem a Valerando *Polano*, [1]) quum mihi statum describeret urbis vestrae, et de tuo erga me amore fueram admonitus, clarissime vir, et quia maxima tua et patruelis tui [2]) opera adeptum se dicebat ut ecclesiam linguae nostrae istic colligeret, rogatus quoque fueram ut tibi hoc nomine gratias agerem. Ex eo tempore, non solum ut symmystae mei desiderio obsequerer, sed quia id mei officii esse arbitrabar, mihi visus sum testimonium [3]) aliquod gratitudinis tibi debere. Sed quia ille simul rogabat ut eodem erga amplissimum senatum officio defungerer, rem suspendere malui donec melior opportunitas daretur. Venit huc interea D. *Secelius*, [4]) unus ex praecipuis meis amicis, non modo ob communem patriam, sed quia ea ingenii dexteritate et candore praeditus est ut merito sibi omnes bonos conciliet. Postquam ille et tuas virtutes mihi coram praedicavit et se quasi sponsorem interposuit, si quam ex meis lucubrationibus sub Francofordiensis senatus nomine ederem, id meum officium non ingratum fore, eius hortatu tandem persuasus [5]) sum, ut meam in tres evangelistas harmoniam, quae tunc sub prelo erat, non dubitaverim vobis destinare. Non quod multi negotii res fuerit quo iam animus sponte propensus erat me adducere: sed quia mihi ex eius verbis non parum crevit fiducia et alacritas,

2261. 1) *In recentissima Pollani ep. N.* 2109 *de his nihil.*
2) *Fuit Ioannes a Glauburg patruus Adolphi ad quem Noster hic scribit.* He was the chieff meane in obtaininge the churche (*Brief disc. p.* 40. 65). *Aegerrime ferebat ministrorum lutheranorum urbis suae contra exteros intolerantiam et acrimoniam, adeo ut vel eorum preces pro salute sua recusarit. Quare etiam isti quum d.* 26. *Sept.* 1555 *apoplexia subito abreptus esset, in hoc fato iudicium Dei sibi deprehendisse visi sunt.* (*Steitz, Frankf. Ref. in Herzogii encycl.* IV.) *Dubitare etiam posses an haec ep. vivum invenerit quum Francofurtum afferretur. Praeter illos duumviros tertius aliquis patricius Conradus ab Humbracht exterorum patronus fuit.*
3) *dedicationem libri edendi.*
4) *Sechelle, Gallus* (*N.* 2206. 2223), *coetui Francofordiensi adscriptus, eo rediit, postea vero in patriam* 1562. (*Hist. eccl.* II. 564.)
5) *a prima manu:* adductus . . . . . in quatuor ev. . . . . . sub nomine senatus Fr. ederem.

praesertim quum in munere offerendo tuam mihi gratiam et autoritatem non defore promitteret. Etsi autem causa non erat cur tibi quisquam invideret, si te singulari elogio et simul patruelem tuum ornarem, sicuti et familiae vestrae nobilitas meretur, et honoris gradus, eruditio aliaeque eximiae dotes id sibi iuris vendicant: ne tamen maligne quisquam obstreperet, magis uni aut duobus quam publice vestro ordini dicatum fuisse librum, consulto a privata vestri mentione abstinui. Bene tamen est quod sic in senatu eminet tua dignitas, quam et prudentia et humanitate et omni virtutum genere tueris, ut ex honore qui omnibus defertur nihil tibi detractum censeas. Hoc vero iam abs te impetratum cupio, quando maiori parti sum ignotus, ut tua commendatione librum digneris. Qua tamen in re ita humanitatem tuam imploro, ut tamen tuo arbitratu iudices atque aestimes quantum liber merebitur. Vale, praestantissime vir et mihi ex animo semper observande. Dominus te spiritu suo semper gubernare et virtute fulcire pergat omnique benedictione cum familia tua prosequi. Genevae.

2262.

CALVINUS IOANNI GLAUBURGERO.

Similis cum praecedenti argumenti.

(Sequitur haec altera praecedentem in eadem Codicis Genevensis charta. Descripserunt etiam librarius Bernensis et Simlerus ll. ll.)

D. Ioanni Glawburgero.

Quando ad te scribendi non aliunde fiduciam ac consilium sumpsi, nobilissime vir, nisi quod tua erga me benevolentia fretus hoc officium tibi non ingratum fore certo mihi persuadeo, longa excusatione non utar. Nam quum mihi pridem ex amicis quidam per literas testati essent, tua maxime et ornatissimi viri patruelis tui opera factum esse ut fratres nostros a patria exsules ac profugos benigne hospitio exceperit amplissimus senatus, ac comiter hodie foveat, hoc quoque addebant, te et amanter de me sentire ac loqui, et oblectari meis scriptis. Id vero nuper ita mihi suo sermone confirmavit nobilis vir et mihi amicissimus D. *Secelius*, ut librum publice vestro ordini inscriptum et dicatum privatim tibi commendare non dubitem: ne forte multis qui autorem non noverunt suspectus sit, nisi gravis et idonei patroni fides accedat. Neque tamen mihi propositum est plus tibi oneris iniungere quam ut oblatum a me munus tua suffragatione ornes (quoad rei veritas feret, ut non esse blanditiis elicitum appareat), et quidem in hunc finem, ne meae erga vos observantiae studium, quod probari maxime cupio, temeritatis vel stultitiae damnetur. Vale, praestantissime vir, et mihi plurimum observande. Dominus tibi semper adsit, spiritu tuo [1]) regat et familiam tuam benedicat. Genevae.

2263.

HALLERUS BULLINGERO.

De Calvino indies peiora iudicia, Vireti imprudentia, Farelli impetuositas, Bellii et Bezae polemica de haereticis scripta, contentiones ubique, aliae ex aliis nascentia.

(Ex autographo Bibl. civ. Turic. MSS. F. 62, olim Epp. Tom. 27, fol. 299. — Simler Vol. 85.)

Clarissimo D. Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori fidelissimo domino ac compatri suo honorando.

Tiguri.

— — — — — — — — — — — — — — — —

Genevae fervent omnia adhuc. [1]) Qui illinc sunt proscripti per nostros redire cuperent. Varia sunt iudicia de his. *Calvinus* pessime audit. Defendimus illum quantum possumus. Sed tam obtinuit malus de illo rumor ut per nos tolli nequeat. Aiunt illum interesse torturis et quaestionibus coniuratorum, [2]) et plane in hac tota causa nihil fieri nisi eius autoritate. Quod ut ego vix credo, ita sunt qui sancte verum esse affirment.

Viretus Genevam profectus est [3]) et ibi concionatus pessimam inivit apud nostrates gratiam.

2262. 1) *lege:* te suo.

2263. 1) *Senatus Genevensis prid. Non. legatos Bernam mittit, postridie Non. Ph. Bertelerium et J. B. Septum capitis damnat, P. Vandelium et septem alios exsilio plectit. Ipsis Nonis legatio Bernensium duce Naegelino de foedere renovando Genevam proficiscitur* (*Ruchat* VI. 141. 182), *animi vero utrinque minime ad concordiam dispositi.*

2) *Viretus ipse fatetur c. Calvino se Claudium Genevensem in carcere visitasse* (*N.* 2247) *sed de torturis ibi nihil. Cf. etiam Bullingeri ep.* 28. *Sept.*

3) *ubi per octiduum commoratus est* (*N.* 2247).

Farellus quoque illuc profectus[4]) impetuositate sua tantum non subvertit omnia, si vera sunt quae publicus fert rumor. Ego peiora longe metuo. Video enim reipublicae Genevensis statum vix hac ratione consistere posse nisi Dominus mirabiliter opituletur. *Calvinus* certe apud illos[5]) quoque male audit, qui hactenus semper illi fautores exstitere. Parcius illi scribo nunc propter iniquas quibus omnes gravamur suspiciones, deinde quod parum fideliter et caute illos literis nostris uti video.

Ex Basilea quoque vereor ne emergat monstri aliquid. Scis quid *Bellius* scripserit, sive is qui se hoc nomine occultat, quid item responderit *Beza.*[6]) Agitatur etiam ipsa nunc quaestio inter ministros: an haeretici occidi debeant? Variae sunt opiniones quibus quidem *Beza* satisfecit. Nimiam tamen reprehendunt acrimoniam. Atque ita nunquam caremus contentionibus, quin semper alia ex alia texatur. Unum nobis hoc est solatium, quod per singularem gratiam Dominus nobis dedit in his controversiis idem sentire. Utinam vero hoc sit stabile et perpetuum. Et pro hoc tu quoque orabis Dominum. — — — — — Bernae 6. Augusti 1555.

H. tuus.

4) *De tali itinere aliunde nihil nobis innotuit nisi usque ad m. Iunium recurrere velis ubi revera F. Genevae aderat* (*N.* 2230 *coll.* 2247). *Quae m. Iulio ibi acta fuerunt ea non nisi ex literis amicorum, non vero ipse praesens rescivisse videtur.*

5) *Ex. gr. Zerkintem, ad quem vide Calvini ep. d.* 21. *Febr.* 1556 *datam.* (*Hundesh.* 365.)

6) *Sed haec iam ad a.* 1554 *pertinent et hic quasi recentia afferri iure mireris.*

2264.

CHECUS CALVINO.

Ex Italia, cuius eum iam taedet, Germaniam mox petiturus de statu rerum in Anglia scribit, et comitem Bedfordiae commendat.

(Ex autographo Bibl. nationalis Parisiensis, Coll. Dupuy Vol. 268, fol. 45.)

Doctissimo viro D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis pastori, amico suo carissimo.

Genevae.

De partu Reginae nostrae multum exspectato et multorum hominum sermonibus varie iactato nihil adhuc certum habeo quod scribam.[1]) Tantum precor ut Deus electorum suorum misereatur et velit fractam iam et in omnes partes versatam eclesiam iuvare. Ego nescio quomodo meorum familiarium et amicorum societate avocor a Geneva, ubi lubentissime exsulo et in alias parteis Germaniae devehor. Italiae me iam tanta satietas cepit ut oderim omnes eius parteis, non modo propter δεισιδαιμονίαν quae in anibus vetulis et deliris inest, sed etiam propter ἀσέβειαν, qua abundare non modo plebeios sed etiam ecclesiae principes video.

Nunc autem cur inter caetera ad te scribam inprimis est quod comes *Bedfordiae,*[2]) vir magna nobilitate et constantia religionis non suis modo sed etiam exteris notus, Genevam avet videre, tecum colloqui, ecclesiae vestrae descriptionem atque ordinem videre. Is non modo mea commendatione sed sua virtute et integritate dignus est quem omnes honore prosequantur. Eum precor tanti facias quantum constantia fide religione meretur, ut ab omnibus fiat. Haec summa meae petitionis est. Tuum erga Christianos studium cognosco atque adeo pluribus tecum non ago.

Mira est Anglorum in religione Christi constantia. Nemo ex omnibus est adhuc de quibus ego audio, qui possit cogi παλινῳδεῖν. Multi lubentes atque alacres se offerunt ad mortem potius quam ad vomitum revertantur. Indocti rapiunt coelum et constantia doctos superant, qui quid dicere debent vident, quod vident tueri non audent.

Ego nunc Augustam cogito, deinde Viennam Austriae. Ubi hiemandum sit adhuc incertum est. Dominus, cuius ego providentia regor, det suis spiritum constantiae et fortitudinis, ut res adversas non modo aequo animo propter Christum, sed etiam lubenti perferamus. Optime valeas et salutem D. *Normandiae*, D. *Budaeo*, fratri tuo reliquisque amicis meis dicas quaeso. 1555. Veronae 7. Augusti.

Tui studiosissimus
Ioannes Checus.

2264. 1) *Et quidem merito. Vana erat enim exspectatio, iam m. Maio orta et praemature precibus publicis et processionibus celebrata. Mense Septembri rex Philippus spe omni abiecta Angliam reliquit.* (*Strype, Cranm.* III. *c.* 17, *p.* 526.)

2) *Francis Russel, secundus comes, cuius pater (lord privy seal) anno superiore obierat.*

2265.

CALVINUS LOCQUETO.

Approbat consilium eius et quam sibi sumpsit viam in ecclesia Argentoratensi sequendam, meliora sperat per Alexandrum et Martyrem. Ipse semet ingerere non vult.

(Exemplar describimus Ionvillaei ex Cod. Genev. 107a, fol. 112. Autographon non exstat, verum etiam recentiora Turretini Cod. 108, fol. 51, Bernensia duo Epp. Vol. VI. p. 470 et 472, et Simleri Vol. 85.)

Pio et fideli Christi servo D. Ioanni Loqueto fratri et symmystae carissimo.

S. Ego vero, mi frater, factum tuum probavi, [1]) quod te ab hirco disiungere [2]) maluisses quam pro pastore agnoscere qui vi et profano more esset obtrusus. Nec vero responsionem consulto, ut putas, distuli: sed quia commoda occasio scribendi mihi ab eo tempore oblata non fuit. Nec mihi displicuit illa moderatio, quod conciones interea audieris, partim ut pudorem incuteres, partim, si longius progressa esset eius improbitas, ut te opponeres. Forte ita accidit ut in fratrum meorum conventum ingrederer, dum mihi priores [3]) tuae literae redditae sunt. Postquam illis recitavi, ut laudavi tuam prudentiam, nemo fuit qui non subscriberet. Et certe gravissimum doloris vulnus mihi inflixit nuncius ille: magistratum suo arbitrio, ne quid amplius dicam, evertere legitimum ecclesiae ordinem et libertatem opprimere. Hoc iam magis tolerabile, imo ad concordiam, ut mihi videtur, opportunum, si D. Petrus *Alexander* suffragiis electus in fratris locum succedat. Saepe quidem miratus [4]) sum, in illis dissidiis neglectum fuisse proximum remedium, et quo nullum erat aptius nec magis salubre, ut te ecclesia subrogaret. Sed quando illud factum non est, nunc saltem sit aliquis contentionum modus. Ea in re plurimum valebit D. *Petri Martyris* autoritas, qui ex re praesenti optime statuet quid expediat. [5]) Utinam ego quoque aliquid afferre possem: certe neque labori parcerem neque fugerem invidiam. Sed hactenus veritus sum, quod me adhuc retinet, ne mea praesentia malum augeat. Deinde nihil magis a moribus meis alienum quam me ingerere. Verum antequam ad te perveniat haec epistola, iam res, nisi fallor, transacta [6]) erit. Vale, eximie vir et frater integerrime. Saluta amicos quibus hoc meum officium gratum esse cognosces. Dominus te spiritu suo regere pergat ac praesidio tueri. Genevae 8. Augusti 1555.

Ioannes Calvinus tuus.

2265. 1) *Respondet ad N.* 2236 *agitque de negotio Boquini cf. etiam* 2237.
2) distinguere *apogr.*
3) *bis scripsit ut vides, verum utra sola superstes sit definire non ausimus.*
4) minatus *apogr.*
5) *Cf. sequentem.*
6) confecta *apogr.*

2266.

CALVINUS VERMILIO.

Praeter Argentoratensia quaedam obiter delibata, naturam communionis fidelium cum Christo exponit.

(Reperimus unicum exemplar Ionvillaei in Cod. Genev. 107a, fol. 115. Alibi non exstat. Edidit Beza, verum non integram Genev. p. 161, Laus. p. 349, Hanov. p. 391, Chouet p. 217, Amst. p. 100.)

S. Egone tam essem inhumanus, ut quidquam offensionis quacunque de causa in te conceptum silendo foverem potius quam libere tecum expostulando ex animo meo eiicerem? Quid autem quod te integrum semper fidumque amicum expertus sinistram nullam suspicionem, nisi temere, admittere non potui? Tu vero, ornatissime vir, recte et prudenter, quod nihil tale in animum inducere sustinueris. [1]) Quod si qua tibi dubitatio obrepserat, ante deleta fuit quam in manus meas venirent tuae literae. Scivisti enim unde mihi iniecta fuisset mora. Certe rem exposui ut erat, nisi forte hoc tacui, me longius cessasse quia mea pigrities honesto praetextu me fallebat.

Quod autem [2]) de arcana quae nobis cum Christo est communicatione me scripturum pollicitus fueram, minus solide praestabo quam sperasti: quia tametsi magni momenti res est, paucis tamen verbis inter nos commode posse definiri arbitror. [3]) Quod filius Dei carnem nostram induit, ut frater noster fieret eiusdem naturae particeps, de illa communicatione dicere supersedeo. Nam de ea tantum agendum est quae a coelesti eius virtute manat et nobis vitam inspirat, et facit ut in unum

2266. 1) *Haec ad ep. quandam deperditam spectare videntur in qua Martyr de Calvini silentio querebatur. Caeterum haec ad N.* 2142 *respondet.*
2) *Hinc incipit Beza suppresso voc.* autem.
3) *Quidquid Noster dicat aut praetendat, differebant inter se.* (*Schmidt Verm. p.* 176.)

cum ipso corpus coalescamus. Dico autem, simul ac fide Christum recipimus qualiter se in evangelio offert, vere nos fieri eius membra, et vitam ab eo non secus atque a capite in nos defluere. Neque enim aliter nos Deo mortis suae sacrificio reconciliat, nisi quia noster est ac nos unum cum ipso. Sic illum Pauli locum interpretor, ubi fideles in eius κοινωνίαν vocatos esse dicit (1. Cor. 1, 9). Neque vero nomen consortii vel societatis mentem eius satis exprimere videtur, sed mihi sacram illam unitatem designat, qua filius Dei nos in corpus suum inserit, ut nobiscum sua omnia communicet. Ita a carne eius et sanguine vitam haurimus, ut non immerito vocentur nostra alimenta. Quomodo id fiat, intelligentiae meae modulo longe altius esse fateor. Itaque hoc mysterium magis suspicio, quam comprehendere laborem, nisi quod divina spiritus virtute vitam e coelis in terram transfundi agnosco: quia nec per se vivifica esset caro Christi, nec vis eius ad nos usque nisi immensa spiritus operatione perveniret. Ergo spiritus est qui facit, ut in nobis habitet Christus, nos sustineat atque vegetet, omniaque capitis officia impleat. Crassis interea commentis de substantiae commixtione aditum praecludo: quia mihi satis est, dum in coelesti gloria manet Christi corpus, vitam ab eo ad nos defluere, non secus ac radix succum ad ramos transmittit. Quanquam autem veteres, ac Hilarium praesertim et Cyrillum longius quam par sit provectos fuisse video: tamen eorum hyperbolas non admodum insector: nisi quod ingenue semper me opponam, si errori patrocinium quaeratur. Dum enim contendunt, Christum patri ὁμοούσιον esse, quia scriptum sit: Ego et pater unum sumus, dum retorquent Ariani quod mox additum est, ut sint ipsi quoque unum nobiscum, illi in sua inscitia deprehensi ad miseram latebram suffugiunt, nos quoque eiusdem cum Christo esse essentiae. Hoc autem confesso, multis absurdis involvi necesse fuit. Sed modo ne eorum autoritatem nobis obtendant novi isti fusores, mihi satis erit non subscribere, ne ultro eos in arenam protraham. Iam venio ad secundam communicationem, quae illius prioris mihi fructus est ac effectus. Nam postquam Christus interiore spiritus virtute sibi nos devinxit atque univit in corpus suum, secundam spiritus virtutem exserit, donis suis nos locupletando. Quod ergo spe et patientia fortes sumus, quod sobrie et temperanter nos continemus a mundi illecebris, quod ad domandos carnis affectus strenue incumbimus, quod viget in nobis iustitiae et pietatis studium, quod ad preces sumus intenti, quod nos futurae vitae meditatio sursum rapit, id ex secunda ista communicatione manare dico, dum Christus, ne otiosus in nobis habitet, vim spiritus sui in manifestis donis profert. Nec vero absurdum est, Christum, ubi in eius corpus coaluimus, spiritum suum nobis communicare, cuius arcana operatione noster prius effectus est: quando utrasque ei partes scriptura saepe assignat. Etsi autem in hanc communionem primo vocationis suae die veniunt fideles, quatenus tamen in illis augescit Christi vita, quotidie se illis fruendum offert. Haec est communicatio, quam in sacra coena percipiunt. Apud alium quempiam, qui mihi docendus esset, fusius prosequerer quae breviter apud te hoc tantum consilio perstringo, ut nos idem prorsus sentire videas.

De te, nisi quid novi acciderit, huc accersendo verbum amplius facere non audemus.[4]) Et certe ergo ut hac in re timidus sum, nunquam adduci potui, ut tibi migrandi autor essem, nisi missione impetrata. Fructum vero ex tuo labore provenire cupio, qui nobis absentiae tuae desiderium leniat. Ecclesiolae vero Gallicanae clades [5]) me non parum angit. *Garnerio* quidem prospectum studebimus, ubi venerit. Sed collapsae ecclesiae restitutio imprimis curanda est: ad quam rem si nervos intendas, multum, ut spero, proderis.

De *Boquino* [6]) semper timui quod accidit. Atque utinam *Balduinus* apud Bituriges potius mansisset quam huius hirci foetore inquinasset gregem Christi. Tu igitur in malo hoc sanando, ut facis enitere: qua in re, D. *Sturmium* et *Sleidanum* fidos tibi adiutores fore arbitror.[7]) De statu rerum nostrarum commodius referet hic frater et symmysta meus, quam literis complecti queam. Quare ne bis idem, hac narratione abstineo. Vale, ornatissime vir et mihi in Domino semper observande. Saluta diligenter amicos D. *Sturmium*, *Zankum* et reliquos. D. Petrum *Alexandrum* praeteritum nolo, de quo nihil attigeram donec certi aliquid rescirem.[8]) Nunc antequam literas obsigno, admonitus sum *Garnerii* literis, magna ex parte sedatas eius adventu esse turbas. Utinam ad eum iuvandum usui esse posset mea opera. Verum si ecclesiae suffragiis electus fuerit, sua moderatione tranquillam statim ecclesiam, nisi fallor, reddet. Dominus te semper tueatur,

---

4) *De vocatione eius v. N.* 2089. 2125. 2142.

5) *Garnerii dimissio, cuius nomen Besa in sequentibus suppressit reposito* N. *Garnerius postea Marburgi professor fuit. Schmidt l. l.* 170, *neque adstipulamur Haagio qui duos Garnerios distinguit* V. 220. (*Cf. N.* 2267, *not.* 2.)

6) *Quae hic de Boquino leguntur Besa omnino suppressit. Boquinus Balduini comes fuerat Argentoratum petentis.* (*Fabric. in Biga* 162.) *Cf. N.* 2232. 2236. 2237. 2240. *Vides etiam Balduinum iam tum Calvino suspectum fuisse.*

7) *Uterque coetui Gallico adhaerebant, Sleidanus etiam eiusdem presbyter fuit.* (*Schmidt l. l.* 171.)

8) *Etiam hic locus de Alexandro abest ab editionibus, et in sequenti versu Alexandri nomen ut supra Garnerii cancellatum. De Alexandri adventu v. N.* 2233 *et Martyrem ad* 23. *Sept.*

spiritu suo regat et benedictione prosequatur. Genevae, 8. Augusti 1555. [9])

Ioannes Calvinus tuus.

2267.

CALVINUS GARNERIO.

Ministerio abdicato ipse autor est ut oblatum novum munus adeat, quippe qui maioris momenti officio non amplius obstrictus sit.

(Edidit Beza Gen. p. 171, Laus. p. 351, Hanov. p. 393, Chouet p. 231, Amst. p. 106.)

Quanquam ex tuis literis [1]) iam prope nobis certum erat, te propediem affore, facit tamen haec conditio praeter spem repente oblata, [2]) ut consilium profectionis te mutasse non mirer. Nam ut eius captandae nunquam tibi fuissem autor, ita cur tam commode ac tempestive oblatam aspernari debueris non video. Est enim honestum munus in quo te utiliter exerceas. Neque in reprehensionem cadit mutatio, quae voluntaria non est. Tibi sponte nunquam deserenda fuit statio. Nunc quando violenter ab ea deiectus es, quominus operam tuam privatim adolescentibus illis docendis impendas, nulla ratio impedit. Aula, quamdiu te ecclesia tenebat obstrictum, non fuit appetenda: nunc vero alia est libertas. Quominus itaque a publico munere solutus provinciam et sanctam et a qua sperandus est fructus suscipias, minime dissuadeo. Nec *Farellum* et *Viretum* aliud sensuros existimo: quanquam si aliud consilium dederint, nolo mihi obtemperes. Verum, si recte divino, non erunt tam austeri ut te revocent. Vale, integerrime frater. Dominus te consilii spiritu regat, virtute sustentet, benedictione sua foveat. Amen. Saluta uxorem et amicos. Genevae, 8. Augusti. 1555.

Ioannes Calvinus tuus.

9) *Diem et annum addidit editor.*

2267. 1) *deperditis et N.* 2232 *recentioribus.*

2) *Garnerii fata post abdicationem ministerii Argentoratensis usque dum Marburgi professionem theologicam capesseret non omnino nobis ignota sunt. Ex hac nostra epistola nobis intellexisse videmur eum adolescentium quorundam in aula hassiaca paedagogum factum esse. Plura infra.*

2268.

CALVINUS FARELLO.

Consilium eius adeo perhorrescit ut magis non possit. Res Monsbelgardenses obiter attingit.

(Ex autographo Cod. Genev. 107ᵃ, fol. 118; quocum conferri potuerunt exemplaria Ionvillaei ibid. fol. 309 in fine mutilum, Turretini Cod. 108, fol. 52, Bernensia duo Epp. VI. p. 473 et VII. p. 29, denique Simleri Vol. 85.)

Eximio Iesu Christi servo Guillelmo Farello Neocomensis ecclesiae fido pastori fratri et symmystae vere colendo.

S. Valde miratus sum, optime frater, quum mihi tuum consilium exposuit *Gallasius*, ut opus summo labore a me expolitum porcorum rostris subiicerem turpiter et contumeliose lacerandum, non sine acerbo meo dolore et eorum risu ac sannis qui suam in nos scurrilitatem quotidie absque materia exercent. Usque adeone servili ingenio tibi visus sum, ut sponte plausibilem ludum eorum protervae suggererem? Sed vide quantum profeceris. Me vita hac privatum esse mallem quam Christi ecclesiam huius mei laboris fructu. Si tamen alterutrum necesse foret, potius manibus meis in ignem coniicerem illud quidquid est mea cura elaboratum, quam facerem quod praescribis. [1])

Bene quidem accidit quod res iam integra non erat, dum allatae sunt tuae literae. Hac tamen excusatione non utor, quia ingenue profiteri libet quod fert animus, mihi potius linguam et manum exsectum iri, quam ut ad dictandum vel scribendum quod te cupere ostendis me adduci patiar, donec saltem res in melius sint mutatae. Plus satis durum est, superbe me ab illis et crudeliter vexari, ut nova probra mihi non accersam. Nam et ridiculus essem improbis et cordatis putidus. Quod si etiam stomacho pectus meum careret, quorsum tamen attinet me invitis cum ingrato et exoso munere obtrudere? Utinam vero ab his molestiis posthac mihi detur immunitas: quod fiet, si nihil scripsero.

In ecclesiae Monsbelgardensis [2]) levanda clade tentari equidem aliquid cupio, et placet opportunitas si ad nuptias venerint *Landgravius* et *Wirtebergensis*. *Beza* etiam me de rogandis Tigurinis admonuerat: sed quia procul absum, nec ulla mihi

2268. 1) *De quonam suo opere hic loquatur nobis non constat. Altera defensio Consensus dudum edita erat, altera nondum inchoata, et hactenus Kirchh.* p. 131 *nobis rem acu tetigisse non videtur. De Commentario vero in Psalmos censurae subiiciendo ne cogitari quidem potest.*

2) *Cf.* N. 2255.

suppetit autoritas, quiesco; nisi quod *Herbium* [3]) rogavi ut se interponeret. Vale, optime et integerrime frater. Dominus tibi semper adsit, te regat ac tueatur. Collegae mei et amici te reverenter salutant. Hoc quoque officio pro me vicissim apud fratres, praefectum et reliquos fungere. Genevae 12. Augusti 1555.

Ioannes Calvinus tuus.

2269.

LOCQUETUS CALVINO.

Iam laetiora ex Argentorato.

(Ex autographo Bibl. Genev. Vol. 109, fol. 57.)

Vigilantissimo pastori ecclesiae Genevensis Ioanni Calvino.

Genevae.

S. P. Novissimis literis, [1]) optime pastor, scribere non poteram quid de prospero ecclesiae statu sperare liceret, rebus omnino adhuc dubiis, confusis, ac novis (ut apparebat) incipientibus factionibus. Sed iam meliora nunciare possum, Domino providente, qui felicibus auspiciis Petri *Alexandri* feliciorem progressum facit. [2]) Nam paulatim sedantur tumultus, dispersae oves congregantur, ad quotidianas conciones magno numero perseveranter accedunt, adeo ut instaurationis ecclesiae nostrae non modica spes videatur. Deus Opt. Max. nobis adesse dignetur: in tuis ac fidelium precibus commendari cupimus. D. *Hautamanus*, [3]) testis ocularis rerum nostrarum, tibi plenius omnia recensebit. Vale, optime pastor. Argentinae 12. Augusti 1555.

Tuus obsequentissimus Locquetus.

3) *Matthias Erbius, Ettlingensis natus a.* 1494, *Bernae studiis deditus, primum in schola Gengenbacensi professor, iam minister et superintendens Richevillae in Alsatia.*

2269. 1) *Novissimae nobis quidem N.* 2236.

2) *Ad Alexandrum de vocatione scribitur d.* 27. *Maii, ecclesiae senatus liberum votum in eligendo pastore permittit d.* 27. *Iulii, denique hoc ipso die* 12. *Augusti vocatio perfecta fuit (Memor. xxi.)*

3) *lege:* Hotomanus, *qui ergo Argentorati aderat. Cf. N.* 2255.

2270.

MUSCULUS BLAURERO.

Causa Genevensium. Exsules Angli. Foedus Bernense.

(Excerptum ex autographo Bibl. civic. Sangallensis MS. Tom. 36 olim VII. N. 330. Apographa contulimus duo Turici in Bibl. civica, alterum MSS. F. 48, olim VIII. fol. 711 v. alterum Simleri Vol. 85.)

D. Ambrosio Blaurero suo.

Biel.

— — — — — — — — — — — — — — — —

De causa Genevensium eadem ad me *Calvinus* [1]) quae et tibi et *Bullingero.* Audio iam exsulum anglicanorum ecclesiam, quae hactenus Francofordi haesit, venturam Genevam. [2]) Nostri hodie eunt Genevam ad renovandam civitatis societatem. [3]) Det Dominus ut succedat institutum. — — — — Bernae 1555. 13. Augusti.

W. Musculus tuus in Domino.

2271.

SLEIDANUS CALVINO.

Pro more multa obiter habet nova undequaque terrarum allata. Speciatim de sua historia.

(Ex autographo Cod. Gothani 405, fol. 14.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino ecclesiastae Genevensi domino et amico plurimum colendo.

Sal. Iulio mense scripsi ad D. *Hotomanum,* Eas literas ait Losanae sibi redditas. Nunc idem sentio, nimirum ut nondum tentetur versio gallica, [1]) sed aliud tempus exspectetur. Ut igitur in eo curam adhibeas plurimum oro. De vestra illa turba [2])

2270. 1) *N.* 2244.

2) *Nempe ea pars quae strictius Presbyterianorum dici poterat. (Reg. du Conseil* 10. *Iun.)*

3) *Vide supra N.* 2263 *et Ruchat* VI. 141 *sq. Spon* I. 301 *not. f. Hundesh.* 299.

2271. 1) *Videtur ipse Hotomanus hanc provinciam in se suscepisse. Versio ipsa (an vero huius?), post Sleidani mortem demum prodiit* 1557 *s. l.,* 1558 *Argentor.* 1561 *Genevae et saepius Haag.* VIII. 227.

2) *Idib. Maiis orta.*

legi quod scripsisti *Bullingero.*[3]) Satanas non dormitat et viris bonis ubique molitur exitium: sed vivit et regnat Deus.

Conventus imperii[4]) tendit ad exitum, et prorogabitur (ut aiunt) ad Calendas Martias. Nostri petierunt ut pax religioni detur, et ut omnibus liberum sit religionem atque doctrinam nostram sectari. Sed hoc adversarii constanter et obstinate recusarunt hactenus. Brevi cognoscemus quid sit decretum. Caesarem aiunt mortua matre rediturum in Hispaniam ut coronetur. De classe Danica, quae pervenit in Scotiam, nihil adhuc habemus comperti. Per Angliam fervent incendia et *Cantuariensis* in magno est discrimine. Ad calendas Septembris *Georgius* comes Wirtembergicus uxorem ducet *Lantgravii* filiam.

Garnerius miserat supellectilem ad vos atque libros. Addideram historiae meae exemplar unum ad te perferendum. Sed interea videtur illi alia esse oblata conditio.[5]) Itaque fortasse fiet ut serius ad te perferatur liber. Id autem boni consulas, oro, et si quid erit, libere velim admoneas, et pergratum erit si proxime de eo mihi scripseris. Commendo me tuis et bonorum omnium precibus. Vale, xvij Aug. M. D. LV.

Tibi deditissimus
Io. Sl.

2272.

ALEXANDER CALVINO.

Nunciat quo modo Argentorati exceptus et post primas conciones ab ecclesia et magistratu ad munus capessendum vocatus sit.

(Ex autographo Cod. Genev. 112 fol. 173. Lectio difficilis et hinc inde dubia, ex atramenti pallore et charta maculata.)

Pietate et doctrina clarissimo viro D. Iohani Calvino ecclesiae Genevensis pastori fidelissimo domino et patri observandissimo.

Genevae.

Reverendissime domine et pater observandissime. Antequam Lausanna[1]) vocatus a magistratu Argentinensi recederem, cupiebam ad te venire, sed D. *Viretus* in se suscepit meas excusationes, quas pollicitus est apud te facere. Cuius fretus benevolentia veni Argentinam,[2]) ubi tum a magistratu tum ab ipsa ecclesia humanissime sum susceptus. Erant quidem illic dissidia et controversiae variae,[3]) sed gratia Dei omnia iam ita sunt pacata ut nunc videantur omnia nova corda voces et opera. Sic enim operatur magnus ille in cuius manu sunt omnes fines terrae, qui scrutatur et transmutat quando vult renes et corda. Quum enim venissem Argentinam et optaret magistratus ut illic ministerium acceptarem, absolute recusavi:[4]) verum hoc a magistratu impetravi ut in ecclesia concionarer. Quum autem quindecim diebus fuissem concionatus, tunc magistratus vocavit concionatores et doctores et professores omnes qui gallice noverant, et ex potioribus ecclesiae ad numerum octoginta hominum, qui omnes uno ore rogarunt magistratum ut me in locum D. *Garnerii*, excluso *Bocquino*, subrogarent.[5]) Annuit magistratus et ita gratia Dei, publico consensu ecclesiae et magistratus factum est ut ibi sim retentus. Hic habemus multam gratiam hominum et, ut intellexi, diversas sectas: quare per Iesum Christum te rogo ut laborantes in vinea Domini nec adhuc satis expertos digneris et consilio et favore et precibus adiuvare. Statum nostrae ecclesiae tibi intimabit praesentium lator. Dominus Iesus te dignetur nobis et ecclesiae suae diutius incolumem servare. Argentinae 17. Augusti.

Tuus Petrus Alexander.

D. *Petrus Martyr* hospes meus[6]) iubet te plurimum salvere cum omnibus tuis.

---

3) *N.* 2243.
4) *Augustae celebratus Sleid.* III. 513. 522 *ss.*
5) *N.* 2267.
2272. 1) *ubi ergo consederat post discessum ex Mombelgardia.*

2) *m. Iulio ut conücere licet ex Memor. XXI. ad 27. Iul. Ibidem de receptione eius quaedam leguntur.*
3) *Maxime ex Boquini vocatione.*
4) *Scil. quia ab ipsa ecclesia vocari volebat, non a solo magistratu.*
5) *Haec quoque in Memor. l. l. narrantur. Boquinum Senatus reclamante ecclesia non confirmavit.*
6) *Iam in Anglia alter alteri innotuit et familiaritate iunctus fuit. Martyr iam ecclesiae gallicanae a consilio presbyterorum erat.*

2273.

GRAF GEORG AN BLAURER.

Die Klagen über sein Mümpelgardisches Kirchen-Regiment und gegen Toussaint werden als gänzlich unbegründet abgewiesen.

(Original in der Stadtbibliothek zu S. Gallen MS. Bd. 37. Epp. VIII. p. 42. Eine schlechte Copie in der Zürcher Stadtbibliothek Archiv. Hottinger. VIII. jetzt F. 43. fol. 147 und daraus Simler Vol. 85.)

Dem wolgelerten vnserm lieben besondern Ambrosio Plaurer predigernn zu Bühell Georg Grave zu Würtemberg vnnd zu Mumpelgart etc.

Vnsern grus zuvor wolgelerter lieber besonder. Wir haben Ewer schreyben sampt der kirchendiener zu Losannen an Euch überschickte missiuen [1]) empfangen vnnd alles jres juhalts vernomen, vnnd haben vnns solches schreybens nit wenig verwundert Angesehen das doch an demselbigen so gar nichts ist. damit jre aber mit der kurtze wissens haben möcht wie die sachen geschaffen, so wollen wir Euch nit bergen das vnserm predicanten Petro *Tossano* vnrecht geschicht [2]) jndem jme zugemessen werden wil als ob er vrsach were das die vier gewesene predicanten [3]) von vns beurloupt worden seint: dann er nit daran schuldt hat sonder sie selbst dieweyl sie (wie jn vnser grave vnnd herschaft kundt vnnd offenbar ist) wider vnsere nunmehr ein gute zeit her gebrauchte christliche ordnung, [4]) welche sie auch also für erbar vnd christlich angenomen vnd daruff gelopt vnd geschworen, von tag zu tag beschwerliche vnruwige vnnd onnöttige newerungen angefangen vnd zwytracht in vnsern kirchen angericht haben. Wiewol wir nhun damals entschlossen vnd wol befugt gewesen ernstlichere handlung jrer verdinst nach vorzenemen, so hat doch gemelter *Tossanus* vnnd vnsere räthe vns zur selben zeit sovil zu versteen geben das sie genzlich verhofftent sie wurden uff die gnedige handlung so vor vns mit jnen bescheen sich weyter keiner neuwerung oder vnruh anmassen: also das wir sie damals am ampt bleiben lassen: daruff sie vnns auch von neuwem zugesagt vnnd versprochen sich solcher neuwerungen zu enthalten vnnd vnserer ordnung zu geleben. Aber gleich baldt darnach haben sie solches alles widerumb in vergesz gestelt vnnd nit geringe Tragedias in der kirchen offentlich angericht: also das wir zulotst der sachen nit besser haben wissen zu rathen, damit nit weyter vnruhe daraus volgte dan das wir solche jrrige koepf von vnsern kirchen abschafften.

Nachdem jnen nhun jre verhandlung in vnserm beysein vorgehalten vnnd daruff von vns jres dinsts erlassenn worden, haben sie sich mit keinem wort vernemmen lassen das wir jre Verantwortung hören wolten: volgends noch etlich wochen haben sie vns bitlich ersucht wir wolten sie zu verantwortung komen lassen. Wiewol wir nhun angesehen jrer wissentlichen vorhandlungen solches zu thun nit schuldig gewesenn, so haben wir sie doch zu vberflus jnn jrer vermainten antwort der lenge nach gnugsam gehört, aber dieselbig dermassen jrrig vnnd vngegrundt befunden das wirs bey vnserm vor gegebnen beschaidt billich vnd der kirchen zu gutem haben bleiben lassen. Ob sie nhun mit warheit sagen könden das sie onverhört vnnd onverantwort von vns bevrlaupt wordenn seien das geben wir euch selbst zuerkennen.

Das dann *Tossanus* oder andre vnser kirchendiener mit etlichen jrrigen articklen [5]) beflekt sein sollen haben wir gnugsame Inquisition haben lassen aber keine jrrige artickel (Gott hab lob) befinden mögen. Wir wissen auch anders nit dann das *Tossanus* jtzt wie vor zwantzig jaren vnd andre vnsere predicanten in vnser grafschafft Mumpelgart das wort Gottes lauther vnnd rein offentlich predigen, auch nichts sectisch leren, sonder sich der Augsp. Confession gemes halten, die wir dann nit für vncristlich halten konden: wo aber jemandts an jren predigenn zweifel hette der mag sie selbst hören, würts also finden.

Zum andern, das auch der *Tossanus* ein buch [6]) jn der predicanten Congregation oder sonst nit hab stracks condemnieren wöllen, daran hat er sich vnserer ordnung nit vngemesz gehalten, dan vnsere predicanten sindt dem volk jren schafflen fürzusteen und zu waiden, darmit sie auch genug zu thun haben, vnd nit die bücher zu condemniren, one vns vnd vnsere räth, verordnet.

Zum dritten so hat auch *Tossanus* bevelch von vns gehabt predicanten anzunemen [7]) das er nit für sich selbst geraist ist. Es beschicht auch jnsonderheit vnserm predicanten zu Bavom, Meister *Iacoben,* [8]) vnrecht das er die verwirte vngegrundte

---

2273. 1) *Beides fehlt.*

2) *Die vorliegende einfache Darstellung zeigt, zu welchen Uebertreibungen Farel's Eifer sich hatte hinreissen lassen.*

3) *von Blamont, Désandans, St. Julien und Valentigney.*

4) *Sie hatten Conventikel zu Exincourt, Blamont u. s. w. gehalten, weigerten sich, die vorgeschriebenen Formen der KO. zu befolgen und übten willkürlich das Ausschliessungsrecht vom Abendmahl.* (*Goguel p.* 55.)

5) *Neigung zu Servet, oder wenigstens zu Bellius, eine Klage, welche namentlich gegen seinen Diaconus erhoben wurde.* (*N.* 2032. 2063. 2128.)

6) *Bellius.*

7) *N.* 2152.

8) *Getheus war zu Blamont; zu Bavans Georg Du-*

Artickel so jr vns in einem neben zettel zugeschickt habt deffendirt haben solt. Dann so doctor Peter *Alexander* vnd die vier beurlaupte personen die sach recht bedechten würden sie wol befinden mit was vngrundt jme solche positiones zugelegt worden seint. Nichts desto weniger hat sich er, Meister *Iacob*, vor vns vnnd den kirchendienern alsobaldt zum vberfluss gnugsamlich purgiert vnd vrsach seines glaubens geben, darmit wir vnd alle kirchendiener wol zufrieden gewesen, vnd noch: wie dann die beurlaupten predicanten dessen selbst gut wissens haben, wan sie nit sonst gern vnsere kirchen verwirren wolten. Daneben so habt jr vns nhun dannocht ein gutte zeit gekent: versehen vnns jr sollen vns darfur nit halten das wir vncristliche oder ketzerische lehr jn vnsern kirchen handhaben solten, gedencken auch vermittelst göttlicher gnaden hinfurter also zehalten das wir von keinem mit warheit dessen mögen beschrait werden.

Dhieweil dann dem also, so ist vnser gnedigs begern an euch jr wölt vns vnd vnsere predicanten vnd kirchen aus erzelten vnd andern mehr warhafftigen vrsachen jn solchem verdacht nit halten, sonder die sachen ewers theils dahin richten domit wir vnd vnsere kirchen hinfurter ruwig vnd jn cristlicher einigkeit pleiben mogen. Das haben wir euch vff ewer schreiben nit wollen vnangezeigt lassen, euch ferrers gegen andern hierin desto besser mit antwort (wo von nöthen) wissen zu haltenn. Geben Mumpelgart den 19. Augusti anno LV.

G. G. zu Würtemberg.

2274.

BEZA GUALTHERO.

Seditiosi Genevenses multos habent patronos et urbs, exsulum asylum, ab hominibus vexata a Deo servanda est.

(Autographum servavit Simlerus in sua collectione Vol. 85. Alibi non exstat descriptum.)

Fideli servo Dei D. Rodolpho Gualtero in ecclesia Tigurina verbi Dei ministro fratri mihi observandissimo.

Tiguri.

S. Quamvis non desint multa quae scribam tamen hoc tempore multas ab causas cogor λακωνίζειν.

---

mont. Doch kann eine Veränderung vorgegangen sein. Vgl. N. 2128. 2143.

— — — — — — De rebus nostris accipe uno verbo, dum copiosius ad te omnia perscribam. Nefarium scelus utinam non tam multos haberet patronos. Roga quaeso Dominum, mi *Gualtere* optime, et quidem serio cum fratribus caeteris, si unquam alias, ut miseros exsules et exsulum commune domicilium servet, ab iis vexatum a quibus foveri oportuit. Sed plura alias. Bene vale. Lausannae 19. Aug.

T. Beza plane tuus.

2275.

MELANCHTHON BULLINGERO.

Gratias agit de libro sibi dono dato, probat sententiam de Serveto latam et certamen sacramentarium contra se ipsum renovatum iri queritur.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. vol. 117[a], olim Scrin. C. Epp. Tom. I. fol. 410. Descripta legitur Cod. Genev. 114. fol. 94 et ap. Simlerum Vol. 82 qui eam refert ad a. 1554. Edita est a Beza Genev. p. 174, Laus. p. 357, Hanov. p. 400, Chouet p. 235, Amst. p. 108 et in Corp. Ref. VIII. 523.)

Reverendo viro eruditione et virtute praestanti D. Henrico Bullingero ecclesiae Christi in inclyta et vetusta urbe Tiguro fratri suo carissimo.

S. D. Reverende vir et carissime frater. Quum allata essent exempla tui scripti περὶ δικαιοσύνης,[1]) statim emi et legi, ac laetatus sum consensu vestrarum et nostrarum ecclesiarum. Postea tuas literas et librum[2]) a te missum accepi. Tibi igitur et pro benevolentia erga me tua et pro munere gratias ago. Legi etiam quae de *Serveti* blasphemiis respondistis,[3]) et pietatem ac iudicia vestra probo. Iudico etiam senatum Genevensem recte fecisse quod hominem pertinacem et non omissurum blasphemias sustulit, ac miratus sum, esse qui severitatem illam improbent. Mitto de ea quaestione breves pagellas,[4]) sed tamen sententiae nostrae tes-

---

2275. 1) *Bullingerus m. pr. adscripsit:* Loquitur de libro meo quem 1554 vulgavi de Gratia Dei iustificante nos propter Christum per solam fidem absque operibus bonis, fide interim exuberante in opera bona ll. IV. ad Seren. Daniae Regem H. B. autore. [*Tig. Froschover* 1554.]
2) *Modo laudatum puta.*
3) *a Calvino libro contra Servetum edito inserta.*
4) An senatus Genevensis iuste affecerit supplicio Servetum. 1555 *in* Ph. Mel. Consilia s. indicia theol. coll. op. Chr. Pezelii. Neust. 1600. 8. II. 226. (*Corp. Ref.* VIII. 520. *Schmidt Mel.* 654.) *Porro etiam:* Quaestio: an politica potes-

tes. Quidem veteres amici mei minitantur mihi se ὑπὲρ ἀρτολατρείας contra me scripturos esse.[5]) Si quid edent nominatim contra me, decrevi Deo iuvante respondere, etiamsi hoc certamen omitti malim. Pios et doctos de re tanta placide colloqui utilius esset. Oro autem filium Dei ut nos omnes gubernet et sanet ecclesiae vulnera. Bene et feliciter vale, carissime frater. Die 20. Augusti. Salutem opto *Laelio* et vobis omnibus.

Philippus Melanthon.

2276.

ZAHLICZINUS CALVINO.

Respondet urbane et civiliter ad quasdam Nostri sibi missas literas studii et officii plenas.

(Authenticum exemplar cui autor manu propria subscripsit extat in Cod. Gothano 405, fol. 50.)

Egregio praestantisque doctrinae viro Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori . . . . o plurimum observando venerandoque.

S. P. D. Declaratio tui erga me studii atque officii, quam tuae ad me perhumaniter scriptae literae[1]) attulerunt, sane grata ac iucunda mihi accidit, non solum propterea quod mihi id a te, viro summa eruditione praedito, denunciari video, quam quod te vero ac sincero animo graviter ac industriose id operari sentio. Me enim partes hortandi T. H. suscepit, ut tanquam coelesti evangelii doctrina illustratus sinceros Dei cultus propagare instituerem, inque semita salutifera pergere contenderem. Quae monitio a te, viro omni doctrina politissimo, mihi gratissima intercessit: summam enim comitatem iucunditatemque eius sermo literarum prae se fert. Porro Deus, humani generis conditor, qui pietatis studiosos spiritu suo gubernat sincerumque cultum sui in animis inchoat, eius nutu atque regimine in his pergere conabor quae vocationi meae spectare videntur. Commendo me tandem eximiae humanitati tuae, tanquam amico singulari meo modis omnibus observando, eique meum complacendi studium defero. Datae in Melschtin 20. Augusti anno 1555.

Amicus vester ex animo
S. Pitsch Iordan de Zahliczin[2])
et in Melschtin haeres, Palatinus
Sendomiriensis Premisliensis Kamionacensisque Capitaneus,
Salve manu propria sst.

---

tas debeat tollere haereticos? recitata a M. And. Tilandro Brand. Cal. Aug. 1555. (*Consilia* p. 323. *Corp. Ref.* X. 851.)
5) *N.* 2204.
2276. 1) *deperditae.*

2) *Infra habebis epp. Calvini ad eundem d. d.* 13. *Sept.* (*a Beza sub nomine variato editam*) *et* 29. *Dec. Erat praefectus aerario regio. Cum Lismanino frequenti commercio epistolico coniunctus fuisse videtur. Cf. Salig.* II. 589.

2277.

BULLINGERUS MELANCHTHONI.

Commendat ei filium suum Wittembergae studiis operam daturum.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 117b, olim C. II. fol. 334. — Bindseil, Suppl. Mel. 378.)

Philippo Melanchtoni H. Bullingerus S. D.

Pietati tuae et humanitati confisus, piissime et doctissime *Philippi*, domine colendissime et frater carissime, mitto ad te hunc meum filium *Heinrychum*,[1]) et per ipsum Dominum nostrum te obtestor ut velis illi esse pater, eumque in tuas aedes,[2]) in victum et in tutelam tuam recipere. Numerabo tibi quod aequum fuerit et alii coaequales eius tibi appenderint. Praeterea me tibi tuisque obstringo, et omne nostrum officium vicissim defero: Quod si tibi omnino commodum non fuerit illum in aedes tuas recipere, saltem illi auxilio esse velis, consultorque bonus, ut honestum vel sanctum nanciscatur hospitem, et ut tu interim eius sumas patrocinium. Nemini erit oneri, nemini erit molestus, cum nemine contendet. Sibi, Deo et literis vivet. Te sequetur, te sibi deligit praeceptorem et audire cupit. Ego cupio ut pacifice apud vos agere et bonas pariter ac pias literas discere possit. Deo enim et bonis literis hunc consecravi. Deo et literis si hunc una tecum applicare conten-

---

2277. 1) *Anno* 1553 *eum Argentoratum miserat ubi Burcheri Angli hospitio utebatur, et Martyre et Zancho praeceptoribus. Wittebergam petenti iuveni pater negare noluit.*

2) *Quod facile roganti concessit. Bullingerus pro filii pensione quotannis* 40 *fl. solvit, quum ipse non nisi* 350 *fl. haberet. Melanchthonis lectiones omnes sequi eum iussit, praeterea nullas nisi Maioris theologicas et Peuceri mathematicas.* (*Hess.* II. 121, *Pestal.* 480.)

deris, scis te praemium accepturum a munifico Domino et Deo nostro. Praeterea me et meos tibi tuisque prorsus devincies.

De rebus omnibus satis diligenter scribit[3]) aliquando dilectissimus frater noster *Calvinus.* Ea de causa sum brevior, sciens te multis esse occupatum. Mitto tuae pietati tres sermones germanicos quos hoc anno et praeterito edidi, et postremum maxime contra Schuenkfeldianos.[4]) Dominus Iesus servet te diu incolumem anima et corpore afflictissimae suae ecclesiae. Salutant te fratres et symmystae. Tiguri 22. Augusti anno 1555.

Heinrychus Bullingerus
Tigurinae ecclesiae antistes
tuus ex animo.

2278.

CALVINUS MELANCHTHONI.

Semetipsum et amicum excitat ad certamen pro veritate fortiter sustinendum, haud obscure significans in altero tantum tali stimulo opus esse.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Gen. p. 162, Laus. p. 352, Hanov. p. 394, Chouet p. 219, Amst. p. 100. — Bindseil Suppl. p. 379. Gallice versa legitur in edit. Berol. p. 195, anglice in ed. Philad. III. 219. Satis plausibilis est coniectura Bezam non nisi partem epistolae servasse cf. praecedentem not. 3.)

Recte quidem et prudenter admones,[1]) ornatissime vir, id sibi unum nostros antagonistas proponere ut se theatro venditent. Quanquam autem sua opinio longe eos, ut spero et credibile est, frustrabitur, tamen ut totius mundi plausum referant, eo nos maiore studio ad coelestem ἀγωνοθέτην, sub cuius oculis certamus, intentos esse decet. Quid? an sacer angelorum consessus, qui et suo favore nos excitant et viam strenue agendi praemonstrant suo exemplo, pigrescere vel cunctanter pedes movere sinet? Quid totus sanctorum patrum chorus? an nullos addet stimulos? Quid porro Dei ecclesia quae in mundo versatur? quum eam scimus et votis nobiscum pugnare et exemplo nostro animari, an nihil apud nos valebunt eius suffragia? Meum vero sit hoc theatrum, cuius approbatione contentus, quamvis me totus mundus exsibilet, animo nunquam deficiam: tantum abest, ut insulsis clamatoribus invideam, si mustacea gloriola in obscuro angulo ad breve tempus fruantur. Quid plausibile sit mundo vel odiosum, me non latet. Sed mihi nihil pluris est, quam praescriptam a magistro normam sequi. Nec dubito quin haec ingenuitas piis et sanis gratior tandem futura sit, quam flexibilis et mollis docendi ratio, quae inanem metum prae se ferat. Quod te Deo et ecclesiae debere agnoscis, obsecro te ut quamprimum solvas. Neque in hanc rem insisto, quod partem invidiae in te exonerans tantundem me levatum iri confidam. Quin potius, si liceat, quidquid in te oneris iam incumbit, pro meo in te amore atque observantia, paratus forem in meos humeros suscipere: sed tuum est expendere, ut ego monitor non accedam, nisi dubitatione pios homines qui te respiciunt mature liberes, te vix unquam solvendo fore. Adde etiam quod nisi serum hoc et vespertinum gallicinium te expergefaciat, pigrum merito omnes clamabunt. Vale, praestantissime vir et mihi ex animo venerande. Christus fidelis suorum custos tibi semper adsit, te regat et tueatur. Amen. D. *Camerarium*, et si qui praeterea istic sunt amici, meo nomine saluta. Genevae, 10. Calend. Septembr.[2]) 1555.

2279.

SULZERUS MARBACHIO.

Post laudes Marbachii Tossanum falso a Servetanismi crimine vindicat et quo pacto illud ei impingi potuerit explicat.

(Ex tomo Epp. variorum ad Marbachios a Fechtio editarum p. 50.)

S. Saepe de te, mi suavissime *Marpachi*, deque ecclesia vestra cogito, eo quod te antistitem insigniter cum tuis sudantem ad temonem remosque video, et illam ceu in salo quodam misere et satis

3) *Fortasse Bullingerus Calvino autor fuit ut proficiscenti filio epistolam ad Melanchthonem committeret. Quae iam sequitur, sed minime diligenter de rebus omnibus agit. Nos in codice legimus:* scribit, *Hessius:* scribet *legisse videtur. Sane praesens tempus cum adverbio* aliquando *non bene convenit.*

4) *Nobis nulli hoc tempore editi innotuerunt nisi hi:* Zwey Predigen von dem h. Nachtmal 1553 *et iterum* 1555. Von dem sytlichen. Zwo Predigen, verteutscht d. Jo. Haller. Z. Frosch. 1554. 8. Von dem Heyl der glöubigen, Predig. *ibid.* 1555. 8.

2278. 1) *N.* 2204.

2) *i. e.* 23. *Aug. non vero Sept. ut habet Henry* III. 336.

cum periculo huc illuc fluctuantem, quae res ut vobis laborem augeat et tempestatem satis perspicio. Non novum illud quidem sed deplorandum malum. Quo ut merito ob fraternam compassionem perturbor, ita vicissim vehementer me recreat quod statum vos animi fixum in Domino retinetis, perspicuitate alacritateque doctrinae contra Antichristi regnum pugnatis, indicta ad reliquos vobis sancta patientia et aequanimitate veris Christi servis digna, qua certum est triumphum paulo post per Dominum reportaturos. — — — — — —

De Gallicanae apud vos ecclesiae ministro miror ut res habeat, et qua ratione vobiscum in doctrina religionis convenerit?[1]) Sed forsan ille ex sanioribus est. De *Tossano* fama certe falsa evulgata est,[2]) ceu ille monstra Servetanae haereseos vel clam vel publice foveat. Integrae enim ille probataeque doctrinae semper fuit et est hodie, odioque a quibusdam in hanc suspicionem tractus est. Primum ex eo quod cum *Serveto* voluisset non adeo ad ignes properatum sed carceribus potius perpetuis coercendum.[3]) Qua tamen in re facile satisfieri sibi vel a me solo passus est, ut factum deinde non improbarit. Deinde quod ex confratribus quendam[4]) non curaverit eiiciendum illico, qui ut veritatem eliceret solidius de industria contrariis argumentis aliis quibusdam se opposuisset vera affirmantibus, idque calore (ut fit) disputationis provectus paulo fecisset vehementius et importunius. Qui tamen super ea re interpellatus sancte testatus est, quae adduxisset a se non solum non probari, sed extreme etiam damnari, doctrinae christianae receptaeque articulos singulos et professum esse hactenus annis compluribus, et professurum ad mortem: tum ab eiusmodi genere disputationum facile sibi deinceps temperaturum. Unde factum ut pii deque ecclesia optime meriti fratris purgationem admiserit non *Tossanus* solum, sed princeps etiam *Georgius* comes a Wirtemberg cum consiliariis et *Schradinus* noster. Quo nomine etiam praefectus Montpelgardensis, Ioh. *Hoecklin*, vir singulari pietate zeloque Dei insignis rei historiam mihi de industria voluit explicare. Et principis atque *Schradini* literis etiam *Blaurerus* hac ipsa de causa interpellatus est, apud quem delatus perinvidiose *Tossanus* potissimum fuerat. — — — — — — Basil. 27. Augusti anno 1555.

T. Sulcerus.

2279. 1) *Marbachius ei de Alexandro scripsisse videtur satis benevole, quum is Conf. Augustanae subscripserit (Memor. XXI. 12. Aug.) Sulzeri* ἑτεροζυγοῦντος *indoles hic apertius quam laudabilius apparet.*

2) *Sulserus lutheranisans ipse Tossani laudes canere debebat.*

3) *Cf. N.* 1974.

4) *Jac. Getheum.*

2280.

LABORIE AUX MINISTRES DE GENÈVE.

Relation des derniers interrogatoires des cinq prisonniers de Chambéry.

(Histoire des Martyrs éd. de 1619, fol. 347.)

Messieurs et bien-aimez peres, et vous mes treschers freres en nostre Seigneur, i'ai bien experimenté, graces au Seigneur, combien nous vous sommes chers par la diligence qu'avez faite pour nous subvenir en nos liens, ne laissans aucun moyen en arriere pour ce faire: en quoi avez aussi monstré vostre charité estre vraye envers nous, non telle comme de plusieurs qui preferans les biens et commoditez du monde au secours qu'ils pourroyent faire aux enfans de Dieu aiment mieux voir espandre le sang innocent devant leurs yeux sans s'y opposer, craignans avoir reproche pour Christ, et toutefois se vantent d'estre grands Chrestiens et des plus charitables. Mais ie ren graces à mon Dieu, qui m'a fait conoistre tout le temps que i'ai conversé avec vous, et plus fort depuis mes liens, à ma grande edification, que vous estes vrais Ministres, fideles serviteurs et enfans de Dieu, abondans en foi et charité manifeste à tous pour le tesmoignage de vostre vocation et gloire de nostre Dieu. Celui qui a commencé en nous, nous face perseverer iusqu'a la fin.

Les deux freres qui furent ici de par vous ces iours passez, nous avertirent par lettres que desirez recouvrer nos confessions de foi. Nous eussions voulu de bon coeur satisfaire à vostre desir. Mais depuis que le frere I. G. fut dernierement avec nous, n'avons eu papier ni livres aucunement, ni rien pour nous consoler, à cause de quoi n'avons eu commodité de ce faire. Et maintenant le papier nous est baillé à la mesure que voyez. Il vous plaira donc m'excuser et en recueillant ma Confession ou le principal d'icelle de mes precedentes lettres, ensemble tout ce qui a esté fait iusques à nostre sentence des galeres, vous contenter que ie vous avertisse de ce qui a esté fait par la Cour depuis ladite sentence.

Mercredi passé eut 8 iours et estoit le 21. d'Aoust, que nostre premier Iuge nous vint prononcer nostre sentence des galeres, à quatre heures apres midi dans nostre prison: sur laquelle respondismes, Que rendions graces à Dieu de ce qu'il nous faisoit dignes de souffrir et endurer pour son saint Nom. Incontinent apres, de ce que le procureur du Roi fut appelant de ladite sentence, les Seigneurs de la Cour envoyerent querir le frere *Vernou*, lequel demeura ce soir long temps devant eux: et

pource que le temps estoit court on le remit encores au lendemain matin: et fut separé de nous ce soir à nostre grand regret, et ne fut sans prier Dieu ardemment pour lui et pour nous. Le lendemain qui estoit Ieudi il fut encores remené devant Messieurs, où il demeura toute la matinee, et graces au seigneur se porta vaillamment devant eux, et leur resista de sorte qu'ils ne gagnerent rien sur lui. Apres disné la Cour n'entra point.

Le Vendredi matin à sept heures on me vint querir pour me mener devant lesdits Seigneurs en la chambre de leur bureau. Là estoyent assis en leurs chaires les deux Presidens, neuf Conseillers, l'Advocat du Roy, et le Greffier. Incontinent que ie fu entré l'un des principaux commanda au Greffier de me presenter un tableau où il avoit un crucefix peinct, et me commanda de me mettre à genoux. Ie respondi, A Dieu ne plaise que ie me prosterne devant l'idole ou creature. Alors me fut dit, Vous estes bien mordant: et pensez-vous que la Cour entende que vous adoriez l'image, ni nous aussi? non: mais la Cour vous commande que vous adoriez Dieu et honoriez le Magistrat, et pour ce faire que vous vous mettiez à genoux afin de iurer devant vostre Dieu que vous direz verité et respondrez d'icelle en toute reverence. Messieurs (di-ie) c'est ce que ie desire d'adorer Dieu et l'honnorer, voire et obeir au Magistrat: et pourtant ie me submets à vostre commandement pourveu que l'idole soit ostee de la, et non autrement: veu que ce seroit contre l'honneur de Dieu. Alors il commanda au Greffier d'oster l'image. Et derechef il me commanda de me mettre à genoux, avec la declaration que la Cour n'entendoit que i'adorasse autre que Dieu, mais seulement pour monstrer l'obeissance deue au Magistrat. Lors protestant que ie n'entendoi le faire autrement, ains plustost mourir, ie me mi à genoux. Incontinent il me fit rapporter l'idole pour iurer: ce que voyant ie me voulu relever, disant que ie n'en feroi rien. Alors il commanda derechef qu'on l'ostast, et me fit apporter la Bible, sur laquelle ie iurai dire verité. Cela fut cause que la question de l'idolatrie fut avancee devant que demander mon nom: et fut assez au long debatue. Apres on me demanda mon nom, ma naissance et ma vocation. Ie respondi de tout à la verité. Le President me demanda de ma prise, de la procedure qui m'avoit esté faite par mes Iuges precedens et de nostre sentence: m'avertissant que le procureur du Roy en avoit appelé. Sur quoi ie lui respondi comment le tout avoit esté demené: et quant à la sentence que ie ne pouvoi pas empescher le procureur d'en appeler: mais quant à moi, i'estoi prest de recevoir en patience tout ce qu'il plairoit à Dieu m'envoyer, fust la delivrance, la mort ou les galeres, veu que c'estoit pour son Nom que i'enduroi l'un ou l'autre. Sur cela il me demanda pourquoi i'avoi laissé mon pays et m'estoi retiré à Geneve. Ie lui respondi de la cause à la verité. Lors il me commanda de me lever, et apres que ie fu debout il me fit une harangue ornee d'allechemens autant grands que i'aye iamais ouis, pour me remonstrer que ie pouvoi aussi bien vivre en ma maison et servir à Dieu, comme à Geneve, et mesme que i'offensoi Dieu me retirant avec scandale: et sur cela passages de la saincte Escriture n'y furent espargnez. Sur la fin de la harangue il print des argumens pour prouver que nous estions iustifiez par oeuvres: que nous avions un franc arbitre: que le Pape, combien qu'en sa vie il fust meschant (comme il confessa par son propos) devoit estre tenu pour Evesque et que c'estoit mal fait de l'appeler l'Antechrist: que la Messe estoit la Cene et un sacrifice d'action de graces: que les ceremonies qu'on fait au Baptesme sont supportables encores qu'elles soyent superflues: veu que Sainct Paul circoncit Thimothee et se rasa: et plusieurs autres belles raisons, par lesquelles ils me prioyent de me reduire à leur Eglise. Sur cela, combien que ma chair sentist de terribles atteintes, le Seigneur me donna dequoi leur respondre, premierement des causes par lesquelles ie ne pouvoi demeurer en saine conscience en la Papauté, estant privé de la predication de l'Evangile et des Sacremens. Ie respondi puis apres sur les argumens qu'il m'avoit faits pour le franc arbitre et pour les oeuvres, et amenai argumens au contraire. Mais sans attendre autres raisons rompit propos, tellement que ie fu contraint de me plaindre, et demander si la Cour n'entendoit point que ie fusse oui: et lors les propos furent mieux reiglez, si continuasmes de debatre tous lesdits poincts, iusques à dix heures.

Ie vous pourroi bien en partie reciter par le menu ce qui fut dit par ordre, mais de peur que le papier ne faille, et d'autant que vous le pouvez mieux penser: seulement ie mettrai la fin de nos disputes: laquelle fut telle (ne sai si c'estoit par feintise ou à la vérité) qu'il m'accorda n'y avoir franc arbitre: que nous sommes iustifiez par foi et non par oeuvres: que la Messe estoit farcie de mille superfluitez, voire qui ne valoyent rien: qu'elle ne pouvoit estre sacrifice pour les pechez, mais seulement d'action de graces: que le corps de Iesus Christ n'estoit point localement au pain, ni le sang au vin: que ceux qui l'adoroyent là estoyent idolatres. Quant au Pape, qu'il n'estoit point Evesque des Evesques, mais Evesque de Rome seulement: et que c'estoit chose vraye qu'il vivoit tresmal, et lui et les Evesques et prestres: et ne s'acquittoyent en rien de leur charge, et estoit à desirer une bonne reformation. Bref, il m'accordoit

cum periculo huc illuc fluctuantem, quae res ut vobis laborem augeat et tempestatem satis perspicio. Non novum illud quidem sed deplorandum malum. Quo ut merito ob fraternam compassionem perturbor, ita vicissim vehementer me recreat quod statum vos animi fixum in Domino retinetis, perspicuitate alacritateque doctrinae contra Antichristi regnum pugnatis, indicta ad reliquos vobis sancta patientia et aequanimitate veris Christi servis digna, qua certum est triumphum paulo post per Dominum reportaturos. — — — — — —

De Gallicanae apud vos ecclesiae ministro miror ut res habeat, et qua ratione vobiscum in doctrina religionis convenerit? [1]) Sed forsan ille ex sanioribus est. De *Tossano* fama certe falsa evulgata est, [2]) ceu ille monstra Servetanae haereseos vel clam vel publice foveat. Integrae enim ille probataeque doctrinae semper fuit et est hodie, odioque a quibusdam in hanc suspicionem tractus est. Primum ex eo quod cum *Serveto* voluisset non adeo ad ignes properatum sed carceribus potius perpetuis coercendum. [3]) Qua tamen in re facile satisfieri sibi vel a me solo passus est, ut factum deinde non improbarit. Deinde quod ex confratribus quendam [4]) non curaverit eiiciendum illico, qui ut veritatem eliceret solidius de industria contrariis argumentis aliis quibusdam se opposuisset vera affirmantibus, idque calore (ut fit) disputationis provectus paulo fecisset vehementius et importunius. Qui tamen super ea re interpellatus sancte testatus est, quae adduxisset a se non solum non probari, sed extreme etiam damnari, doctrinae christianae receptaeque articulos singulos et professum esse hactenus annis compluribus, et professurum ad mortem: tum ab eiusmodi genere disputationum facile sibi deinceps temperaturum. Unde factum ut pii deque ecclesia optime meriti fratris purgationem admiserit non *Tossanus* solum, sed princeps etiam *Georgius* comes a Wirtemberg cum consiliariis et *Schradinus* noster. Quo nomine etiam praefectus Montpelgardensis, Ioh. *Hoecklin*, vir singulari pietate zeloque Dei insignis rei historiam mihi de industria voluit explicare. Et principis atque *Schradini* literis etiam *Blaurerus* hac ipsa de causa interpellatus est, apud quem delatus perinvidiose *Tossanus* potissimum fuerat. — — — — — Basil. 27. Augusti anno 1555.

T. Sulcerus.

2279. 1) *Marbachius ei de Alexandro scripsisse videtur satis benevole, quum is Conf. Augustanae subscripserit (Memor.* XXI. 12. *Aug.) Sulzeri* ἑτεροζυγοῦντος *indoles hic apertius quam laudabilius apparet.*

2) *Sulzerus lutheranisans ipse Tossani laudes canere debebat.*

3) *Cf. N.* 1974.

4) *Jac. Getheum.*

2280.

LABORIE AUX MINISTRES DE GENÈVE.

Relation des derniers interrogatoires des cinq prisonniers de Chambéry.

(Histoire des Martyrs éd. de 1619, fol. 347.)

Messieurs et bien-aimez peres, et vous mes treschers freres en nostre Seigneur, i'ai bien experimenté, graces au Seigneur, combien nous vous sommes chers par la diligence qu'avez faite pour nous subvenir en nos liens, ne laissans aucun moyen en arriere pour ce faire: en quoi avez aussi monstré vostre charité estre vraye envers nous, non telle comme de plusieurs qui preferans les biens et commoditez du monde au secours qu'ils pourroyent faire aux enfans de Dieu aiment mieux voir espandre le sang innocent devant leurs yeux sans s'y opposer, craignans avoir reproche pour Christ, et toutefois se vantent d'estre grands Chrestiens et des plus charitables. Mais ie ren graces à mon Dieu, qui m'a fait conoistre tout le temps que i'ai conversé avec vous, et plus fort depuis mes liens, à ma grande edification, que vous estes vrais Ministres, fideles serviteurs et enfans de Dieu, abondans en foi et charité manifeste à tous pour le tesmoignage de vostre vocation et gloire de nostre Dieu. Celui qui a commencé en nous, nous face perseverer iusqu'a la fin.

Les deux freres qui furent ici de par vous ces iours passez, nous avertirent par lettres que desirez recouvrer nos confessions de foi. Nous eussions voulu de bon coeur satisfaire à vostre desir. Mais depuis que le frere I. G. fut dernierement avec nous, n'avons eu papier ni livres aucunement, ni rien pour nous consoler, à cause de quoi n'avons eu commodité de ce faire. Et maintenant le papier nous est baillé à la mesure que voyez. Il vous plaira donc m'excuser et en recueillant ma Confession ou le principal d'icelle de mes precedentes lettres, ensemble tout ce qui a esté fait iusques à nostre sentence des galeres, vous contenter que ie vous avertisse de ce qui a esté fait par la Cour depuis ladite sentence.

Mercredi passé eut 8 iours et estoit le 21. d'Aoust, que nostre premier Iuge nous vint prononcer nostre sentence des galeres, à quatre heures apres midi dans nostre prison: sur laquelle respondismes, Que rendions graces à Dieu de ce qu'il nous faisoit dignes de souffrir et endurer pour son saint Nom. Incontinent apres, de ce que le procureur du Roi fut appelant de ladite sentence, les Seigneurs de la Cour envoyerent querir le frere *Vernou*, lequel demeura ce soir long temps devant eux: et

pource que le temps estoit court on le remit encores au lendemain matin: et fut separé de nous ce soir à nostre grand regret, et ne fut sans prier Dieu ardemment pour lui et pour nous. Le lendemain qui estoit Ieudi il fut encores remené devant Messieurs, où il demeura toute la matinee, et graces au seigneur se porta vaillamment devant eux, et leur resista de sorte qu'ils ne gagnerent rien sur lui. Apres disné la Cour n'entra point.

Le Vendredi matin à sept heures on me vint querir pour me mener devant lesdits Seigneurs en la chambre de leur bureau. Là estoyent assis en leurs chaires les deux Presidens, neuf Conseillers, l'Advocat du Roy, et le Greffier. Incontinent que ie fu entré l'un des principaux commanda au Greffier de me presenter un tableau où il avoit un crucefix peinct, et me commanda de me mettre à genoux. Ie respondi, A Dieu ne plaise que ie me prosterne devant l'idole ou creature. Alors me fut dit, Vous estes bien mordant: et pensez-vous que la Cour entende que vous adoriez l'image, ni nous aussi? non: mais la Cour vous commande que vous adoriez Dieu et honoriez le Magistrat, et pour ce faire que vous vous mettiez à genoux afin de iurer devant vostre Dieu que vous direz verité et respondrez d'icelle en toute reverence. Messieurs (di-ie) c'est ce que ie desire d'adorer Dieu et l'honnorer, voire et obeir au Magistrat: et pourtant ie me submets à vostre commandement pourveu que l'idole soit ostee de la, et non autrement: veu que ce seroit contre l'honneur de Dieu. Alors il commanda au Greffier d'oster l'image. Et derechef il me commanda de me mettre à genoux, avec la declaration que la Cour n'entendoit que i'adorasse autre que Dieu, mais seulement pour monstrer l'obeissance deue au Magistrat. Lors protestant que ie n'entendoi le faire autrement, ains plustost mourir, ie me mi à genoux. Incontinent il me fit rapporter l'idole pour iurer: ce que voyant ie me voulu relever, disant que ie n'en feroi rien. Alors il commanda derechef qu'on l'ostast, et me fit apporter la Bible, sur laquelle ie iurai dire verité. Cela fut cause que la question de l'idolatrie fut avancee devant que demander mon nom: et fut assez au long debatue. Apres on me demanda mon nom, ma naissance et ma vocation. Ie respondi de tout à la verité. Le President me demanda de ma prise, de la procedure qui m'avoit esté faite par mes Iuges precedens et de nostre sentence: m'avertissant que le procureur du Roy en avoit appelé. Sur quoi ie lui respondi comment le tout avoit esté demené: et quant à la sentence que ie ne pouvoi pas empescher le procureur d'en appeler: mais quant à moi, i'estoi prest de recevoir en patience tout ce qu'il plairoit à Dieu m'envoyer, fust la delivrance, la mort ou les galeres, veu que c'estoit pour son Nom que i'enduroi l'un ou l'autre. Sur cela il me demanda pourquoi i'avoi laissé mon pays et m'estoi retiré à Geneve. Ie lui respondi de la cause à la verité. Lors il me commanda de me lever, et apres que ie fu debout il me fit une harangue ornee d'allechemens autant grands que i'aye iamais ouis, pour me remonstrer que ie pouvoi aussi bien vivre en ma maison et servir à Dieu, comme à Geneve, et mesme que i'offensoi Dieu me retirant avec scandale: et sur cela passages de la saincte Escriture n'y furent espargnez. Sur la fin de la harangue il print des argumens pour prouver que nous estions iustifiez par oeuvres: que nous avions un franc arbitre: que le Pape, combien qu'en sa vie il fust meschant (comme il confessa par son propos) devoit estre tenu pour Evesque et que c'estoit mal fait de l'appeler l'Antechrist: que la Messe estoit la Cene et un sacrifice d'action de graces: que les ceremonies qu'on fait au Baptesme sont supportables encores qu'elles soyent superflues: veu que Sainct Paul circoncit Thimothee et se rasa: et plusieurs autres belles raisons, par lesquelles ils me prioyent de me reduire à leur Eglise. Sur cela, combien que ma chair sentist de terribles atteintes, le Seigneur me donna dequoi leur respondre, premierement des causes par lesquelles ie ne pouvoi demeurer en saine conscience en la Papauté, estant privé de la predication de l'Evangile et des Sacremens. Ie respondi puis apres sur les argumens qu'il m'avoit faits pour le franc arbitre et pour les oeuvres, et amenai argumens au contraire. Mais sans attendre autres raisons rompit propos, tellement que ie fu contraint de me plaindre, et demander si la Cour n'entendoit point que ie fusse oui: et lors les propos furent mieux reiglez, si continuasmes de debatre tous lesdits poincts, iusques à dix heures.

Ie vous pourroi bien en partie reciter par le menu ce qui fut dit par ordre, mais de peur que le papier ne faille, et d'autant que vous le pouvez mieux penser: seulement ie mettrai la fin de nos disputes: laquelle fut telle (ne sai si c'estoit par feintise ou à la vérité) qu'il m'accorda n'y avoir franc arbitre: que nous sommes iustifiez par foi et non par oeuvres: que la Messe estoit farcie de mille superfluitez, voire qui ne valoyent rien: qu'elle ne pouvoit estre sacrifice pour les pechez, mais seulement d'action de graces: que le corps de Iesus Christ n'estoit point localement au pain, ni le sang au vin: que ceux qui l'adoroyent là estoyent idolatres. Quant au Pape, qu'il n'estoit point Evesque des Evesques, mais Evesque de Rome seulement: et que c'estoit chose vraye qu'il vivoit tresmal, et lui et les Evesques et prestres: et ne s'acquittoyent en rien de leur charge, et estoit à desirer une bonne reformation. Bref, il m'accordoit

presque tout, tellement que ie fu contraint lui dire ces paroles: Monsieur, ie voudroi que Dieu eust fait la grace à tous les moines de France d'estre aussi bons theologiens que vous: car nous serions tost d'accord. Et à ce que ie puis voir il ne faut pas craindre que me condamniez, si ne le faites contre vostre conscience. Car si ie suis heretique (ce que non) vous l'estes aussi bien que moi par vostre propre confession. Sur cela tous les conseilliers se prindrent à rire, et un nommé *Crassus* qui estoit nostre rapporteur me dit: Il faut que vous soyez heretique comme lui, non pas lui comme vous. A quoi ie respondi: Monsieur, ie ne le veux pas estre comme lui, car paravanture ie le seroi par fiction. Mais ie voudroi bien que lui et vous tous le fussiez comme moi, à savoir seulement par l'opinion et faux iugement du monde.

Ce President vint rouge de visage et se print à me faire encores quelques exhortations à sa mode, pour me faire renoncer: et voyant qu'il n'avançoit rien me firent remener, pource que l'heure de leur disner les pressoit. Ie fu mis en une chambrette à part, separé de mes freres, qui me fut bien dur: mesme que ie les eusse bien voulu avertir des moyens cauteleux desdicts Seigneurs. Mais soudain ie fu grandement consolé, conoissant l'assistance que le Seigneur m'avoit faite: à cause de quoi ie me mi à lui rendre graces et le prier pour mes freres qui n'estoyent encore mandez. Et veu que ledit President m'avoit accordé ce que dessus, i'eu grand desir de parler à eux, pour leur annoncer le iugement de Dieu. A cause de quoi ie priai celui qui m'apporta à disner que si Messieurs entroyent apres disné, il leur dist que ie les prioi de parler encor à eux: ce qu'il me promit de faire. Soudain ie me mi à prier ardemment nostre Dieu qu'il me fist ceste grace de leur remonstrer le devoir de leur charge, nostre innocence et le iugement de Dieu. Ie demeurai ainsi priant et meditant iusqu'à deux heures apres midi que ce serviteur me vint dire qu'il avoit parlé à Messieurs pour moi, et que ie vinsse dire ce que ie voudroi. Soudain bien ioyeux d'une telle nouvelle ie m'en vai devant Messieurs au lieu susdict, où tous estoyent comme de matin. Ie me mi tout debout devant eux et le President me dit ainsi: Maistre *Antoine* que dites-vous? Alors eslevant mon esprit à Dieu pour le requerir à mon aide, ie commençai à leur remonstrer le devoir de leur charge, et pourquoi Dieu les avoit constituez guettes sur son peuple, mesme leur avoit communiqué son Nom de Dieu, et ainsi les exhortai de s'en acquitter selon sa volonté. Apres leur remonstrai l'innocence de mes freres et la mienne, laquelle ils ne pouvoyent ignorer, veu que de matin ils l'avoyent confessee, et qu'ils ne pouvoyent estre de ceux qui iugent par ignorance, au rapport et iugement des moines sur les heresies, veu que Dieu les avoit douez de grande conoissance pour en faire iugement. Et par ainsi qu'ils avisassent à la cause de Iesus Christ puis qu'ils en estoyent iuges en nos personnes, comme estans ses membres, avisant bien de ne commettre le peché contre le sainct Esprit: sur quoi leur representai le iugement de Dieu vivement, et finalement leur remonstrai le soin que le Seigneur a des siens, et comment il requiert leur sang. Bref, Dieu me fit la grace que ie fus escouté d'eux environ une heure sans interruption, et leur di tout ce que le Seigneur me donna de leur dire, avec application des passages, tellement qu'il faut glorifier Dieu en l'assistance qu'il me fit par sa grace. Tant que ie parlai tous avoyent l'oeil sur moi et moi sur eux, et en vi quelques uns des plus ieunes qui avoyent la larme à l'oeil. Apres que i'eus achevé l'un des principaux confessa tout ce que ie disoi estre vrai quant à leur office, mais que ie savoi bien que Dieu a commandé par Moyse que les heretiques soyent punis les premiers et que ie ne pouvoi nier que combien que i'eusse dit des choses vrayes que ie n'eusse offensé grandement et scandalizé mes prochains, appelant le Pape Antechrist et fils de perdition, et la Messe invention du diable, singerie et oeuvre de toute abomination, par ainsi mon sang ne pouvoit estre innocent, et plusieurs autres propos. Ie lui accordai qu'il faloit punir les heretiques et lui alleguai *Servet* qui avoit esté puni à Geneve, mais qu'ils avisassent bien de ne punir les Chrestiens et enfans de Dieu au lieu des heretiques, comme toute la Cour avoit tesmoignage en leurs consciences que nous estions enfans de Dieu: et ainsi qu'ils se gardassent de communiquer au iugement de Pilate, pour favoriser aux Princes du monde et Sacrificateurs de Belial. A la fin il me pria souventefois par beaucoup d'allechemens de faire une retractation simplement devant eux et qu'il me lairroit aller, veu que ie pouvoi faire grand fruict, et ladite retractation ne seroit point dangereuse. Sur quoi il mit une Messe toute nouvelle et un Pape tout nouveau, les bigarrant de diverses couleurs: et me pria que ie receusse ceste moderation. Ie respondi, que pour bien amender la Messe il la falloit oster du tout et faire comme sainct Paul, revenir à l'institution premiere du Seigneur pour restituer la Cene en son entier. Touchant au Pape ie respondi, quand il ensuyvroit S. Pierre et les Apostres en vie et en doctrine, que ie le tiendroi pour Evesque.

Ces choses dites ie fu renvoyé en ma petite chambrette. A quatre heures le frere *Trigalet* fut amené devant eux, et leur respondit de mesme, graces au Seigneur, comme il le vous mande. Le lendemain Samedi matin les freres *Bataille* et *Tauran*

furent amenez et tenus toute la matinee, ausquels le Seigneur assista si bien qu'ils triompherent de rembarrer Satan et ses cautelles. Et apres, bien ioyeux, du commandement de la Cour fusmes remis ensemble. Le Lundi apres 26. d'Aoust, tous ensemble fusmes amenez devant Messieurs, qui firent grande remonstrance et instance pour nous reduire. Le frere *Vernou*, par la grace de Dieu, respondit amplement pour tous, de sorte que glorifiasmes nostre Dieu et nous en retournasmos victorieux. Depuis avons esté condamnez entr'eux, comme l'on dit, à estre bruslez tous cinq. Nous rendons graces à Dieu et attendons l'heure, nous recommandans à voz prieres. [1])

2281.

SULZERUS BULLINGERO.

Dissidium inter Bernensem et Genevensem rempublicam eo usque progressurum videtur ut vel confoederatio alioqui propediem renovanda in discrimen veniat.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 155, olim Scrin. B. Epp. Tom. 33, fol. 400. — Simler. Vol. 85.)

Viro praestantissimo D. Heinricho Bullingero domino et symmystae colendissimo suo.

S. Scripsi per civis cuiusdam uxorem, quae Zurzachium profecta promisit literas se curaturam in aedes D. Heinrichi *Lochman*. Quas si accepisti rogo significes. Neque enim velim vel eas vel iis adiunctas intercidere.

Ex Berna [1]) et aliunde accipio, gravissima discordia inter se collidi Genevatem et Bernensem respublicas, eaque nimirum tanto perniciosiore, quod societati praefinitus terminus in Februario anni mox sequentis constitutus sit, ut metuendum sit ne ea amplius coalescat adeo exacerbatis utrinque animis. Quo factum est ut quum nuper legati Bernenses Genevam ex negotio nescio quo venissent, ita sint accepti ut minore cum gratia quam hac nunquam, adeo ut ne salutati quidem sint a plerisque. Inde autem id evenire coniicio, quod ob tumultum profugi Genevates Bernae nimirum per querelas impleverint suspicionibus multorum animos, quibus vicissim et ex altera parte indulgeatur. Gravatur autem supra modum *Calvinus*, [2]) cui omnium fere malorum culpa imputatur. Tantum potest Satanas consueto artificio et stratagemate hostem suum distinguens. Quare bonis omnibus serio advigilandum est, ut quantum possint operam omnem ad sedandam indignationem utrinque conceptam conferant, recteque fratres Bernenses meo iudicio fecerint si magistratum suum serio moneant, [3]) quo aliorum infirmitatem portet, civilem christianamque coniunctionem foveat, astus diaboli animadvertat et caveat: qui si obtinuerit ut haec duarum celeberrimarum urbium solvatur confoederatio, non parum certe ad exercitanda horribilia scandala confecerit, vulneraque immedicabilia ecclesiae Dei intulerit. Intera precemur Dominum. Vale, quia nuncius festinat. Basileae 3a Septembris anno 1555.

T. Sulcerus.

2282.

FARELLUS CALVINO.

Primum laudes Calvini canit, tum de lite sua cum pastore Crescentino et alia quadam Holbraquii pauca praefatus, casum matrimonialem ei proponit consilium petens, denique in Tossanum invehitur se audacter purgantem.

(Ex edit. Bezae Genev. p. 173, Laus. p. 353, Hanov. p. 394, Chouet p. 234, Amst. p. 107.)

Plus satis habes unde in horas crucifigaris et domi et foris, ut opus non sit me tibi graviorem

---

2280. 1) *Dans l'Hist. des Martyrs il suit une lettre de Trigalet du 1r Septembre adressée à ses amis de Genève, qui donne d'autres détails sur ces mêmes faits. Par inadvertance l'éditeur l'a attribuée également à Laborie.*

2281. 1) *De his discordiis ad ea quae supra iam saepius commemorata fuere nuperrime alia accesserunt quae animos utrinque exacerbarent. Maxime Genevenses id aegre ferebant quod Bernenses sibi patronatum quendam in Libertinos profugos arrogabant, praeterea tales hi conditiones renovandi foederis proponebant quibus si illi se submisissent fere Bernensium subiecti in posterum fuissent. Tandem res eo devenit ut quum Bernensium legati, qui novum praefectum Terniaci constituri erant, per urbem transire vellent, iis transitus negatus fuerit.* (*Reg. du Conseil.* 6. *Oct.*) *Cf. Ruchat* VI. 143. *Trechsel* I. 206. *Hundesh.* 299.

2) *Vide infra Epp. Bullingeri d. d.* 28. *Sept. et Calvini* 24. *Oct.*

3) *Verum horum autoritatem apud senatum parum valuisse, testis est Hallerus N.* 2263.

presque tout, tellement que ie fu contraint lui dire ces paroles: Monsieur, ie voudroi que Dieu eust fait la grace à tous les moines de France d'estre aussi bons theologiens que vous: car nous serions tost d'accord. Et à ce que ie puis voir il ne faut pas craindre que me condamniez, si ne le faites contre vostre conscience. Car si ie suis heretique (ce que non) vous l'estes aussi bien que moi par vostre propre confession. Sur cela tous les conseilliers se prindrent à rire, et un nommé *Crassus* qui estoit nostre rapporteur me dit: Il faut que vous soyez heretique comme lui, non pas lui comme vous. A quoi ie respondi: Monsieur, ie ne le veux pas estre comme lui, car paravanture ie le seroi par fiction. Mais ie voudroi bien que lui et vous tous le fussiez comme moi, à savoir seulement par l'opinion et faux iugement du monde.

Ce President vint rouge de visage et se print à me faire encores quelques exhortations à sa mode, pour me faire renoncer: et voyant qu'il n'avançoit rien me firent remener, pource que l'heure de leur disner les pressoit. Ie fu mis en une chambrette à part, separé de mes freres, qui me fut bien dur: mesme que ie les eusse bien voulu avertir des moyens cauteleux desdicts Seigneurs. Mais soudain ie fu grandement consolé, conoissant l'assistance que le Seigneur m'avoit faite: à cause de quoi ie me mi à lui rendre graces et le prier pour mes freres qui n'estoyent encore mandez. Et veu que ledit President m'avoit accordé ce que dessus, i'eu grand desir de parler à eux, pour leur annoncer le iugement de Dieu. A cause de quoi ie priai celui qui m'apporta à disner que si Messieurs entroyent apres disné, il leur dist que ie les prioi de parler encor à eux: ce qu'il me promit de faire. Soudain ie me mi à prier ardemment nostre Dieu qu'il me fist ceste grace de leur remonstrer le devoir de leur charge, nostre innocence et le iugement de Dieu. Ie demeurai ainsi priant et meditant iusqu'à deux heures apres midi que ce serviteur me vint dire qu'il avoit parlé à Messieurs pour moi, et que ie vinsse dire ce que ie voudroi. Soudain bien ioyeux d'une telle nouvelle ie m'en vai devant Messieurs au lieu susdict, où tous estoyent comme de matin. Ie me mi tout debout devant eux et le President me dit ainsi: Maistre *Antoine* que dites-vous? Alors eslevant mon esprit à Dieu pour le requerir à mon aide, ie commençai à leur remonstrer le devoir de leur charge, et pourquoi Dieu les avoit constituez guettes sur son peuple, mesme leur avoit communiqué son Nom de Dieu, et ainsi les exhortai de s'en acquitter selon sa volonté. Apres leur remonstrai l'innocence de mes freres et la mienne, laquelle ils ne pouvoyent ignorer, veu que de matin ils l'avoyent confessee, et qu'ils ne pouvoyent estre de ceux qui iugent par ignorance, au rapport et iugement des moines sur les heresies, veu que Dieu les avoit douez de grande conoissance pour en faire iugement. Et par ainsi qu'ils avisassent à la cause de Iesus Christ puis qu'ils en estoyent iuges en nos personnes, comme estans ses membres, avisant bien de ne commettre le peché contre le sainct Esprit: sur quoi leur representai le iugement de Dieu vivement, et finalement leur remonstrai le soin que le Seigneur a des siens, et comment il requiert leur sang. Bref, Dieu me fit la grace que ie fus escouté d'eux environ une heure sans interruption, et leur di tout ce que le Seigneur me donna de leur dire, avec application des passages, tellement qu'il faut glorifier Dieu en l'assistance qu'il me fit par sa grace. Tant que ie parlai tous avoyent l'oeil sur moi et moi sur eux, et en vi quelques uns des plus ieunes qui avoyent la larme à l'oeil. Apres que i'eus achevé l'un des principaux confessa tout ce que ie disoi estre vrai quant à leur office, mais que ie savoi bien que Dieu a commandé par Moyse que les heretiques soyent punis les premiers et que ie ne pouvoi nier que combien que i'eusse dit des choses vrayes que ie n'eusse offensé grandement et scandalizé mes prochains, appelant le Pape Antechrist et fils de perdition, et la Messe invention du diable, singerie et oeuvre de toute abomination, par ainsi mon sang ne pouvoit estre innocent, et plusieurs autres propos. Ie lui accordai qu'il faloit punir les heretiques et lui alleguai *Servet* qui avoit esté puni à Geneve, mais qu'ils avisassent bien de ne punir les Chrestiens et enfans de Dieu au lieu des heretiques, comme toute la Cour avoit tesmoignage en leurs consciences que nous estions enfans de Dieu: et ainsi qu'ils se gardassent de communiquer au iugement de Pilate, pour favoriser aux Princes du monde et Sacrificateurs de Belial. A la fin il me pria souventefois par beaucoup d'allechemens de faire une retractation simplement devant eux et qu'il me lairroit aller, veu que ie pouvoi faire grand fruict, et ladite retractation ne seroit point dangereuse. Sur quoi il mit une Messe toute nouvelle et un Pape tout nouveau, les bigarrant de diverses couleurs: et me pria que ie receusse ceste moderation. Ie respondi, que pour bien amender la Messe il la falloit oster du tout et faire comme sainct Paul, revenir à l'institution premiere du Seigneur pour restituer la Cene en son entier. Touchant au Pape ie respondi, quand il ensuyvroit S. Pierre et les Apostres en vie et en doctrine, que ie le tiendroi pour Evesque.

Ces choses dites ie fu renvoyé en ma petite chambrette. A quatre heures le frere *Trigalet* fut amené devant eux, et leur respondit de mesme, graces au Seigneur, comme il le vous mande. Le lendemain Samedi matin les freres *Bataille* et *Tauran*

furent amenez et tenus toute la matinee, ausquels le Seigneur assista si bien qu'ils triompherent de rembarrer Satan et ses cautelles. Et apres, bien ioyeux, du commandement de la Cour fusmes remis ensemble. Le Lundi apres 26. d'Aoust, tous ensemble fusmes amenez devant Messieurs, qui firent grande remonstrance et instance pour nous reduire. Le frere *Vernou*, par la grace de Dieu, respondit amplement pour tous, de sorte que glorifiasmes nostre Dieu et nous en retournasmes victorieux. Depuis avons esté condamnez entr'eux, comme l'on dit, à estre bruslez tous cinq. Nous rendons graces à Dieu et attendons l'heure, nous recommandans à voz prieres. [1])

2281.

SULZERUS BULLINGERO.

Dissidium inter Bernensem et Genevensem rempublicam eo usque progressurum videtur ut vel confoederatio alioqui propediem renovanda in discrimen veniat.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 155, olim Scrin. B. Epp. Tom. 33, fol. 400. — Simler. Vol. 85.)

Viro praestantissimo D. Heinricho Bullingero domino et symmystae colendissimo suo.

S. Scripsi per civis cuiusdam uxorem, quae Zurzachium profecta promisit literas se curaturam in aedes D. Heinrichi *Lochman*. Quas si accepisti rogo significes. Neque enim velim vel eas vel iis adiunctas intercidere.

Ex Berna [1]) et aliunde accipio, gravissima discordia inter se collidi Genevatem et Bernensem respublicas, eaque nimirum tanto perniciosiore, quod societati praefinitus terminus in Februario anni mox sequentis constitutus sit, ut metuendum sit ne ea amplius coalescat adeo exacerbatis utrinque animis. Quo factum est ut quum nuper legati Bernenses Genevam ex negotio nescio quo venissent, ita sint accepti ut minore cum gratia quam hac nunquam, adeo ut ne salutati quidem sint a plerisque. Inde autem id evenire coniicio, quod ob tumultum profugi Genevates Bernae nimirum per querelas impleverint suspicionibus multorum animos, quibus vicissim et ex altera parte indulgeatur. Gravatur autem supra modum *Calvinus*, [2]) cui omnium fere malorum culpa imputatur. Tantum potest Satanas consueto artificio et stratagemate hostem suum distinguens. Quare bonis omnibus serio advigilandum est, ut quantum possint operam omnem ad sedandam indignationem utrinque conceptam conferant, recteque fratres Bernenses meo iudicio fecerint si magistratum suum serio moneant, [3]) quo aliorum infirmitatem portet, civilem christianamque coniunctionem foveat, astus diaboli animadvertat et caveat: qui si obtinuerit ut haec duarum celeberrimarum urbium solvatur confoederatio, non parum certe ad exercitanda horribilia scandala confecerit, vulneraque immedicabilia ecclesiae Dei intulerit. Intera precemur Dominum. Vale, quia nuncius festinat. Basileae 3a Septembris anno 1555.

T. Sulcerus.

2282.

FARELLUS CALVINO.

Primum laudes Calvini canit, tum de lite sua cum pastore Crescentino et alia quadam Holbraquii pauca praefatus, casum matrimonialem ei proponit consilium petens, denique in Tossanum invehitur se audacter purgantem.

(Ex edit. Bezae Genev. p. 178, Laus. p. 353, Hanov. p. 394, Chouet p. 234, Amst. p. 107.)

Plus satis habes unde in horas crucifigaris et domi et foris, ut opus non sit me tibi graviorem

---

2280. 1) *Dans l'Hist. des Martyrs il suit une lettre de Trigalet du 1r Septembre adressée à ses amis de Genève, qui donne d'autres détails sur ces mêmes faits. Par inadvertance l'éditeur l'a attribuée également à Laborie.*

2281. 1) *De his discordiis ad ea quae supra iam saepius commemorata fuere nuperrime alia accesserunt quae animos utrinque exacerbarent. Maxime Genevenses id aegre ferebant quod Bernenses sibi patronatum quendam in Libertinos profugos arrogabant, praeterea tales hi conditiones renovandi foederis proponebant quibus si illi se submisissent fere Bernensium subiecti in posterum fuissent. Tandem res eo devenit ut quum Bernensium legati, qui novum praefectum Terniaci constituri erant, per urbem transire vellent, iis transitus negatus fuerit.* (*Reg. du Conseil.* 6. *Oct.*) *Cf. Ruchat* VI. 143. *Trechsel* I. 206. *Hundesh.* 299.

2) *Vide infra Epp. Bullingeri d. d.* 28. *Sept. et Calvini* 24. *Oct.*

3) *Verum horum autoritatem apud senatum parum valuisse, testis est Hallerus N.* 2263.

addere crucem.[1]) Habes quam iustissimas querendi rationes. Ex multis pauca attigisti in tuis literis. Quid enim dici potest de iis qui ultro in Christum insurgunt, ut eum prorsus perdant ut iniquissimum, et Satanam iustificent ut sanctissimum? Non heri coeptum est: sed mox ubi tu nobis datus fuisti a Domino perseveratum est magnis animis, ut progressus in omni iniquitate fuerint quam maximi. Sed gratias ago Domino quod nullus favor potuisset efficere ea, quae videre nos facit Christus noster et efficit in hac tam gravi et intolerabili molestia, ut plura multo sint pro nobis et nobis accedant, quam contra nos aut a nobis deficiant. Fiunt multa indigne, et proscindimur: sed latent nos plura, et ea quibus Domino commendamur. Tangi expedit mala et argui: sed in bonis et bene merendo Christum nobis debemus proponere quam patiens est, quam est studiosus ut de male merentibus quam optime mereatur, non servili animo, sed plus quam heroico, qui malis non frangitur. Voluit Christus in te insigne edere: quum turba tot hostium convenisset ut caedibus omnia impleret, non dubitasti te non modo ridendum, rostris foedandum, sed conculcandum, lacerandum, perdendum, omnium gladiis confodiendum ultro obiicere. Favit Dominus tibi, et quod strenue coepit triumphans quam felicissime absolvit. Non tam impedita sunt quae abs te peto, nec tam indigna si rationem consulas, etsi videntur indignissima: sed malo coram agere, si Dominus dederit. Tantum peto ut gratias agens Domino super ingenti misericordia et bonitate qua te cinxit undique, commendes hostes Domino, feras omnia aequiori animo, queraris tantum apud Dominum qui medeatur, apud eos qui peccant, ut convertantur. Et si qui velint et possint una hostes admonere, paucos audias, qui aliorum mala narrent, paucioribus credas. Vides in Paulo, quem tu notiorem orbi omnibus fecisti, quid is tribuat toti coetui propter interdum paucos valde.

Sed quis est qui me non rideat haec ad te scribentem, si intellexerit? Annon merito sus Minervam dicar? Sed nostro haec condona amori. Et interea audi in quibus versemur. Ego litem habeo cum plebano Crescentino.[2]) Peto ut sibi consulat et plebi, et quod me tangit sepeliatur, me id non curare. Ille agnoscit aliqua, de quibus veniam petit: alia negat: mihi probandum est. Gulielmus *Hobraquius*. quem semel prohibuerunt Landecomenses arreptis bibliis sacris et deiectis in terram, litem quoque habet cum iis qui contumeliis eum affecerunt. Scripsit aliqua de missa, unde nitatur quidam Helvetios qui missam habent ciere, ut agant quemadmodum contra *Michaëlem*.[3]) Interea bonus vir pergit felicius, quam hactenus. Conciones habet liberas et usum sacramentorum.

Praeterea Ioannnes *Drogius* pastor Bevacensis[4]) cuius uxor in lepram incidit, quamvis synodo interfuerit, et subscripserit non solvi coniugium lepra, et ita omnium calculis fuerit conclusum praefecto et omnibus approbantibus ordinibus: tamen quia Germanis[5]) aliter videtur, licet fuerit cum uxore, et filium habuerit ex ea, nondum est alter annus exactus, vult nihilominus alteram ducere. Misera uxor vocata fuerat me inscio, sed a collega cum aliquot convocatis, ut suum daret assensum: sed noluit coram comparere. Urgetur a viro. Petit, quum parum supersit vitae, exspectet. Si nolit, videat an ex verbo Domini possit. Si Dominus id probet, eam non improbare. Vides ut habet cum uxore. Nuper dicebat fratribus, *Wattevillanum* ex fratribus petere, ut ea daremus per quae iudicamus non licere per lepram, sano aliam ducere sanam uxorem. Illic vidi non recte agi, sed oblique nos impeti. Omnes mihi reclamanti hanc provinciam iniunxerunt. Pernegavi me facturum. Sed nosti nostrorum ingenia: quo plus renuo magis urgent. Et ne aliis ansam praebeam omnium sententiis refragandi, coactus annui, si daretur alios rogare quum non putem me idoneum ad id praestandum. Quamvis olfaciam collegam consilii autorem, haereo tamen an ansa captetur committendi nos cum Germanis. Quidquid tandem sit, tuum opto consilium. Vellem si posset fieri, ut rationibus tum *Buceri*, tum aliorum fieret satis. Nam quod dicitur Paulum alias afferre divortii rationes quam eam, quae una a Christo adducta sit, ubi de desertore agit, mihi alium scopum habere videtur: et quid habet commune infidelis discedens, cum fideli quae manere optat? Tu non modo nobis prospicies, verum etiam aliis. Vellem pectus Germanis tam firmum in perferenda in coniugibus lepra, quam est laudandum in peste toleranda. Quod ad magistratum attinet, non probarim tantum illi deferendum, ut indulgentior in eos quibus praeest annuat ob duritiem cordis, ut seiuncti et avulsi ab iis, quibus per Dominum sunt coniuncti, moechentur cum aliis, quibus non possunt iungi sine adulterio. Christus faxit, ut sacrosancta haec coniunctio pura, sine omni macula servetur.

2282. 1) *Hoc longum et verbosum prooemium respondere videtur ad ea quae Calvinus concitatiore animo N. 2268 scripserat, quanquam et hic quae illic obscurius dicta erant minime elucidantur.*

2) *Pierre pastor in Cressier, vico inter utrumque lacum sito, ubi usque catholica sacra vigebant, Farellum conviciis impetierat. Inde ad iudices res delata a quibus Crescentinus ille veniam petere iussus est. Ipse Farellus frustra ibi reformationem praedicaverat.* (*Kirchh.* p. 220.)

3) *An illum de quo N.* 1546 *seq.*

4) *Dros; Bevais prope Boudry ad lacum Neocomensem.*

5) *Bernensibus.*

D. *Martinus* [6]) nondum rediit a nuptiis *Georgii.* [7]) Utinam aliquid efficiat: quod, quantum coniicere licet, non apparet. *Tossanus* callide quod agit et egit non cogitavit unquam: coactus a Principe et iussus, innocens, purus, calumniis impetitur. Eiecti quum ferri non possent, dimissi clementer propter ministerium, quum receperint pacem ecclesiarum illarum se non interturbaturos, nec quiescunt nec cessant omnia agere secus quam promiserint. Triumphat iam serio *Tossanus*, et innocentes omnium sunt nocentissimi. Dabit tandem Christus finem tot et tantis malis. Ego in ista causa supra omnes traducor: et quamvis bona mihi respondeat conscientia, et gestiam haec mihi propter Christum contingere, tamen meae mihi conscius imprudentiae et carnis, quae spiritui semper adversatur, tam infirmus, tam procul ab iis quae adesse debent, cum apostolo ingemisco, et veniam peto in hoc gaudio et exspectata mercede, quam dat et dabit qui pro nobis mortuus est. Commendo tibi miseros quos Satanas urget in re. Bene preceris illis: et quantum fieri potest, bonorum memineris et malorum obliviscaris. Vide quis veneris, et quotus, et nunc ubi sis, ut pergas semper strenue magis: et vide quid *Iacobus* ille dicat ita stipatus rediens. Quid illa ad istam gratiam, ut merito ferre debeas furores Satanae, imo ridere? Finem non faciam tecum agens indigne, mihi arrogans quod non licet. Pueris ut datur ineptire, quid iam bis puero non dabitur aliquid, qui nunquam sapiens fuit? Vale igitur, et omnes vorato molestias propter Christum. Opto collegas salvos, non praeterito *Gallasio, Budaeo, Normandio,* fratre, *Trierio,* [8]) omnibus. Collega et reliqui fratres te salvum optant. Neocomi, 7. Septembris 1555.

Tuus totus Farellus.

2283.

FARELLUS VIRETO.

Satanas suas partes agit, homines insaniunt, pii diris devoventur, et quod multo magis dolendum, ipse de his omnibus pro more ita scribit ut prae obscuritate συμπαθεῖν nequeas.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 122; coll. cum Cod. 116, fol. 40, Epp. Bern. Tom. VI. p. 482 et Simleri Vol. 85.)

6) *Dommartinus?*
7) *Comitis Mombelgardensis.*
8) *sic. Alibi Triecio.*

Insigni servo Domini Iesu Petro Vireto pastori ecclesiae Lausannensis pio valde ita studiosissime incumbenti tam sacro muneri fratri et symmystae quam carissimo.

Lausannae.

S. Posteaquam huc ventum est quod propter Christum tam male audimus, diris et exsecrationibus devovemur passim, quum ita suas partes agat Satanas et sui excaecati omnes, superest ut nos totos committentes patri coelesti, gratiasque agentes gaudio perfusi, non modo feramus aequo animo, verum etiam exsultemus, et docti a servatore quum verbo tum exemplo miseros qui tam misere insaniunt Deo commendemus, flagitantes ut propitius eos intueatur, oculos aperiat ita misere excaecatis, ut videant et convertantur, et si quid aliud possimus in salutem ipsorum adnitamur, quin etiam per gladium, si bonis adesse et malos compescere non refugiat, [1]) curemus in ordinem cogi, verum ita, ne plus audeant improbi animos inde sumentes maiores, unde deiici debent.

Vandelus [2]) quid liber et omnia paene habens ad nutum non dicet, quum tot adstrictus legibus et repagulis, ubi omnia contra votum habebat, nihil non vomeret? At miser in quem gerit bellum?

A Francia [3]) hic fuit, et me nolentem coegerunt fratres ut eum audirem. Bone Deus, quam est iustus! Quid non passus pro Christo! Ait omnia cum *Eustathio* fuisse composita, [4]) sed servato more patrio, nimirum ut *Eustathius*, quum iniuria affecerit bonum virum, prior veniam petierit et bonus pro suo candore data manu in gratiam receperit. Paucis egimus de ingressu non legitimo, et quod erat cum fratribus aliter agendum, quibus quum satisfecerit et nobis erit factum satus. Quam sit reportaturus *Benedictus* benedictionem super iis quae egit, abunde docet scriptura. Frangi non convenit, si non quod volumus, sed quod vult Dominus fiat. Si tu esses Franciscus aliquis qui malis tantum faveres, ac mala sola procurares, ut taceam Tossanos, Castalliones, Bellios, et id genus, non te praeteriisset is, in cuius gratiam tantum laborasti laterem lavans: sed quum omnia egerit praeter animi sententiam, et speret hisce turbis nos prorsus opprimendos, quod supererat videtur excussise frontis. Fassus fuit fratribus te scripsisse, sed in eam paene sententiam qua prius: et veluti cum stomacho dixit, ira conclusum fuisse ut tu scriberes formam recan-

2283. 1) *quis? Deus.*
2) *postridie Non. Aug. absens Genevae capitis damnatus.*
3) *Vir ignotus, fortasse V. D. M. aliquis in agro Vadensi.*
4) *De hoc negotio alibi nihil.*

addere crucem. [1]) Habes quam iustissimas querendi rationes. Ex multis pauca attigisti in tuis literis. Quid enim dici potest de iis qui ultro in Christum insurgunt, ut eum prorsus perdant ut iniquissimum, et Satanam iustificent ut sanctissimum? Non heri coeptum est: sed mox ubi tu nobis datus fuisti a Domino perseveratum est magnis animis, ut progressus in omni iniquitate fuerint quam maximi. Sed gratias ago Domino quod nullus favor potuisset efficere ea, quae videre nos facit Christus noster et efficit in hac tam gravi et intolerabili molestia, ut plura multo sint pro nobis et nobis accedant, quam contra nos aut a nobis deficiant. Fiunt multa indigne, et proscindimur: sed latent nos plura, et ea quibus Domino commendamur. Tangi expedit mala et argui: sed in bonis et bene merendo Christum nobis debemus proponere quam patiens est, quam est studiosus ut de male merentibus quam optime mereatur, non servili animo, sed plus quam heroico, qui malis non frangitur. Voluit Christus in te insigne edere: quum turba tot hostium convenisset ut caedibus omnia impleret, non dubitasti te non modo ridendum, rostris foedandum, sed conculcandum, lacerandum, perdendum, omnium gladiis confodiendum ultro obiicere. Favit Dominus tibi, et quod strenue coepit triumphans quam felicissime absolvit. Non tam impedita sunt quae abs te peto, nec tam indigna si rationem consulas, etsi videntur indignissima: sed malo coram agere, si Dominus dederit. Tantum peto ut gratias agens Domino super ingenti misericordia et bonitate qua te cinxit undique, commendes hostes Domino, feras omnia aequiori animo, queraris tantum apud Dominum qui medeatur, apud eos qui peccant, ut convertantur. Et si qui velint et possint una hostes admonere, paucos audias, qui aliorum mala narrent, paucioribus credas. Vides in Paulo, quem tu notiorem orbi omnibus fecisti, quid is tribuat toti coetui propter interdum paucos valde.

Sed quis est qui me non rideat haec ad te scribentem, si intellexerit? Annon merito sus Minervam dicar? Sed nostro haec condona amori. Et interea audi in quibus versemur. Ego litem habeo cum plebano Crescentino. [2]) Peto ut sibi consulat et plebi, et quod me tangit sepeliatur, me id non curare. Ille agnoscit aliqua, de quibus veniam petit: alia negat: mihi probandum est. Gulielmus *Hobraquius*. quem semel prohibuerunt Laudecomenses arreptis bibliis sacris et deiectis in terram, litem quoque habet cum iis qui contumeliis eum affecerunt. Scripsit aliqua de missa, unde nitatur quidam Helvetios qui missam habent ciere, ut agant quemadmodum contra *Michaëlem*. [3]) Interea bonus vir pergit felicius, quam hactenus. Conciones habet liberas et usum sacramentorum.

Praeterea Ioannnes *Drogius* pastor Bevacensis [4]) cuius uxor in lepram incidit, quamvis synodo interfuerit, et subscripserit non solvi coniugium lepra, et ita omnium calculis fuerit conclusum praefecto et omnibus approbantibus ordinibus: tamen quia Germanis [5]) aliter videtur, licet fuerit cum uxore, et filium habuerit ex ea, nondum est alter annus exactus, vult nihilominus alteram ducere. Misera uxor vocata fuerat me inscio, sed a collega cum aliquot convocatis, ut suum daret assensum: sed noluit coram comparere. Urgetur a viro. Petit, quum parum supersit vitae, exspectet. Si nolit, videat an ex verbo Domini possit. Si Dominus id probet, eam non improbare. Vides ut habet cum uxore. Nuper dicebat fratribus, *Wattevillanum* ex fratribus petere, ut ea daremus per quae iudicamus non licere per lepram, sano aliam ducere sanam uxorem. Illic vidi non recte agi, sed oblique nos impeti. Omnes mihi reclamanti hanc provinciam iniunxerunt. Pernegavi me facturum. Sed nosti nostrorum ingenia: quo plus renuo magis urgent. Et ne aliis ansam praebeam omnium sententiis refragandi, coactus annui, si daretur alios rogare quum non putem me idoneum ad id praestandum. Quamvis olfaciam collegam consilii autorem, haereo tamen an ansa captetur committendi nos cum Germanis. Quidquid tandem sit, tuum opto consilium. Vellem si posset fieri, ut rationibus tum *Buceri*, tum aliorum fieret satis. Nam quod dicitur Paulum alias afferre divortii rationes quam eam, quae una a Christo adducta sit, ubi de desertore agit, mihi alium scopum habere videtur: et quid habet commune infidelis discedens, cum fideli quae manere optat? Tu non modo nobis prospicies, verum etiam aliis. Vellem pectus Germanis tam firmum in perferenda in coniugibus lepra, quam est laudandum in peste toleranda. Quod ad magistratum attinet, non probarim tantum illi deferendum, ut indulgentior in eos quibus praeest annuat ob duritiem cordis, ut seiuncti et avulsi ab iis, quibus per Dominum sunt coniuncti, moechentur cum aliis, quibus non possunt iungi sine adulterio. Christus faxit, ut sacrosancta haec coniunctio pura, sine omni macula servetur.

2282. 1) *Hoc longum et verbosum prooemium respondere videtur ad ea quae Calvinus concitatiore animo N.* 2268 *scripserat, quanquam et hic quae illic obscurius dicta erant minime elucidantur.*

2) *Pierre pastor in Cressier, vico inter utrumque lacum sito, ubi usque catholica sacra vigebant, Farellum conviciis impetierat. Inde ad iudices res delata a quibus Crescentinus ille veniam petere iussus est. Ipse Farellus frustra ibi reformationem praedicaverat.* (*Kirchh. p.* 220.)

3) *An illum de quo N.* 1546 *seq.*

4) *Droz; Bevais prope Boudry ad lacum Neocomensem.*

5) *Bernensibus.*

D. *Martinus*[6]) nondum rediit a nuptiis *Georgii.*[7]) Utinam aliquid efficiat: quod, quantum coniicere licet, non apparet. *Tossanus* callide quod agit et egit non cogitavit unquam: coactus a Principe et iussus, innocens, purus, calumniis impetitur. Eiecti quum ferri non possent, dimissi clementer propter ministerium, quum receperint pacem ecclesiarum illarum se non interturbaturos, nec quiescunt nec cessant omnia agere secus quam promiserint. Triumphat iam serio *Tossanus*, et innocentes omnium sunt nocentissimi. Dabit tandem Christus finem tot et tantis malis. Ego in ista causa supra omnes traducor: et quamvis bona mihi respondeat conscientia, et gestiam haec mihi propter Christum contingere, tamen meae mihi conscius imprudentiae et carnis, quae spiritui semper adversatur, tam infirmus, tam procul ab iis quae adesse debent, cum apostolo ingemisco, et veniam peto in hoc gaudio et exspectata mercede, quam dat et dabit qui pro nobis mortuus est. Commendo tibi miseros quos Satanas urget in re. Bene preceris illis: et quantum fieri potest, bonorum memineris et malorum obliviscaris. Vide quis veneris, et quotus, et nunc ubi sis, ut pergas semper strenue magis: et vide quid *Iacobus* ille dicat ita stipatus rediens. Quid illa ad istam gratiam, ut merito ferre debeas furores Satanae, imo ridere? Finem non faciam tecum agens indigne, mihi arrogans quod non licet. Pueris ut datur ineptire, quid iam bis puero non dabitur aliquid, qui nunquam sapiens fuit? Vale igitur, et omnes vorato molestias propter Christum. Opto collegas salvos, non praeterito *Gallasio, Budaeo, Normandio*, ¡fratre, *Trierio,*[8]) omnibus. Collega et reliqui fratres te salvum optant. Neocomi, 7. Septembris 1555.

Tuus totus Farellus.

2283.

FARELLUS VIRETO.

Satanas suas partes agit, homines insaniunt, pii diris devoventur, et quod multo magis dolendum, ipse de his omnibus pro more ita scribit ut prae obscuritate συμπαθεῖν nequeas.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 122; coll. cum Cod. 116, fol. 40, Epp. Bern. Tom. VI. p. 482 et Simleri Vol. 85.)

Insigni servo Domini Iesu Petro Vireto pastori ecclesiae Lausannensis pio valde ita studiosissime incumbenti tam sacro muneri fratri et symmystae quam carissimo.

Lausannae.

S. Posteaquam huc ventum est quod propter Christum tam male audimus, diris et exsecrationibus devovemur passim, quum ita suas partes agat Satanas et sui excaecati omnes, superest ut nos totos committentes patri coelesti, gratiasque agentes gaudio perfusi, non modo feramus aequo animo, verum etiam exsultemus, et docti a servatore quum verbo tum exemplo miseros qui tam misere insaniunt Deo commendemus, flagitantes ut propitius eos intueatur, oculos aperiat ita misere excaecatis, ut videant et convertantur, et si quid aliud possimus in salutem ipsorum adnitamur, quin etiam per gladium, si bonis adesse et malos compescere non refugiat,[1]) curemus in ordinem cogi, verum ita, ne plus audeant improbi animos inde sumentes maiores, unde deiici debent.

Vandelus[2]) quid liber et omnia paene habens ad nutum non dicet, quum tot adstrictus legibus et repagulis, ubi omnia contra votum habebat, nihil non vomeret? At miser in quem gerit bellum?

A Francia[3]) hic fuit, et me nolentem coegerunt fratres ut eum audirem. Bone Deus, quam est iustus! Quid non passus pro Christo! Ait omnia cum *Eustathio* fuisse composita,[4]) sed servato more patrio, nimirum ut *Eustathius*, quum iniuria affecerit bonum virum, prior veniam petierit et bonus pro suo candore data manu in gratiam receperit. Paucis egimus de ingressu non legitimo, et quod erat cum fratribus aliter agendum, quibus quum satisfecerit et nobis erit factum satus. Quam sit reportaturus *Benedictus* benedictionem super iis quae egit, abunde docet scriptura. Frangi non convenit, si non quod volumus, sed quod vult Dominus fiat. Si tu esses Franciscus aliquis qui malis tantum faveres, ac mala sola procurares, ut taceam Tossanos, Castalliones, Bellios, et id genus, non te praeteriisset is, in cuius gratiam tantum laborasti laterem lavans: sed quum omnia egerit praeter animi sententiam, et speret hisce turbis nos prorsus opprimendos, quod supererat videtur excussise frontis. Fassus fuit fratribus te scripsisse, sed in eam paene sententiam qua prius: et veluti cum stomacho dixit, ira conclusum fuisse ut tu scriberes formam recan-

---

6) *Dommartinus?*
7) *Comitis Mombelgardensis.*
8) *sic. Alibi Triecio.*

2283. 1) *quis? Deus.*
2) *postridie Non. Aug. absens Genevae capitis damnatus.*
3) *Vir ignotus, fortasse V. D. M. aliquis in agro Vadensi.*
4) *De hoc negotio alibi nihil.*

tationis cui bonus subscriberet. Scilicet ut consul decanus officium non fecit, quum hora tardior esset: verum proxime inter fratres agetur, et ex eorum fiet suffragiis quod Dominus dabit. Mirum quam est turgidus. Frangat mitissimus et tam demissus nostra causa Christus tam superbos es praefractos, qui in Deum tam insolenter insurgunt.

Quod petit *Stephanus* [5]) quis non probet, quum is quem petit id expetat pro gloria Domini: tantum indicetur quanto et quomodo iter intrandum sit. Non erit in viro mora. Dominus Iesus his tam infirmis initiis et tam contrariis prudentiae et consilio carnis tribuat successum supra omnem spem et montium parturitionem, consiliaque plus quam Ahitophelica, et quae videntur orbem conflagratura incendia excitata tam vana et ridicula, tam stulta et inefficacia reddat ut par est, nisi quod misere torqueant autores, ut omnes discant Dominum timere et pietati studere.

Vale felix et triumpha in opere Domini. Servet te Christus cum uxore ac liberis. Gaudeo plurimum istic esse *Beraldum*. [6]) Non est quod *Beza* aegrotet. Nosti ut olim tibi non licebat per negotia aegrotare. Habet iam *Beza*, addat Dominus meliora, quamvis bona valde sint in quibus versatur. Iube hos salvos, collegam et reliquos. Hic verbis dicet coram qui te salutent. Iussus sum a praefecto, collega et *Maturino*, et aliis. Neocomi 7. Septembris 1555.

Tuus Farellus.

2284.

DÉCRET DU SÉNAT DE GENÈVE.

Défense sous peine de mort de s'employer, soit par actes soit par paroles, à faire rentrer ou amnistier les conspirateurs de Mai, condamnés par contumace.

(Archives de Genève. Registre du Conseil, Vol. 49, fol. 176 v.)

Edit sur les fugitifz. [1])

Pour aultant quil a pleu a Dieu de delivrer ceste cite de Geneve de tirannie et servitude tant temporelle que spirituelle et au lieu de cela la remplir de ses graces et douer de liberte par le moyen de la saincte reformation de son evangile, tellement quelle est este mise en grande tranquilite et repos et toteffoys nonobstant cela se sont trovez aucuns membres dycelle detestables et ingratz contre Dieu et leur propre patrie, lesquelz apres avoir quelques ans par leur ambition bataille contre Dieu sa parolle et sez sains commandemens et mesprise lhonneur de Dieu et de la iustice se sont finalement par leur orgueil temeraire arrogance et malin voloir voulu eslever contre le magistrat de ceste cite et anciennes ordonnances libertez et franchises dycelle, se veuillans contre tout ordre et a travers faire valoir iusques a entreprendre et faire effort aux bastons sindicaux (chose horrible) et faire violences a la iustice, ayans dresse une sedition a heure nocturne grandement dangereuse: lesquelz malins personnages par la providence de Dieu sont cheuz de leurs attentes et comme conveincuz en eulx mesmes des crimes horribles se sont renduz fuitifz ennemys et contraires a ceste cite, tellement que noz tres redoubtez seigneurs sindiques et conseil, avec bonne participation du magnifique conseil des 200, suyvant le debvoir de iustice et pour le pourchas du bien, profit et tranquilite de ceste cite auroient procede iuridiquement contre lesdits seditieux et fugitifz et contre iceux donnees leurs iustes sentences iouxte les bonnes coustumes de ceste cite: de sorte quavons a louer Dieu de ceste preservation. Mais pourceque iceux seditieux et fugitifz, comme n'ayans peu estre apprehendez pour lexecution des sentences, sont tousiours vivans et ennemys de ceste nostre republique et que les hommes sont subiectz pour le temps a estre cauteleusement deceuz et circumvenuz par pratiques sinistres, affin par bon moyen prevenir les dangiers que pourroient advenir et les subornations que pourroient estre a linstigation desdits seditieux et fugitifs faictes: a semble par bon conseil advys et meure deliberation a noz magnifiques puissans et tres redoubtez seigneurs sindiques, petit et grand conseil, dict les 200, quil soit faict et passe edict expres que nul quel quil soit nayt a parler avancer ny moins procurer de remettre ny laysser venir dedans ceste cite et terres dycelle lesditz fugitifz et seditieux a poyne que celuy qui en parlera avancera ou procurera aura la teste coupee: et cest pour obvier a linfection et mechansete que pourroit le retour desditz condamnez et seditieux aporter en ceste cite et pour observation des iuridiques sentences contre eulx donnees.

---

5) *Etiam in proxime sequenti ep. Calvini ad Viretum de aliquo Stephano. De Roberto vix cogitandum.*

6) *Pro tempore falsus fuit rumor. Vergente enim demum mense advenit.*

2284. 1) *Ruchat* VI. 144. — *Grenus.* — *Reg. du Conseil* 15. *et* 16. *Août.*

2285.

MUSCULUS BULLINGERO.

Res Genevensium indies in peiorem statum delabuntur atque inde Calvino maxima conflatur invidia qui ut solus fere dissidiorum causa habetur, ita solus etiam remedium adferre posset et deberet.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 153, fol. 203.)

Praestantissimo theologo M. Heinrycho Bullingero domino ac compatri suo longe carissimo.
Tiguri.

Visum est prudentiam tuam uno et altero verbo de causa Genevensium admonere, quae meo iudicio sic quotidie peior ac peior redditur ut metuendum sit ne ex hac simultate duabus hisce, nostrae et ipsorum, civitatibus incendium exoriatur, ad quod restinguendum et vestris et reliquis vicinis summopere sit laborandum. Odium nominis *Calvini* fratris in Domino dilecti malo quorundam hominum studio usque adeo augescit ut verear ne, si quid tumultuationis et discriminis oriatur, omnis mali causa in caput ipsius reiiciatur. Quare videtur mihi admonendus ut summo studio caveat ne duae hae civitates a se invicem dissiliant. Nec dubito, si suis autor esse voluerit ut societati Bernatum sese accommodent, facile hoc impetraturum: id quod hoc debet diligentius curare quod certius est, si dissiliat istis societas, causam uni ipsi cum Gallis quos secum habet fere tribuendam.[1]) Verum hac de re et plura et certiora a duobus hisce fratribus et amicis meis rescire poteris. Bernae 1555. 8. Septemb.

W. Musc. tuus in Domino.

2286.

CALVINUS VIRETO.

Paucissimis negotia Stephani, Enochi, vinctorum Cameracensium, Bertellerii attingit.

(Ex edit. Bezae Genev. p. 166, Laus. p. 355, Hanov. p. 397, Chouet p. 224, Amst. p. 103. Anglice exstat in edit. Philad. III. p. 230.)

Mitto ad vos literas *Stephani*[1]) nostri, ex quibus intelligetis, quantumvis insaniat Satan Christum tamen sub cruce regnare. De ludimagistro[2]) quod postulat, curae nobis esse debet. Si quis erit apud vos idoneus qui alacriter onus suscipiat, mittite. Nihil enim hic tentare volui. Cameraco nihil allatum est, post literas a fratribus scriptas, quas vobis legendas mitto. Ubi legeritis, statim mihi reddendas curate: quia apud me hactenus continui, atque id fratrum meorum permissu. Quam atrociter me tota factio[3]) laceret, non ignoro: ac quotidie ex meo sensu experior, quantum a bonis naturis aliena sit tyrannica crudelitas, quam vetus poëta descripsit his verbis: Oderint dum metuant. Atque, si optio daretur, mallem omnium esse contemptissimus. Sed quia Deo aliter placet, feramus. Aderit tandem suis. Interim optima est bonae conscientiae fultura. Hodie *Bertellerius*[4]) aliorum more factionem suam purgare conatus est: ipse tamen confessus est se dignum tali supplicio. Pluribus coram omnia referam. Hoc enim excepto, visus est aliqua resipiscentia tangi. Valete, optimi fratres. Dominus vobis adsit, vos gubernet ac tueatur. Genevae, 9. Septembris 1555.

Ioannes Calvinus tuus.

2287.

CALVIN AUX FIDÈLES DE POITIERS.

Lettre pastorale. Encouragements, exhortations, conseils.

(Copie de Jonvilliers, MS. de Genève 107, f. 64 v. — MS. 116, f. 63; Berne Epp. VI. p. 489; Simler Vol. 85. — Ruchat VII. 326; Lettres fr. II. 67; Crottet Chron. N. 22; Trad. angl. p. 223.)

La dilection de Dieu nostre Pere et la grace de nostre Seigneur Iesus Christ soit tousiours sur vous par la communication du S. Esprit.

Treschers Seigneurs et freres, nous glorifions Dieu de ce que par sa bonte infinie il a retire la

---

2285. 1) *Vide supra Sulzeri ep. N.* 2281. *Et haec et illa Bullingerum permovisse videntur ut ad Calvinum scriberet quae infra ad* 28. *Sept. leges.*

2286. 1) *Cf. N.* 2283, *not.* 5.
2) *Ludimagister erat Lud. Enoch. Cuius grammaticam graecam:* De puerili graecarum literarum doctrina liber, *inscriptam hoc ipso anno Rob. Stephanus typis edidit. Verum hac occasione Satanam insaniise nobis aegerrime persuademus.*
3) *Libertinorum.*
4) *Franc. Dan. de quo decretum factum est d.* 11. *Sept.*

bride a Sathan et a ses suppostz, tellement que vous avez eu relache plus tost que vous ne pensiez. [1]) Mais sur tout nous luy rendons graces de ce quil vous a soustenuz par la vertu de son Esprit, tellement quau millieu des troubles vous nestes point defailliz. Au reste ce que vous avez senty de frayeur vous doit servir dadvertissement pour invoquer tant plus songneusement celuy que peult fortifier les debiles. Vostre debvoir est aussi tant par prieres que continuel exercice de la Parole de Dieu, vous armer et munir, esperans que le bon pasteur qui vous a pris en sa garde ne vous laissera point au besoing. Continuez cependant a vous renger en son troupeau, ne doubtans point que quant vous serez assemblez en son nom, quil ne reside au millieu de vous.

Ie vous ay par cy devant escrit des moiens que iapprouvois pour obvier a la malice des ennemiz: cest que pour ne vous point descouvrir par trop, vous pouvez bien sans amasser toute la compagnie vous trouver ensemble par petites bandes, maintenant en un lieu, maintenant en un aultre. Seulement que chacun semploie a prester logis pour invoquer le nom de Dieu. Et reputez a grand heur que voz maisons soient dediees a tel usage. Toutefois quant ie vous prie de vous contregarder, selon que ie dois avoir soing et compassion de vous, que cela nempesche point que vous ne preniez courage a vous efforcer, mesmes a chercher les occasions quant elles ne soffriront point, tellement que vous alliez plus tost en augmentant quen declinant, et que vous ne soiez point frustrez du bien que Dieu vous a offert. Davantage puisquestans enseignez, nous avons besoing destre tenuz en bride, ie vous prie au nom de Dieu de mettre tel ordre entre vous que les vices ne soient point nourriz ne souffers. Pour ce faire il sera besoing de surveillance, cest quil y ait gens deputez pour se donner garde comment un chacun du troupeau se gouverne, affin de redresser ceux qui seroient en train de se fourvoyer, de corriger les delinquans, dadmonester ceux qui seroient mal advisez, et par ce moien prevenir tous scandales.

De la facon quil y fauldroit tenir, ie ne vous en escriz point, pource que ie me confie que Dieu vous a donne assez de prudence pour y adviser. Et la necessite vous peult adviser en partie. Le principal est que tous dun esprit paisible se rengent au ioug, et souffrent destre conduictz soubz lobeissance de celuy qui ne veult regner sur nous que pour nostre salut. Et de cecy ie ne vous en presse point, estimant que vous y estes assez disposez, et quil suffit de vous confermer en vostre bon vouloir. Dieu par sa grace y besongne tellement que le fruict sen monstre a sa gloire et edification de tous. Ie le prie aussi de vous maintenir en sa saincte garde, vous augmenter les dons de son Esprit et les faire servir tellement que nous aions de quoy benir son sainct nom. Sur quoy ie feray fin apres mestre recommande a vos bonnes prieres. Mes freres et compagnons vous saluent affectueusement, au nom desquelz iay escrit la presente. Ce 9 de Septembre 1555.

2287. 1) *Comp. N.* 2005 *et* 2118. *Depuis, Lavau n'avait pas discontinué ses manoeuvres, comme cela résulte d'une notice fournie par le synode de Paris de* 1559. *Les Genevois envoyèrent à Poitiers au mois de Mai le ministre Jaques Langlois qui y resta une année.* (*Lièvre hist. des prot. du Poitou* I. 55.) Ceste mesme annee la peste ayant chassé de Poitiers les plus grands ennemis de la religion la petite assemblee print courage et y fut aussi l'ordre de l'Eglise dressé des lors par un nommé Chrestien, au grand bien de tout le pays auquel tost apres ceste Eglise fournit de ministres en plusieurs endroits: combien qu'elle fust bien tost assaillie au dedans par deux malheureux personnages natifs du lieu, l'un disciple de Sebastien de Chastillon (*Lavau*), l'autre nommé Bienassis, apostat detestable ayant longtemps demeuré à Geneve et depuis retourné à son vomissement. (*Hist. eccl.* I. 100.) — *Pierre Chrestien est nommé* homme de singuliere erudition, de doux esprit et bonne vie (*Lièvre l. c.*).

2288.

CALVIN AUX FIDÈLES D'ANGERS. [1])

Même sujet.

(Copie de Jonvilliers MS. de Genève 107, f. 63 v. Copies récentes MS. 116, f. 42, Berne epp. VI. p. 487, Simler Vol. 85. — Lettres fr. II. 70. — Trad. angl. p. 225.)

2288. 1) *A Angers l'évêque Jean Olivier favorisait lui-même pendant quelque temps les nouvelles idées.* — Entre ceux de la religion estoit un nommé Germain Colin, ancien ami de Cl. Marot, lequel avec plusieurs autres se trouvoit és assemblees des prieres. (*Emprisonné il abjura.*) Quelques autres seelerent la verité de Dieu par leur mort, à savoir François Fardeau, Simon le Royer, Jean de la Vignole, Denis Saureau et Guillaume de Reu (*Hist. eccl.* I. 62). — Iean le Maçon natif d'Angers, dit La Riviere, fils aisné du Sr. de Launay procureur du Roy du lieu, estant rappelé par son pere à l'estude des loix, avant de retourner se voulut confermer quelque temps és Eglises tant de Geneve que de Lausane. *Pressé par son père, fervent catholique, il se retira à Paris et y travailla par lettres à la fondation de l'église d'Angers* (*ibid. p.* 97 *suiv.*) — L'ordre de l'Eglise y fut dressé, leur estant envoié par les ministres de Geneve à leur requeste un docte personnage, Jean de Pleurs surnommé d'Espoir, qui continua heureusement son ministere jusques à la persécution qui s'esmeut en 1556 (*ibid. p.* 108).

La dilection de Dieu nostre Pere et la grace de nostre Seigneur Iesus Christ soit tousiours sur vous, par la communication du S. Esprit.

Treschers Seigneurs et freres, nous avons a rendre graces a Dieu de ce quayant seme en vostre ville la doctrine de salut, il vous a uniz en accord fraternel, ratifiant en vous ce qui est le principal de lEvangile, ascavoir que tous les siens soient recoeuillis en un corps soubz le chef quil nous a ordonne: mesmes quil vous a donne courage de vous confermer en ceste union sacree par les aides[2]) et moiens quil a establiz en son Eglise: cest de vous assembler pour invoquer son nom en commun, pour estre enseignez et exhortez par sa parole, et en vous separant des superstitions et idolatries de lAntechrist, chercher la droite purete de Religion. Vous navez pas besoing destre advertiz des dangers qui vous environnent. Et en cela debvons nous tant mieux glorifier nostre bon Dieu, quen sa vertu vous avez surmonte toute crainte de la chair. Il reste de poursuyvre et estre si bien resoluz a suyvre ce que Dieu approuve, et qui est fonde en sa parole, que tout ce qui pourra advenir ne vous en desbauche iamais. Seulement vous tascherez a ne vous point exposer a la malice des ennemys: mais que cela se face non point par la sagesse du monde, qui nous enseigne de quitter Dieu pour estre a sauvete, et nous separer de luy pour nous maintenir, mais par la prudence du S. Esprit, laquelle nostre Seigneur Iesus conioinct avec une telle simplicite, que nous cheminions franchement en nostre vocation, sans decliner a moiens obliques. Nous de nostre part voians ce bon desir, apres avoir invoque le nom de Dieu, avons esleu et choisy le frere que nous vous presentons pour ministre de la parolle de Dieu. [3]) Nous esperons que de son cote il sacquitera loyaument de son debvoir. Car en premier lieu nous lavons congneu homme craignant Dieu, et cheminant en purete de conscience et droicture avec ses prochains, de vie honneste, et qui vous pourra edifier de son zele. Nous ne vous en sçaurions tant dire que ce quil en monstre par effect, quant il a laisse sa femme prochaine du terme denfanter, pour vous secourir. Il a doctrine solide pour vous enseigner, et nest point temeraire pour passer sa mesure: il na pas une telle apparence ne monstre quil puisse contenter ceux qui ayment grandpompe de Rhetorique, mais aussi nous estimons quil vous suffira bien destre instruictz droitement en purete et rondeur de langage, ou la vivacite de lEsprit de Dieu se monstre. Brief nous ne doubtons que son labeur ne fructifie en vous, tellement que le nom de Dieu en sera glorifie, et chacun de nous resiouy. Seulement advisez de le recevoir en sorte que luy voiant vostre bon desir et zele de profiter, soit tant plus incite a vous servir.

Au reste soiez diligens a ouyr la doctrine. Que ce ne soit point pour vous acquiter envers Dieu, comme si toute la Chrestiente gisoit la; mais affin de croistre et estre confermez tant en foy quen toute sainctete de vie. Sur tout, selon que les corruptions de vostre ville sont grandes, advisez de vous despouller des vanitez, delices et aultres choses, ausquelles vous avez este enveloppez, pour vous dedier au service de Dieu. Nous avons este ioyeux davoir entendu que desia vous avez dresse quelque ordre et police pour corriger les scandales et vous tenir en bride. Gardez que cela ne sabolisse, mais plus tost taschez de ladvancer. Et que chacun de vous se renge doulcement pour monstrer que lEsprit de mansuetude regne au millieu de vous.

Surquoy treschers Seigneurs et freres, apres nous estre recommandez a voz bonnes prieres, nous supplions le Pere de toute bonte et grace vous tenir en sa protection, vous preserver contre la rage des loups, vous conduire en tout bien, vous augmenter les dons de son Esprit pour servir a sa gloire. Ce 9. de Septembre 1555.

2) aises *Bt.*

3) *Jonvilliers a écrit au dos de la lettre:* Il escripvit ceste lettre aux freres qui estoient à Angers par M. d'Espoir qui fut là envoie ministre. *Au lieu* d'Espoir, *M. Bonnet a écrit:* Esprit.

2289.

CALVIN AUX FIDÈLES DE LOUDUN. [1])

Même sujet.

(Copie de Jonvilliers MS. de Genève 107, f. 63. — La copie du MS. 116, f. 41 met Sedan au lieu de Loudun. Epp. de Berne VI. p. 484. Simler Vol. 85. — Lettres fr. II. 73. Crottet, Chron. 23. Trad. angl. p. 228.)

La dilection de Dieu nostre Pere et la grace de nostre Seigneur Iesus Christ soit tousiours sur vous, par la communication du S. Esprit.

Treschers Seigneurs et freres, nous glorifions nostre bon Dieu de ce quil multiplie sa semence

2289. 1) L'église de Loudun s'organisa la même année que celle de Poitiers. Les premières assemblées se faisaient dans des caves, non loin du château et du Martrai que la tradition disait avoir été le tombeau des anciens martyrs chrétiens. (*Lièvre* I. 56.)

en vous, et la faict aussy valoir, vous fortifiant a son service. Car il fault bien quil besongne par sa vertu celeste pour vous renger a vous faire tenir le bon chemin, au millieu de tant de corruptions qui regnent par dela. Mesme le courage que vous avez de vous assembler soubz son nom en un troupeau, est une oeuvre de son Esprit. Aultrement il seroit impossible questans une petit pongnee de gens, voire comme trois ou quatre brebis au millieu dun nombre infiny de loups ravissans, vous ne fussiez estonnez, et que chacun ne se retirast apart. Ainsi congnoissans que ce bon Dieu vous a donne zele et vertu de surmonter toutes frayeurs de la chair, esperez que de plus en plus il laugmentera, et ne permettra point, quant vous linvoquerez incessamment en crainte et sollicitude, que ce quil a commence en vous perisse, et sen aille en fumee. Cependant il ny a doubte que Sathan machinera par tous moiens a vous dissiper: et fault bien que chacun de vous sappreste a telz combatz pour tenir bon. Mais quoy quil en soit, celuy qui vous donne la grace de vous recoueillir soubz son enseigne, fera prosperer et valoir a sa gloire et a vostre salut lobeissance que vous luy rendez. Car en desirant davoir quelque bon ordre estably pour invoquer son nom et ouyr sa parole, vous nattentez rien a la volee, mais seulement cherchez ce quil commande.

Si la force de voz ennemiz est grande, si vous estes foibles aupres, tant sen fault que vous deviez perdre courage, que cela vous doit tant plus inciter et picquer a recourir soubz la protection de celuy qui a dit: Ne craignez point, petit troupeau. Ainsi, freres, persistez en ce que vous congnoissez estre agreable a Dieu, despitans Sathan et tous ses suppostz, mesmes les sages, cest adire braves et glorieux de ce monde qui se mocqueront de vostre simplicite. Cependant tenez vous cachez le plus coyement quil vous sera possible, ne provoquans point la rage de voz ennemiz, mais plus tost taschans par modestie, doulceur et honnestete de vie gaigner ceux qui ne sont pas du tout incorrigibles.

Mais ce seroit quasi un labeur superflu a nous de vous faire plus longue exhortation par le frere present porteur, [2]) lequel nous vous presentons pour pasteur au nom de Iesus Christ, layans esleu a vostre requeste comme celuy que nous congnoissons estre idoine et suffisant pour vous instruire fidelement. Quant au scavoir, il est de long temps exerce en lEscriture, et a tousiours eu son addresse au but, tellement quil ne doit estre tenu pour novice. Quant a sa vie, mesme du temps quil a vescu en la Papaulte, il a tousiours eu bon tesmoignage de crainte de Dieu et integrite. Ainsi nous ne doubtons pas quil ne vous edifie tres bien par son exemple. Vous avez assez bonne approbation de son zele et de lamour quil vous porte, et du desir quil a de servir a Dieu a vostre salut, en ce quil nespargne point sa personne ne sa vie pour semploier a vostre instruction. Or pource que nous esperons quil se portera en fidele ministre, comme nous le vous envoions au nom de Dieu, nous vous prions de le recevoir, et en monstrant que vous portez reverence au maistre auquel nous sommes tous, et vous rendant dociles a la doctrine de lEvangile, vous luy donniez courage de sefforcer tant mieux. Car selon que le peuple est affectionne a ouir et suyvre ce quil a entendu, il ouvre le coeur et la bouche a celuy qui enseigne. Au reste que, dun accord avec son conseil, vous ordonniez telle police que les scandales soient corrigez entre vous, que les admonitions ayent leur vigueur et authorite, et que paix et concorde soit nourrie. Vous le trouverez homme si traictable, comme nous pensons, quil ne tiendra pas a luy que tout ne soit doulcement conduit.

Surquoy treschers Seigneurs et freres, apres nous estre affectueusement recommandez a vos prieres, nous supplions le Pere de grace davoir sa main estendue pour vous preserver, vous soustenir par sa vertu, vous augmenter en tous dons spirituels, et vous guider tousiours selon la pure reigle de sa parole. Ce ix[e] de Septembre 1555.

2) *En marge on lit de la main de Jonvilliers:* Il escripvit ceste lettre aux fideles qui estoient à Lodun par Monsieur Punisson qui fut la envoie ministre.

2290.

MORELLANUS CALVINO.

Plura effuse simul et modeste de Calvini meritis praefatus affert nonnulla de rebus Mombelgardensium.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 54.)

Eruditissimo clarissimoque viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori vigilantissimo patrique in Christo colendissimo.

Genevae.

S. Quod de non missis ad me literis multis gravissimis rationibus excusas, [1]) etsi mihi non fuit ingratum, propterea quod tuum erga me officium probare voluisti, tamen si potuisses oculos in pectus meum inserere intellexisses profecto te nihil

2290. 1) *Si scripto aliquo id fecit, deperditum scito.*

de hac re laborare debuisse. Nam si quid est omnino in me iudicii, tuum animum tam perspicere videor quam quae oculis cernuntur maxime. Neque enim unquam in mentem venit, me, tametsi nullus sum, ita abs te negligi, ut nulla prorsus nostri memoria tibi superesset. Compertum siquidem habeo te Pauli vestigiis ingredientem quotidiana ecclesiarum cura distrahi. Me autem privatim, non meo quidem merito sed pro tua singulari humanitate, locum aliquem amicitiae apud te obtinere. Cuius illustre documentum, quod suavissimis tuis literis consignare volueris, gratiam habeo et habiturus sum quamdiu vivam immortalem. Gratias item ago de seditionis Genevensis historia.[2]) quae mihi iam aliquoties usui fuit ad errones quosdam refellendos qui impudentissime asserebant, Gallos civitate per vim occupata cives omnes urbe exegisse. Caeterum quod in te huiusce rei confertur invidia, imo, si quid usquam increpuerit, in te statim improbissimus quisque sua tela convertit, pro eo ac debeo graviter molesteque fero. Nam quem aequissimum erat pro singulari erga Christum eiusque sponsam officio vel omni beneficiorum honorisque genere prosequi, vel certe quietum relinquere, hunc contra malunt petulanter exagitare: nimirum ut sanis omnibus appareat illos emissarios esse diaboli manifestos. Per illos id ille molitur quomodo simplices et infirmos animos a doctrina veritatis deterreat, et te tanta molestiarum mole obruat ut in otium a negotio pernecessario traducat. Sed de tua singulari animi constantia Deum adoro, incredibiliterque laetor te ad haec omnia prorsus occalluisse. Neque enim nescis ista in oculis Domini nostri geri, cuius providentia ita cuncta moderatur, ut talium tragoediarum catastrophe, quemadmodum sanctissimo cuique laeta, sic improbis funesta esse soleat. Quid est igitur quod te horter ut eadem animi celsitudine pergas, quum te curaturum esse nihil dubitem quo primis ultima respondeant, neque commissurum ut extremus actus, tanquam ab inerti poeta, neglectus a te esse videatur.

De Montbelgardensi ecclesia in spem aliquam veneramus, fore ut opera *Erbii* medicina aliqua posset afferri.[3]) Sed ita evenit ut is vanissimam suspicionem, quam de nobis conceperat, nos bono viro falsum crimen intentare, missis ad *Tossanum* acceptisque literis, ipse sibi persuaserit. Ac pro nostro erga illam ecclesiam studio iurisque petitione, hanc D. *Farellus*, D. *Dommartinus* atque ego gratiam retulimus ut strenui calumniatores et sycophantae palam et in ore aulicorum principis appellati simus. Ego vero in tantam invidiam adductus sum ut brevissime augurer solum mihi esse vertendum.[4]) Quae omnia Dominus bene vertat, inprimisque precor ut Montbelgardensis ecclesiae patrocinium suscipiat, hanc vero nostram qua solitus est indulgentia prosequatur. De qua feliciter an secus speraverimus brevi credo apparebit. Libellis enim supplicibus, quos D. *Rapenstein*[5]) principibusque evangelicis qui ad principis Montbelgardensis nuptias convenerant, obtulimus, responsa in horas exspectamus. Vale optime cum tua ecclesia, pater in Chrito colendissime, et nostras ineptias boni consule. Ex Altebiura[6]) 11. Septembris 1555.

Franciscus Morellanus
filius tibi addictissimus et ad omne obsequium paratissimus.

2) *Eadem scil. atque ea quae etiam ad Bullingerum et Blaurerum missa fuerat.*
3) *Cf. N.* 2268 *not.* 3. *Morellanus hoc tempore Erbii vicinus et probabiliter eidem ut superintendenti subditus.*
4) *utpote Farelli partes contra Tossanum amplexo ideoque Comiti suspecto.*
5) *Rappoltstein, Ribeaupierre.*
6) *Aubure, Altwyr, in ditione Richovillensi in Alsatia superiore, quam Christophorus dux Comiti Georgio pactione d.* 27. *Mart.* 1552 *facta concesserat. Ibi ergo Morellanus* (*de Collonges*) *ministerio fungebatur, ex quo Ferrariam reliquerat* (*N.* 1994).

2291.

CALVINUS SPITEKO.[1])

Exhortatio ad constantiam in evangelio.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Genev. p. 159, Laus. p. 356, Hanov. p. 398, Chouet p. 215, Amst. p. 99.)

Illustri ac magnifico Domino, D. Spiteko Iordan a Zakliczin et in Melstin haeredi, Castellano Sandeczensi, Regni Poloniae supremo Thesaurario.

Quum in hoc fortunae honorisque splendore praecipuum tibi decus statuas, Illustris ac magnifice Domine, inter sinceros Dei cultores censeri, idque tuis literis, quas mihi venerandus frater noster N.[2]) ad se scriptas ostendit, abunde sis testatus, imo privatim quoque asperseris iucundam amoris erga nos tui mentionem: mihi supervacua esse vi-

2291. 1) *Nomen recipimus a Beza superscriptum. Constat vero vel ex ipsa Calvini inscriptione hunc virum eum ipsum fuisse qui supra N.* 2276 *se* S. Pitsch Iordan de Zahliczin *appellat. Si iam editor vel ipse Calvinus Spitekum faciunt hoc errori tribuendum videtur. Vide tamen aliam epistolam ad eundem d. d.* 29. *Dec.* 1555.
2) *Lismaninus?*

detur excusatio, quod fide ac humanitate tua fretus datam abs te scribendi fiduciam mihi sumo. Itaque certo persuasus non ingratum tibi fore hoc officium, si tui quoque hortandi partes libere suscipiam. Neque enim eum te hominem esse existimo, quem delectent inanes vel blanditiis refertae literae, quales ad captandam gratiam a ventosis hominibus scribi solent: sed a Christi servo magis cupis et exspectas, quod pietatis tuae progressus iuvet. Egregias ergo istas virtutes, quibus te excellere audio, non alium in finem laudare mihi propositum est, nisi ut assidue in melius eniti pergas. Si in Polonia rite ex voto nostro compositus foret regni Christi status, quanquam tibi facilius esset in tranquillo stadio rectum cursum tenere: res tamen altior est, nos approbare sinceros Dei cultores, quam ut centesima officii parte fungantur, qui strenue laborando alios omnes superant. Nunc rebus confusis, ubi obeunda sunt multa certamina, resistendum fortiter hominum potentium odiis, negligendi sinistri rumores, multi insultus sustinendi, luctandum cum multis obstaculis, tentanda etiam discrimina, quam tibi utile sit tum ad fervorem subinde incitari, tum ad constantiam animari, referre necesse non est: quia ipse plus satis experieris. Iam vero quum in ista dignitate magnum tibi onus sit impositum, non tamen cedit Deus iure suo, neque desinit, quo te in altiore honoris gradu locavit, eo magis fidem tuam obstrictam sibi tenere. Nam quo plus apud quemque deposuit, eo etiam plus exigere aequum est. Ergo quum te non hominem ex medio vulgo, sed unum ex primariis inter paucos delegerit quem ex densis ignorantiae tenebris liberatum, coelesti evangelii doctrina illustraret: si hoc inaestimabile beneficium suo pretio aestimas, hac lege tibi collatum esse memineris ut aliis praeluceas. Et certe vides quam multorum in te coniecti sint oculi, ut eos tuum exemplum vel moretur, vel exstimulet: ac simul cogites, si tuae desidiae mediocris esse non potest iactura, culpam quoque non minorem fore. Haec vero praeclara bene agendi occasio et facultas, quod Regia Maiestas adeo non adversabitur sanctis tuis studiis, ut potius manum porrigere sit parata, nisi animum tibi addat, excusationem adimet. Neque enim usque ad sanguinem tibi certandum est: sicuti multi in Gallia nostra fideles, quos omnia adiumenta deficiunt, quotidie pro fidei suae confessione capita in sacrificium offerre coguntur. Quando longe mitius tecum agi vides, animosius ac magis strenue exsequi convenit, quod tibi est ad manum, ut te Regi Serenissimo in repurgandis papatus sordibus fidum comitem ac ministrum exhibeas. Atque utinam re ipsa ostendere liceret quo animo haec scribo. Sed quia vereor, ne tuae in asserenda Christi gloria fortitudini diffidere videar, me ipsum cohibeo. Hoc restat, ut pro benevolentiae comitatisque testimonio, quod in tuis ad N. literis perspexi, vicissim mea tibi obsequia, meque adeo totum, quantulus sum, deferam. Deum interea precabor ut te diu servet incolumem, spiritu suo regat praesidioque tueatur. Vale, magnifice et insignis Domine. Genevae, Idibus Septembr. 1555.

2292.

MUSCULUS BULLINGERO.

Iamiam opus esset ut Turicenses aut alii sese interponerent, ne res Genevenses in summum veniant discrimen.

(Excerptum ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 153, olim Epp. Vol. 31, fol. 205. — Simler Vol. 85.)

Praestantissimo theologo M. Heinrycho Bullingero domino ac compatri suo longe carissimo. Tiguri.

— — — — — — — — — — — — — — — —

Caeterum de Genevensibus oro consideres quae per D. *Hallerum* ad te scripsi. Causa est magni momenti. Vehementer metuo illi ecclesiae. Et nisi me fallant omnia *Calvinus* non est in hoc disturbio satis providus. Opus esset viris cordatis qui se interponerent. Officium hoc esset vestrum vel Basiliensium. Doleo Nicolaum *a Pueris* [1]) non esse ad vos cum D. *Hallero*, sicuti constituerat, profectum, a quo potuisses de hac causa abunde instrui. — — — — — Bernae 13. Septembris 1555.

Wolfgangus Musculus
tuus in Domino.

2293.

SANCTANDREANUS CALVINO.

Narrat quomodo Senatus Francofordensis librum ipsi dicatum exceperit. Simul iter in Germaniam inferiorem ingressurus absentiam longiorem excusat. [1])

2292. 1) *Zerkintes (nominis translatione* Zerkinden *satis dubia) Cf. Calvini ep. ad hunc* 21. *Febr.* 1556 *datam.*
2293. 1) Le ministre S. André (*pasteur à Moing et Jussy*) demande un congé pour aller à Francfort. (*Reg. du Conseil* 15. *Août.*)

(Ex autographo Cod. Parisiensis Dupuy 268, fol. 36.)

Eximio Christi servo ac vigilantissimo Genevensis ecclesiae pastori D. Ioanni Calvino praeceptori meo colendissimo.

Genevae.

S. P. mi domine pater ac praeceptor unice colende. Librum tuum [2]) tandem exhibuimus huic amplissimo senatui. Quam gratus fuerit non possum satis tibi describere. Per manus Burgimagistri delatus fuit ad senatum, ut illis moris est. Commissus fuit cuidam doctori ex senatorum coetu, ut intelligo, qui viseret. Post triduum vocor a Burgimagistro ac coram illo et sex consulibus, praesente D. *Sechelio*, [3]) doctor quidam ex illorum numero magnas, imo immensas, gratias agit pro munere tam eximio, tam docto ac sancto, idque nomine senatus qui te ut fidelem Christi servum ac eximium ecclesiae doctorem amplectatur. * In multas laudes humanissimasque gratias protracta est oratio. Tandem addidit senatum, non in compensationem quae satis digna fieri non posset, sed ut suam erga te gratitudinem testetur, exhibere tibi munusculum, precarique ut illud bono animo susciperes non pro dignitate muneris sed propensione animorum eorum qui tibi offerebant, quos habiturus esses perpetuo tibi paratissimos. Ego ad haec: Te nulla alia ratione impulsum illis dicasse tuam illam Harmoniam, nisi ut gratias amplissimo senatui ageres pro tam magna benevolentia et humanitate quam peregrinis Christi et exsulibus exhibuerant, et ut testatum omnibus faceres tam pium ac sanctum illorum erga afflicta Christi membra animum, ut aliae respublicae illos imitari conarentur, alias, quae ab hoc tam sancto ac sibi mandato caritatis officio deficerent, puderet. Quantum ad munus, iussus ab amplissimo senatu, et postquam eorum amplitudini ita visum erat, illud tibi libenter offerrent. Itaque quadraginta florenos aureos obtulerunt in charta, deinde sex Dalleros pro tabellario. [4]) Quos, quum excepissem me ob alia negotia venisse Francfordiam, ipsique nihilominus instarent, non potui recusare, et sic porrectis quam humane fieri potest manibus discessum est. Utrique *Globero* [5]) et libros et literas dedi testatique sunt ambo magnam erga te propensionem. D. *Adolphus* [*valde aegrotavit*] [6]) et adhuc aegrotat [7]) ita ut de morte timeatur. Dominus illi [*adsit et eum conservet*], qui pios omnes ac doctos amat. D. *Ioannes* [*maxima benevolentia*] semper usus est erga me, ac te magno studio amplectitur. [*Pollicitus est se*] scripturum ad te per D. *Crispinum*, et fortassis uterque idem aget per me in reditu. D. *Crispino* [8]) commisi florenos illos 40 ad te deferendos. De Dalleris agam quum Dominus me vobis reddiderit.

Coactus sum multis rationibus in inferiorem Germaniam [9]) descendere. Omnia narrabit D. *Crispinus*. Tuae erit erga me humanitatis et benevolentiae condonare si quid audacius sum aggressus. Ego spero Dominum adfuturum mihi, nec effecturum profectionem meam hanc irritam. Consilio et hortationibus huius ecclesiae hoc ago. Si recusassem, vix potuissem vitare apud multos probos ac pios notam nimiae timiditatis ac diffidentiae. Optimo instructus satellitio proficiscor. Dominus, ut spero, brevi me reddet ecclesiae nostrae, in cuius sinum me recipere supra quam dici potest desidero. Interea fratres obnixe precor ut mihi ignoscant, si hac in parte deliquerim nimium indulgens mihi, nec satis praemeditatis illorum oneribus: spero illos non tam mihi indignatos fore, quin facile tandem post reditum ignoscant. Habeant, precor, mei memoriam in suis precibus tam privatis quam publicis. Apud senatum si quis de me queratur, pro tua prudentia excusabis meum institutum commendatamque habebis meam familiam. Bene vale in Domino, mi praeceptor, qui te diu servet suae ecclesiae semper fortem ac invictum, suoque spiritu tueatur ac confirmet. Salutabitur meo nomine D. *Antonius* [10]) compater meus ac tota eius familia. Francfordiae 14. Septemb. paulo ante ingressum navis 1555.

Tuus filius in Christo
A Sancto Andrea.

Habes etiam hic quas
scribit ad te senatus. [11])

---

2) *Commentarium in Harmoniam evang.*
3) *N.* 2261.
4) *Ipso Sanctandreano, qui tamen non in eum finem Francofordiam iverat ut librum perferret.*
5) *Glauburgio.*
6) *Charta maculata aut aliter scriptura deleta. Lacunas explemus quoad possumus.*
7) *neque diu superstes fuit.*
8) *qui forte negotii causa in nundinis aderat.*
9) *Vesaliam versus aut Emdenam, ad visendas ecclesias gallicas.*
10) *Calvinus?*
11) *Tales non exstant.*

detur excusatio, quod fide ac humanitate tua fretus datam abs te scribendi fiduciam mihi sumo. Itaque certo persuasus non ingratum tibi fore hoc officium, si tui quoque hortandi partes libere suscipiam. Neque enim eum te hominem esse existimo, quem delectent inanes vel blanditiis refertae literae, quales ad captandam gratiam a ventosis hominibus scribi solent: sed a Christi servo magis cupis et exspectas, quod pietatis tuae progressus iuvet. Egregias ergo istas virtutes, quibus te excellere audio, non alium in finem laudare mihi propositum est, nisi ut assidue in melius eniti pergas. Si in Polonia rite ex voto nostro compositus foret regni Christi status, quanquam tibi facilius esset in tranquillo stadio rectum cursum tenere: res tamen altior est, nos approbare sinceros Dei cultores, quam ut centesima officii parte fungantur, qui strenue laborando alios omnes superant. Nunc rebus confusis, ubi obeunda sunt multa certamina, resistendum fortiter hominum potentium odiis, negligendi sinistri rumores, multi insultus sustinendi, luctandum cum multis obstaculis, tentanda etiam discrimina, quam tibi utile sit tum ad fervorem subinde incitari, tum ad constantiam animari, referre necesse non est: quia ipse plus satis experieris. Iam vero quum in ista dignitate magnum tibi onus sit impositum, non tamen cedit Deus iure suo, neque desinit, quo te in altiore honoris gradu locavit, eo magis fidem tuam obstrictam sibi tenere. Nam quo plus apud quemque deposuit, eo etiam plus exigere aequum est. Ergo quum te non hominem ex medio vulgo, sed unum ex primariis inter paucos delegerit quem ex densis ignorantiae tenebris liberatum, coelesti evangelii doctrina illustraret: si hoc inaestimabile beneficium suo pretio aestimas, hac lege tibi collatum esse menineris ut aliis praeluceas. Et certe vides quam multorum in te coniecti sint oculi, ut eos tuum exemplum vel moretur, vel exstimulet: ac simul cogites, si tuae desidiae mediocris esse non potest iactura, culpam quoque non minorem fore. Haec vero praeclara bene agendi occasio et facultas, quod Regia Maiestas adeo non adversabitur sanctis tuis studiis, ut potius manum porrigere sit parata, nisi animum tibi addat, excusationem adimet. Neque enim usque ad sanguinem tibi certandum est: sicuti multi in Gallia nostra fideles, quos omnia adiumenta deficiunt, quotidie pro fidei suae confessione capita in sacrificium offerre coguntur. Quando longe mitius tecum agi vides, animosius ac magis strenue exsequi convenit, quod tibi est ad manum, ut te Regi Serenissimo in repurgandis papatus sordibus fidum comitem ac ministrum exhibeas. Atque utinam re ipsa ostendere liceret quo animo haec scribo. Sed quia vereor, ne tuae in asserenda Christi gloria fortitudini diffidere videar, me ipsum cohibeo. Hoc restat, ut pro benevolentiae comitatisque testimonio, quod in tuis ad N. literis perspexi, vicissim mea tibi obsequia, meque adeo totum, quantulus sum, deferam. Deum interea precabor ut te diu servet incolumem, spiritu suo regat praesidioque tueatur. Vale, magnifice et insignis Domine. Genevae, Idibus Septembr. 1555.

2292.

MUSCULUS BULLINGERO.

Iamiam opus esset ut Turicenses aut alii sese interponerent, ne res Genevenses in summum veniant discrimen.

(Excerptum ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 153, olim Epp. Vol. 31, fol. 205. — Simler Vol. 85.)

Praestantissimo theologo M. Heinrycho Bullingero domino ac compatri suo longe carissimo.
Tiguri.

— — — — — — — — — — — — — — —

Caeterum de Genevensibus oro consideres quae per D. *Hallerum* ad te scripsi. Causa est magni momenti. Vehementer metuo illi ecclesiae. Et nisi me fallant omnia *Calvinus* non est in hoc disturbio satis providus. Opus esset viris cordatis qui se interponerent. Officium hoc esset vestrum vel Basiliensium. Doleo Nicolaum *a Pueris* [1]) non esse ad vos cum D. *Hallero*, sicuti constituerat, profectum, a quo potuisses de hac causa abunde instrui. — — — — — Bernae 13. Septembris 1555.

Wolfgangus Musculus
tuus in Domino.

2293.

SANCTANDREANUS CALVINO.

Narrat quomodo Senatus Francofordensis librum ipsi dicatum exceperit. Simul iter in Germaniam inferiorem ingressurus absentiam longiorem excusat. [1])

2292. 1) *Zerkintes* (*nominis translatione* Zerkinden *satis dubia*) *Cf. Calvini ep. ad hunc* 21. *Febr.* 1556 *datam.*

2293. 1) Le ministre S. André (*pasteur à Moing et Jussy*) demande un congé pour aller à Francfort. (*Reg. du Conseil* 15. *Août.*)

(Ex autographo Cod. Parisiensis Dupuy 268, fol. 36.)

Eximio Christi servo ac vigilantissimo Genevensis ecclesiae pastori D. Ioanni Calvino praeceptori meo colendissimo.

Genevae.

S. P. mi domine pater ac praeceptor unice colende. Librum tuum [2]) tandem exhibuimus huic amplissimo senatui. Quam gratus fuerit non possum satis tibi describere. Per manus Burgimagistri delatus fuit ad senatum, ut illis moris est. Commissus fuit cuidam doctori ex senatorum coetu, ut intelligo, qui viseret. Post triduum vocor a Burgimagistro ac coram illo et sex consulibus, praesente D. *Sechelio*, [3]) doctor quidam ex illorum numero magnas, imo immensas, gratias agit pro munere tam eximio, tam docto ac sancto, idque nomine senatus qui te ut fidelem Christi servum ac eximium ecclesiae doctorem amplectatur.* In multas laudes humanissimasque gratias protracta est oratio. Tandem addidit senatum, non in compensationem quae satis digna fieri non posset, sed ut suam erga te gratitudinem testetur, exhibere tibi munusculum, precarique ut illud bono animo susciperes non pro dignitate muneris sed propensione animorum eorum qui tibi offerebant, quos habiturus esses perpetuo tibi paratissimos. Ego ad haec: Te nulla alia ratione impulsum illis dicasse tuam illam Harmoniam, nisi ut gratias amplissimo senatui ageres pro tam magna benevolentia et humanitate quam peregrinis Christi et exsulibus exhibuerant, et ut testatum omnibus faceres tam pium ac sanctum illorum erga afflicta Christi membra animum, ut aliae respublicae illos imitari conarentur, alias, quae ab hoc tam sancto ac sibi mandato caritatis officio deficerent, puderet. Quantum ad munus, iussus ab amplissimo senatu, et postquam eorum amplitudini ita visum erat, illud tibi libenter offerrent. Itaque quadraginta florenos aureos obtulerunt in charta, deinde sex Dalleros pro tabellario. [4]) Quos, quum excepissem me ob alia negotia venisse Francfordiam, ipsique nihilominus instarent, non potui recusare, et sic porrectis quam humane fieri potest manibus discessum est. Utrique *Globero* [5]) et libros et literas dedi testatique sunt ambo magnam erga te propensionem. D. *Adolphus* [*valde aegrotavit*] [6]) et adhuc aegrotat [7]) ita ut de morte timeatur. Dominus illi [*adsit et eum conservet*], qui pios omnes ac doctos amat. D. *Ioannes* [*maxima benevolentia*] semper usus est erga me, ac te magno studio amplectitur. [*Pollicitus est se*] scripturum ad te per D. *Crispinum*, et fortassis uterque idem aget per me in reditu. D. *Crispino* [8]) commisi florenos illos 40 ad te deferendos. De Dalleris agam quum Dominus me vobis reddiderit.

Coactus sum multis rationibus in inferiorem Germaniam [9]) descendere. Omnia narrabit D. *Crispinus*. Tuae erit erga me humanitatis et benevolentiae condonare si quid audacius sum aggressus. Ego spero Dominum adfuturum mihi, nec effecturum profectionem meam hanc irritam. Consilio et hortationibus huius ecclesiae hoc ago. Si recusassem, vix potuissem vitare apud multos probos ac pios notam nimiae timiditatis ac diffidentiae. Optimo instructus satellitio proficiscor. Dominus, ut spero, brevi me reddet ecclesiae nostrae, in cuius sinum me recipere supra quam dici potest desidero. Interea fratres obnixe precor ut mihi ignoscant, si hac in parte deliquerim nimium indulgens mihi, nec satis praemeditatis illorum oneribus: spero illos non tam mihi indignatos fore, quin facile tandem post reditum ignoscant. Habeant, precor, mei memoriam in suis precibus tam privatis quam publicis. Apud senatum si quis de me queratur, pro tua prudentia excusabis meum institutum commendatamque habebis meam familiam. Bene vale in Domino, mi praeceptor, qui te diu servet suae ecclesiae semper fortem ac invictum, suoque spiritu tueatur ac confirmet. Salutabitur meo nomine D. *Antonius* [10]) compater meus ac tota eius familia. Francfordiae 14. Septemb. paulo ante ingressum navis 1555.

Tuus filius in Christo
A Sancto Andrea.

Habes etiam hic quas
scribit ad te senatus. [11])

2) *Commentarium in Harmoniam evang.*
3) *N.* 2261.
4) *Ipso Sanctandreano, qui tamen non in eum finem Francofordiam iverat ut librum perferret.*
5) *Glauburgio.*
6) *Charta maculata aut aliter scriptura deleta. Lacunas explemus quoad possumus.*
7) *neque diu superstes fuit.*
8) *qui forte negotii causa in nundinis aderat.*
9) *Vesaliam versus aut Emdenam, ad visendas ecclesias gallicas.*
10) *Calvinus?*
11) *Tales non exstant.*

2293 bis.

VERGERIUS BULLINGERO.

Gribaldum non tam nigrum esse quam nonnulli morosi perhibent: ipse tamen ne ultra metam currat prospiciet.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 170, olim Scrin. B. Epp. Tom. 44, fol. 534 sine inscriptione. Simler Vol. 85.)

Carissime frater. Tuis pauca habeo quae respondeam. Ea sunt huiusmodi. Iubeo te bono animo esse quod ad D. *Gribaldum* attinet. Novi omnia quae facta quaeve dicta fuere. Non sunt qualia nonnulli retulere. Vis dicam uno verbo? Sunt veteres inimicitiae contentionesque inter *Calvinum* (rescivi ego ab hoc) et *Gribaldum*, ut sumus omnes portantes nostrum Adamum. Quare *Gribaldus* visus est illis aliquando amarior et turbulentior quam sit, quanquam nonnihil morosiores sint, ut nosti, aliquando. Haec penes te. Sine me agere. Ego hominem curabo probe. Quod ni destiterit, faciam ut tu atque alii boni viri intelligant me abhorrere a fanaticis ingeniis. Annon tibi satisfacio? — — — — — — — — — — — Reutlingae 14. Sept. 1555.

Vergerius.

2294.

MARBACHIUS BEYERO.

Docet qua ratione Argentoratenses suis Zwinglianis ora obstruxerint et similia ut Francofurtenses faciant suadet. Insigne est perfidiae et calumniarum documentum, dignum omnino quod in perpetuam rei memoriam servetur.

(Ex apographo quod Beyerus ad Westphalum misit et in Bibliotheca ad S. Catharinae Hamburgi servatur.)

Reverendo viro eruditione pietate et virtute praestantissimo D. Hartmanno Beyer docenti evangelium Christi in ecclesia Francofordiensi fratri et consymmystae suo in Domino colendissimo.

S. Reverende vir et frater carissime, legi tuas literas et ad consymmystas meos causam vestram retuli, qui mecum quum vestram tum ecclesiae vestrae conditionem plurimum dolent. Metuunt enim hanc semel exortam inter vos et peregrinos vestros hospites dissensionem in doctrina et caeremoniis, cum maximo ecclesiae vestrae detrimento, ad piam concordiam vix reduci posse. Et tam optandum esset vestrum senatum aut initio prudentius deliberasse quibus conditionibus tales hospitio susciperet, aut nunquam nostrorum exemplum imitatos fuisse, quanquam neque nostris adeo feliciter, ut principio sperabatur, successerit. Nam sicut illorum multi nec religionis causa exsulant et plane fanaticis ac portentosis opinionibus pugnantibus cum sana doctrina imbuti sunt, ita etiam incomposita vita, moribus peregrinis et artibus quibus victum quaerunt, publicae tranquillitati et honestati non parum obsunt.

Coeperat ante biennium pastor gallicanae nationis [1]) apud nos apertius quam antea suam sententiam de negotio eucharistiae publice de suggestu proponere, ex qua facile intelligebatur eum Zwinglianae factionis esse. Verum nos eius in tempore admoniti coactum ipsum in conventum nostrum graviter officii sui commonefecimus, et ut consensum nobiscum in doctrina et reliquis ecclesiae caeremoniis servaret hortati sumus. Quia vero parum nostra admonitione apud ipsum profecisse nos videbamur, causa senatui nostro proposita est, qui primo quidem visitationem ecclesiarum intra civitatem instituit, et per superintendentem civibus denunciari sua autoritate mandavit, magistratum scilicet velle, ut in omnibus ecclesiis consentienter Christi evangelium iuxta Augustanae confessionis formulam praedicetur, et ut in caeremoniis ecclesiasticis sit conformitas. Deinde convocatis pastoribus et reliquis ecclesiae ministris eadem sententia repetita est, addita comminatione, si qui propria autoritate innovare aliquid in ecclesiis tentaverint quod cum Augustana confessione pugnet in eos senatum graviter animadversurum esse.

D. *Zanchium* vero et D. *Martyrem*, quorum ille nuper primum ex Italia, hic vero ex Anglia ad nos venerat, ea conditione in ordinem professorum scholae nostrae admisit, ut non tantum verbis sed suo quoque chirographo testarentur et compromitterent, [2]) se Augustanam confessionem recipere et secundum eam consentienter tranquille et pacifice in schola nobiscum sacras literas docturos esse. Itaque Domini beneficio hac actione tantum effectum est ut nostrae ecclesiae sint pacatae et inter ecclesiae ministros ac scholae professores optime conveniat.

Hanc rationem si gubernatores vestrae civitatis sequerentur spes esset facile exortum incendium

---

2294. 1) *Garnerius.*
2) *Martyris literae huic nostro thesauro passim insertae rem paulo aliter exponunt. Cf. Roehrich* III. 105 *sqq.*

iterum exstingui posse. Neque nos in praesentiarum aliud consilium novimus quod vobis impertiamur quam ut apud magistratum vestrum instetis opportune et importune ne sua autoritate in hac causa eos destituat. Disputationem vero de articulis religionis nostrae cum ipsis instituere omnibus modis vobis dissuademus. Quae sit nostra de sacramentis confessio et quare errori Zwingliano adversemur, constat ex scriptis D. *Lutheri*, D. *Brentii* et aliorum, qui doctissimis suis scriptis non tantum luculenter falsam sacramentorum doctrinam refutare sed etiam firmissimis argumentis sacrarum literarum nostram stabiliverunt,[3]) quae si isti oblivioni tradiderunt legant *Westphali* nostri editam nunc defensionem, et si qui ex illis adhuc sunt sanabiles facile acquiescent, si vero ita obstinate in semel concepta opinione perseverare constitutum est, frustra omnis disputationis labor a vobis suscipietur et malum indies reddetur deterius.

Hoc breviter ad tuam epistolam, colendissime frater, respondere volui, et existimo te satis intelligere quid a nobis factum sit. Optarim tamen nos coram data occasione prolixius quum de hac controversia tum de aliis ecclesiae negotiis familiariter colloqui posse. Interim hoc tibi sit persuassimum me totum vestrum esse. Bene et feliciter vale. Meo et conventus ecclesiastici nomine rogo ut reverenter et officiose salutem dicas omnibus tuis fratribus et consymmystis, D. Matthiae *Rittero*, veteri meo amico ac reliquis. Dominus corroboret vos et benedicat vestris ministeriis, ut firmiter pro asserenda veritate coelestis suae doctrinae decertare et adversariis ora obducere valeatis. Amen. Datae Argentorati 18. Septembris anno 1555.

Vester in Domino frater
Ioh. Marbachius.[4])

2294 bis.

PIPERINUS [1]) BLAURERO.

Dolet propter calumnias a multis in Calvinum sparsas et exempli gratia talem aliquam enarrat.

(Ex autographo lacero Cod. Sangallensis Bibl. civicae MSS. Tom. 37, Epp. VIII. fol. 54. — Exstat quoque in Bibl. civic. Turicensi F. 43, olim Arch. Hotting. VIII. fol. 737, et ap. Simlerum Vol. 85.)

Amplissimo viro M. Ambrosio Blaurero D. compatri suo observandissimo.

S. Valde doleo propter horrendas maculas quas omnes homines nunc aspergere conantur D. *Calvino*.[2]) Indies atrociora audio. Quamobrem pridie pro illa epistola, cuius apud te mentionem feceram, proprium nuncium Bernam misi: quam et nactus sum, sed ea conditione, ne cui homini eam communicem. Ego autem tibi amico amicissimo et domino compatri observandissimo eam credere non dubito. Remittes illam quam proxime fieri potest. Interea in contumeliam *Calvini* gravissima audiuntur, ex quibus hoc est unum quod nunc scribo: Reginam *Navarrae* motam celebritate et nomine pastorum et ecclesiae Genevensis 4000 coronatos aureos misisse ad D. *Calvinum* pro subsidio pauperum, et ut quasi publica eleemosyna illic distribuatur. *Calvinum* acceptam pecuniam hinc inde vel affinibus suis vel aliis mercatoribus Genevensibus distribuisse, et pro constituto censu concessisse: neque hac re contentum fuisse, [*sed*] insuper etiam 3000 coronatos a supra dicta Regina petiisse in .... Quam summam quum illa honestis conditionibus denegas[*set*, *caeterum*] etiam omnem operam, omnia officia pietatis et carita[*tis*] pollicita esset, Calvinum publico scripto diris modis in [*eam*] invectum.[3])

---

3) refutare .... stabiliverunt. *Errorem hic latere in textu patet.*

4) *Describimus hanc epistolam ex diario cui titulus est Alemannia, ed. Birlinger* 1876, *pag.* 22 *seq. ubi exstat cum annotationibus viri doct. W. Crecelii.*

2294 bis. 1) *vir nobis ignotus.*

2) *Cf. N.* 2263. 2285. 2292.

3) *Similia refert Bolsecus in Vita Calvini cp.* 15, *cf. cp.* 11*:* Un ausmonier de la feu Royne de Navarre appellé Montouset, craignant le Roy de Navarre qui luy portoit hayne pour cause de la religion ..... se retira avec congé et par le conseil de la ditte Royne sa maistresse à Genève, où peu de iours par avant elle avoit envoyé quatre mille francs à la bourse des pauvres pour secourir les indigens qui n'avoient moyen de gagner leur vie. Cestuy Montouset là arrivé avec lettres de recommandation de la Royne fut bien veu et receu de Calvin par amour de sa maistresse, mais prenant garde et diligemment considerant le gouvernement de Calvin distributeur des ausmones et le peu de secours qu'avoient les pauvres il ne se peust contenir d'en parler à quelcuns lesquelz il tenoit pour ses amys, se complaignant à eux. Cela vint aussitost aux oreilles de Calvin. Incontinent le bon Montouset fut abandonné de tous, mal veu de Calvin, et non obstant les recommandations de sa maistresse delaissé d'amys et de secours *etc. Piperinus haec ita audivisse videtur ut mixta fuerint cum alio rumore de quo idem Bolsecus cap. xj, scil. de pecunia a Dav. Busantonio pauperibus destinata, a Calvino vero in suum usum conversa.* (*Cf. Calv. ad Piperinum* 18. *Oct.*) *Denique et epistolae Calvini ad Reginam idem mentionem facit,* en laquelle il l'appelloit atheiste, libertine, hypocrite, fautrice des anabaptistes, voire qui celoit et entretenoit en son cabinet deux insignes heretiques, assavoir un Quentin et un Anthoine Poque avec leurs femmes *etc. quam pluribus legendam praebuerit, cuius autem loco ad ipsam literas alias miserit modestissime scriptas quibus se ab illis calumniis vindicabat.*

Ipse volente Domino die Lunae Bernam pet[*am, ubi*], ut spero, certius omnia et plenius cognoscam. Interea si remittere poteris hanc epistolam ut referam eo, facies ut promissis stem. Interea vale in [*Christo Iesu*]. Burenae [4]) festinanter. 19. Septemb. 1555.

Tui amantissimus
Christoph. Piperinus.

Ignosce picturae huic meae incompositissimae, quia hoc momento calamum ad meam manum nullis laboribus attemperare potui. [5])

2295.

LASCUS BULLINGERO.

Cupit ut Calvinus Westphalo respondeat. Bullingeri filium Melanchthoni commendavit. Ecclesia Flandrica a magistratu exsulibus concessa est.

(Extat in Cod. Genev. 114, fol. 94. Edita est in Gerdesii Miscell. IV. p. 490 et in Lasci Opp. ed. Kuyper II. 714.)

Tantis nunc obruor occupationibus, [1]) vir sanctissime, ut quae maxime vellem tibi cognita esse ea iam perscribere ad te non possim, sed intra dies aliquot ad *Martyrem* scribam, et tum quoque ad te plura. Libellum a me nunc primum editum [2]) tibi mitto ut legas et iudices. *Westphalus* in *Calvinum* scripsit virulentissime. [3]) Partem libelli percurri, partem nondum vacavit perlegere: sed putant quidam qui legerunt et *Calvino* favent, necesse esse ut *Calvinus* calumnias illius per aliquam occasionem refutet, non quidem ut libello peculiari aliquo respondeat, sed ut aliud agens obiter *Westphali* calumnias sine nomine convellat, praesertim ubi *Calvini* ipsius verbis *Calvinum* premere conatur.

Filius tuus *Henricus* [4]) nobis adfuit quum Ph. *Melanchtonis* gener [5]) apud me esset. Huic illum igitur adiunxi suntque una iam Witebergam profecti cum mea ad *Philippum* commendatione. Magnae sunt et inter Saxones ipsos turbae quod ad doctrinam attinet, quae res forte faciet ut Witebergenses nobis aliquanto aequiores habituri simus.

Nos hic iam divino beneficio Flandricam quoque ecclesiam impetravimus, ad quam instituendam *Micronius* noster huc ad me ex Frisia venit, [6]) rediturus tamen rursus in Frisiam post institutum ecclesiae ministerium ad quem modum in Anglia institutum habebamus. Estque revera ingens Dei beneficium quod hic tam nobis faventem magistratum habeamus. Plura iam non possum per temporis inopiam. Commendo me precibus vestris diligentissime, et fratres istic omnes officiosissime salvere iubeo. Raptim Francfordiae 19. Septembris 1555.

Micronius multam vobis istic omnibus salutem adscribi voluit.

Ioannes a Lasco m. pr.

2296.

LASCUS CALVINO.

Exponit rationes quibus motus pro tempore in patriam redeundi consilium nondum exsequitur. Turbae in Gallica ecclesia Francofurdensi exortae. Westphali libellus.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 25.)

Sanctissimo iuxta ac doctissimo viro D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis pastori vigilantissimo fratri in Domino observandissimo.

Reddidit mihi literas tuas [1]) vir pientissimus D. *a Sancto Andrea* [2]) frater communis noster, vir sanctissime, quibus et de nostris iactationibus [3]) et de instituendo in patriam meam itinere meo scri-

---

4) *Inter Solodurum et Bernam.*
5) *hoc postscriptum in Cod. Sang. non legitur.*
2295. 1) *Dathaenus kurtze und warhafftige erzelung etc. p.* 10: Im Iunio des 1555. J. ist den verjagten Christen ausz dem Niderland durch werbung und fürbitt des Hrn. Joh. v. Laszky herberg und offentlicher kirchendienst gnediglich gestattet worden, welche sampt gedachtem H. v. L. mich zu irem kirchendiener beruffen haben.
2) Forma ac ratio ecclesiastici ministerii etc. (*ap. Kuyperum Tom.* II.)
3) *Kuyperus Westphali* Collectanea sententiarum Augustini *innui credit. In quo fallitur vir doctissimus. Loquitur de* Iusta defensione adv. sacramentarii cuiusdam falsam criminationem *etc. Francof.* 1555. (*Opp. IX. Proll. p. xvi.*) *Cf. etiam Moenckeberg, Westphal u. Calvin p.* 44 *qui tamen titulum libri non integrum tradit, fortasse de industria.*

4) *N.* 2277.
5) *Sabinus.*
6) *Primam concionem habuit* 15. *Sept.* (*Bertram hist. Io. a Lasco p.* 369.)
2296. 1) *deperditas.*
2) *Cf. N.* 2293.
3) *Emdena dimissus fuerat.*

bis,[4]) si ullam modo rimam illic mihi patere videam. Quod igitur ad iactationes primum meas attinet, hae sane adeo mihi non sunt molestae (sit Domino Deo nostro gratia) ut ex illis magnam etiam animo meo concipiam consolationem, praesertim quum illos fructu suo non carere divino beneficio videam. Valetudinis incommoda inter commoda mea reputo, etiamsi caro reclamet: nimirum non procul me abesse a portu video ad quem omnes suspiramus. Faxit Dominus ut ad illum forti infractoque animo, quum ei libitum fuerit, per eius misericordiam omnes perveniamus.

De mea patria tecum sentio. sed neque adhuc tempestivum esse puto, et sine ecclesiae meae Frisicae assensu, cui adhuc obstrictus sum,[5]) facere nihil possum. De cuius tamen voluntate non dubito, si modo tempestivum esse videam. Qua de re alioqui iam ad ecclesiam meam scribo. Nam quod tu suades, idem suadent etiam *Bullingerus*, *Martyr* et *Vergerius*. Ad paschatis, si Dominus volet, aliquid cogito. Tum enim rursum forte comitia regni habebuntur.[6]) Alioqui ipsa valetudo non ferret nunc ulla istiusmodi itinera. Interim vero ad Regem ipsum et praecipuos regni proceres scribo diligenter, sumque brevi eo missurus peculiarem meum nuncium cum libello, quem Regi ipsi et toti patriae dicavi, cuius exemplar etiam ad te mitto.[7]) Huius igitur nuncii reditum mihi exspectandum esse puto. Dissidere nonnihil in causa religionis nunc videntur Rex et ordo nobilium. Non tamen est tantum dissidium ut causae progressum impediat, ut spero. Rex nihil vult statuere non commonefacto prius papa, a quo postulat ut legatos suos mittat ad futura comitia,[8]) in quibus tractatio de religione ante omnia instituetur. Nobiles petunt ut, sive papa suos mittat sive non mittat, religio vera restituatur. Interim vero nobiles nullo ordine rem tentant, et licere sibi volunt multa quae non expediunt, ut periculum sit ne magna confusio rerum omnium sequatur. Nunc si eo venirem praeter omnium exspectationem, oporteret me aut Regi aut nobilium ordini adiunctum esse, neque id sine alterutrius partis invidia possem facere, quae tandem incommodare posset. Proinde exspectare malim donec nuncius meus redeat. De Regis namque animo bene spero, etiamsi nonnihil adhuc haereat: saltem offensum non iri adventu meo, etiamsi me ordini nobilium adiungam, praesertim quum illi iam eius rei indicium qualecunque faciam. Et ab ordine item nobilium expetendum * me ita puto, ut etsi me Regi familiariorem praebeam, sine omni illorum suspicione id facere possim.

Habes meum consilium quod ad patriam meam attinet. De nostris hic rebus te certiorem faciet D. *Crispinus* noster qui novit omnia. Exortae hic fuerunt turbae in Gallica ecclesia, conceptis nescio quibus odiis adversus *Valerandum*,[9]) propter meritum profecto ipsius. Etsi enim in eo multa desiderari posse fateor, perinde atque in nobis omnibus, sumus enim homines omnes, tamen supra meritum ipsius et fides sui ministerii et nominis sui existimatio impetebatur, et quidem non sine totius ecclesiae periculo, cuius sane maiorem (hoc potissimum tempore) rationem, quam privatorum affectuum haberi oportebat. Sed iam sunt composita omnia,[10]) sit Deo gratia: id quod ex D. *Crispino* plenius cognosces. *Westphalus* in te scripsit virulentissime libellum. D. *Crispino* tradidi ut ad te perferat. Is etiam narrabit quidnam adornem. Non legi ad finem *Westphali* libellum propter illius maledicentiam: sed ab iis qui legerunt sum monitus ut te rogarem ne illum graveris perlegere. Dicunt enim te tuis ipsius verbis ab illo impeti. Ego tamen eousque in eius libelli lectione non perveni (ut verum fatear) ut id observarem. Non enim revera mihi vacavit hactenus totum legere. Quid cum *Philippo*, *Brentio* et *Vergerio* egerim ex *Crispino* totum cognosces. Non enim iam plura per temporis inopiam scribere possum. Salvere iube fratres istic omnes diligentissime, et me precibus vestris commendo. Raptim Francoforti 19. Septembris 1555.

Tuae pietati addictissimus
Ioannes a Lasco manu propria.

2297.

VALLEVILLIUS CALVINO.

Praemissis nonnullis de ecclesiae Francofordiensis interioribus, totus est in excusatione et explicatione circa nescio quam falsam de se Calvini suspicionem.

---

4) *Quum Calvinus eo tempore optima quaeque de Polonis speraret, vel saltem omnia tentanda et urgenda putaret.*

5) *quamvis expulsus. Vide eius ep. ad Medmannum pridie Id. Iul. scriptam ap. Kuyperum* II. 713.

6) *In comitiis Petricovii celebratis concilium nationale convocandum postulaverant nuncii.* (*Salig* II. 597.)

7) Epistolae tres lectu dignissimae de recta et legitima ecclesiarum bene instituendarum ratione ac modo ad potent. Regem Poloniae, senatum reliquosque ordines D. Io. a Lasco autore. Basil. Oporin. (31. *Dec.*, *impr. vero m. Martio* 1556.)

8) *Misit Aloysium Lipomanum a.* 1556 *qui tamen duritie sua odium sibi conflavit.* (*Salig* 602.)

9) *Pars quaedam coetus gallici voluerunt ut novae electioni se submitteret.*

10) *In quo egregie falsus est vir summus. Etiam concionatores lutherani invidiose instabant.*

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 54.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori vigilantissimo.

Genevae.

Quo iam in statu sint res huius ecclesiae ex D. *Crispino* disces: proinde ab ampliore earum descriptione supersedeo. Hoc solum te scire cupio, D. *a Sancto Andrea* et ipsum *Crispinum* huc venisse ipsos, nosque hoc nomine plurimum debere Deo, qui per illos detectis Satanae cuniculis hanc ecclesiam contentionum fluctibus paene eversam aliquatenus emergere fecit. Quod tibi in meis literis causam meam agere visus sum, in his quae de erronibus scribebam, dabis veniam si te mentem meam in hac parte non intellexisse dixero. Nam quotquot sunt huiusmodi adversum me armatos cuperem ac omnia maledicentia sua tela eiaculatos, modo tu caeterique pii verbi ministri, ac denique ipsum Dei verbum inviolatum permaneret. Neque in animo habui aliquem sigillatim perstringere. Quod si in literis postremis de quodam Anglo [1]) sermonem feci, id quia illius adversus collegam meum interminationes audieram factum fuisse existima, cuius tantum abest ut velim delicta aut cuiuspiam alterius meo patrocinio tegere, ut meis ferendis impares mihi esse humeros plane (sit Deo gratia) agnoscam: verum ut in ministro inesse quaedam quae ecclesiae offendiculo esse merito possint non substineo, ita praefractis omnibus, ne dicam corasitis [2]) qui illi iniuria praeiudicium facere tentant, libenter me obiicio. Non magis unquam mihi probatum fuisse anglicanorum rituum librum [3]) scripsi, quam illi Anglo cuius tum sermo erat, sed illum in eo condemnando cum plerisque aliis eam prudentiam adhibuisse cupiebam, qualis in literis quas ad ipsorum ecclesiae ministros scripsisti [4]) cernitur. Et Deus ipse testis est quam indigne D. *Knoxi* exsilium tulerim, quanquam procul ab his, qui ita sui libri naeniis pertinacem haberent, me subducam.

Mitto tibi vasculum muscatarum conditarum, ac tantundem D. *Vireto*. Utrumque ex servo Thomae *Corteau* accipies. Vale, vir integerrime. Dominus te conservet in ecclesiae suae gloriam. Francofordiae 20. Septembr. 1555.

Tuae humanitati addictissimus
Richardus Vauville. [5])

2297. 1) *An Whitheadio?*
2) *sic.*
3) *Videntur Angli caeteris extraneis librum suum ritualem obtrudere voluisse. Utiliter hic conferes KG. der Ref. in Frkf. a. M. p.* 80, *ubi de controversiis agitur inter tres exterorum coetus ortis, ita ut a senatu plures et separatas ecclesias sibi concedi cuperent, maxime aedes S. Catharinae. Pollanus inter alia in coena vitrea pocula adhibere coepit et panem pro hostiis, item imaginum facies charta agglutinata cooperire. Concionatores urbis Nonis Septembris de his rebus Magistratum adierunt.* (*Frankf. Rel. Handl.* I. *Beil.* 3.)
4) *N.* 2091. 2213 *coll. c. N.* 2163. 2178.

5) *Nomen hoc posset etiam* Vanville *legi. Verum quum Beza* Vallevillius *scripserit, altera forma authentica videtur.*

2298.

ANGLI FRANCOFORDIENSES CALVINO.

Queruntur Calvinum a factione adversariorum circumventum iniquius de ipsis iudicasse, quasi papisticas caeremonias retinuerint et Knoxum contumeliose eiecerint. Vindicant suam innocentiam, actorum et agendorum rationem reddunt et ei satis aperte consilium dant ut suas res curet.

(Ex Cod. Genevensi 196, fol. 33. Edita est a Societate Parkeriana latine Epp. Tigur. N. 358, p. 489, anglice Tom. III. 755 item in Opp. Knoxi IV. 62.)

Eruditissimo viro fratrique vere colendo D. Ioanni Calvino.

Genevae.

Dum exspectamus adventum quorundam fratrum nostrorum, [1]) ad quos inprimis quae huc scripsisti [2]) pertinere videbantur, coacti sumus aliquanto serius literis tuis, *Calvine* doctissime, respondere, quam vel res ipsa postulabat, vel tu fortassis exspectabas. Nunc vero quum omnis nobis spes illorum adventus adempta sit, visum est nobis qui hic sumus aliquid saltem tandem aliquando respondere: partim quidem ne silendo nostri erga te officii parum memores, partim vero etiam ne optimam causam nostram prodere videremur. Ac primum quidem isthuc * tibi persuasissimum esse cupimus, nos te omni prorsus veneratione atque amore prosequi, quum ob singularem tuam pietatem, tum etiam ob eximiam istam optimarum artium praestantiam. Verum quod superiores nostrae literae [3]) tibi non satisfecerint omnemque prorsus scrupulum exemerint, id vero nobis inprimis dolendum arbitramur. Sed hoc illis [4]) acceptum ferre debemus quibus tu potissimum visus es idoneus quem dolis deludere

2298. 1) *Fortasse hic cogitandum de Isaaco of Patricksbourn, qui fuerat antesignanus Anti-Knoxianorum, cuius nomen ad calcem huius ep. non legitur.*
2) *N.* 2213.
3) *N.* 2178.
4) *Whittinghamo prae caeteris.*

aggrederentur, cuiusque autoritate ad ecclesiam nostram disturbandam non satis pudenter abuterentur. Nam hoc nobis plane constat, eos tantas turbas excitare nunquam fuisse ausuros, si tu illis tuis scriptis quasi aquam suffundere abstinuisses. Tuae, tuae literae fuerunt illis instar Herculis clava qua omnes sese prosternere posse facile confidebant. Ac merito quidem tuum nomen et apud nos et apud omnes pios gratiosum esse debet. Verum si probe cognitae tibi fuissent illorum technae, si satis perspexisses audaciam et improba consilia,[5]) nil dubitamus quin illos nunquam passus fuisses ad te propius accedere, nedum tam aperte tibi quasi os oblinere. Nos quidem certe de tuo candore aequitateque, ubi res nostrae tibi satis perspectae fuerint, atque illorum artes patefactae, quidquam dubitare nefas esse ducimus. Etsi autem literae tuae non parum nobis sunt molestae, quod tantorum criminum nos notare reosque facere videantur, speramus tamen alteram tuam aurem nostrae responsioni reservari. Ad literas ergo tuas haec pauca accipe.

Nos praecise caeremonias anglicas urgere et patriae plus aequo addictos esse,[6]) amici isti tui queruntur. Caeremonias quidem anglicas mordicus retinemus, quum sciamus valde esse pias. Praecise tamen hoc a nobis nunquam factum est, quum nonnullas in amicorum tuorum gratiam resecuerimus quae tamen pie usurpari potuissent. Sed patriae amori hoc damus, quum illi scilicet nimium simus addicti. Tui quidem isti patriae sunt omnino dedecori, qui quidquid in patriam hac in causa divinitus collatum est tanta arrogantia, ne dicamus impudentia, conculcant. Nos, scito, nullam patriae rationem habemus quae cum sacrosancto verbo Dei non conveniat. Neque tamen interim in patriam tam sumus ingrati, tamque omnem sensum humanitatis exuimus, ut ipsi collata a Deo dona temere contemnamus. Neque sane tam abiecte sentimus de iudiciis nostrorum hominum, qui ad sanguinem usque impietati restiterunt, ut ad levissimorum hominum clamores illis foedissimas papisticae impietatis notas inuramus. Rationes nostras audiebas, quae nos a recepta forma recedere non paterentur. Audiebas quidem, sed non a nobis, neque forstassis omnes. Nec nos sane multum dubitamus quin illarum apud te facilis fuerit refutatio: non diffidimus tamen quin nobis nostri facti optimae rationes constent apud Dei tribunal. Displicuisse tibi dicis nihil illis a nobis concessum vel remissum. Ac merito fortassis displicuisset, si nihil fuisset remissum. Sed quum hoc manifestum atque impudens sit illorum mendacium, quis tu illis fueris, tuum sit iudicium. Luminaria et cruces nobis obiicis. Luminaria nos quidem nunquam habuimus. Et quod ad cruces attinet, si unquem illis usi sumus, amici illi tui tibi non illuserint. Tu vero iterum perpende quanti illis fueris, quem tot manifestissimis mendaciis aggredi sint ausi. Falso etiam nos apud te deferunt, quasi frivolis et inutilibus caeremoniis ecclesiam onerare velimus. Caeremonias habemus paucissimas, easque omnes ad pietatem promovendam non parum utiles. Sed illis mirum non est caeremonias nostras videri nimias atque etiam onerosas, quum publicam lectionem verbi Dei caeremoniam molestam et inutilem esse clamitent.[7]) Sed tibi quidem res nostras paene omnes esse ignotissimas, ex istis tuis verbis facile apparet. Nihil enim nos habemus quod aut tuo iudicio (sat scimus) aut cuiusquam pii vel inutile vel noxium videri possit. Sed recte tu te cohibes,[8]) qui alioqui andabatarum more contra ea quae nusquam exstent frustra fuisses pugnaturus. Caeremoniarum nostrarum, quibus hic utimur, rationem tibi reddere, ubi voles, parati sumus, nobisque magis verendum putamus ne earum paucitas potius quam multitudo sit multis displicitura, quidquid tandem momi nostri oggannierint.

Nunc ad caetera tua redeamus. Probabunt, inquis,[9]) omnes boni pastorem reliquosque ministros communibus suffragiis electos esse, modo ne querantur alii, astute et obliquis artibus partem ecclesiae fuisse oppressam. Aculeata sane est haec oratio nosque graviter sauciasset, nisi eius obtusa fuisset acies quum in nos incurreret. Imo fulmen esse fatemur, sed non quo missum est pertigisse. Homines male sibi conscios aliquid tandem commentos esse, nobis neque novum neque mirum videtur: te vero ita illis aures patefecisse ut in illam partem nonnihil inclinaris, praeter omnem plane exspectationem nostram evenit. Qualis vero electio nostra fuerit, testem habemus Deum, conscientiam nostram, universam nostram ecclesiam atque ipsos etiam magistratus, quorum autoritate et consilio semper usi sumus. Sed quibus cuniculis alii ecclesiam oppugnare atque adeo evertere aggressi sint, quam obliquis artibus usi, quam etiam interdum turbulenta ratione gloriolae velificati sint suae, alias si urgebimur aperiemus. Illud etiam quam grave est quod insinuare videris, nos magistratus facilitate abuti. Utinam vero qui istiusmodi calumniis et

5) *Ecce fraternam inter exsules caritatem.*

6) *Haec fuerunt Calvini verba l. l., quae etiam in sequentibus passim recolligunt.*

7) When the order of Mattins, to begin always with *Domine labia*, *Deus in adiutorium* and *Deum laudamus*, and other prescript words not read in the Scripture, was called an Order borrowed of the Papists and Papistical, then began the tragedie and our consultation ended. (*Knox, a narrative of the proceedings* p. 46.)

8) *Haec quoque ad verba Calvini.*

9) *Haec absunt ab edit. Bezae, sed in anglica relatione servata.*

sycophantiis tuas aures opplent nunquam fuissent abusi et nostra lenitate, et magistratus bonitate, et tua autoritate, quae illis ad ciendas lites non mediocre calcar addidit. Deus meliora, quam ut quoquam mortalium nos abutamur, nedum optimis magistratibus de nobis tam bene meritis. Quod si, nos tam perfrictae frontis fuisse ut crederes, animum inducere potuisti: qui tamen factum est ut putares, magistratus, homines sapientissimos lectissimosque in nostra causa aut tam stupidos fuisse ut dolos nostros non olfecerint, aut impune passos omne quum deprehendissent, imo maiori nos quam antea benevolentia amplexos. In tuorum dolis deprehendendis, quos tamen illi multo ingeniosius quam nos et excogitare et tractare norunt, tam tersae fuerunt naris, ut statim sint subodorati, nec quid de illis sentiant obscurum est.

Sed his omissis ad *Knoxi* negotium descendimus, in quo tu pietatem et fraternum amorem valde desideras in illis qui ei sese implicuerunt. Quare nos breviter et vere totius rei historiam tibi hic texemus. Erant eo tempore in ecclesia nostra viri aliquot [10]) qui longo rerum usu et experientia exercitati facile prospicere animoque praecipere valuerunt quae mala vel iam ecclesiae nostrae ingruerent vel in posterum accidere possent. Hi intellexerunt *Knoxum* edidisse scripta quaedam, [11]) quae universae ecclesiae evertendae iustam materiam hostibus viderentur suppeditatura. Inspersa enim erant illis scriptis atrocia atque horribilia convicia in Reginam Angliae, quam nunc consceleratam *Mariam*, nunc monstrum *Knoxus* vocavit. Nec multo minori verborum atrocitate *Philippum* regem irritavit. Hunc famosum libellum quum illi perlegissent, viri profecto et totius religionis et nostrae ecclesiae amantissimi, neque nobis utile neque tutum putabant ut *Knoxus* in nostra ecclesia foveretur. Adiit ergo unus quispiam eorum amicos *Knoxi* intimos, ostenditque consultissimum esse ut *Knoxus* ab ecclesia alio discederet, idque ut fieret diligenter monuit. Hoc non successit. Nostri quum periculum, quod haud dubie immineret, pressius perpendissent, alia aggrediendum putabant. Delata est tandem causa ad magistratum non alio nomine quam ut *Knoxus* discedere iuberetur. Magistratus, quum causam intellexisset atque Imperatorem etiam comperisset eo libello notatum esse, animadvertens talem hominem non solum nostrae ecclesiae sed suae etiam civitati periculum posse facile conflare, urbe excedere iussit. Habes totam rem ut gesta est. Neque quidquam nostrorum hominum causa subterfugere reticendo voluimus, aut obscurare narrando. *Knoxo* non nihil datum est. Nam quaedam alia nostri in illo animadverterant quibus adducti sunt ut illius discessum optarint, quae nos hoc tempore consulto omisimus. Sed haec plane fuerunt quae nostros huc impulerint, hocque prorsus modo negotium illud explicuerunt. Quam vero inde occasionem spargendorum mendaciorum isti turbarum architecti arripuerint, quam horribiles voces eiaculati sint, quantam etiam tragoediam excitarint, quis non miretur cui illorum ingenium est ignotum? Praesertim quum te etiam huc perpulerint ut scriberes in homines per omnia innoxios, satius fuisse in patria illos manere quam iniustae saevitiae facem in longinquas regiones afferre. Si tibi fuissent ulla ex parte noti qui ut *Knoxus* hinc discederet curaverunt, clementius profecto cum illis agendum duxisses. [12]) Vix enim quisquam mortalium a crudelitate longius abest [13]) quam illi per Dei gratiam et sint et fuerint. Certe quum ab illis sui facti ratio a pastore nostro [14]) exigeretur, eam tam honestam reddiderunt, ut nihil ille, homo alioqui scrupulosus, habuerit quod reprehenderet. Non enim te latet quam nos non deceat in magistratus paene inauditis conviciis impotenter debacchari: non quod illi talia fortassis non mereantur, [15]) sed propter impositam illis a Deo personam. Hoc tibi affirmare possumus, vesanum

---

10) *Ipse Knoxus nominat hos: Mr. Isaac, Parrey, Coxe, Bale, Turner of Wynsore, Jewell of Oxford, qui postea fuit episcopus Sarisberiensis.*

11) An admonition to Christians. *Cf. N.* 2163. *Knox, Narrative p.* 47: The said Mr. Isaak etc. accused me before the magistrates in nyne articles of high treason against the Emperour, his sonne Philip and the queene of England. My words are these in a book (*cuius modo dedimus titulum*): First speaking against idolaters and how they ought by the express command of God to be put to death, and yet reserved by God's providence. I said: 1. If Mary and her counsellors had been sent to hell before these dayes, her cruelty should not have so manifestly appeared to the world. 2. Iesabel never erected half so many gallowes in all Israel as mischievous Mary hath done within London alone. 3. Would any of you have confessed, two years agone, that Mary your mirrour had been false dissembling, proud and a breaker of promises, except such as she made to your god the Pope, to the great dishonour of her noble father? 4. The love of her native country could not move that wicked woman's heart to pity. 5. She declareth herself a traitouress to the realm, to bring in a stranger and make a proud Spaniard king *etc.* 6. If God had suffered her for our scourge to come to authority *etc.* 7. Under an English name she beareth a Spaniard's heart. 8. Much trouble in England for the establishing of that most unhappy woman's authority *etc.* 9. Marriage ought not to be contracted with those that are maintainers of idolatry, such as the Emperour, who is no less enemy to Christ than was Nero. (*Strype, eccl. Mem.* III. 1, *p.* 406.)

12) *Sane honesti et digni viri qui ob religionem patriae valedixerant.*

13) *Calvinus dixerat, teste relatione anglica, ubi Beza tacet:* This one I cannot keep secret that Mr. Knox was in my judgment neither godly nor brotherly dealt withal.

14) *Talem infra se dicit Whitheadus.*

15) *Itane? cur ergo illae criminationes?*

illum *Knoxi* libellum plurimum olei igni persequutionis in Anglia addidisse.[16]) Nam ante illum editum libellum ne unus quidem ex fratribus nostris mortem fuerat perpessus: simul atque ille prodiit, in quam multos optimos viros flammis saevitum sit ad vos pervenisse non dubitamus. Ut taceamus quot alii praeterea pietatis studiosi viri hoc tantum nomine in discrimen omnium fortunarum et capitis vocati sint, qui illum libellum vel apud se habuerint vel legerint, qui fortassis gladio peius et maiori cum animae dispendio erepti sunt quam illi iugulum obtulissent.

Sed de his satis. Pie quidem hortaris ut, si quorundam hominum animos iure exulceratos sentimus, eorum offensioni placandae operam demus. Sed quum omnem moveris lapidem ut eis mederi queas qui ipsi sibi vulnera inflixerunt, et omnem operam luseris tamen, quid (per Christum Iesum!) illis facias? Diligenter te illos admonuisse dicis qui discessum cogitant, ne illorum discessus fratrum consensum dissiparet. Utinam hoc praevidisset tua prudentia, ne priori contentioni animos addidisset literarum tuarum autoritas, altera parte nondum audita. Utinam praesensisset tua sagacitas quorsum tenderent illorum consilia, nimirum in manifestam factionem, ut ne quid praeterea addamus. Nam illi ipsi iam scribere audent se defensuros suam secessionem ab ecclesia nostra legitimam esse. Speravimus quidem certe, quum tibi scriberemus, reconciliatam gratiam perpetuam fore. Et tuus *Whittingamus,* cum omnibus aliis eius factionis praeter tres aut quatuor, nostrae ecclesiae subscripserat. Sed, o vere Proteos, iam subterfugiunt et foede deficiunt nescio quid causati. Unde illis novi animi sint additi nescimus, sed tibi iudicandum relinquimus quid de illis sentiendum sit qui se ab ecclesia recedere dicant, ob ritus tantum quos nec ipsi impios iam amplius dicere audeant, nec a verbo Dei dissentaneos, aut ullo modo inutiles ostendere possint. Deum precamur ut illis det meliorem mentem, teque magnopere rogamus ut tam odioso negotio te non amplius admisceas, ne aliquid de existimatione tua, quam cupimus esse semper clarissimam sanctissimamque, detrahatur. Dominus Iesus te servet ecclesiae suae singulare decus. Francofurti 20. Septembris 1555.

Tui studiosissimi [17])
David Whithedus pastor.
Ric. Cox.
Thomas Beconus verbi Dei minister.
Ricardus Awry. [18])
Henricus Parrey.
Bartho. Traheron. [19])
Thomas Cotsfordus. [20])

16) *Ita illi. Sed Regina minime tali libello, quem probabiliter nunquam vidit, ad supplicia et exsilia adacta fuit, quum alia ei adstiterint flabella, praesertim Gardinerus et Bonerus.* (*Strype, l. l.* 402. 464.)

17) *Singuli propria manu.*

2299.

MOLINAEUS CALVINO.

Fuse quidem et ex parte confuse, minime ciceroniano stylo, peiore calamo, narrat quid proxime praeteritis mensibus fecerit, πολλῶν ἀνθρώπων ἰδὼν ἄστεα *et maxime principum aulas, quibuscum, si illum audias, familiarissime conversatus, verum etiam, si quid videmus ab iisdem saepius delusus fuit, dum tandem sedes ei fata quietas ostenderint.* [1])

18) Alvey *Ed. Parker.*

19) Library keeper to king Edward and dean of Chichester. *Olim Calvini laudator* (*N.* 1650). — Those who were for the observation of the Englisch book used under K. Edward began to set up (*Francofordiae*) an university for the maintenance of learning wherein the readers constituted were . . . . . Traherne for the divinity lecture. (*Strype, l. l.* 543.) *Lectiones in Ioannem postea edidit contra novos Arianos.* (*Strype, Cranm.* 514.)

20) Thomas Cottisford or Cotsforde was the translator of the Confession of the Faith of H. Zwinglius sent to the counsell at Augsburg in 1530 and printed at Geneva 1555. In his edition of Wood's Athenae Oxonienses Vol. I. p. 231. Dr. Bliss has given an account of his life and writings. He died at Frankfurt 1555. (*Laing, Works of Knox* IV. 66.)

2299. 1) *Brodeau, Vie de Du Moulin p.* 30: Il partit de Tubingue au mois de May 1555 et se rendit avec ses livres à Strasbourg, où il avoit esté mandé par Guillaume Landgrave de Hesse qui solicitoit le jugement diffinitif de son procès contre le comte de Nassau et le prince d'Orange pour le comté de Katzenelenbogen et autres terres dont il avoit obtenu la reintegrande en 1552; sur lequel procès les parties avoient compromis ès personnes de deux Princes Electeurs et de deux Ducs. Ayant demeuré trois jours seulement à Strasbourg il y laissa ses livres, passa le Rhin et se transporta à Worms où il fut magnifiquement receu par le Landgrave, lequel par la bonne conduite et sollicitation de du Moulin obtint sentence arbitrale diffinitive à son profit, Juin 1555, comme il rapporte lui-même *Consil.* 22. *in fin.* Incontinent après cette sentence il fut à Cassel pour rendre ses devoirs à Philippe Landgrave de Hesse fils de Guillaume, et fit en ce lieu le 23e. de ses conseils (7. Aoust) pour raison d'un pré, et y ayant demeuré deux mois il en partit en compagnie de Louis fils du Landgrave et du duc de Baviere son gendre, qui conduisoient Barbe, leur soeur à Ricqueville où elle devoit estre mariée à George Comte de Montbeliard. Durant son sejour à R. il fit le 24e. de ses conseils pour le Landgrave (2. Sept.). Les nopces faites ils furent tous de compagnie à Strasbourg, où ayant à la priere des docteurs de l'Université et des Escholiers fait quelques leçons en Septembre 1555, il se disposa de revenir en France.

(Ex Cod. Genev. 110, fol. 163 autogr.)

Pietate et eruditione praecellentissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo et vigilantissimo.

Genevae.

S. P. Venerande doctor et pastor ecclesiae Christi. Quod ultra quatuor vel quinque menses ad te non scripsi, rerum mearum incertitudo et idonei amanuensis defectus in causa fuit. Heri a prandio D. Franc. *Balduinus* me adivit et rogavit ut ad te scriberem, dicens opinionem suam gravari, quasi hic locum meum praevertendo occupasset. Qua de re nolo eum gravare. Ego enim e Tubinga illum vocavi, cessurus ei locum meum Tubingensem. Quare hoc deficiente debebam illum ad alium locum obtinendum iuvare. Quin e Montpelgardo scripsi ei, posse eum (si Virtembergici ducis literae tardarent) ad me venire et meis impensis stare, donec ei provisum esset. Venit decima Februarii: volui eum domui * meae impensis meis habere donec illae literae venissent. Dixit se malle interim ire Basileam, deinde Argentinam. Mea sponte, non petenti, dedi literas commendatitias ad D. *Petrum Martyrem* et alios professores Argentinenses. Si mihi dixisset se malle aut cupere locum Argentinensem ego nominatim de ea re in eius favorem scripsissem.

Initio Martii recipio literas uxoris emigrare cupientis si per Regem liceat. Ego non videns aliud medium quam autoritate et rogatu Argentinensium, dedi literas offerens me ad conditionem etiam lectionis, nedum consiliorum, suscipiendam, spe intercessionis eorum pro eruenda familia. Et tum nuper literas recentes a D. *Balduino* receperam scribente se literas Virtembergicas exspectare: quare nihil minus cogitabam quam quod interim contigit, D. *Balduinum* hic admitti, et mox literas meas professoribus reddi. Fabula fui vulgi, si quorundam literae verae sint, etiam gravium. Ego non semel tam infelicem, detrimentosam et dedecorosam curam familiae eruendae deponere statui, sed frustra. Calendis Aprilis huc veni, palam ostendens me gratissimum habere, D. *Balduinum* in locum meum iam 15 menses facto meo vacantem admissum. Quum inquisivissem an Argentinenses pro familiae meae exitu scribere vellent, nec spem viderem, Montpelgardum redii. Quod Calendis Iunii penitus reliqui, stipendiis quibusdam, pecuniis mutuatitiis et utensilibus relictis et amissis. Vidi enim tandem me prorsus frustratum spe mihi ab utroque principe (annus est) Tambaci facta, idque agi ut in ordinem rusticani consiliarii spe studiorum et familia amissis redigerer, malos mores populi nihil evangelium curantis, in quo nollem meam familiam me mortuo ali etc. Miratus sum hic nullum me locum invenire potuisse pensionem solvendo intra unum aut alterum mensem, quo dispicerem ubi me reciperem. Itaque post octiduum equis emptis, prius quam Rhenum sine spe reditus traiicerem, familiam invisurus eram, nisi a D. *Petro Martyre* et a *Balduino* dissuasus fuissem. Quum Heidelbergae aut Lipsiae spes iniiceretur (interim de favore *Lantgravii* Hessi non dubitabam) primum Stukcardiam adii: frustra me tres hebdomadas visus est Dux per suos consiliarios, deinde per se ipsum retinere. Videbam enim de sorte studiorum et familiae actum, si in ordinem talium consiliariorum me redigi aut Montpelgardum remitti paterer. Dicebam (ut prius ad Ducem scripseram) me gratum habere, etiamsi iure me inconsulto fieri non debuisset, doctum et pium virum idolomaniam Italiae fugientem in locum meum subrogatum, sed etiam Principem aequo animo ferre debere ut conditionem mihi in Germania quaeram. Ad finem Iunii eo venit D. *Henrico-Otto* Palatinus, qui mihi literas ad Palatinum electorem dedit. Dux autem *Wirtembergicus* dixit se non scripturum, sed ipsum electorem alloquuturum eique persuasurum. Iussit se sequi Wormatiam. Quod feci. Dux in maxima familiaritate me habuit et 200 florenos annuos mihi offerebat, si Heidelbergae, quo me vicinum haberet, manerem. Ursit etiam, *Palatino* tardante, ut literas *Othonis* darem. Quod feci, sequente et explorante ministro Ducis, rogans tamen *Probum Palatini* cancellarium, ne D. *Balduino* obstruerem, quum etiam possem Lipsiae, ut putabam, esse. Supervenerat enim eo D. *Balduinus* dicens se cupere Heidelbergam, cui (spe etiam Lypsica) invito et subirascente Duce *Virtembergico* cessi. Et soluto consessu 16 Iulii Francofordiam veni, dein ingressus Hessiam Cattos principes venantes inveni, qui iusserunt se exspectare Casselis. Interim literae *Wilhelmi* Hessi et *Virtembergi* ad *Augustum* electorem Vormatia datae culpa nunciorum Hessicorum periisse visae sunt. Alias ipse *Philippus* Cattorum princeps scripsit et misit, multa mihi in corona suorum 4 Augusti splendide pollicitus, etiam sponte de familia eruenda, quibus non multum fido. Quum tardaret responsum *Augusti* electoris et iam mensem haesissem Casselis die 25 exivi ut libros meos Argentinae relictos repeterem. Francofordiae inveni tria folia absoluta orationis meae Tubingensis, quam cura mea per alios germanice versam excudendam dederam. Ostenderunt mihi aliud exemplar germanicum probe versum Magdeburgi a D. Matthaeo *Reichter* verbi Dei ministro et vestrae reipublicae saxonice dicatum, missum a D. Matthia *Flacio* Illyrico ut excuderetur, Sed iam praeveneram. Rogavi tamen ut priore impressione vendita tum illa Magdeburgica excuderetur.

Sexto Septembris in comitatu principum hanc urbem ingressus sum, incertissimus rerum mearum,

postridie ut scivi D. *Balduinum* hic aucto stipendio retentum, et Heidelbergam, contra quam putabam, liberam, statim ducem *Bipontinum* eiusque cancellarium adii ut commendationes haberem ad Electorem *Palatinum*, in conditionem quae *Balduino* oblata fuerat, etiamsi eam ignorarem: quos redeundo e nuptiis illic recepi et ad Electorem cum veteribus *Virtembergici* literis, quibus ob causam praefatam * uti noplueram, misi. Si hoc deficiat petenda est Basilea, ut consiliis et libris edendis me sustineam. Putabam Ricquevillae partem stipendiorum et pecuniarum mutuo (etiam concionatori aulico *Georgii*) datarum recipere. Non solum vacuus sed spe abscissa redii. Ego multo maiora passus sum. D. *Vergerius* in fine Iunii Stukcardiae mihi ostenderat literas Franc. *Cramii*, legati *Augusti*, Augsburgi petentis D. *Gribaldum* Lypsiam. De me ad eum scripsit *Vergerius*, sarciens quod de *Gribaldo* (me inconsulto) subrogando egit.[2] Sed Franc. *Cramius* ad me scripsit Casselis locum non esse vacuum, etiamsi me valde suis necessarium scriberet. Forsan quidam e rabinis illis scripserunt me non esse illic suae factioni idoneum: quae D. *Valerandus* Francofordiae nuper suspicabatur. Gavisus tamen sum Caselis videns ministros scriptis tuis uti ad conciones suas instruendas, et te plurimi facere, ipsumque superintendentem *ὁμόψηφον*.

Unus iuniorum principum flens narravit quid *Oldendorpius*[3]) paulo ante annum contra me fecerit. Non temere petieram missionem a Tubinga. Certum enim habebam Martpurgum mihi apertum ore senioris *Landgravii*. Ad quem (videns omnia mihi praecludi Tubingae et spem familiae amissam) literas etiam secundas miseram. Ceciderunt tamen in manus *Oldendorpii*, qui suae gloriae timens ut nullum haberem responsum effecit. Ita factum est ut, quum iam literis a me *Balduino* missis non esset integrum profectionem Montbelgardensem suscipere, falsum spe et scholae et novi asyli ecclesiae (etiam a principibus Bambaci prope Tubingam) iniecta.[4])

Septima huius mensis valde turbatus sum audiens a D. Martyre (ab alio recitatum neglexissem) scriptum sibi a te, auditum me librum edere de libero arbitrio, quod nec unquam somniavi. Hic ego (ne longior sim) inieci copiam acti unius Cassellensis, ut nosses quam illud vanum sit, quam in aliis praepeditus sim. Quin etiam, si possem et vacuus essem, non solum scio vocationis fines, sed etiam intra illos, non esse concursu impediendum, sed suis quibusque operibus insistendo vicissim ad exstructionem universi adiuvandum. Tota Cattorum aula valde sobria est, et eius consiliarii, in steriliori religione saniores Suevis, opus tamen habuerunt eo scripto admoneri. Feliciter vale, et longiorem et incultiorem scriptionem boni consule. Argentinae 20. Septembris 1555.

Tuus ex intimis
Carolus Molinaeus.

2300.

WHITTINGHAMUS CALVINO.

Pauca tantum pro tempore, quum iam ipse se itineri accingat.

(Ex autographo Cod. Genev. 113, fol. 127.)

Ornatissimo viro D. Ioanni Calvino theologo integerrimo.

Genevae.

S. Quod putabam has literas vix paulo citius ad te perferri potuisse quam ipsemet adessem, non tam copiose quam res ipsa postulet et ut ego cuperem conscribo. Nam transmissa iam supellectile omni ipsi quantis possumus maximis itineribus ad vos contendimus.[1]) De illis qui Basileae sunt speramus fore ut post habitum mutuo colloquium una nobiscum et tua praestanti fruantur opera et divino illo apud vos beneficio non solum gaudeant sed amplectantur etiam et colant.[2]) De literis tuis ad nostros[3]) deque decessu nostro ac caeteris rebus propediem, ut spero, coram. D. *de Sancto Andrea* strenue et summo cum communi ecclesiarum fructu hic se gessit.[4]) D. Ioannes *a Glauburg* honorifice, ut debet, tui mentionem fecit, rogitans ut te quam diligentissime suo salutarem nomine qui negotiorum multitudine implicatus hoc praesertim tempore ad te scribere supersedit. Nostri omnes te salutant, veneranter ac meritissimo colunt. Deus Opt.

---

2) *Haec omnia aliunde ignota: etiam de Reichtero et Cramio nihil habemus.*

3) *Ioannes, ICtus Hamburgensis satis clarus, prof. Francofurti ad Viadrum, postea Coloniae, denique Marburgi ubi vita functus est a.* 1567.

4) *Haec tibi extricanda relinquimus.*

2300. 1) *Plures ergo fuere. Inter quos forte Goodmanus qui teste Robinsonio* (*Zuric letters* II. 769) *circa m. Sept. Francofordiam reliquit. Etiam in* Troubles of Fr. *p.* 59 *dicitur eo mense una cum Knoxo Genevae ab ecclesia anglicana ad pastoris munus vocatum fuisse.*

2) *Imo et hi de liturgia disceptabant.* (*Strype, Mem.* III. 2, *p.* 313 *coll.* 1, *p.* 408.)

3) *N.* 2213.

4) *Genevae reducem sistunt Reg. du Conseil ad 29. Oct.*

Max. te servet quam diutissime et ad suam gloriam et ad communem tam nostram quam omnium consolationem. Francoforti 21. Sept.

Discipulus tuus Whitinghamus.

2301.

VERMILIUS CALVINO.

Multa tradit de Saxonum libellis et calumniis contra Sacramentarios: nonnulla etiam Argentoratensia de Molinaeo Balduino Garnerio Alexandro.

(Ex Appendice Locorum theol. Vermilii ed. Tigur. 1580, fol. 578 v. Ed. 1587, p. 1097.)

Fasciculum hunc literarum his diebus, vir clarissime, accepi, committere autem nolui ut absque meis tibi redderetur. Valeo de more libenterque D. de *S. Andrea* tuum symmystam vidi, [1]) ex quo de rebus Genevensibus luculenter cognovi quod antea ob rumores, qui varii spargebantur, non mediocriter optaveram. Benedictus Deus et pater Domini nostri Iesu Christi qui suos non deserit. Saxones non quiescunt. Farraginem [2]) (sic enim appellant) valde ineptam ediderunt. Sententias quasdam ex patribus colligunt, nec non ex *Luthero, Philippo, Brentio, Pomerano* et similibus. Addunt ei *Bucerum, Illyricum* et Ioachimum *Westphalum*, quo se inter sese consentientes esse ostendant. Inseruerunt quoque varias epistolas in nos aliquando scriptas. Te vero et me nominatim non attingunt. *Io. a Lasco* proscindunt, non sane quod peculiarem foveat opinionem, sed tantum nomine sacramentarii. Atque, si Deo placet, in huiusmodi centone titulum habent privatim, quod Christi corpus sit ubique. Hoc iam palam tuentur, et istum articulum tribus aut quatuor foliis tractant: neque alia ratione utuntur quam filium Dei assumpsisse naturam humanam in eandem hypostasin. Ad extremum addiderunt locum de magistratus officio, quod alia causa eos non fecisse arbitror, nisi ut principes in nos inflamment. Omnia tamen tam insulse ac inepte referunt ut misericordia potius quam confutatione opus habeant. Quid hic dicet noster Philippus *Melanchthon*? Eum passim testem citant. Verum ipse melius iudicabis quum librum videris.

Molinaeus rediit huc a nuptiis [3]) cum principibus: quem audiveram nescio quae de libero arbitrio non recte sentire, [4]) ac ea velle in lucem edere. Hominem ad me vocavi: ostendi quam sic agendo quum ecclesiasticae paci tum sibi male consuleret. Visus est persuaderi seque pollicitus est non facturum, imo negavit unquam in animo habuisse ut quae de hac re scripserat invulgaret. Praeterea D. *Balduinus*, quum de aliis rebus una loqueremur, dixit te illi significasse, *Molinaeum* conqueri de ipso, quod eius locum apud nos occuparit. [5]) Certe si hoc dicit, vehementer mirandum est. Is enim, quum hic fuisset, cum dominis scholarchis non potuit convenire. Ivit itaque Tubingam et conditionem ibi recepit, atque per annum propemodum est professus leges: deinde Mombelgardum se transtulit, eamque conditionem rursus amplexus est, dumque illic esset D. *Balduino* venienti huc literas commendatitias ad me dedit. Vacabat proinde tunc temporis iste locus, unde meo iudicio non habet quod iuste queratur.

Alius praeterea, ut hodie audivi, editus est liber a Ioachimo *Westphalo* [6]) in te, ut aiunt, aut certe in sacramentarios. Eum non vidi. Mirum est hos homines neque posse recte scribere neque velle tacere. Omnia haec sua Francofurtenses curarunt imprimi, fortasse ut gallicanae atque anglicanae ecclesiae, quae ibi collectae sunt, negotium facessant.

Garnerius hinc discessit [7]) et ad *Landgravium* sese contulit. Ecclesia nostra incipit respirare, atque si Dominus faverit aliquando tandem erit nonnihil quietior. Sinceram tranquillitatem non facile mihi promitto. Illi enim qui *Garnerium* vexarunt adhuc manent, suntque ut semper fuerunt ingenio turbulento. [8]) Petrus *Alexander* [9]) pergit in opere coepto, ac satis efficaciter et recte docet. *Balduinus*, ut suspicor, Heidelbergam ibit. [10]) Nihil certo scio: nam tecte agit, et quae in animo habet non aperte loquitur. Si discedat, *Hotomanum* substitui loco eius velim. [11]) Sed *Molinaeus*, ut video, hic haere-

---

2301. 1) *Francofurtum euntem.*
2) *non Westphali sed Timanni.* (*Proleg. IX. p. xvi.*)

3) *comitis Georgii d.* 10. *Sept. celebratis.*
4) *Cf. N.* 2299.
5) *ibid.*
6) Adversus cuiusdam sacramentarii falsam criminationem iusta defensio. Frkf. Brubach 1555.
7) *Sleidano teste d.* 17. *Aug. Aliquanto post Marburgi munus novum auspicatus est. Cf. supra p.* 724 *seq. not.*
8) *Alludit ad quinque illos Garnerii adversarios saepius iam notatos: Ant. Cohelet, Io. a Via horologiarium Caesaris, Huprecht v. d. Rosen, et duos Metenses Diebold Schepffel et Gilgium.*
9) *Cf.* 2265. 2269. 2272. 2279.
10) *Ivit quidem sed demum a.* 1556, *ab Electore Friderico II. vocatus post eius mortem sub Ottone Henrico munus adiit.* (*Heveling p.* 12. *Fabric. in Biga resp. p.* 168.)
11) *Et hoc factum est, ita quidem ut cui primum bene cum Balduino convenerit* (*qui eum Argentoratum arcessiverat*) *postea ab eo alienatus fuerit.* (*Fabr. l. l. p.* 163.)

bit: [12]) quaerit enim, quantum olfacio, vel istam, vel Heidelbergensem conditionem obtinere. Non tamen facile ei succedet, quum a Deo facultatem docendi non sit nactus. Nemo propemodum intelligit eum dum loquitur. [13]) Certe me illius miseret. Nam in facultate sua doctus est et adversus papam non malam navavit operam. Si animum ad scribendum tutandamque nostram causam appelleret et apud aliquem principem locum haberet, illi bene consultum putarem. Sed homini constantia deest: unde quid ei faciundum sit plane incertum habeo. Nostram italicam ecclesiam, [14]) quamvis non opus esse arbitror, quanta possum vehementia tibi commendo.

Literas e Saxonia modo accepi a pastore quodam amico meo veteri, qui non tantum est doctus, verum pius et bene de ista controversia sentit. Is dicitur habere secum nonnullos fratres qui secum item sentiant, sed multitudine obruuntur. Caeteros vero ait furere, ita ut in suggestis nil aliud propemodum clament nisi nos esse haereticos, falsos prophetas, lupos, suermeros, sacramentiperdas. Additque in te praecipue illos debacchari, et iam adversum te suffragia colligi. Arbitror eos, si poterunt, aliquod genus moliri excommunicationis. Deus conatibus eorum obsistat. Is autem bonus vir in summo est odio, quod ut caeteri faciunt in nos clamare nolit, quodque Anglos e regno suo profugos quos alii eiiciebant hospitio susceperit et aliquando cum ecclesia Phrisica communicaverit. Unde neque suam civitatem neque Saxoniam sperat se diu posse ferre. Tamen quoniam isti Lutheropapistae, ut nobis invidiam conflent, multitudini persuadent, omnes illorum ecclesias a nostris esse damnatas, et quod volunt imperitis rerum facile persuadent, iudicaret esse utile si communi nostrarum ecclesiarum voluntate scriptum ad filios ecclesiae Saxonicae ederetur, quo calumnia haec purgaretur, reddereturque ratio quam simplicissime fidei nostrae. Quod licet alias factum utcunque fuerit, attamen hoc tempore ait se iudicare id multum posse prodesse, praesertim si ecclesiarum subscriptiones haberentur? Quoniam passim adversarii iactant hac de re summam inter nos esse dissensionem, haec tacere nolui ut circa ea tuo utaris iudicio.

Fasciculum literarum antea misi, quod existimaverim ibi libellum inclusum *Westphali*. Has autem constitueram dare D. de *S. Andrea*: sed quia, ut audio, discedit in Belgicum, nolui ulterius differre. Deus te nobis diu incolumem servet. Argentinae 23. Sept. 1555.

12) *Imo Mombelgardiam se contulit.*
13) *balbutientem.* (*Brodeau, Vie p.* 5.)
14) *Genevensem.*

2302.

PLACARDS SÉDITIEUX RELATIFS AU PROCÈS DE 1555.

(Archives de Genève Pièces historiques N. 1579. — N. 1. Feuille volante. Au verso on lit: *Veu en conseil le 23. de Sept. 1555. Et est este trouve au Rhon sus les franchises dessoubs Prignies.* — N. 2. *se trouve aussi aux pièces du procès avec des variantes.* — N. 3. *Affiché au pilier de Cornavin.*) [1])

1.

Ales vous en a Genefve a ceste heure
Tant de mattin que de soyr a tout heure
Vous troverres a meschans contrefayre
A payndre barbes de rouses noyres fayre
Qui en est prest Hanry Aubert sindicque
Son lieutenant que fort bien sy applicque
De quier medecin sil se appelle
Son serviteur Corne tient la chandoylle
De Iehan Lambert consentent il est
Par Calvin conseil donne en est. [2])

2.

F. Comparent au passans. [3])

Impia Calvini meditare patrata vyator
Qui demptis .l. et .v. Cainus alter adest.

Daventage.

Ostes un .l. imprudemment volente
Ung .v. ouvert a tous maux de Calvin
Vous cognoystres sa Rage violente
La cognoyssant le jugeres Cain.

3.

Epitafe de glaude Genesve.

Sur et loyal fus a ma republique
Jay pour Genesve endures grandz ennuytz
Jay pour son heur franchise et politique
Submis mon corps aux dangers jours et nuytz
O toy passant quy sa bas te conduyts

2302. 1) *Comp. Galiffe, quelques pages p.* 113.
2) *Une autre main y a ajouté:* Comme fils de perdition et mechan heretique.
3) *L'autre exemplaire porte le titre:* Les oevres de Calvin, *et corrige la faute de prosodie à la seconde ligne en omettant le mot:* et. — *Il porte la signature* I. B. S. *Au dos on lit:* Aporte au conseil le lundy 29. d. Iulliet 1555. — Le jeudy premier daugst 1555 En conseil ordinaire. Personnellement constituee Claude Partene femme de Iehan Baptiste Sept. Et luy estant monstre le present billet elle la recongneu Disant que cest de la lettre de son mary et que cest le billet qui estoit au pilier. M. Roset.

Pour tous ces biens tu voys mon sang espandre
Mon chef cloe et mon corps en ler pendre
Indigne helas de cest outrageux blasme
Mais tien toy seur que de ce corps mourant
Que maynt amys va tristement plorant
Le ciel joyeux a receu a soy lasme.

2303.

BEZA CALVINO.

Certiorem eum facit de variis qui circumferuntur rumoribus circa partes a Calvino in rebus Genevensibus actas, iubetque eum constanter et fortiter qua coepit progredi.

(Ex autographo Cod. Gothani 404, fol. 723. Edidit Bretschneider p. 113.)

Eximio servo Dei D. Ioanni Calvino patri mihi inprimis observando et Genevensis ecclesiae fidelissimo pastori.

Genevae.

S. Recte alicubi scripsisti afflictiones esse gignendae patientiae instrumenta. Nam hoc a me impetravit istorum canum rabies, ut ipse mirari incipiam quo modo tam multa nunc patienter audire sustineam, quae paulo ante ne suspicari quidem potuissem, quin mirum in modum commoverer. Absit enim ut isti canes suo latratu nos a nostro officio vel minimum abducant: quod unum certum est in his certaminibus esse Satanae propositum, cuius furiis isti perciti insaniunt. Narrabo tamen tibi quod nudiusquartus accidit. Vester *Pseudalcibiades*, [1]) seu mavis Plautinus Pyrgopolinices, quum hac praeteriret, in albae crucis hospitio suas scilicet victorias iactavit. Quidni enim vinceret ubi nullum hostem habet? Sed audi quo sit provectus. De te dixit quae ab homine impurissimo, et qualis semper fuit, proficisci possunt. Deinde quum ad *Viretum* nostrum ventum esset, iste, inquit, quia blandior est, subornatus fuit qui nothum illum alliceret, et proposita vitae spe ab eo impetraret, ut nos quibusvis criminibus oneraret. Hoc ego, inquit, illum tentasse aperte dico, et si negarit comprobabo: habent enim principes in manibus certa totius rei actae testimonia. Haec ille. Ne vero putes omnia haec ab ipso esse conficta, eo ipso die cognovimus ex idoneo teste, Bernae circumferri non modo hanc famam, sed etiam rerum gestarum commentarios, in quibus hoc diserte sit scriptum quid ex quoque quaesitum, quo modo, quo tempore, quid responsum sit. Denique ut scias quam sint diligentes harum rerum scriptores, non modo narrant quid gestum sit, sed etiam confingunt quidquid libet. Hinc coniice, in ipso sinu reipublicae vestrae adhuc non modo exploratores sed etiam hostes versari, quod quidem non dubito quin facilius animadverti quam corrigi possit. Sed tamen non potui non istorum te monere, ut quoad eius fieri poterit huic quoque malo occurratur. Neque rem temere acceptam refero, sed ex eo auditam qui neque contemnendus est autor neque nobis malevolus.

Sed quid interim noster *Viretus*? nempe praeclaram nobis occasionem oblatam putamus, quam ne per somnium quidem ausi eramus sperare. Eam vero non constituimus negligere, quo primum tempore ille cum suis istac transierit: et ex nostris civibus plerique ita videntur hoc accepisse ut sperem eos officium facturos. Quid enim, aiunt, iste non audeat qui hominem tam perspectae innocentiae tanti sceleris accuset? Sed alibi collocatas esse spes nostras oportet. Nam videtur mundus, qui antea desipiebat, nunc demum furere incepisse. Verum, mi pater, ut (ne meliora nunc proferam exempla) saltem Democriti in re prorsus contraria constantiam imitemur, qui (ut ferunt) quum rideret quae de spiritibus alii multi philosophi disseruerant, et ipsius discipuli forte in tenebris magnos quosdam tumultus repente excitassent, quibus hominem perterrefactum putabant a sententia discessurum, desinite, inquit, pueri ineptire. Nos vero, quamvis ab ista stolida securitate et profana imperitia procul absumus, Dei gratia, imo vero novimus quam saevi et feroces nobis hostes immineant, tamen, age, ita simus de victoria securi, ut nulla nos sollicitudo impediat quominus in medio certamine et in mediis ipsis curis ipsorum conatus suaviter rideamus, Domino deo nostro freti, qui quum pro nobis pugnet digni sunt hostes nostri quorum potius dementiam commiseremur quam ut ipsorum minis de gradu deiiciamur.

Sed nae ego insigniter desipio qui haec ad te perscribam. Omnino tamen haec ego volui exarare ut intelligeres me corpore quidem convaluisse Dei gratia (audisti enim, opinor, me superioribus diebus aegrotasse), sed animo nihilo magis valere quam antea. Cuius rei certius periculum facies ubi ad te venero. Nam constitui tibi totos quindecim minimum dies ita esse molestus ut posthac praesentiam meam non sis requisiturus. Indicentur autem feriae extrema hebdomade quae istam consequetur, quod tibi significabo ut equus ad me mittatur. Nam ita me afflixit tridui aegrotatio ut ne deambulationi quidem sufficiam. Quidquid temporis possum per

---

2303. 1) *An Perrinus? De machinationibus enim Genevensium exsulum tota haec epistola agit.*

valetudinem, atque etiam amplius quam possim, annotationibus impendo, quod velim *Stephano* nostro significari, cuius desiderio vellem ut diligentia mea par esse posset.

Beraldus heri advenit [2]) cum familia et te magnopere salutat. Spero ipsum strenue nobiscum in opere Domini facturum officium. Sed scribendi finem facio, ne nihil sit quod praesens commemorem scilicet. Mi pater, vide ut valeas, ut diabolus ringatur et ipsius emissarii omnes crepent. Dominum Iesum Christum deum nostrum precor ut te indies magis et magis confirmet et ecclesiae suae conservet. Vix possis credere quantopere de te laboret *Blaurerus* vir optimus, a quo heri breves literas accepi, sed valde pias et religiosas. Optarem ut vel verbum unum ad eum scriberes, ex quo intelligeret, quod ipsi cras respondebo, te non modo non frangi animo, sed etiam istis tempestatibus magis ac magis confirmari. Rogo ut de eo cogites per otium. Laus. 24. Septembris.

T. Be. filius tibi in Domino addictissimus.

2304.

SCHENCKIUS CALVINO.

Commendat ei iuvenem Genevam euntem et hac occasione avidissime arrepta gratum suum animum declarat piam memoriam scholarum olim Argentoratensium recolens.

(Ex autographo Cod. Genev. 113, fol. 3.)

Viro optimo simul et doctissimo D. Ioanni Calvino ecclesiastae Genevensi praeceptori meo carissimo.

Matthias Schenckius [1]) ludimagister Augustanus viro ornatissimo D. Ioanni Calvino S. D.

Quum dubitarem intercedatne tibi aliqua cum ecclesiae nostrae Augustanae doctoribus familiaritas, iudicaremque gratum tibi, atque haud scio an utile quoque futurum, si quem in urbe tam ampla et clara haberes, ad quem, si res tempusque postularet, de rebus tuis scribere posses, facile adduci me, *Calvine* doctissime, a iuvene optimo mihique ob vitae morumque integritatem carissimo Georgio *Perenet*, passus sum, ut cum suis ad te literis epistolam etiam hanc meam coniungerem, et in ea re operam tibi pollicerer ac deferrem meam. Etenim in memoria etiam nunc habeo qua fide quaque diligentia in me ad pietatem humanitatemque informando una cum clarissimis viris D. *Capitone, Bucero, Sturmio, Hedione* atque *Bedroto* Argentinae abhinc annos 16 usus sis, meque pro hoc tanto institutionis beneficio, non dico nullam hactenus retulisse gratiam (fieri enim id, nec si vitam pro te profundam non posset), sed nec grati animi significationem etiam ullam dedisse. Quod quum mihi inprimis turpe esse ducerem, hanc scribendi ad te, simulque eluendae istius maculae, occasionem praetermittere nolui, optatam mihi quidem, sed gratiorem multo futuram, si postridie quam haec scripsi fuisset oblata. Nam acta comitiorum, quae publicatum iri eo die constabat, ad te misissem: quae res, si nihil aliud, tamen literas certe has meas tibi reddidisset gratiores. Quas tamen ne sic quidem, quae tua est humanitas, tibi ingratas fore confido, quippe mei erga te amoris testes, et meam tibi in omni officiorum genere operam deferentes. Bene vale, mi D. *Calvine* ornatissime, et Spartam quam nactus es, ecclesiam videlicet sponsam Christi, exornare, ut facis, fortiter perge, auditurus olim quavis musica iucundiorem vocem: Euge serve bone etc. Me tibi commendo etiam atque etiam. Rogarem item ut ad me vicissim aliquid scriberes, sed novi occupationes tuas et agnosco facile non ea me esse conditione ut in numerum tuorum sim recipiendus. Vale iterum ἐν Χριστῷ. Augustae 7. Cal. Octob. anno 55.

2305.

ZANCHUS BULLINGERO.

Contra Lutherolatras Calvini librum de eucharistia impugnantes.

(Excerptum ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 170, olim Scrin. B. Epp. Tom. 44, fol. 753. — Simler. Vol. 85.)

Viro optimo et pastori dignissimo D. Henrico Bullingero amico et compatri observandissimo.
Tiguri.

— — — — — — — — — — — — — — —

Scies libello D. *Calvini* de re eucharistica eo usque irritatos fuisse adversarios, ut pertinaces non pudue-

---

2) *Cf. N.* 2255. 2283.

2304. 1) *Matthias Schenck Constantiensis, natus a.* 1517 *studiis operam dedit Argentorati, Marburgi et Wittembergae, primum rector scholae in urbe patria, a.* 1553. *Augustae. Libros plures edidit in usum scholarum. Cf. Schelhorn amoenitt. lit.* X. 1047, XI. 362.

erit in quodam libello adversus nos tractationem quandam addere, in qua probare nituntur corpus Christi ubique esse.[1]) O impudentem impietatem! Quo tandem venitur quum in verba hominum iuratur? Totam hanc camerinam movent ut ostendant se velle stare τῷ ῥητῷ: hoc est corpus etc., nec latum unguem ab eo discedere. Et postea non pudet titulum ei libro praefigere talem qui nec in sacris literis nec in patribus unquam est visus, imo qui et sacris literis, et symbolo, et patrum omnium doctrinae, et omni humanae rationi adversatur! Papistae papistica omnia tueri volunt, quia in papam iurarunt, et ob hanc causam sunt idololatrae. Sed vereor ne alii plerique in alium etiam hominem ita iurarint, ut omnes etiam eius (mihi condona) crepitus tanquam articulos fidei et voces e coelo demissas defendere statuerint. Profecto rogandus est Deus ut tandem suae ecclesiae misereatur. Non sine maximo animi dolore haec scribo: praesertim quum hic non liceat hisce de rebus in praesentia ne verbum quidem ullum facere, imo nec os aperire. Sed etsi non recta, oblique tamen, velint nolint, homines ferent: loquar. Dominus erit mihi adiutor. Iterum vale, optime pater, et Dominum roga etiam pro me et mea uxore, ut eam mihi cito restituat. Argentinae 25. Septembris 1555.

Tuus Hier. Zanchus.

2306.

HALLERUS BULLINGERO.

Plura tradit de suppliciis Genevae de seditiosis nuper sumptis, deque torturis quibus ad confitendum coguntur quae postea in articulo mortis pernegant. Sed maxime dolendum quod et hoc negotium, fugitivis Bernatum animos exagitantibus, inter utramque rempublicam invidiam auget. Turicensium foret hic sese interponere.

(Ex autogr. Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 115, olim Scrin. B. Epp. Tom. VIII. fol. 2945. — Simler. Vol. 85.)

Clarissimo viro D. Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori fidelissimo domino et compatri honorando carissimoque suo.

M. Heinrych Bullinger zů Zürich.

S. Magnas tibi, honorande compater, debeo gratias, qui tam humaniter et liberaliter me proxime exceperis.[1]) Fac quaeso quod promisisti: ita dabitur mihi aliqua referendi eas tibi occasio. Caeterum quomodo ad meos reversus sim ex fratre iam pridem, opinor, intellexisti.

Quid Genevae fiat mirari te scio, itaque de his pauca. Septimana ea qua Tiguri fui[2]) quartum supplicio affecerunt, qui et ipse, ut priores omnes, ante supplicium recantavit quidquid prius professus seu confessus erat, protestando se diris tormentis, tum etiam spe vitae quae illi confitenti facta erat, adactum ut confiteretur se coniurationis conscium fuisse[3]) Perrinae, sed et se innocentem et *Perrinum*, neque quidquam tale inter eos unquam fuisse tractatum, et hoc se nunc testari coram aeterno iudice, ad cuius tribunal iam sistendus sit. Nihilominus tamen decollatus est. De torturis quoque affirmant viri graves plus quam phalaricis, quibus confessiones a reis exigunt. Crescit ergo odium contra illos indies magis ac magis. *Perrinus* cum aliis hic est[4]) et subinde suam protestatur innocentiam. Nostri intercedere cuperent. Illi vero latam contra eos sententiam mutare nolunt.[5]) Aiunt etiam illos coemere victualia undequaque, ut manifeste appareat, illos se vel ad bellum vel ad obsidionem ferendam parare. Interea quoque dimissus ab illis est Italus ille,[6]) qui prius ab ipsis (uti narrabam tibi) huc ductus *Perrinum* et alios insimulaverat initae cum *Albano* duce conspirationis de tradenda illi Geneva. Quod totum quum appareret ab illis fictum, constitutum est ut dimissus Italus ille observaretur in ditione nostra. In qua ab illis dimissus, a nostris comprehensus, et huc iterum nostrorum iam captivus hisce diebus deductus est, ex quo multi sperant miranda se intellecturos.

Sic nunc se res habent. Interea prorogatio foederis[7]) silet nec procedit, odia crescunt, et metuo ne, nisi quis se interponat, in manifestas tandem eruptura sint iniurias. Itaque a bonis, cordatis et prudentibus viris audivi, bonum et salubre fore si

---

2305. 1) *Hic non de Westphali Iusta defensione loquitur cuius praefatio scripta est prid. Non. Iul.* 1555, *nam in ea talis tractatio non legitur, sed de Timanni Farragine sententiarum consent. Frf.* 1555 *edita cui p.* 225 *inserta est peculiaris diatribe inscripta:* Quod Christi corpus ubique sit eo quod verbum caro factum est. Et quod sedet ad dexteram patris.

2306. 1) *De hoc itinere alibi nihil legimus.*
2) *Fr. Dan. Bertelerius capitis damnatus fuit d.* 11. *Sept.*
3) *Cf. N.* 2286. *Galiffe, quelques pages p.* 111.
4) *Reg. du Conseil ad* 6. *Aug. recenset nomina eorum qui absentes damnati sunt.*
5) *Negelini legatio medio m. Augusto.*
6) *Scipio del Castro.* (*Reg. du Conseil* 22. *Iul.*) *Dicitur mente captus manum sibi inferre voluisse. Senatus eum d.* 10. *Sept. solum vertere iussit.* (*Galiffe p.* 117.)
7) *Spon, hist. de Genève* I. 301, *not. Hundesh.* 299.

Tigurini et Basilienses coniuncti legationem mittant, et se ad vitandum scandalum et maius periculum arbitros interponant, aut saltem suam operam per literas offerant. Sunt [*qui*] [8]) sperent utrique parti hoc valde gratum futurum. Tu itaque [*pro*] tua prudentia cum D. *Lafatero* et aliis bonis haec co[*nfer ?*], et si bonum videbitur agito ut citra moram tale quid fiat.

Novi alias nihil habemus. Exspecto quid habeas tu de Anglia. Salutat te *Musculus*. *Mauritio* ut aliquando scribas te iterum rogo. Dixi illi te hoc facturum: ille vero se libentissime te pro amico habiturum respondit. Ut ergo homo est, ita morem geras oportet. Vale iterum cum tuis omnibus, quos meo meorumque nomine salutabis diligenter. Bernae 26. Septembris 1555.

Ioannes Hallerus tuus.

8) *Charta lacera.*

2307.

BULLINGERUS CALVINO.

Gratias agit de relatione Genevensis seditionis sibi missa. Tum serio Calvinum hortatur ut Bernenses ob collata in Genevensium rempublicam beneficia aestimare potius quam invidia prosequi velit et pacem colat omni posthabita inimicitia. Iudicium de Melanchthone subiicit non omni ex parte splendidum. Addit quaedam de formula iurisiurandi qua Helvetii foedus sancire consueverunt mutanda.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 87. Simlerus Vol. 85 descripsit ex Bibliotheca Huldericiana nescio ubi quaerenda. Habent et Turretinus Cod. 111ª, fol. 227 et Epp. Bern. VI. p. 491. — Beza autographon prelo destinasse videtur, et plura uncis inclusit utpote omittenda. Quod nos quoque tibi exhibebimus similiter.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino fido Genevensis ecclesiae pastori domino honorando et fratri suo carissimo.

Genff.

S. D. Multum sane tibi, domine colendissime et frater carissime, debeo, qui ad petitionem meam in tot tantisque negotiis tuis tam diligenter et prolixe omnem excitati tumultus historiam descripseris. [1]) Maximas tibi pro tuis laboribus gratias ago. Vidi in illa descriptione quod partim vexat et angit, partim vero afficit bene et consolatur. Turbat et angit illud maxime, quod video vobis esse hostes plurimos, quos noctes atque dies omnem operam impensuros metuo, ut suam illam malitiam et causam pessimam confictis contra vos calumniis et contumeliis indignissimis purgare et ornare possint, unde inexplicabilia pericula et mala exoriantur. Consolatur autem rursus non mediocriter divina illa bonitas sapientiaque, denique praesentissimum Domini in tanto periculo auxilium. Inde enim colligo eundem vobis gratia sua semper affore. Ago illi gratias pro tanto beneficio vobis in tempore mirifice praestito, oroque ut vos tueri pergat. Sed nullus propemodum de illis turbis sermo est amplius. Novae adferuntur a multis querelae de quorundam crudelitate, qui per tormenta extorqueant vinctis quae hi mox in suppliciis revocent. [2]) [Item de *Calvini* odio implacabili contra amplissimam Bernensium rempublicam, [3]) quam nunc suggestis iniquis foederis prorogandi capitibus a clarissima Genevensium republica divellere nitatur, ut ipse cum suis Gallis urbi pro suo dominetur arbitrio.] Sed intelligis me loqui non ex mea sed aliorum potius sententia. Interea scio quibus olim odiis beatae memoriae *Zuinglius* et ante saecula aliquot Chrysostomus et Ambrosius gravati, etiam ab integrioribus iudicati sint nimis esse severi. Et quidem modus in re quavis probandus est, quum et sapiens dixerit, nimium emungendo elici sanguinem. Sed te istis rebus haud dubie non immisces, quibus te isti ducem et autorem faciunt. Si quando viri boni ex principibus tibi familiares tuam rogent sententiam, scio illa te illis suggerere quae pietatis sunt ac pacis. [Nam intelligis Dominum Deum nostrum opera usum Bernatium in asserenda liberandaque clarissima Genevensium republica a tyrannide quum papae tum principis Allobrogum nobiliumque: neque dubium est dudum illos reparaturos fuisse bellum nisi Bernatum metuissent potentiam. Ita enim Domino (cui soli tribuendum est assertionis beneficium) placuit, autoritate Bernatum hostes absterrere vestros urbemque vestram tueri. Sicubi vero Bernenses nonnullis visi sunt imperiosius [4]) quaedam vel postulasse vel egisse aliquando, nunquam tamen beneficii illius accepti obliviscuntur cordatiores: praeterea cogitant sibi cum hominibus esse negotium, et res humanas nunquam ita purgatas esse quin de multis queri, multa denique desiderare pos-

2307. 1) *N.* 2243.

2) *N.* 2263. 2286.

3) *N.* 2306. 2329.

4) *Iam quae Negelinus legatus m. Augusto proposuit conditiones tales fuerunt quas Genevenses accipere recusarent, et d. 28. Ian. 1556 prolixis literis demonstrarunt sese illorum postulatis nunquam submittere se posse.* (*Ruchat* VI. 182 *s.*) *Cf. etiam quae Calv. ad Bull. habet infra* 2329.

simus. Nunquam tam feliciter cohaerent foederati, ut non frequenter non leves utrinque videantur inferri iniuriae. Neque vero hac de causa dissuunt foedera sapientes, sed aliquando dissimulando, aliquando modeste interpellando dissidia vel oborta vel oboritura aut componunt aut praeveniunt. Cogitant in mutatione aut abrogratione longe maius fore periculum quam si foedus qualecunque prorogent.][5] Confoederatio illa vestra cum Bernensibus non infelix fuit hactenus. Aucta est ad miraculum usque ecclesia Genevensis. Et fuit hucusque, atque manet adhuc, exsulum Christi causa asylum. Inde per universam Galliam spargitur praeconium Iesu Christi ut de aliis nationibus nihil commemorem. Potest quidem divina bonitas et potentia absque confoederatione urbem vestram servare, et quidem turpe, imo impium esset incolumitatem urbis vestrae considerationi alligare humanae. Maledictus, ait propheta, qui ponit carnem brachium suum.[6] Quoniam vero Deus non semper miraculose sed per media agit legitima, neque humana in universum damnat auxilia, neque male hactenus cesserit vobis illa confoederatio: non temere prudentiores iudicant non deberi confoederationem illam discindi, et si discindatur non posse id quidem fieri citra luculentum piorum detrimentum. Res certe ista me tenet valde sollicitum, quoties cogito Genevam tot exsulibus propter Christum praebere hospitia, qui tamen dispergerentur, metuo, si vel bellum recrudesceret Allobrogicum, vel itinera obsiderentur, vel si quid eveniret calamitosius, vel etiam bello sociali collideremini. Potest quidem Deus suos colligere et parare suis hospitia: verum si parata iam sint non puto temere vel mutanda esse vel disturbanda. Verum haec ipsa apud te cogitas haud dubie; ut stolidum me hic tibi exhibeam qui occupatissimo alias ista tot verbis inculcem. Sed dabis hoc sollicito amori. Censeo omnino in iis quae sunt indifferentia cedendum esse nonnihil Bernensibus, et rursus hos non praeduros esse oportere, ut foedus hactenus pactum prorogetur ulterius, donec meliora experiamur tempora. Quamvis vero arbitrer, te pro tua prudentia istis civilibus[7] non innectere, quia tamen non dubito aliquando a piis rogatum tuam eis referre sententiam et conferre de rebus praesentibus, admoneo et hortor te, mi frater, tuis autor esse velis et consultor ut societati Bernensium se accommodent, ne hae duae respublicae a se invicem dissiliant maximo multorum bonorum dolore, infirmorum etiam offensione et detrimento, summa denique cum exsultatione nebulonum omnium. Vigila, obsecro, cogita ea quae pacis et aedificationis sunt, sciens tempora esse mala. Dominus Iesus concedat vobis recte sapere in his et in reliquis omnibus, et ea quae salubria sunt sectari consequi et retinere, adeoque et modum tenere in omnibus. Ante omnia vero oremus Dominum ut is praeluceat vobis et in viis suis vos retineat semper.

De D. *Philippo*[8] non ausim tanta sperare quanta videris in tuis polliceri literis. Pius est sane et doctus sed abhorret nimium ab disputationibus etiam necessariis. Unde non possum mihi persuadere illum unquam nostram sententiam vel palam vel scripto contra aliquem vulgato defensurum. Senex est et vult in pace, si fieri possit, migrare ad Dominum. Intelligit inter quos habitet et quanto cum periculo telam illam ordiretur. Satis igitur videbitur fecisse sibi si non coniungat se hostibus nostris, sed furores ipsorum cohibeat etc. Alioqui non dubito illum favere nobis et sentire nobiscum, imo hoc scio non levibus argumentis (adeoque ipsis eius ad me literis datis) edoctus. Misi iam ad illum unum ex filiis meis[9] ut et ipsum audiat et bonas literas Witenbergae discat. Quod ut feliciter cadat Dominum rogo.

[Contentio[10] valde acris et odiosa exercita inter Helvetios iam propemodum per annos septem, sed sopita interim aliquoties, hac aestate rursus reparata est. Requirunt foederati nostri confirmationem ex more veteri Helveticorum foederum per solenne iuramentum, quod quum in foederum tabulis praescriptum sit, per Deum et sanctos eius, eadem forma praestari contendunt. Verae autem religionis consortes, Tigurini et Bernates maxime, suam confitentes religionem aversantur vulgo receptam illam formam. Sequestres qui intercedunt putarunt rebus consultum omnibus, si libera permittatur in urbibus evangelicis illa formula, ita ut si qui velint iurare per Deum et sanctos eius possint, si qui nolint non adigantur. Urbes vero ne hoc quidem dare voluerunt. Iam audio in proximis comitiis Badae sequestres conciliationem intulissse huiusmodi, ut ubique, tam in urbibus quam in pagis, eadem iuramenti servetur iuxta literam formula per Deum et sanctos eius. Sed evangelici illam formulam non reddant, sed duntaxat per Deum iurent, reliquae autem respublicae suo more iurent per Deum et sanctos eius, salva utriusque partis religione et confessione. Item ut legatus Bernensis vulgari ista forma Tiguri praeeat,

5) *Verum res iam in aliud stadium progressa erat.*
6) *Jerem.* 17, 5.
7) *supple:* te *S. Etiam sequentia emendatione egent.*

8) *N.* 2204. 2275.
9) *N.* 2277. 2295.
10) *Halleri Ephem. p.* 108: Multa inter se hoc tempore Helvetii egere de renovando per iusiurandum pro more foedere, sed quum de forma iurisiurandi convenire non possent nihil actum est. Et eius rei gratia nos quoque senatum accessimus. Convenerant etiam quatuor evangelicae urbes Aroviae huius rei nomine. (*Cf. Hess, Bull.* II. 267 *ss. Meyer, Locarno* II. 48 *ss.*)

Tigurinus Bernae: ita tamen ne Tigurini aut Bernenses cogantur subsequendo eandem reddere formam, sed tantum per nomen Dei iurare. Quod si nolit praeire in dictando iuramento Tigurinus vel Bernas, praeeat Lucernas. De hac re nihildum est constitutum, sed consultabitur adhuc. Comitia nova, in quibus haec res definietur conscripta sunt ad Octobris 28 Badenam. [11]) Plerique arbitrantur, quum nostri liberati sint a vulgari forma, iisque pro sua religione per solius Dei nomen iurare liceat exclusis aliis diis, nihil impedire debere, si Lucernas praeeat forma vulgari. Alii etiam in hoc haerent. Quid futurum sit nescio. Spero nostros et Bernenses nihil recepturos aut facturos quod pugnet cum confessione integra religionis verae. Tu ora Dominum ut haec res bene cedat. Plurimis enim subinde periculis involvimur, nec ullus apparet finis. Unde perpetuo in procinctu Martis stamus spiritualibus armis pugnantes. Dominus servet nos in sua sancta voluntate et liberet nos a malis.]

Vale, domine colendissime et frater in Christo carissime, una cum symmystis et fratribus atque amicis omnibus. Salutant te et tuos symmystae et mei omnes. Commendarem tibi hunc optimum fratrem D. Thomam *Leverum*, [12]) nisi scirem illum alioqui tibi esse commendatissimum. Nam est ipsa probitas et vir innocens et sanctissimus. Dominus misereatur afflictissimae Angliae. Tiguri 28. Septembris 1555.

Bullingerus tuus.

11) *Ibi sibi invicem polliciti sunt se vel sine iureiurando foedus ratum et sancitum habituros.*

12) *Strype, eccl. mem.* III. 1, *p.* 404: Some took this opportunity to travel about from place to place and see towns and cities, especially those that were reformed, for their better inquiry into the doctrines of their learned men. One of those was Tho. Lever, late master of S. John's college in Cambridge, a grave and good man: who gave some account of his travels in a letter to Mr. Bradford, then a prisoner in England, viz.: I have seen the places, noted the doctrine and discipline, and talked with the learned men of Argentine, Basil, Zuric, Berne, Louvain (*Lausanne?*) and Geneva. And I have had experience in all these places of sincere doctrine and godly order and great learning, and especially of such virtuous learning, diligence and charity in Bullinger at Zuric and in Calvin at Geneva as doth much advance God's glory unto the edifying of Christ's Church with the same religion for the which ye be now in prison.

2308.

CALVINUS FARELLO ET LIBERTETO.

Hunc rogat ut Bernae causam agat cuiusdam a praefecto Tononiensi exsilio multatum quia Genevae coenae dominicae interfuit.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 120. Exstant praeterea exemplaria Turretini Cod. 108, fol. 53, Bernense Epp. VI. p. 496 et Simleri Vol. 85.)

Fidelibus Christi servis Guillelmo Farello et Christophoro Fabro Neocomensis ecclesiae pastoribus symmystis et fratribus carissimis.

S. Quam improbe cum hoc nostro amico nuper actum sit, melius ipse vobis coram exponet. Ac si grave aliquod crimen patrasset sacram Domini coenam nobiscum peragendo, praefectus Tononiensis eum ad se vocavit et iurgatus est de contempto senatus Bernensis edicto. [1]) Etsi autem modesta se et solida excusatione purgavit, tamen indicta est exsilii poena. Satis coniicio facinus vobis incredibile visum iri, sed ita prorsus esse affirmo. Hac de causa nunc Bernam proficiscitur. Quia autem ignotus est ac imperitus, magnopere cuperet hominem in his rebus exercitatum, et qui gratia apud Bernates polleret, sibi in optima causa ac sanctissima suffragari. Porro fratrem nostrum *Christophorum* quidam putarunt maxime idoneum fore. Mihi quidem non venerat in mentem, sed quum ab aliis sibi esse suggestum narraret, valde probavi. Quare te, mi *Christophore*, nisi qua forte maior necessitas domi te retineat, rogatum et obtestatum velim, ut hunc laborem non tam meo rogatu quam ipsius causae, quae a Dei gloria et piorum omnium salute separari nequit, commendatione suscipias. Scio tanta me istic invidia flagrare ut quidvis potius tueri liceat quam Genevensem ecclesiam: sed te maiore animo praeditum scio quam ut talibus fumis absterrearis. Et certe favorabilis erit causa, nihil esse magis absurdum vel immane, quam hominem nobili et antiqua familia natum, qui semper honorifice vixit, e regione in quam voluntarius exsul concessit pietatis causa, propter sanctam actionem eiici. Neque tamen aliud quam rem ipsam a vobis spectari volo, quae certum vobis, ut spero, consilium dabit quid factum operae pretium sit.

Valete, optimi et integerrimi fratres. Dominus semper vobis adsit, vos protegat ac gubernet spiritu. *Maturino* et aliis amicis plurimam salutem.

2308. 1) *Edictum ipsum legisti supra N.* 2096. *De viro ipso a praefecto obiurgato plura non habemus. Nobilis Gallus fuisse videtur alicubi in praefectura Tononiensi degens.*

Mauricius [2]) hic pransus est die hesterno. Breve inter nos fuit colloquium quia Gaiensis praefectus honoris causa non procul aberat, et nullo modo impetrari potuit ut diutius maneret. Venerat plenus prodigiosis figmentis. Utinam eum bene purgaverim. De fratribus captivis [3]) adhuc pendemus inter spem et metum. Iterum valete. Genevae 3. calendas Octobris 1555.

Ioannes Calvinus vester.

---

2) *Legatus regius Morelet de Museau, alias Maurus Musaeus.* (*Cf. N.* 2306. 2314.)

3) *Cameriacensibus.*

2309.

HOTOMANUS BULLINGERO.

Basileae multos videt Castalionis studiosos, Calvini obtrectatores. Qui satis gravi morbo nunc laborat.

(Excerptum ex Cod. Paris. Bibl. nation. 8586, fol. 2. Autogr. Integram exhibent Epp. Hotomanorum impressae ed. J. G. Meelii Amst. 1700. 4. pag. 1.)

Clarissimo viro D. Henrico Bullingero pastori ecclesiae Tigurinae theologo praestantissimo.
Tiguri.

— — — — — — — — — — — — — — — —

Sulcerum [1]) et *Amorbachium* probo inprimis, itemque *Gratarolum* nostrum, neque dubito ipse alios quam multos, quorum integritas et religio Deo grata sit. Sed *Castalionis* ita sunt studiosi et amantes plerique, ut hoc quasi Atlante coelum fulciri religio et pietas existimetur. Quid ergo impressori gallicorum bibliorum [2]) de hominis stultitia dixerim, et interpretationis inepta audacia, aut furore potius, sciunt non pauci: Quumque a me nonnulli petiissent ut praefationis stultitiam [3]) explicarem, scriptori meo dictavi hanc admonitiunculam, quam in his literis inclusi. Si facultas ferret maximopere cuperem praefationem mutari, quae Gallis, praesertim aulicis, si ab eis legatur, perridicula videbitur.

Calvinus autem nihilo melius hic audit quam Lutetiae. [4]) Quod si quis aut deierantem aut lascivientem coarguat, Calvinista contumeliae causa nominatur. Dominus Genevensem ecclesiam tueatur, quae singularem quandam disciplinam et vere christianam conservat. — — — — —

D. *Calvinus*, quum illinc discessi, [5]) lateris summo dolore afficiebatur. *Textor* medicus ei a pleuretidis morbo pertimescebat. Quaeso ut optimi et fortissimi viri valetudinem ecclesiae tuae precibus commendes eumque tuis literis consolere. Nam undique allatratur importunissime et immanissime. Quos significem satis nosti — — — — — Basileae 3. Cal. Octob. 1555.

Franciscus Hotomanus.

2309. 1) Suicerum. *Ed.*

2) *Impressa sunt per Io. Hervagium m. Martio* 1555.

3) *De qua tu ipse iudices. Descripsimus supra N.* 1889.

4) *Id sane Academicis Basiliensibus acceptum referre poterat, fortassis etiam recentibus politicis turbis Genevae ortis.*

5) *Si quid videmus iam dudum itineri se dederat* (*N.* 2249. 2255) *et interea Calvinus convalescere potuit: nam ipse in recentioribus epistolis de tali morbo tacet.*

2310.

BULLINGERUS CALVINO.

Mittit ei duas epistolas Melanchthonis et Lasci.

(Autographon exstat in Cod. Genev. 114, fol. 94. Habet et Simlerus Vol. 85. Edidit Beza Genev. p. 174, Laus. p. 357, Hanov. p. 400, Chouet p. 235, Amst. 108.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo domino colendissimo et fratri carissimo meo.

S. D. Accipe, carissime mi frater et domine colendissime, exempla epistolarum harum. [1]) Putavi in his esse quae te omnino scire conveniat. Ideo per generum meum [2]) describi curavi. Copiosiores literas adferet D. Thomas *Leverus* [3]) Anglus, cui heri tibi ferendas tradidi. Opportune nunc aderat D. *Crispinus* noster, [4]) cui has dare volui. Vale. Tiguri, ultima Septemb. 1555.

Bullingerus tuus.

2310. 1) *Alteram Melanchthonis N.* 2275, *alteram Lasci N.* 2295.

2) *Plures habuit generos, Ulricum Zwinglium, Iosiam Simlerum et Ludovicum Lavaterum.*

3) *De Levero (quem Lenerum vocant edd.) vide N.* 2307, *not.* 12. *Quae ipsa epistola ea est quam Anglo tradidisse dicit.*

4) *ex Francofordia redux. Cf. N.* 2293.

2311.

SULZERUS MARBACHIO.

Commendat Hotomanum Argentoratum proficiscentem.

(Ex Epistolis ad Marbachios a Fechtio editis p. 51.)

S. *Ottomannus* hic, vir clarissimus doctrina et pietate, ad vos cum suis concedit.[1]) Quem gaudeo civitate donatum, quia constantis fidei et sinceritatis indicia ab annis iam octo[2]) quibus mihi notus est egregia dedit, ut sperem deinceps etiam bonis omnibus sese adprobaturum. Commendarem ergo eum tibi plurimis nisi tua sponte erga illum te per singularem benevolentiam ferri abunde scirem: ut qui nuper etiam liberaliter declarasti quam verae caritatis visceribus illum complexus sis. — — — — — — Basil. pridie Cal. Octobris anno 1555.

Tuus Simon Sulcerus.

2312.

LES PRISONNIERS DE CHAMBÉRY A CALVIN.

Lettre d'adieux.[1])

(Histoire des Martyrs fol. 354.)

Monsieur et treshonnoré pere en nostre Seigneur, nous avons receu vos lettres du cinquiesme de Septembre, qui nous ont grandement consolez. Car elles nous testifient vostre ardente charité et de tous les Freres envers nous, entant que vous vous contristez tellement de nostre mal selon la chair, que cependant ne laissez pas de vous esiouyr de nostre bien selon l'esprit, en pleurant avec les pleurans et riant avec les rians: de quoi nous vous remercions tresaffectueusement. De nostre part, combien que soyons ioyeux de ce que le Seigneur par sa grace nous donne de quoi nous resiouir en saincte liesse, quelques chetives povres et miserables creatures que nous soyons: si est-ce pourtant que nous sommes faschez de vous donner, et à plusieurs excellens personnages, et mesme à toute l'Eglise, tant de peine et de souci. Iaçoit que plusieurs occasions de gemir nous soyent iournellement presentees, toutefois ceste-là n'est point des dernieres: tellement que desirons et prions ce bon Dieu qu'il vous oste bien tost de ceste presse qui vous serre incessamment à cause de nostre prison, en quelque maniere qu'il lui plaira. Si c'est par mort, tant mieux pour nous. Seulement nous le prions qu'il lui plaise acroistre en nous de plus en plus ceste affection, puis que de sa grace il nous l'a donnee: par ce moyen serons delivrez de plusieurs prisons, voire beaucoup plus ennuyeuses que ceste tour où sommes enfermez. S'il lui plait nous delivrer en quelque autre façon, satisfaisant au desir de ceux qui nous regrettent sans comparaison plus que nous ne valons, que ce soit pour respondre à leur attente et à la vostre: qui est que nous nous employons mieux que iamais à glorifier son sainct Nom et edifier son Eglise. Parquoi disons souvent avec David: O Seigneur Dieu des armees, que ceux qui s'attendent à toi ne soyent point confus en moi: et que ceux qui te cerchent ne soyent point rendus honteux en moi, Dieu d'Israel. Que iamais nous ne iouyssions de cest ombrage de vie sinon à ceste condition: puis que de sa grace il nous a mis en train de sortir du milieu de ceste generation perverse et adultere où il est blasphemé en tant de sortes que c'est un horreur, pour lui aller chanter louanges immortelles en la compagnie des bienheureux: et vous prions bien fort que par vos oraisons envers Dieu vous nous aidiez à obtenir ceste requeste. Au surplus aussi, quand escrirez aux Eglises de Lausanne et de Neufchastel, de les soliciter à faire le mesme et les remercier de leur bonne affection envers nous: de laquelle et de la vostre ne doutons aucunement mais sommes marris que ne pouvons respondre à icelle: tant y a que nous nous y efforçons, et supplions ce bon Dieu qu'il vous recompense des biens et spirituels et corporels que recevons de vous tous, comme de nos vrais peres et nourriciers. En quoi certes nous experimentons bien la verité de la promesse du Fils de Dieu, assavoir qu'il n'y a nul qui ait laissé maisons ou freres ou soeurs, ou pere ou mere, ou femme, ou enfans, ou champs, pour l'amour de lui et de l'Evangile: que maintenant en ce temps-ci il n'en reçoyve cent fois autant, et au siecle à venir vie eternelle. Quand en cest

2311. 1) *Et quidem serio et permansurus. Nam antea iam idem cum iter suscepisse legisti. Taedebat eum muneris Lausannensis et Balduini commendatione aliquam iuris professionem quaerebat.* Balduinus novum hospitem propter veterem amicitiam amicissime excepit, sed viperam sese in sinu fovere mox sensit. (*Biga respons. p.* 163.) *Haec illustrari possunt ex annotatis ad N.* 2241.

2) *Quum Sulzerus Bernae et Hotomanus Lausannae esset.* (*N.* 939.)

2312. 1) *Ce n'est pas à dire que ç'ait été la dernière. Crespin en donne encore plusieurs après, mais aucune n'est datée, et le jour du supplice n'est pas indiqué non plus. Nous savons cependant qu'ils subirent le martyre le* 12. *Octobre.*

Pour tous ces biens tu voys mon sang espandre
Mon chef cloe et mon corps en ler pendre
Indigne helas de cest outrageux blasme
Mais tien toy seur que de ce corps mourant
Que maynt amys va tristement plorant
Le ciel joyeux a receu a soy lasme.

2303.

BEZA CALVINO.

Certiorem eum facit de variis qui circumferuntur rumoribus circa partes a Calvino in rebus Genevensibus actas, iubetque eum constanter et fortiter qua coepit progredi.

(Ex autographo Cod. Gothani 404, fol. 723. Edidit Bretschneider p. 113.)

Eximio servo Dei D. Ioanni Calvino patri mihi inprimis observando et Genevensis ecclesiae fidelissimo pastori.

Genevae.

S. Recte alicubi scripsisti afflictiones esse gignendae patientiae instrumenta. Nam hoc a me impetravit istorum canum rabies, ut ipse mirari incipiam quo modo tam multa nunc patienter audire sustineam, quae paulo ante ne suspicari quidem potuissem, quin mirum in modum commoverer. Absit enim ut isti canes suo latratu nos a nostro officio vel minimum abducant: quod unum certum est in his certaminibus esse Satanae propositum, cuius furiis isti perciti insaniunt. Narrabo tamen tibi quod nudiusquartus accidit. Vester *Pseudalcibiades*, [1]) seu mavis Plautinus Pyrgopolinices, quum hac praeteriret, in albae crucis hospitio suas scilicet victorias iactavit. Quidni enim vinceret ubi nullum hostem habet? Sed audi quo sit provectus. De te dixit quae ab homine impurissimo, et qualis semper fuit, proficisci possunt. Deinde quum ad *Viretum* nostrum ventum esset, iste, inquit, quia blandior est, subornatus fuit qui nothum illum alliceret, et proposita vitae spe ab eo impetraret, ut nos quibusvis criminibus oneraret. Hoc ego, inquit, illum tentasse aperte dico, et si negarit [illegible]babo: habent enim principes [illegible] totius rei actae testimonia. F[illegible] omnia haec ab ipso esse [illegible]gnovimus ex idoneo teste, [illegible]modo hanc famam, sed etiam rerum gestarum commentarios, in quibus hoc diserte sit scriptum quid ex quoque quaesitum, quo modo, quo tempore, quid responsum sit. Denique ut scias quam sint diligentes harum rerum scriptores, non modo narrant quid gestum sit, sed etiam confingunt quidquid libet. Hinc coniice, in ipso sinu reipublicae vestrae adhuc non modo exploratores sed etiam hostes versari, quod quidem non dubito quin facilius animadverti quam corrigi possit. Sed tamen non potui non istorum te monere, ut quoad eius fieri poterit huic quoque malo occurratur. Neque rem temere acceptam refero, sed ex eo auditam qui neque contemnendus est autor neque nobis malevolus.

Sed quid interim noster *Viretus*? nempe praeclaram nobis occasionem oblatam putamus, quam ne per somnium quidem ausi eramus sperare. Eam vero non constituimus negligere, quo primum tempore ille cum suis istac transierit: et ex nostris civibus plerique ita videntur hoc accepisse ut sperem eos officium facturos. Quid enim, aiunt, iste non audeat qui hominem tam perspectae innocentiae tanti sceleris accuset? Sed alibi collocatas esse spes nostras oportet. Nam videtur mundus, qui antea desipiebat, nunc demum furere incepisse. Verum, mi pater, ut (ne meliora nunc proferam exempla) saltem Democriti in re prorsus contraria constantiam imitemur, qui (ut ferunt) quum rideret quae de spiritibus alii multi philosophi disseruerant, et ipsius discipuli forte in tenebris magnos quosdam tumultus repente excitassent, quibus hominem perterrefactum putabant a sententia discessurum, desinite, inquit, pueri ineptire. Nos vero, quamvis ab ista stolida securitate et profana imperitia procul absumus, Dei gratia, imo vero novimus quam saevi et feroces nobis hostes immineant, tamen, age, ita simus de victoria securi, ut nulla nos sollicitudo impediat quominus in medio certamine et in mediis ipsis curis ipsorum conatus suaviter rideamus, Domino deo nostro freti, qui quum pro nobis pugnet digni sunt hostes nostri quorum potius dementiam commiseremur quam ut ipsorum minis de gradu deiiciamur.

Sed nae ego insigniter desipio qui haec ad te perscribam. Omnino tamen haec ego volui exarare ut intelligeres me corpore quidem convaluisse Dei gratia (audisti enim, opinor, me superioribus diebus aegrotasse), sed animo nihilo magis valere quam antea. Cuius rei certius periculum facies ubi ad te venero. Nam constitui tibi totos quindecim minimum dies ita esse molestus ut posthac praesentiam meam non sis requisiturus. Indicentur autem feriae extrema hebdomade quae istam consequetur, quod tibi significabo ut equus ad me mittatur. Nam ita me afflixit tridui aegrotatio ut ne deambulationi quidem sufficiam. Quidquid temporis possum per

---

2303. 1) *An Per*[illegible] [illegible]*um exsulum tot*[illegible]

valetudinem, atque etiam amplius quam possim, annotationibus impendo, quod velim *Stephano* nostro significari, cuius desiderio vellem ut diligentia mea par esse posset.

Beraldus heri advenit [2]) cum familia et te magnopere salutat. Spero ipsum strenue nobiscum in opere Domini facturum officium. Sed scribendi finem facio, ne nihil sit quod praesens commemorem scilicet. Mi pater, vide ut valeas, ut diabolus ringatur et ipsius emissarii omnes crepent. Dominum Iesum Christum deum nostrum precor ut te indies magis et magis confirmet et ecclesiae suae conservet. Vix possis credere quantopere de te laboret *Blaurerus* vir optimus, a quo heri breves literas accepi, sed valde pias et religiosas. Optarem ut vel verbum unum ad eum scriberes, ex quo intelligeret, quod ipsi cras respondebo, te non modo non frangi animo, sed etiam istis tempestatibus magis ac magis confirmari. Rogo ut de eo cogites per otium. Laus. 24. Septembris.

T. Be. filius tibi in Domino addictissimus.

2304.

SCHENCKIUS CALVINO.

Commendat ei iuvenem Genevam euntem et hac occasione avidissime arrepta gratum suum animum declarat piam memoriam scholarum olim Argentoratensium recolens.

(Ex autographo Cod. Genev. 113, fol. 3.)

Viro optimo simul et doctissimo D. Ioanni Calvino ecclesiastae Genevensi praeceptori meo carissimo.

Matthias Schenckius [1]) ludimagister Augustanus viro ornatissimo D. Ioanni Calvino S. D.

Quum dubitarem intercedatne tibi aliqua cum ecclesiae nostrae Augustanae doctoribus familiaritas, iudicaremque gratum tibi, atque haud scio an utile quoque futurum, si quem in urbe tam ampla et clara haberes, ad quem, si res tempusque postularet, de rebus tuis scribere posses, facile adduci me, *Calvine* doctissime, a iuvene optimo mihique ob vitae morumque integritatem carissimo Georgio *Perenet*, passus sum, ut cum suis ad te literis epistolam etiam hanc meam coniungerem, et in ea re operam tibi pollicerer ac deferrem meam. Etenim in memoria etiam nunc habeo qua fide quaque diligentia in me ad pietatem humanitatemque informando una cum clarissimis viris D. *Capitone*, *Bucero*, *Sturmio*, *Hedione* atque *Bedroto* Argentinae abhinc annos 16 usus sis, meque pro hoc tanto institutionis beneficio, non dico nullam hactenus retulisse gratiam (fieri enim id, nec si vitam pro te profundam non posset), sed nec grati animi significationem etiam ullam dedisse. Quod quum mihi inprimis turpe esse ducerem, hanc scribendi ad te, simulque eluendae istius maculae, occasionem praetermittere nolui, optatam mihi quidem, sed gratiorem multo futuram, si postridie quam haec scripsi fuisset oblata. Nam acta comitiorum, quae publicatum iri eo die constabat, ad te misissem: quae res, si nihil aliud, tamen literas certe has meas tibi reddidisset gratiores. Quas tamen ne sic quidem, quae tua est humanitas, tibi ingratas fore confido, quippe mei erga te amoris testes, et meam tibi in omni officiorum genere operam deferentes. Bene vale, mi D. *Calvine* ornatissime, et Spartam quam nactus es, ecclesiam videlicet sponsam Christi, exornare, ut facis, fortiter perge, auditurus olim quavis musica iucundiorem vocem: Euge serve bone etc. Me tibi commendo etiam atque etiam. Rogarem item ut ad me vicissim aliquid scriberes, sed novi occupationes tuas et agnosco facile non ea me esse conditione ut in numerum tuorum sim recipiendus. Vale iterum ἐν Χριστῷ. Augustae 7. Cal. Octob. anno 55.

2305.

ZANCHUS BULLINGERO.

Contra Lutherolatras Calvini librum de eucharistia impugnantes.

(Excerptum ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 170, olim Scrin. B. Epp. Tom. 44, fol 753. — Simler. Vol. 85.)

Viro optimo et pastori dignissimo D. Henrico Bullingero amico et compatri observandissimo. Tiguri.

— — — — — — — — — — — — — — — —

Scies libello D. *Calvini* de re eucharistica eo usque irritatos fuisse adversarios, ut pertinaces non pudue-

---

2) *Cf. N.* 2255. 2283.

2304. 1) *Matthias Schenck Constantiensis, natus a.* 1517 *studiis operam dedit Argentorati, Marburgi et Wittembergae, primum rector scholae in urbe patria, a.* 1553. *Augustae. Libros plures edidit in usum scholarum. Cf. Schelhorn amoenitt. lit.* X. 1047, XI. 362.

Pour tous ces biens tu voys mon sang espandre
Mon chef cloe et mon corps en ler pendre
Indigne helas de cest outrageux blasme
Mais tien toy seur que de ce corps mourant
Que maynt amys va tristement plorant
Le ciel joyeux a receu a soy lasme.

2303.

BEZA CALVINO.

Certiorem eum facit de variis qui circumferuntur rumoribus circa partes a Calvino in rebus Genevensibus actas, iubetque eum constanter et fortiter qua coepit progredi.

(Ex autographo Cod. Gothani 404, fol. 723. Edidit Bretschneider p. 113.)

Eximio servo Dei D. Ioanni Calvino patri mihi inprimis observando et Genevensis ecclesiae fidelissimo pastori.

Genevae.

S. Recte alicubi scripsisti afflictiones esse gignendae patientiae instrumenta. Nam hoc a me impetravit istorum canum rabies, ut ipse mirari incipiam quo modo tam multa nunc patienter audire sustineam, quae paulo ante ne suspicari quidem potuissem, quin mirum in modum commoverer. Absit enim ut isti canes suo latratu nos a nostro officio vel minimum abducant: quod unum certum est in his certaminibus esse Satanae propositum, cuius furiis isti perciti insaniunt. Narrabo tamen tibi quod nudiusquartus accidit. Vester *Pseudalcibiades*, [1]) seu mavis Plautinus Pyrgopolinices, quum hac praeteriret, in albae crucis hospitio suas scilicet victorias iactavit. Quidni enim vinceret ubi nullum hostem habet? Sed audi quo sit provectus. De te dixit quae ab homine impurissimo, et qualis semper fuit, proficisci possunt. Deinde quum ad *Viretum* nostrum ventum esset, iste, inquit, quia blandior est, subornatus fuit qui nothum illum alliceret, et proposita vitae spe ab eo impetraret, ut nos quibusvis criminibus oneraret. Hoc ego, inquit, illum tentasse aperte dico, et si negarit comprobabo: habent enim principes in manibus certa totius rei actae testimonia. Haec ille. Ne vero putes omnia haec ab ipso esse conficta, eo ipso die cognovimus ex idoneo teste, Bernae circumferri non modo hanc famam, sed etiam rerum gestarum commentarios, in quibus hoc diserte sit scriptum quid ex quoque quaesitum, quo modo, quo tempore, quid responsum sit. Denique ut scias quam sint diligentes harum rerum scriptores, non modo narrant quid gestum sit, sed etiam confingunt quidquid libet. Hinc coniice, in ipso sinu reipublicae vestrae adhuc non modo exploratores sed etiam hostes versari, quod quidem non dubito quin facilius animadverti quam corrigi possit. Sed tamen non potui non istorum te monere, ut quoad eius fieri poterit huic quoque malo occurratur. Neque rem temere acceptam refero, sed ex eo auditam qui neque contemnendus est autor neque nobis malevolus.

Sed quid interim noster *Viretus*? nempe praeclaram nobis occasionem oblatam putamus, quam ne per somnium quidem ausi eramus sperare. Eam vero non constituimus negligere, quo primum tempore ille cum suis istac transierit: et ex nostris civibus plerique ita videntur hoc accepisse ut sperem eos officium facturos. Quid enim, aiunt, iste non audeat qui hominem tam perspectae innocentiae tanti sceleris accuset? Sed alibi collocatas esse spes nostras oportet. Nam videtur mundus, qui antea desipiebat, nunc demum furere incepisse. Verum, mi pater, ut (ne meliora nunc proferam exempla) saltem Democriti in re prorsus contraria constantiam imitemur, qui (ut ferunt) quum rideret quae de spiritibus alii multi philosophi disseruerant, et ipsius discipuli forte in tenebris magnos quosdam tumultus repente excitassent, quibus hominem perterrefactum putabant a sententia discessurum, desinite, inquit, pueri ineptire. Nos vero, quamvis ab ista stolida securitate et profana imperitia procul absumus, Dei gratia, imo vero novimus quam saevi et feroces nobis hostes immineant, tamen, age, ita simus de victoria securi, ut nulla nos sollicitudo impediat quominus in medio certamine et in mediis ipsis curis ipsorum conatus suaviter rideamus, Domino deo nostro freti, qui quum pro nobis pugnet digni sunt hostes nostri quorum potius dementiam commiseremur quam ut ipsorum minis de gradu deiiciamur.

Sed nae ego insigniter desipio qui haec ad te perscribam. Omnino tamen haec ego volui exarare ut intelligeres me corpore quidem convaluisse Dei gratia (audisti enim, opinor, me superioribus diebus aegrotasse), sed animo nihilo magis valere quam antea. Cuius rei certius periculum facies ubi ad te venero. Nam constitui tibi totos quindecim minimum dies ita esse molestus ut posthac praesentiam meam non sis requisiturus. Indicentur autem feriae extrema hebdomade quae istam consequetur, quod tibi significabo ut equus ad me mittatur. Nam ita me afflixit tridui aegrotatio ut ne deambulationi quidem sufficiam. Quidquid temporis possum per

---

2303. 1) *An Perrinus? De machinationibus enim Genevensium exsulum tota haec epistola agit.*

valetudinem, atque etiam amplius quam possim, annotationibus impendo, quod velim *Stephano* nostro significari, cuius desiderio vellem ut diligentia mea par esse posset.

Beraldus heri advenit[2]) cum familia et te magnopere salutat. Spero ipsum strenue nobiscum in opere Domini facturum officium. Sed scribendi finem facio, ne nihil sit quod praesens commemorem scilicet. Mi pater, vide ut valeas, ut diabolus ringatur et ipsius emissarii omnes crepent. Dominum Iesum Christum deum nostrum precor ut te indies magis et magis confirmet et ecclesiae suae conservet. Vix possis credere quantopere de te laboret *Blaurerus* vir optimus, a quo heri breves literas accepi, sed valde pias et religiosas. Optarem ut vel verbum unum ad eum scriberes, ex quo intelligeret, quod ipsi cras respondebo, te non modo non frangi animo, sed etiam istis tempestatibus magis ac magis confirmari. Rogo ut de eo cogites per otium. Laus. 24. Septembris.

T. Be. filius tibi in Domino addictissimus.

2304.

SCHENCKIUS CALVINO.

Commendat ei iuvenem Genevam euntem et hac occasione avidissime arrepta gratum suum animum declarat piam memoriam scholarum olim Argentoratensium recolens.

(Ex autographo Cod. Genev. 113, fol. 3.)

Viro optimo simul et doctissimo D. Ioanni Calvino ecclesiastae Genevensi praeceptori meo carissimo.

Matthias Schenckius[1]) ludimagister Augustanus viro ornatissimo D. Ioanni Calvino S. D.

Quum dubitarem intercedatne tibi aliqua cum ecclesiae nostrae Augustanae doctoribus familiaritas, iudicaremque gratum tibi, atque haud scio an utile quoque futurum, si quem in urbe tam ampla et clara haberes, ad quem, si res tempusque postularet, de rebus tuis scribere posses, facile adduci me, *Calvine* doctissime, a iuvene optimo mihique ob vitae morumque integritatem carissimo Georgio *Perenet*, passus sum, ut cum suis ad te literis epistolam etiam hanc meam coniungerem, et in ea re operam tibi pollicerer ac deferrem meam. Etenim in memoria etiam nunc habeo qua fide quaque diligentia in me ad pietatem humanitatemque informando una cum clarissimis viris D. *Capitone*, *Bucero*, *Sturmio*, *Hedione* atque *Bedroto* Argentinae abhinc annos 16 usus sis, meque pro hoc tanto institutionis beneficio, non dico nullam hactenus retulisse gratiam (fieri enim id, nec si vitam pro te profundam non posset), sed nec grati animi significationem etiam ullam dedisse. Quod quum mihi inprimis turpe esse ducerem, hanc scribendi ad te, simulque eluendae istius maculae, occasionem praetermittere nolui, optatam mihi quidem, sed gratiorem multo futuram, si postridie quam haec scripsi fuisset oblata. Nam acta comitiorum, quae publicatum iri eo die constabat, ad te misissem: quae res, si nihil aliud, tamen literas certe has meas tibi reddidisset gratiores. Quas tamen ne sic quidem, quae tua est humanitas, tibi ingratas fore confido, quippe mei erga te amoris testes, et meam tibi in omni officiorum genere operam deferentes. Bene vale, mi D. *Calvine* ornatissime, et Spartam quam nactus es, ecclesiam videlicet sponsam Christi, exornare, ut facis, fortiter perge, auditurus olim quavis musica iucundiorem vocem: Euge serve bone etc. Me tibi commendo etiam atque etiam. Rogarem item ut ad me vicissim aliquid scriberes, sed novi occupationes tuas et agnosco facile non ea me esse conditione ut in numerum tuorum sim recipiendus. Vale iterum ἐν Χριστῷ. Augustae 7. Cal. Octob. anno 55.

2305.

ZANCHUS BULLINGERO.

Contra Lutherolatras Calvini librum de eucharistia impugnantes.

(Excerptum ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 170, olim Scrin. B. Epp. Tom. 44, fol. 753. — Simler. Vol. 85.)

Viro optimo et pastori dignissimo D. Henrico Bullingero amico et compatri observandissimo.
Tiguri.

— — — — — — — — — — — — — — —

Scies libello D. *Calvini* de re eucharistica eo usque irritatos fuisse adversarios, ut pertinaces non pudue-

---

2) *Cf. N.* 2255. 2288.

2304. 1) *Matthias Schenck Constantiensis, natus a.* 1517 *studiis operam dedit Argentorati, Marburgi et Wittembergae, primum rector scholae in urbe patria, a.* 1553. *Augustae. Libros plures edidit in usum scholarum. Cf. Schelhorn amoenitt. lit.* X. 1047, XI. 362.

erit in quodam libello adversus nos tractationem quandam addere, in qua probare nituntur corpus Christi ubique esse.[1]) O impudentem impietatem! Quo tandem venitur quum in verba hominum iuratur? Totam hanc camerinam movent ut ostendant se velle stare τῷ ῥητῷ: hoc est corpus etc., nec latum unguem ab eo discedere. Et postea non pudet titulum ei libro praefigere talem qui nec in sacris literis nec in patribus unquam est visus, imo qui et sacris literis, et symbolo, et patrum omnium doctrinae, et omni humanae rationi adversatur! Papistae papistica omnia tueri volunt, quia in papam iurarunt, et ob hanc causam sunt idololatrae. Sed vereor ne alii plerique in alium etiam hominem ita iurarint, ut omnes etiam eius (mihi condona) crepitus tanquam articulos fidei et voces e coelo demissas defendere statuerint. Profecto rogandus est Deus ut tandem suae ecclesiae misereatur. Non sine maximo animi dolore haec scribo: praesertim quum hic non liceat hisce de rebus in praesentia ne verbum quidem ullum facere, imo nec os aperire. Sed etsi non recta, oblique tamen, velint nolint, homines ferent: loquar. Dominus erit mihi adiutor. Iterum vale, optime pater, et Dominum roga etiam pro me et mea uxore, ut eam mihi cito restituat. Argentinae 25. Septembris 1555.

Tuus Hier. Zanchus.

2306.

HALLERUS BULLINGERO.

Plura tradit de suppliciis Genevae de seditiosis nuper sumptis, deque torturis quibus ad confitendum coguntur quae postea in articulo mortis pernegant. Sed maxime dolendum quod et hoc negotium, fugitivis Bernatum animos exagitantibus, inter utramque rempublicam invidiam auget. Turicensium foret hic sese interponere.

(Ex autogr. Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 115, olim Scrin. B. Epp. Tom. VIII. fol. 2945. — Simler. Vol. 85.)

Clarissimo viro D. Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori fidelissimo domino et compatri honorando carissimoque suo.

M. Heinrych Bullinger zů Zürich.

S. Magnas tibi, honorande compater, debeo gratias, qui tam humaniter et liberaliter me proxime exceperis.[1]) Fac quaeso quod promisisti: ita dabitur mihi aliqua referendi eas tibi occasio. Caeterum quomodo ad meos reversus sim ex fratre iam pridem, opinor, intellexisti.

Quid Genevae fiat mirari te scio, itaque de his pauca. Septimana ea qua Tiguri fui[2]) quartum supplicio affecerunt, qui et ipse, ut priores omnes, ante supplicium recantavit quidquid prius professus seu confessus erat, protestando se diris tormentis, tum etiam spe vitae quae illi confitenti facta erat, adactum ut confiteretur se coniurationis conscium fuisse[3]) Perrinae, sed et se innocentem et *Perrinum*, neque quidquam tale inter eos unquam fuisse tractatum, et hoc se nunc testari coram aeterno iudice, ad cuius tribunal iam sistendus sit. Nihilominus tamen decollatus est. De torturis quoque affirmant viri graves plus quam phalaricis, quibus confessiones a reis exigunt. Crescit ergo odium contra illos indies magis ac magis. *Perrinus* cum aliis hic est[4]) et subinde suam protestatur innocentiam. Nostri intercedere cuperent. Illi vero latam contra eos sententiam mutare nolunt.[5]) Aiunt etiam illos coemere victualia undequaque, ut manifeste appareat, illos se vel ad bellum vel ad obsidionem ferendam parare. Interea quoque dimissus ab illis est Italus ille,[6]) qui prius ab ipsis (uti narrabam tibi) huc ductus *Perrinum* et alios insimulaverat initae cum *Albano* duce conspirationis de tradenda illi Geneva. Quod totum quum appareret ab illis fictum, constitutum est ut dimissus Italus ille observaretur in ditione nostra. In qua ab illis dimissus, a nostris comprehensus, et huc iterum nostrorum iam captivus hisce diebus deductus est, ex quo multi sperant miranda se intellecturos.

Sic nunc se res habent. Interea prorogatio foederis[7]) silet nec procedit, odia crescunt, et metuo ne, nisi quis se interponat, in manifestas tandem eruptura sint iniurias. Itaque a bonis, cordatis et prudentibus viris audivi, bonum et salubre fore si

---

2305. 1) *Hic non de Westphali Iusta defensione loquitur cuius praefatio scripta est prid. Non. Iul.* 1555, *nam in ea talis tractatio non legitur, sed de Timanni Farragine sententiarum consent. Frf.* 1555 *edita cui p.* 225 *inserta est pecu-liaris diatribe inscripta:* Quod Christi corpus ubique sit eo quod verbum caro factum est. Et quod sedet ad dexteram patris.

2306. 1) *De hoc itinere alibi nihil legimus.*
2) *Fr. Dan. Bertelerius capitis damnatus fuit d.* 11. *Sept.*
3) *Cf. N.* 2286. *Galiffe, quelques pages p.* 111.
4) *Reg. du Conseil ad* 6. *Aug. recenset nomina eorum qui absentes damnati sunt.*
5) *Negelini legatio medio m. Augusto.*
6) *Scipio del Castro.* (*Reg. du Conseil* 22. *Iul.*) *Dicitur mente captus manum sibi inferre voluisse. Senatus eum d.* 10. *Sept. solum vertere iussit.* (*Galiffe p.* 117.)
7) *Spon, hist. de Genève* I. 301, *not. Hundesh.* 299.

Tigurini et Basilienses coniuncti legationem mittant, et se ad vitandum scandalum et maius periculum arbitros interponant, aut saltem suam operam per literas offerant. Sunt [*qui*][8]) sperent utrique parti hoc valde gratum futurum. Tu itaque [*pro*] tua prudentia cum D. *Lafatero* et aliis bonis haec co[*nfer ?*], et si bonum videbitur agito ut citra moram tale quid fiat.

Novi alias nihil habemus. Exspecto quid habeas tu de Anglia. Salutat te *Musculus*. *Mauritio* ut aliquando scribas te iterum rogo. Dixi illi te hoc facturum: ille vero se libentissime te pro amico habiturum respondit. Ut ergo homo est, ita morem geras oportet. Vale iterum cum tuis omnibus, quos meo meorumque nomine salutabis diligenter. Bernae 26. Septembris 1555.

Ioannes Hallerus tuus.

2307.

BULLINGERUS CALVINO.

Gratias agit de relatione Genevensis seditionis sibi missa. Tum serio Calvinum hortatur ut Bernenses ob collata in Genevensium rempublicam beneficia aestimare potius quam invidia prosequi velit et pacem colat omni posthabita inimicitia. Iudicium de Melanchthone subiicit non omni ex parte splendidum. Addit quaedam de formula iurisiurandi qua Helvetii foedus sancire consueverunt mutanda.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 87. Simlerus Vol. 85 descripsit ex Bibliotheca Huldericiana nescio ubi quaerenda. Habent et Turretinus Cod. 111ᵃ, fol. 227 et Epp. Bern. VI. p. 491. — Beza autographon prelo destinasse videtur, et plura uncis inclusit utpote omittenda. Quod nos quoque tibi exhibebimus similiter.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino fido Genevensis ecclesiae pastori domino honorando et fratri suo carissimo.

Genff.

S. D. Multum sane tibi, domine colendissime et frater carissime, debeo, qui ad petitionem meam in tot tantisque negotiis tuis tam diligenter et prolixe omnem excitati tumultus historiam descripseris.[1]) Maximas tibi pro tuis laboribus gratias ago. Vidi in illa descriptione quod partim vexat et angit, partim vero afficit bene et consolatur. Turbat et angit illud maxime, quod video vobis esse hostes plurimos, quos noctes atque dies omnem operam impensuros metuo, ut suam illam malitiam et causam pessimam confictis contra vos calumniis et contumeliis indignissimis purgare et ornare possint, unde inexplicabilia pericula et mala exoriantur. Consolatur autem rursus non mediocriter divina illa bonitas sapientiaque, denique praesentissimum Domini in tanto periculo auxilium. Inde enim colligo eundem vobis gratia sua semper affore. Ago illi gratias pro tanto beneficio vobis in tempore mirifice praestito, oroque ut vos tueri pergat. Sed nullus propemodum de illis turbis sermo est amplius. Novae adferuntur a multis querelae de quorundam crudelitate, qui per tormenta extorqueant vinctis quae hi mox in suppliciis revocent.[2]) [Item de *Calvini* odio implacabili contra amplissimam Bernensium rempublicam,[3]) quam nunc suggestis iniquis foederis prorogandi capitibus a clarissima Genevensium republica divellere nitatur, ut ipse cum suis Gallis urbi pro suo dominetur arbitrio.] Sed intelligis me loqui non ex mea sed aliorum potius sententia. Interea scio quibus olim odiis beatae memoriae *Zuinglius* et ante saecula aliquot Chrysostomus et Ambrosius gravati, etiam ab integrioribus iudicati sint nimis esse severi. Et quidem modus in re quavis probandus est, quum et sapiens dixerit, nimium emungendo elici sanguinem. Sed te istis rebus haud dubie non immisces, quibus te isti ducem et autorem faciunt. Si quando viri boni ex principibus tibi familiares tuam rogent sententiam, scio illa te illis suggerere quae pietatis sunt ac pacis. [Nam intelligis Dominum Deum nostrum opera usum Bernatium in asserenda liberandaque clarissima Genevensium republica a tyrannide quum papae tum principis Allobrogum nobiliumque: neque dubium est dudum illos reparaturos fuisse bellum nisi Bernatum metuissent potentiam. Ita enim Domino (cui soli tribuendum est assertionis beneficium) placuit, autoritate Bernatum hostes absterrere vestros urbemque vestram tueri. Sicubi vero Bernenses nonnullis visi sunt imperiosius[4]) quaedam vel postulasse vel egisse aliquando, nunquam tamen beneficii illius accepti obliviscuntur cordatiores: praeterea cogitant sibi cum hominibus esse negotium, et res humanas nunquam ita purgatas esse quin de multis queri, multa denique desiderare pos-

---

8) *Charta lacera.*

2307. 1) *N.* 2243.

2) *N.* 2263. 2286.

3) *N.* 2306. 2329.

4) *Iam quae Negelinus legatus m. Augusto proposuit conditiones tales fuerunt quas Genevenses accipere recusarent, et d.* 28. *Ian.* 1556 *prolixis literis demonstrarunt sese illorum postulatis nunquam submittere se posse.* (*Ruchat* VI. 182 *s.*) *Cf. etiam quae Calv. ad Bull. habet infra* 2329.

simus. Nunquam tam feliciter cohaerent foederati, ut non frequenter non leves utrinque videantur inferri iniuriae. Neque vero hac de causa dissuunt foedera sapientes, sed aliquando dissimulando, aliquando modeste interpellando dissidia vel oborta vel oboritura aut componunt aut praeveniunt. Cogitant in mutatione aut abrogratione longe maius fore periculum quam si foedus qualecunque prorogent.] [5]) Confoederatio illa vestra cum Bernensibus non infelix fuit hactenus. Aucta est ad miraculum usque ecclesia Genevensis. Et fuit hucusque, atque manet adhuc, exsulum Christi causa asylum. Inde per universam Galliam spargitur praeconium Iesu Christi ut de aliis nationibus nihil commemorem. Potest quidem divina bonitas et potentia absque confoederatione urbem vestram servare, et quidem turpe, imo impium esset incolumitatem urbis vestrae considerationi alligare humanae. Maledictus, ait propheta, qui ponit carnem brachium suum. [6]) Quoniam vero Deus non semper miraculose sed per media agit legitima, neque humana in universum damnat auxilia, neque male hactenus cesserit vobis illa confoederatio: non temere prudentiores iudicant non deberi confoederationem illam discindi, et si discindatur non posse id quidem fieri citra luculentum piorum detrimentum. Res certe ista me tenet valde sollicitum, quoties cogito Genevam tot exsulibus propter Christum praebere hospitia, qui tamen dispergerentur, metuo, si vel bellum recrudesceret Allobrogicum, vel itinera obsiderentur, vel si quid eveniret calamitosius, vel etiam bello sociali collideremini. Potest quidem Deus suos colligere et parare suis hospitia: verum si parata iam sint non puto temere vel mutanda esse vel disturbanda. Verum haec ipsa apud te cogitas haud dubie; ut stolidum me hic tibi exhibeam qui occupatissimo alias ista tot verbis inculcem. Sed dabis hoc sollicito amori. Censeo omnino in iis quae sunt indifferentia cedendum esse nonnihil Bernensibus, et rursus hos non praeduros esse oportere, ut foedus hactenus pactum prorogetur ulterius, donec meliora experiamur tempora. Quamvis vero arbitrer, te pro tua prudentia istis civilibus [7]) non innectere, quia tamen non dubito aliquando a piis rogatum tuam eis referre sententiam et conferre de rebus praesentibus, admoneo et hortor te, mi frater, tuis autor esse velis et consultor ut societati Bernensium se accommodent, ne hae duae respublicae a se invicem dissiliant maximo multorum bonorum dolore, infirmorum etiam offensione et detrimento, summa denique cum exsultatione nebulonum omnium. Vigila, obsecro, cogita ea quae pacis et aedificationis sunt, sciens tempora esse mala. Dominus Iesus concedat vobis recte sapere in his et in reliquis omnibus, et ea quae salubria sunt sectari consequi et retinere, adeoque et modum tenere in omnibus. Ante omnia vero oremus Dominum ut is praeluceat vobis et in viis suis vos retineat semper.

De D. *Philippo* [8]) non ausim tanta sperare quanta videris in tuis polliceri literis. Pius est sane et doctus sed abhorret nimium ab disputationibus etiam necessariis. Unde non possum mihi persuadere illum unquam nostram sententiam vel palam vel scripto contra aliquem vulgato defensurum. Senex est et vult in pace, si fieri possit, migrare ad Dominum. Intelligit inter quos habitet et quanto cum periculo telam illam ordiretur. Satis igitur videbitur fecisse sibi si non coniungat se hostibus nostris, sed furores ipsorum cohibeat etc. Alioqui non dubito illum favere nobis et sentire nobiscum, imo hoc scio non levibus argumentis (adeoque ipsis eius ad me literis datis) edoctus. Misi iam ad illum unum ex filiis meis [9]) ut et ipsum audiat et bonas literas Witenbergae discat. Quod ut feliciter cadat Dominum rogo.

[Contentio [10]) valde acris et odiosa exercita inter Helvetios iam propemodum per annos septem, sed sopita interim aliquoties, hac aestate rursus reparata est. Requirunt foederati nostri confirmationem ex more veteri Helveticorum foederum per solenne iuramentum, quod quum in foederum tabulis praescriptum sit, per Deum et sanctos eius, eadem forma praestari contendunt. Verae autem religionis consortes, Tigurini et Bernates maxime, suam confitentes religionem aversantur vulgo receptam illam formam. Sequestres qui intercedunt putarunt rebus consultum omnibus, si libera permittatur in urbibus evangelicis illa formula, ita ut si qui velint iurare per Deum et sanctos eius possint, si qui nolint non adigantur. Urbes vero ne hoc quidem dare voluerunt. Iam audio in proximis comitiis Badae sequestres conciliationem intulisse huiusmodi, ut ubique, tam in urbibus quam in pagis, eadem iuramenti servetur iuxta literam formula per Deum et sanctos eius. Sed evangelici illam formulam non reddant, sed duntaxat per Deum iurent, reliquae autem respublicae suo more iurent per Deum et sanctos eius, salva utriusque partis religione et confessione. Item ut legatus Bernensis vulgari ista forma Tiguri praeeat,

5) *Verum res iam in aliud stadium progressa erat.*
6) *Jerem.* 17, 5.
7) *supple:* te *S. Etiam sequentia emendatione egent.*

8) *N.* 2204. 2275.
9) *N.* 2277. 2295.
10) *Halleri Ephem. p.* 108: Multa inter se hoc tempore Helvetii egere de renovando per iusiurandum pro more foedere, sed quum de forma iurisiurandi convenire non possent nihil actum est. Et eius rei gratia nos quoque senatum accessimus. Convenerant etiam quatuor evangelicae urbes Aroviae huius rei nomine. (*Cf. Hess, Bull.* II. 267 *ss. Meyer, Locarno* II. 48 *ss.*)

Tigurinus Bernae: ita tamen ne Tigurini aut Bernenses cogantur subsequendo eandem reddere formam, sed tantum per nomen Dei iurare. Quod si nolit praeire in dictando iuramento Tigurinus vel Bernas, praeeat Lucernas. De hac re nihildum est constitutum, sed consultabitur adhuc. Comitia nova, in quibus haec res definietur conscripta sunt ad Octobris 28 Badenam. [11]) Plerique arbitrantur, quum nostri liberati sint a vulgari forma, iisque pro sua religione per solius Dei nomen iurare liceat exclusis aliis diis, nihil impedire debere, si Lucernas praeeat forma vulgari. Alii etiam in hoc haerent. Quid futurum sit nescio. Spero nostros et Bernenses nihil recepturos aut facturos quod pugnet cum confessione integra religionis verae. Tu ora Dominum ut haec res bene cedat. Plurimis enim subinde periculis involvimur, nec ullus apparet finis. Unde perpetuo in procinctu Martis stamus spiritualibus armis pugnantes. Dominus servet nos in sua sancta voluntate et liberet nos a malis.]

Vale, domine colendissime et frater in Christo carissime, una cum symmystis et fratribus atque amicis omnibus. Salutant te et tuos symmystae et mei omnes. Commendarem tibi hunc optimum fratrem D. Thomam *Leverum*, [12]) nisi scirem illum alioqui tibi esse commendatissimum. Nam est ipsa probitas et vir innocens et sanctissimus. Dominus misereatur afflictissimae Angliae. Tiguri 28. Septembris 1555.

Bullingerus tuus.

11) *Ibi sibi invicem polliciti sunt se vel sine iureiurando foedus ratum et sancitum habituros.*

12) *Strype, eccl. mem.* III. 1, *p.* 404: Some took this opportunity to travel about from place to place and see towns and cities, especially those that were reformed, for their better inquiry into the doctrines of their learned men. One of those was Tho. Lever, late master of S. John's college in Cambridge, a grave and good man: who gave some account of his travels in a letter to Mr. Bradford, then a prisoner in England, viz.: I have seen the places, noted the doctrine and discipline, and talked with the learned men of Argentine, Basil, Zuric, Berne, Louvain (*Lausanne?*) and Geneva. And I have had experience in all these places of sincere doctrine and godly order and great learning, and especially of such virtuous learning, diligence and charity in Bullinger at Zuric and in Calvin at Geneva as doth much advance God's glory unto the edifying of Christ's Church with the same religion for the which ye be now in prison.

2308.

CALVINUS FARELLO ET LIBERTETO.

Hunc rogat ut Bernae causam agat cuiusdam a praefecto Tononiensi exsilio multatum quia Genevae coenae dominicae interfuit.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 120. Exstant praeterea exemplaria Turretini Cod. 108, fol. 53, Bernense Epp. VI. p. 496 et Simleri Vol. 85.)

Fidelibus Christi servis Guillelmo Farello et Christophoro Fabro Neocomensis ecclesiae pastoribus symmystis et fratribus carissimis.

S. Quam improbe cum hoc nostro amico nuper actum sit, melius ipse vobis coram exponet. Ac si grave aliquod crimen patrasset sacram Domini coenam nobiscum peragendo, praefectus Tononiensis eum ad se vocavit et iurgatus est de contempto senatus Bernensis edicto. [1]) Etsi autem modesta se et solida excusatione purgavit, tamen indicta est exsilii poena. Satis coniicio facinus vobis incredibile visum iri, sed ita prorsus esse affirmo. Hac de causa nunc Bernam proficiscitur. Quia autem ignotus est ac imperitus, magnopere cuperet hominem in his rebus exercitatum, et qui gratia apud Bernates polleret, sibi in optima causa ac sanctissima suffragari. Porro fratrem nostrum *Christophorum* quidam putarunt maxime idoneum fore. Mihi quidem non venerat in mentem, sed quum ab aliis sibi esse suggestum narraret, valde probavi. Quare te, mi *Christophore*, nisi qua forte maior necessitas domi te retineat, rogatum et obtestatum velim, ut hunc laborem non tam meo rogatu quam ipsius causae, quae a Dei gloria et piorum omnium salute separari nequit, commendatione suscipias. Scio tanta me istic invidia flagrare ut quidvis potius tueri liceat quam Genevensem ecclesiam: sed te maiore animo praeditum scio quam ut talibus fumis absterrearis. Et certe favorabilis erit causa, nihil esse magis absurdum vel immane, quam hominem nobili et antiqua familia natum, qui semper honorifice vixit, e regione in quam voluntarius exsul concessit pietatis causa, propter sanctam actionem eiici. Neque tamen aliud quam rem ipsam a vobis spectari volo, quae certum vobis, ut spero, consilium dabit quid factum operae pretium sit.

Valete, optimi et integerrimi fratres. Dominus semper vobis adsit, vos protegat ac gubernet spiritu. *Maturino* et aliis amicis plurimam salutem.

2308. 1) *Edictum ipsum legisti supra N.* 2096. *De viro ipso a praefecto obiurgato plura non habemus. Nobilis Gallus fuisse videtur alicubi in praefectura Tononiensi degens.*

Mauricius[2]) hic pransus est die hesterno. Breve inter nos fuit colloquium quia Gaiensis praefectus honoris causa non procul aberat, et nullo modo impetrari potuit ut diutius maneret. Venerat plenus prodigiosis figmentis. Utinam eum bene purgaverim. De fratribus captivis[3]) adhuc pendemus inter spem et metum. Iterum valete. Genevae 3. calendas Octobris 1555.

Ioannes Calvinus vester.

2309.

HOTOMANUS BULLINGERO.

Basileae multos videt Castalionis studiosos, Calvini obtrectatores. Qui satis gravi morbo nunc laborat.

(Excerptum ex Cod. Paris. Bibl. nation. 8586, fol. 2. Autogr. Integram exhibent Epp. Hotomanorum impressae ed. J. G. Meelii Amst. 1700. 4. pag. 1.)

Clarissimo viro D. Henrico Bullingero pastori ecclesiae Tigurinae theologo praestantissimo.
Tiguri.

— — — — — — — — — — — — — — — —

Sulcerum[1]) et *Amorbachium* probo inprimis, itemque *Grataroluin* nostrum, neque dubito ipse alios quam multos, quorum integritas et religio Deo grata sit. Sed *Castalionis* ita sunt studiosi et amantes plerique, ut hoc quasi Atlante coelum fulciri religio et pietas existimetur. Quid ergo impressori gallicorum bibliorum[2]) de hominis stultitia dixerim, et interpretationis inepta audacia, aut furore potius, sciunt non pauci: Quumque a me nonnulli petiissent ut praefationis stultitiam[3]) explicarem, scriptori meo dictavi hanc admonitiunculam, quam in his literis inclusi. Si facultas ferret maximopere cuperem praefationem mutari, quae Gallis, praesertim aulicis, si ab eis legatur, perridicula videbitur.

Calvinus autem nihilo melius hic audit quam Lutetiae.[4]) Quod si quis aut deierantem aut lascivientem coarguat, Calvinista contumeliae causa nominatur. Dominus Genevensem ecclesiam tueatur, quae singularem quandam disciplinam et vere christianam conservat. — — — — —

D. *Calvinus*, quum illinc discessi,[5]) lateris summo dolore afficiebatur. *Textor* medicus ei a pleuretidis morbo pertimescebat. Quaeso ut optimi et fortissimi viri valetudinem ecclesiae tuae precibus commendes eumque tuis literis consolere. Nam undique allatratur importunissime et immanissime. Quos significem satis nosti — — — — — Basileae 3. Cal. Octob. 1555.

Franciscus Hotomanus.

2310.

BULLINGERUS CALVINO.

Mittit ei duas epistolas Melanchthonis et Lasci.

(Autographon exstat in Cod. Genev. 114, fol. 94. Habet et Simlerus Vol. 85. Edidit Beza Genev. p. 174, Laus. p. 357, Hanov. p. 400, Chouet p. 235, Amst. 108.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo domino colendissimo et fratri carissimo meo.

S. D. Accipe, carissime mi frater et domine colendissime, exempla epistolarum harum.[1]) Putavi in his esse quae te omnino scire conveniat. Ideo per generum meum[2]) describi curavi. Copiosiores literas adferet D. Thomas *Leverus*[3]) Anglus, cui heri tibi ferendas tradidi. Opportune nunc aderat D. *Crispinus* noster,[4]) cui has dare volui. Vale. Tiguri, ultima Septemb. 1555.

Bullingerus tuus.

---

2) *Legatus regius Morelet de Museau, alias Maurus Musaeus.* (*Cf. N.* 2306. 2314.)
3) *Cameriacensibus.*
2309. 1) Suicerum. *Ed.*
2) *Impressa sunt per Io. Hervagium m. Martio* 1555.
3) *De qua tu ipse iudices. Descripsimus supra N.* 1889.
4) *Id sane Academicis Basiliensibus acceptum referre poterat, fortassis etiam recentibus politicis turbis Genevae ortis.*
5) *Si quid videmus iam dudum itineri se dederat* (*N.* 2249. 2255) *et interea Calvinus convalescere potuit: nam ipse in recentioribus epistolis de tali morbo tacet.*
2310. 1) *Alteram Melanchthonis N.* 2275, *alteram Lasci N.* 2295.
2) *Plures habuit generos, Ulricum Zwinglium, Iosiam Simlerum et Ludovicum Lavaterum.*
3) *De Levero* (*quem Lenerum vocant edd.*) *vide N.* 2307, *not.* 12. *Quae ipsa epistola ea est quam Anglo tradidisse dicit.*
4) *ex Francofordia redux. Cf. N.* 2293.

2311.

SULZERUS MARBACHIO.

Commendat Hotomanum Argentoratum proficiscentem.

(Ex Epistolis ad Marbachios a Fechtio editis p. 51.)

S. *Ottomannus* hic, vir clarissimus doctrina et pietate, ad vos cum suis concedit. [1]) Quem gaudeo civitate donatum, quia constantis fidei et sinceritatis indicia ab annis iam octo [2]) quibus mihi notus est egregia dedit, ut sperem deinceps etiam bonis omnibus sese adprobaturum. Commendarem ergo eum tibi plurimis nisi tua sponte erga illum te per singularem benevolentiam ferri abunde scirem: ut qui nuper etiam liberaliter declarasti quam verae caritatis visceribus illum complexus sis. — — — — — — Basil. pridie Cal. Octobris anno 1555.

Tuus Simon Sulcerus.

2312.

LES PRISONNIERS DE CHAMBÉRY A CALVIN.

Lettre d'adieux. [1])

(Histoire des Martyrs fol. 354.)

Monsieur et treshonnoré pere en nostre Seigneur, nous avons receu vos lettres du cinquiesme de Septembre, qui nous ont grandement consolez. Car elles nous testifient vostre ardente charité et de tous les Freres envers nous, entant que vous vous contristez tellement de nostre mal selon la chair, que cependant ne laissez pas de vous esiouyr de nostre bien selon l'esprit, en pleurant avec les pleurans et riant avec les rians: de quoi nous vous remercions tresaffectueusement. De nostre part, combien que soyons ioyeux de ce que le Seigneur par sa grace nous donne de quoi nous resiouir en saincte liesse, quelques chetives povres et miserables creatures que nous soyons: si est-ce pourtant que nous sommes faschez de vous donner, et à plusieurs excellens personnages, et mesme à toute l'Eglise, tant de peine et de souci. Iaçoit que plusieurs occasions de gemir nous soyent iournellement presentees, toutefois ceste-là n'est point des dernieres: tellement que desirons et prions ce bon Dieu qu'il vous oste bien tost de ceste presse qui vous serre incessamment à cause de nostre prison, en quelque maniere qu'il lui plaira. Si c'est par mort, tant mieux pour nous. Seulement nous le prions qu'il lui plaise acroistre en nous de plus en plus ceste affection, puis que de sa grace il nous l'a donnee: par ce moyen serons delivrez de plusieurs prisons, voire beaucoup plus ennuyeuses que ceste tour où sommes enfermez. S'il lui plait nous delivrer en quelque autre façon, satisfaisant au desir de ceux qui nous regrettent sans comparaison plus que nous ne valons, que ce soit pour respondre à leur attente et à la vostre: qui est que nous nous employons mieux que iamais à glorifier son sainct Nom et edifier son Eglise. Parquoi disons souvent avec David: O Seigneur Dieu des armees, que ceux qui s'attendent à toi ne soyent point confus en moi: et que ceux qui te cerchent ne soyent point rendus honteux en moi, Dieu d'Israel. Que iamais nous ne iouyssions de cest ombrage de vie sinon à ceste condition: puis que de sa grace il nous a mis en train de sortir du milieu de ceste generation perverse et adultere où il est blasphemé en tant de sortes que c'est un horreur, pour lui aller chanter louanges immortelles en la compagnie des bienheureux: et vous prions bien fort que par vos oraisons envers Dieu vous nous aidiez à obtenir ceste requeste. Au surplus aussi, quand escrirez aux Eglises de Lausanne et de Neufchastel, de les soliciter à faire le mesme et les remercier de leur bonne affection envers nous: de laquelle et de la vostre ne doutons aucunement mais sommes marris que ne pouvons respondre à icelle: tant y a que nous nous y efforçons, et supplions ce bon Dieu qu'il vous recompense des biens et spirituels et corporels que recevons de vous tous, comme de nos vrais peres et nourriciers. En quoi certes nous experimentons bien la verité de la promesse du Fils de Dieu, assavoir qu'il n'y a nul qui ait laissé maisons ou freres ou soeurs, ou pere ou mere, ou femme, ou enfans, ou champs, pour l'amour de lui et de l'Evangile: que maintenant en ce temps-ci il n'en reçoyve cent fois autant, et au siecle à venir vie eternelle. Quand en cest

2311. 1) *Et quidem serio et permansurus. Nam antea iam idem eum iter suscepisse legisti. Taedebat eum muneris Lausannensis et Balduini commendatione aliquam iuris professionem quaerebat.* Balduinus novum hospitem propter veterem amicitiam amicissime excepit, sed viperam sese in sinu fovere mox sensit. (*Biga respons. p.* 163.) *Haec illustrari possunt ex annotatis ad N.* 2241.

2) *Quum Sulzerus Bernae et Hotomanus Lausannae esset.* (*N.* 939.)

2312. 1) *Ce n'est pas à dire que ç'ait été la dernière. Crespin en donne encore plusieurs après, mais aucune n'est datée, et le jour du supplice n'est pas indiqué non plus. Nous savons cependant qu'ils subirent le martyre le* 12. *Octobre.*

endroit et en plusieurs autres l'avons trouvé fidele, nous serions bien ingrats et vilains si nous ne concluyions ce qui est escrit: Ce Dieu est nostre Dieu à tousiours-mais, il nous conduira iusques à la mort. Par ce que dessus pouvez iuger en quelle disposition nous sommes quant a l'esprit, graces à nostre bon Dieu.

2313.

TORNACUS [1]) CALVINO.

Animos addit calumniis vexato et negotium quoddam mulieris tractat aere alieno pressae.

(Ex autographo Cod. Gothani 405, fol. 61.)

Egregio Iesu Christi servo D. Ioanni Calvino. A Genefve.

S. ac vitae innocentiam. Vanis et plerumque falsis rumoribus non solum infirmos verum etiam constantes turbari nosti, observande *Calvine*. Ne mireris igitur si exiguam * a te literas (etsi sis obrutus negotiis) quibus certior factus de statu ecclesiae et reipublicae in Domino consolari * possim. Versutia Satanae etiam qui pii habentur leviter credunt, omnia te autore in senatu fieri ac si sanguinis sitibundus esses. [2]) Sed bono animo esto. Pergamus per ignomiam * et bonam famam, velut impostores et tamen veraces. Dominus nos non deseret; in tempore aderit. Meo tenui iudicio texenda esset Apologia quae a dyacossis * approbata exiret in lucem, et quanto citius eo melius. Multa habeo scribenda, sed non expedit. In haec tempora venimus ut nil tam simplex et rectum sit quin in deteriorem partem rapiatur: ita praeiudiciis occupata sunt hominum ingenia.

De rebus nostris paucis. *Iohanna Gerardi*, comitata * cognato Gabriele *Levet* pharmacopola me invisit, cupiens ut liberarem illi suas archas et velut fido iuberem * pro omni debito, modo sine lucro, quotannis partem aliquam solvat. Pollicitus sum me te rogaturum ut accersitis amicis, D. *a Normandia*, *Frumento*, *Gabriele*, vestro starem arbitrio, etsi iacturam aliquam me oporteat facere. Scribo *Frumento* copiosius. Ne graveris cum amicis hunc subire laborem. Nullum pro te subterfugiam. Bene vale. Oremus pro invicem ut Dominus suae gloriae nos inservire faciat, sive per vitam sive per mortem. Saluta tuos. Nostri te salutant. Aquileae 1. Octobris 1555.

Tuus Ioannes a Thornaco.

2313. 1) *Memineris eum v. d. m. fuisse Aquileiae* (*Aigle*) *N.* 1546. 1815.
2) *Cf. N.* 2263. 2286.

2314.

HALLERUS BULLINGERO.

Calvinus apud plurimos pessime notatus. Italus Bernae captivus.

(Excerptum ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 154, olim scrin. B. Epp. Tom. 32, fol. 214. — Simler. Vol. 85.)

— — — — — — — — — — — — — — — —

Quod Genevenses attinet, fuit illic hisce diebus *Mauritius* noster. Humaniter fuit exceptus. Retulit *Calvino* varia quae de eo dicantur. Ille negavit omnia. Simul audivit per totam Sabaudiam miros rumores de *Calvino* et aliis ministris. Vix centesimus reperitur qui de eo aliquid loquatur boni. Is qui hic captivus detinetur [1]) nihildum confessus est. Miserunt nostri nuncium Genevam pro confessione quam illic fecit. Ea ubi allata fuerit amplius cum eo agetur. Natus est Rom . . . . . . et qualitercunque doctus. — — — — — Bernae die 7. Octobris 1555.

Tuus I. H.

2315.

CALVIN AUX PRISONNIERS DE CHAMBÉRY [1])

Dernières consolations.

2314. 1) *Scipio del Castro cf. N.* 2306. — *Bolsec Ch.* 20: Ledit espion, s'en allant hors de Geneve vers l'Italie desguisé et masqué d'une faulse barbe blanche, fut à la poursuyte diligente des fugitifz (*Perrin etc.*) repris pres Evien et de là ramené à Berne, où librement et entièrement il confessa la vérité du faict, assavoir comment, par qui et pourquoy il avoit esté ainsi practiqué et induict à calomnier ceux lesquelz il ne cognoissoit, et par lesquelz il n'avoit receu oncques desplaisir. Lesditz fugitifs de Geneve demanderent acte et tesmoignage par escrit du secrétaire de la Seigneurie, ce qui leur fut accordé et l'ont monstré à plusieurs pour leur justification et confusion de leurs ennemis.

2315. 1) *Il est fort probable que cette lettre ne parvint plus à son adresse. Les prisonniers ont dû souffrir le martyre*

(Il existe plusieurs copies de cette lettre: à la Bibl. de Genève MS. 107, fol. 65, MS. 108, fol. 61; aux Archives de Berne, Epp. VI. p. 500. — Aucune n'est contemporaine, cependant la première est beaucoup plus ancienne que les autres. — Lettres franç. II. 77. Trad. angl. III. 231.)

La dilection de Dieu nostre Pere, et la grace de nostre Seigneur Iesus soit tousiours sur vous par la communication S. Esprit.

Treschers freres, ce que ie me suis deporte pour quelque temps de vous escrire, nest pas que iaye laisse davoir soing et memoire de vous, mais ie vous asseure que la compassion de vous veoir languir si longuement, me tient comme enserre dangoisse. Cependant ie ne doubte point que nostre bon Dieu ne vous console pour vous fortifier en patience, et que vous ne mettiez peine aussi de vous exhorter, comme de faict il en est besoing. Car cest lun des plus grans artifices de Sathan de miner et consommer par longue traicte de temps ceux quil ne peult abattre du premier coup. Mais iespere quil ne vous aura point surpriz au despourveu, pource que Dieu vous aura muny de constance pour durer iusques au bout. Tant y a que vous avez besoing dexercice assiduel pour vous maintenir en lobeissance de Dieu, attendans lissue quil se reserve, sans defaillir, quoy quelle tarde.

Selon les hommes, ie ne sçay que ie dois dire, voiant les choses si confuses par tout. Mais iespere quoy quil en soit, que Dieu en la fin nous resiouira apres vous avoir laisse comme languir. Car il veoit tant des siens en soulcy continuel pour vous, quil ne fauldra point a exaulcer leurs desirs. Quant nous aurons le moien de vous alleger en façon que ce soit, advertissez-nous, estans asseurez que chacun sy emploira en son endroit. Au reste regardez tousiours a ce bon Dieu, pratiquans ce qui est dit au Pseaume: Que cest a luy quil nous fault dresser noz yeux, quant les hommes nous assaillent, et que nous sommes destituez de toute defence.

Surquoy, mes freres ie supplieray nostre bon Dieu de vous tenir tousiours en sa saincte garde, vous remplir de son sainct Esprit, affin quen vertu invincible vous poursuyviez le combat auquel il vous a ordonnez, et nourrir en voz coeurs une telle esperance de son secours, que vous aiez dequoy pour adoulcir toutes voz tristesses, me recommandant a voz bonnes prieres. Les freres vous saluent affectueusement. Ce 8. doctobre 1555. [2])

---

vers cette époque, bien que ni Crespin, ni l'Histoire ecclésiastique ne marquent la date de leur supplice. Cependant une lettre de Th. de Bèze (N. 2331) indique le 12. Octobre.

2) *Dans l'édition de M. Bonnet on lit le 5.*

2316.

CALVIN AUX FIDÈLES DE — — [1])

Exhortations pastorales en vue des persécutions.

(Copies. Bibl. de Genève. Vol. 107, fol. 65; Vol. 108, fol. 60; Archives de Berne Epp. VI. p. 498. Ruchat VII. 327. Lettres fr. II. 79. Trad. angl. III. 233.)

Treschers Seigneurs et freres, iay entendu que vous estes assailliz en vostre ville par les ennemys de la foy plus rudement que de coustume. Voila comment Sathan, selon quil veoit que le regne du filz de Dieu savance, et le nombre des fideles se multiplie, faict tant plus deffortz pour tout renverser. Cependant ne vous esbaissez point si Dieu lasche la bride aux malings pour vous affliger, car cest bien raison que nostre foy soit esprouvee, et, quant nous serons persecutez pour la doctrine de salut, que nous monstrions combien elle nous est chere et pretieuse, persistans constamment en icelle, quoy quon essaye de nous en divertir. Si vous sentez trop dinfirmite en vous, recourez a celuy qui a toute vertu en sa main. Mais si vous avez besoing destre armez et muniz pour soustenir la violence des ennemys de Dieu, notez que leurs ruzes et finesses sont encores plus a craindre. Vray est que beaucoup se trouvent estonnez, se voyans persecutez en leurs vies et leurs biens. Mais si par moiens obliques et faulses pratiques on tasche a les aliener de Dieu, cest encores pis. Comme quant vostre Evesque cornu a donne trois mois de relasche a ceux qui vouldront estre apostatz de Iesus Christ, et renoncer la verite de son Evangile, ce sont des filetz tenduz pour tirer les pauvres ames a perdition. Pensez doncques a vous, et vous gardez bien dentrer en deliberation si vous debvez renoncer celuy qui vous a si cherement acquiz. Car il vauldroit bien mieux que les feuz fussent allumez pour consommer les corps, que les ames fussent amiellees pour sempoisonner mortellement et perir a iamais. Plus tost quant les ennemys de vostre salut inventent telz moiens pour vous seduire, pensez que Dieu de son coste vous advertit de vous retirer [2]) comme sil sonnoit la trompette. Quoy quil en soit, montrez

---

2316. 1) *M. Bonnet suppose que cette lettre est adressée à des personnes de Chambéry, la date étant la même que celle de la lettre précédente, et le porteur ayant été Martinengo. La date ne prouve rien, et le nom du porteur ne suffit pas pour décider la question. On ne sait rien d'une communauté protestante à Chambéry. Il est vrai que l'Hist. eccl.* I. 84 *nomme plusieurs martyrs brûlés par arrêt du parlement de cette ville; mais ils étaient étrangers à la ville comme Vernou et ses compagnons: Gabriel Beraudin de Loudun, et Jean Godeau de Chinon en Touraine.*

2) retenir *Bt.*

au besoing que vous estes bons et fideles gensdarmes de Iesus Christ, despitans Sathan en tout ce quil pourra machiner contre vous, et que ce monde ne vous retienne point pour vous esloigner de lheritage des cieux. Et tenez pour tout conclu que Dieu veult que vous soiez descouvers par cest examen, affin de vous cacher soubz ses ailles, moiennant que vous demeuriez tousiours fermes soubz luy, et que vous ne cherchiez point ce miserable refuge auquel Sathan vous appelle par ses suppostz.

Surquoy, treschers Seigneurs et freres, apres mestre de bon coeur recommande a vous, ie supplieray nostre bon Dieu de vous maintenir en sa protection, vous augmenter en toute vertu, pour resister aux tentations qui vous sont dressees, et vous conduire tellement par son Esprit que iamais vous ne soiez desbauchez du bon chemin.

Iay este bref en ma lettre pource que ie ne doubte point que nostre cher et honore frere, monsieur *Martinengue*, ne vous exhorte plus au long, selon que Dieu luy en a donne la grace. Ce 8. doctobre 1555.

2317.

SULZERUS BULLINGERO.

Utinam foedus Bernam inter et Genevam ex invidia indies crescente non rumpatur. De Calvino usque sinistri rumores.

(Excerptum ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 106, olim Epp. II. fol. 664. — Simler. Vol. 85.)

Viro praestantissimo D. Henrico Bullingero domino et symmystae colendissimo suo.

S. De Genevatum statu auspicatiora acceperam, sed a cive Genevate, qui sinistra forte avis de patria sua esse noluit. Satis autem et nimium vera esse credo quae scribis, quod urbis eius ingenium nonnihil habeam perspectum, acre et insatiabilis propemodum vindictae, tum ad suspiciones vehementer propensum, si importunius exagitetur. Bernam tamen rationem moderationis et gravitatis habituram spero, neque commissuram facile ut societas utrique reipublicae necessaria dissiliat, utcunque apud illos sint qui frigidam suffundant, iique tales qui iam ante non βερνάζειν visi sunt. Placet tamen quod vester clarissimus senatus hoc incendium non negligat, matureque de sopiendo cogitet priusquam invalescat flammis tecta lambentibus restinctionem omnem recusaturum. Utinam vero falsum deprehendatur quod *Calvino* nostro impingitur, de persuasis ad falsi criminis confessionem vinctis per promissam securitatem. Id enim hic publice et apud primos ceu testatissimum indicatum fuit. — — — — — Basileae 9. Octob. anno 1555.

T. Sulcerus.

2318.

CALVINUS FARELLO.

Undique procellae et odia. Ecce denuo Westphalus, cui an respondendum Dominus consilium suggeret. Alii labores suscipiendi et vitae summa brevis.

(Manu scripta non exstat. Habet Beza Genev. p. 166, Laus. p. 358, Hanov. p. 400, Chouet p. 225, Amst. p. 103. — Gallice versa legitur in edit. Berol. p. 214, anglice Philad. III. 234.)

Ego vero, mi *Farelle*, etsi gloriari merito in his probris [1]) licet, quae in me congerunt virulentae ac petulantes linguae, quando nihil in me infamant nisi quod Deo et angelis probari scio: cuperem tamen in recessu aliquo latere, si forte mitigaretur istorum furor, quem mea praesentia accendere videtur. Non de quisquiliis loquor, quas pridem floccifacere, ut merentur, didici. Sed a gigantibus [2]) coelum, odio mei, assidue turbari, non abs re mihi dolet. Feramus tamen, quando scimus non fortuito accidere, ut tantis procellis iactemur. *Westphalus* etiam librum in me truculentum edidit, [3]) cui nescio an respondere expediat. Rogant amici quidam: ubi perlegero, Dominus consilium suggeret. Tu vero, quasi libros momento gignerem simul ac parerem, velles a me plures exire commentarios quam scribendis sufficiat longae vitae cursus in summo otio. [4]) Mihi vero quantulum vacui temporis restare putas? Utinam alii has vices obeant potius. *Philippo* acerrimus ero hortator: sed quam lentus sit, non ignoras. [5]) Vale, optime et integerrime frater. Dominus tibi semper adsit, te prote-

---

2318. 1) *factionis adversae.*
2) *Potius de Bernensibus dictum putamus quam de Libertinis.*
3) *Iustam Defensionem.* (*N.* 2296. 2329.)
4) *Cf. N.* 2325.
5) *N.* 2307. 2329.

gat ac sustentet. Fratres et amici te plurimum salutant, atque in his *Beza* noster, qui nunc mecum est. Genevae, 10. Octob. 1555.

Ioannes Calvinus tuus.

2319.

SLEIDANUS CALVINO.

Agit de historia sua nuper amico missa eiusque iudicium de hoc opere recolit. Addit novissima quaedam ex Germania allata.

(Ex autographo Cod. Genev. 113, fol. 97.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino ecclesiastae Genevensi domino et amico plurimum colendo ad manus proprias.

Sal. Tuas [1]) mihi reddidit *Hotomanus* noster huius mensis die quarta. [2]) Gratiam habeo permagnam quod tam amanter tamque benevole de nostro labore. [3]) Tanti enim viri testimonium atque iudicium est apud me velut instar multorum. Quod vero non dissimulas etiam quid requiras, pergratum sane mihi fecisti. Et primo quidem de vestra civitate deque *Farello* [4]) quod scribis emendabitur in altera editione, si quam typographus adornabit: et facile erit corrigere Nam de missa non fit ibi mentio quando sit abrogata. Quantum ad annatas [5]) pertinet, et nundinationem illam gallicanam, magna ex parte desumpsi ex Francisco *Duareno* [6]) iureconsulto Bituricensi. Ad illum vero quod attinet, cui me nimis credulum fuisse dicis, non parvum mihi scrupulum iniicis. Fuit hic nobiscum hyeme superiori prope per bimestre. Commemorabat multa et varia. Legationes ipsius ad nostros principes evulgatae sunt lingua populari et typis excusae [7]) cum insignibus *Ioannis Friderici* et *Lantgravii*. Hanc ego sum in eo sequutus formulam. Unus est tantum locus quem tu videris designare: nempe ubi recitatur qua demum occasione frater et ipse defecerint a pontificatu. Fateor sane, sum hic omnino sequutus fidem illius. Quod si perperam recitavit, non fecit officium viri boni, multo minus amici. Nam ex me saepe tum audivit, me velle mori potius quam scienter ullam rem falsam inserere. [8]) Quapropter te plurimum oro, vir clarissime, significes mihi quid sit in quo putes errorem aut vitium inesse. Tuto potes, ac silentium tibi fidemque promitto, nec est quod vereare.

Porro de comitiis Augustae [9]) puto iam ad vos esse perlatum. Finem habuerunt xxv. Septemb. ac tunc fuit recitatum decretum. Quod quale sit nondum habeo plane compertum. Legatus enim noster primum rediit ante dies treis neque curiosius adhuc volui inquirere. Sed opinor subesse mysterium. [Ubi certi quid cognovero, perscribam ad te.] [10]) Rex *Ferdinandus* postridie discessit Oenipontem. Ad Calendas Martias indicta sunt altera comitia Ratisponae. *Caesar*, apud quem filius iam aliquamdiu fuit cum utraque sorore, dicitur in Angliam esse profecturus. Erunt ibi comitia sub exitum huius mensis. Putatur ibi esse hyematurus ac deinde rediturus in Hispaniam: tametsi plerique subdubitant et aliud agi putant. Filium constituit principem totius Belgicae, [11]) perque eius absentiam praeerit ibi Sabaudiae dux. Galliae rex dicitur aliquid magni moliri. Cognoscemus brevi. Tametsi vos ista non latent.

De tua valetudine minus commoda non libenter accepi, [12]) Deumque precor ut te nobis diu servet incolumem. Vale, vir eximie, et ubi primum licebit rescribe. *Garnerius* ivit in Hessiam. [13]) Discede[*ns dice*]bat se cuidam dedisse negotium Losanae, nisi fallor, ut vos ips........riat et historiam nostram tibi tradat. Dat. xj. Octob. 1555.

Io. Sl.

2319. 1) *deperditas.*

2) *Hinc adventus eius dies definitur.*

3) *Calvini iudicium de Sleidani Commentariis cupidissime legeremus si aetatem tulisset, quippe qui erga amicos minime adulatorio sermone uti solitus fuerit.*

4) *Genevenses res attingit tribus locis:* I. 352 *breviter reformationem,* II. 31 *bellum Sabaudicum, et* III. 504 *tumultum a.* 1555 *Idib. Maiis exortum. Farellum bis producit,* II. 276 *acta eius Metensia, et* III. 446 *occasione Serveti.*

5) *Loqui videtur de loco* I. 207. — *Caeterum de variantibus et mutationibus horum locorum nihil dicitur ab editore Am-Endio quem sequimur (cf. Schelhorn, Ergötzl.* II. 414. 653) *verum nulli dubitamus quin autor statim a Calvino notata emendaverit.*

6) *Hunc iam Lutetiae videre potuerat Sleidanus, ubi a.* 1536 *in Pandectas legebat, antequam ad Bituriges se conferret. Eius iter Argentoratense ante Balduini adventum factum fuisse coniicimus, quocum iam acerrime altercatum esse vidisti (N.* 2241).

7) *Haec alii melius norint. Duareni opera iam* 1554 *iunctim edita sunt Lugduni form. max. tum auctius* 1579 *et saepius.*

8) *Quum de sinceritate autoris dubitare religioni habeamus, non possumus non eum ab iniusto et fastidioso Leopoldi Ranke viri clar. iudicio vindicare.*

9) *de pace religiosa habitis, Sleid.* III. 527.

10) *In margine.*

11) *Sleid.* III. 513.

12) *per Hotomanum puta, cf. N.* 2309.

13) *N.* 2271. 2301.

2320.

BERGERIUS CALVINO.

Splendidum Petri Alexandri elogium cum descriptione primae ab eo Argentorati celebratae coenae dominicae.

(Cod. Paris. Dupuy 102, fol. 95. Apographon a mendis non liberum.)

Carolus Bergerius [1]) D. Ioanni Calvino doctori suo S.

Non potui non ad te scribere, fidelis Christi minister, ecclesiam nostram pridie Nonas Octobris istius in unum convenisse ad edendum * dominicam coenam: idque hortatu et sanctis suasionibus episcoporum nostrorum praecedentibus 7 diebus publice habitis, in quibus vir ille fidei plenus Petrus *Alexander* statis horis de sacramento tanto et eius vi scite et subtili ingenio palam disseruit, nihil eorum quae ad rem facerent (probatiorum hominum iudiciis) omittens, cum profectu nostro maiore et incredibili nominis sui commendatione et gloria, quam Deo soli acceptam iure refert. Sic enim marmore antehac duriores quorundam nostrorum animos leni et blanda sua oratione demulsit. Rudes autem et infirmas adhuc in via Domini mentes eius clementia confirmavit, stabilivit, fovit, ut bene comparatas ad communicandum sanctae Domini nostri Iesu Christi coenae eo die, indiciis ad probationem indubitatis et luce clarioribus, expeditum illi fuerit *. Nihil mirum: quum enim iudicia Dei horrenda conculcatoribus sanguinis testamenti vivo Dei verbo et autoritate spiritus sancti audientibus cunctis in publicam notionem deferret, quis tam elato supercilio vel incredulorum enim * moveretur? Labentes autem et consternatas paene mentes misericordia Dei statim refectas ita exstimulavit inflammavit et accendit in Dei Christique eius caritatem, ut ad unum fere omnes qui adstabant prae gaudio subortae lucis homines illacrymarentur. Densissimae siquidem contentionum tenebrae toto fere sesquimestri hanc copiosam hominum multitudinem ex variis nationum conflatam generibus obtexerant amplius quam par erat, in ecclesiae Dei scandalum non dicendum. Huic autem pestifero morbo multorum iudiciis insanabili medetur Dominus per *Alexandrum* ministrum suum. Hic namque zelo Domini secundum scientiam quum totus arderet coram Deo in Christo, matutina diei illius oratione sic cunctis audientibus loquebatur: Unusquisque vestrum a fratre suo vel alieno etiam quamcunque ab illo acceptam gravissimam iniuriam nonne nunc illi remittit ex animo, et reconciliati estis invicem, quasi in mortem parati? Cui publice respondit uno ore ecclesia universa: Amen. 2°. Numquid Domino soli secundum eius legem in utroque suo promulgatam testamento inservire nunc deliberatis: Cui congregatio subiunxit: Amen. 3°. Annon a minimo usque ad maximum hodie confiditis omnes remitti et condonari delicta vestra solius Dei misericordia per unicum mediatorem Dei et hominum Iesum Christum, in quo solo fidelium salus constituta est? Cui etiam respondit ecclesia: Amen. Subiunxit postea, secundum sibi creditam potestatem in virtute spiritus sancti, ratam esse et illibatam illam fidei nostrae attestationem coram Deo et angelis eius, donarique nobis admissorum omnium veniam criminum in Christo Iesu. Cui similiter respondimus: Amen. Ubi vero perorasset, iussit ut nos ad mensam coelestem intrepidi ordine accederemus fruituri corporis et sanguinis Christi certa participatione in vitam aeternam. Illius dicto morem gerentes admonebamur singuli privatim, tum ab illo quum etiam diacono *Loqueto*, ut mortis et passionis Iesu Christi subesset recordatio. Dum haec geruntur multi Davidis decantantur psalmi a fidelibus, donec opus coeptum Domino propitio consummatum esset. Quod quidem propter hominum frequentiam ad undecimam tantum peragi poterat, subinde gratiis Domino publice actis quod per Christum suum tot tantisque donis sua clementia nos dignaretur valere. In eo iussi * sumus per ministrum nostrum *Alexandrum* ad primam usque horam, audituri ab eo publice loci illius catechismi interpretationem fidelem, quis fructus passionis Iesu Christi ad fideles demanarit. Scripturae istius nodis apertius et perfectissime reseratio [2]) tertia sequuti hora D. *Loquetum* ad quintam usque pie disserentem audivimus de loco illo primae Petri cap. 3: Praestat enim benefaciendo, si ita fert voluntas Dei, pati quam malefaciendo, quia Christus etc. Singula his legibus tibi tradenda iudicavi:

Macte Dei virtute senex, [3]) quo quaeque probaris
Numine pro sacro sint imitanda mihi.
Quumque prior Christo coelestia templa dicasses,
Partibus in * istis gloria magna datur.
Te precor ut coeptis faveas cum laude secundis
Sic nostrum semper quisque beatus erit.

Argentorati 5° Idus Octobris 1555.
Vale.

2320. 1) *Videtur fuisse Gallus Argentorati degens ob religionem profugus, fortasse frater Petri Bergerii martyris* (*N.* 1737).

2) *lege:* reseratis.

3) *Calvinum ipsum de visu nosse non videtur, tum annum aetatis 47 agentem.*

2321.

ALEXANDER CALVINO.

Prosperum statum ecclesiae cui iam praeest Argentorati laudat et exponit qua de causa factum sit ut in sermonibus initio latina gallicis miscuerit.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 176, pessime exarato, ita quidem ut non minus autoris stilo quam nostris oculis iure diffidere nobis videamur.)

Fideli Christi ministro D. Ioanni Calvino domino et praeceptori plurimum observando.

Genevae.

Accepi literas [1]) humanitatis tuae, virorum doctissime, quibus congratularis statui renovato nostrae ecclesiae certe per Dei misericordiam et gratiam. Habemus et nos quod gloriemur per Iesum Christum in his quae ad Deum pertinent. Nam ipse Dominus tantam dedit efficaciam verbo suo, ut postpositis omnibus dissidiis ipsa ecclesia nunc sic sit coadunata, et in virtutem fidei et vinculo caritatis conglutinata ut omnes unanimes una sententia in prima coena, quam praecedenti Dominica celebravimus, glorificarent Deum et patrem Domini nostri Iesu Christi. Fuerunt quidam, sed pauci, qui apud se adhuc retinuerant ex farina Aegypti, qui eadem die noluerunt nobiscum communicare. Sed quum vidissent tantam ecclesiae concordiam, tot preces et publicae lacrymae *, perterriti tali exemplo inexspectato in se ipsis * reversi *, poenituit eos suae negligentiae. Hinc factum est ut altero die cum lacrymis et precibus coram maiori parte ecclesiae supplices se praestarent veniam petentes suae vecordiae et eorum omnium quibus hactenus ecclesiam offenderant et scandalizaverant. Convocata est igitur tribus diebus continuis ecclesia, et auditae sunt eorum preces et lacrymae itaque * publice Christi ecclesiae gloria honor et trepudium in gloriam illius qui novit corda filiorum hominum et lapidea ac ferrea in carnea et flexibilia mutare. Caeterum quod me admones ne sententias latinas misceamus cum gallicis [2]) gratantissime * accipio. Sed unum te scire volo, me hactenus hoc non fecisse quod morem in papatu receptum vellem imitari: nam gratia Dei hunc morem iam pridem a me abdicavi. Sed hoc feceram rogatus a pientissimis nobilibus Angliae [3]) et a potioribus magistratus nostri, qui ordinarie intersunt concionibus meis. Quum autem tam perfecte non possent omnes sententias assequi, me rogarunt ut aliquarum sententiarum principia vellem latina lingua proferre et statim gallice interpretari. Certe non potui tantis viris hoc denegare, et de hac re volui etiam nostram ecclesiam admonere, cui etiam placuit ut in gratiam eorum qui tantum hactenus promoverant Dei verbum, et tam humane exsulem ecclesiam in suo regno recepissent, hoc facerem. Nunc autem gratia Dei satis promoverunt, ut deinceps non sit opus illa batalogia: quare sequendo piam tuam admonitionem de caetero ab huiusmodi allegationibus latinis abstinebo.

Salutant te clarissimi viri D. *Checus*, [4]) praeceptor piae memoriae regis *Edouardi*, D . . . ., [5]) primus chapelanus eiusdem. D. *Morisinus*, [6]) D. *Copus* [7]) et multi alii boni viri Angli, [8]) qui nunc degunt apud nos suaque praesentia et morum integritate nostram assidue decorant ecclesiam.

Caesar nunc transiturus est in Angliam cum omnibus suis sororibus, effecturus, si potest, quod hactenus filius suus efficere non potuit. Haec sunt nova quae apud nos habentur certiora. Si videris nostrum *Crispinum*, quaeso ut digneris eum nostro nomine salutare. Ipse enim nos fefellit in sua peregrinatione. Iterum vale. Dominus Iesus Christus dignetur te diu sanum et incolumem nobis et suae ecclesiae conservare. Argentinae 12. Octobris 1555.

Tuus totus Petrus Alexander.

2321. 1) *deperditas.*
2) *Videntur pristinam Calvini liturgiam mutasse. Explicari haec possent ex Interimistico rerum statu vel ex lutheranismo Argentoratensium. Sed ipse rationem aliam profert.*
3) *Qui ergo ut Francofordienses librum suum anglicanum caeteris obtrudebant.* (*N.* 2059. 2091.) *Fortasse tamen latine malebant quam gallice, linguae minus gnari.*
4) *ex Italia redux.*
5) *nomen dubium.*
6) *De quo vide N.* 2186. *Post iter suum italicum Argentoratum rediit ibique mortuus est.* (*Strype, Parker* II. 446. *Idem, eccl. Mem.* III. 1, *p.* 232.) *Cf. etiam N.* 2416.
7) *Tale nomen alibi non occurrit. Vide an iste in nomine erraverit: nam inter Anglos Argentoratenses recensetur aliquis Sir Anthony Cook.*
8) *Si nominum curiosus es plurimos praebebit Strype eccl. Mem. l. l. Inter eos eminent quos et alibi obvios habemus Sir Peter Carey, Sir Thomas Wroth, John Ponet bishop of Winchester, Edmundus Grindal Ridleii capellanus postea archiepiscopus Eboracensis etc. Multi alii subscripserunt epistolae* 23. *Nov.* 1554 *datae quae legitur in Troubles at Francf. p.* 23.

2322.

LASCUS CALVINO.

Statum ecclesiae peregrinorum Francofordiae prosperum describit, oblique tamen de certis quibusdam contentionibus de rebus minoris momenti, caeremoniis puta, obortis loquitur.

(Ex apographo Perizonii in Cod. Lugduno-Batavo Periz. 5, fol. 9 v.)

Viro sanctissimo iuxta ac doctissimo D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae antistiti vigilantissimo fratri in Domino observandissimo.

Etsi tibi omnia plane quum per meas literas [1]) tum etiam per D. *Crispinum* indicavi, vir sanctissime, quaecunque ad promovendum doctrinae sanae consensum et ecclesiarum pacificationem hoc tempore intelligebam pertinere, tamen et nunc rursum quaedam exposui symmystae huic et fratri nostro communi D. Ioanni *a S. Andrea*, quae post *Crispini* abitum nobis hic evenerunt, nempe quid ab urbis huius ministris Germanis adversus peregrinas hic omnes ecclesias tentatum actumque sit, et quonam adhuc spectare omnia videantur. [2]) Nos porro magistratum nobis, sit Deo gratia, aequum plane ac faventem habemus, adeoque hic nihil habemus quod queri ullo modo possimus: ut magnas nos etiam gratias illius nomine Domino Deo nostro agere oportere fateamur, nisi quod vereor ne nostra ipsi ingratitudine iram Dei in nos provocemus. Non agnoscimus, nescio quomodo, magnitudinem beneficii divini in impetrato dissipatis ecclesiis receptaculo atque hospitio, sub tanta praesertim piorum ubique afflictione. Imo vero tanto Dei beneficio abutimur etiam ad alendam affectuum nostrorum indulgentiam, et de rebus leviculis haud aliter contendimus quam si in altissima pace et extra omnem omnino telorum iactum versaremur. Dominus adsit suae ecclesiae. Amen.

Optarem vos et vestram ecclesiam posse videre, [3]) sed valetudo ita est fracta, ut itineribus istiusmodi vix amplius par esse possit. Iam ab abitu *Crispini* nostri ter in icterum recidi, qui revellitur quidem adhuc utcunque, sed indies maiora interim vestigia post se toto corpore relinquit. Quod si hic nobis non detur mutuo nos videre posse, videbimus nos procul dubio nihilominus tamen per Dei gratiam in regno coelorum, in quo nunquam deinceps ab invicem in aeternum divellemur. Nunc Dominum oremus ut nos regat ac corroboret spiritu sancto suo adversus conatus atque insultus adversariorum nostrorum, ut in nostra statione forti infractoque animo perstare, nostraque tolerantia mundi totius furias superare possimus. Salvere iubeo officiosissime fratres [4]) istic omnes meque sanctis precibus vestris diligenter totum commendo.

Ricardus [5]) noster abest, profectus in Saxoniam. Huius absentis domum pestis invasit, ac primum ancillam illius, deinde vero et uxorem hodie primum exstinxit. *Valerandus* vero tibi multam salutem verbis suis ascribi iussit. Vale, vir integerrime, et nos, quod facis, ama. Francofordiae 14. Oct. anno 1555.

Tuae pietati addictissimus
Ioannes a Lasco.

2322. 1) *N.* 2296.
2) *Hartm. Beyerus eiusque collegae apud senatum, ne aedes ad S. Catharinae petentibus concederentur, intervenerunt, simul declarantes, illos extraneos in doctrina ab ipsis discrepare. Sub finem mensis Octobris denuo de ea re ad Senatum retulerunt.* (*Frankf. Rel. Handl.* I. *Beil.* 5, *p.* 7.)
3) *Quum Calvinus anno sequente Francofurtum se contulit Lascus iam abierat.*
4) *Peris. scripsit:* fere.
5) *Vauville.*

2323.

PIPERINUS CALVINO.

Calumnias contra eum passim sparsas recolit, unamque aliquam prae caeteris invidiosam exempli gratia refert quam publice refutari cupit. Harmoniam in Evangelistas emere vult.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 60.)

Eruditione et doctrina clarissimo viro ecclesiae Christi pastori eximio D. Ioanni Calvino fratri in Christo amantissimo.

S. Etsi non dubitem, doctissime *Calvine*, per amicorum literas iam dudum ad te relatum quam horribiliter apud quosdam traducaris, [1]) quae res mihi et multis bonis non parvum dolorem parit, non potui tamen praetermittere hoc certo et commodo nuncio, quin et ego, licet tenuissimae eruditionis et extremae sortis homo, meam συμπάθειαν per literas paucis declararem. Scio quod tu mea instructione, Domini gratia, non habeas opus. Spero item Dominum, propter quem has tribulationes sustinere cogeris, dissipaturum omnia consilia dolosa et iniqua adversus te et omnes pios. Omissis igitur plerisque (nam quarundam contumeliarum refutationem ex carissimo domino compatre M. Ambrosio *Blaurero* intellexi) quae non tam a malevolis quam quibusdam non malis, qui tamen caritatis christianae obliti magna asseveratione hinc inde sparguntur, unum addam quod me prae caeteris torquet, ut si excusatio apud nos istiusmodi calum-

2323. 1) *Cf. N.* 2294.

niarum instituatur, quemadmodum fieri libenter audio, et haec diluatur.

Aiunt reginam Navarrae pro subsidio pauperum ad te misisse 4000 coronatos, ut in usus pauperum et exsulum distribuerentur: eam pecuniam te transtulisse in usus proprios et privatos, neque etiam fuisse contentum ea summa, sed plus auri ab ea petiise: quod quum illa denegasset, te gravissime offensum publico scripto in illam invectum. Haec quum vero dissimilia per se sunt, neque a me neque ab ullo bono creduntur, quemadmodum nec caetera quae blasphemi homines non sine offendiculo hinc inde garriunt. Videretur tamen non ab re si publico scripto singula confutarentur. Sed tu pro tuo candore, integritate et iudicio singulari his rebus consulere poteris sine mea admonitione. Dolet nobis tam indignis modis te, per quem tanta est Dominus operatus, proscindi.

Haec nolui copiosius apud te agere quia te gravioribus rebus occupatum scio. Unum a te, carissime frater, peto: quum nuper apud D. *Ambrosium* essem, vidi Harmoniam tuam in tres priores Evangelistas, thesaurum exoptatum. Eum librum non ligatum, sed tamen compactum ut a tempestate tutus ad me perferri possit, per hunc nuncium ad me mittere digneris. Ipse pecuniam pro eo numerabit: cui tantum paucis pretium significa ne falli possit. Vale in Christo Iesu et me tui amantissimum tuis precibus commendatum habeto. Büreae 1555. 15. Octob.

Ignosce mihi, nam mire
festinandum fuit.

Christophorus Piperinus,
pastor ecclesiae Bürensis.

2324.

MUSCULUS BULLINGERO.

Hic quoque aegre fert dissensiones Genevam inter et Bernam indies ingravescentes.

(Ex autographo Cod. Turic. MSS. A. 74, fol. 939. — Simler. Vol. 85.)

Clarissimo theologo M. Heinricho Bullingero compatri suo in Domino carissimo.

Tiguri.

S. Utinam vel vestri, compater in Domino carissime, aliquid zeli nominis Dei ostendant. Video multorum animos prorsus in causa purae religionis languescere, ut timendum sit ne idem nostris accidat ecclesiis quod aliis accidisse vidimus. Causa Genevensium indies peior redditur.[1]) Duae hae respublicae, illorum et nostra, mirum in modum a se invicem abalienantur. Irritant illi animos nostrorum nescio quibus et qualibus scriptis,[2]) quibus nostri nihilo mitius respondent. Obsecro, scribe *Calvino* ut autor suis sit ne quid posthac scribant eiusmodi, unde nihil est exspectandum quam ut malum peius adhuc reddatur. — — — — — — — Bernae 1555. 15. Octobris.

W. Musc. comp. tuus in Domino.

2325.

FARELLUS CALVINO.

Progressum et successum in operibus edendis ei gratulatur. Westphalum tam vehementer deblaterare miratur quum vel Lutherus olim confessione Basileensi contentus fuisset. Malis tamen non cedendum. Quaerit an puer Neocomensis aliquis Genevae tinctoriam artem addiscere possit.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 124, coll. cum Cod. 116, fol. 45, Epp. Bern. VI. p. 502 et Simleri Vol. 85.)

Praestantissimo Christi servo Ioanni Calvino, pastori ecclesiae Genevensis quam fidelissimo fratri et symmystae suspiciendo.

Genevae.

S. Harmoniam tuam non indigne exceptam[1]) gratulor quum Francofordiensibus tum tibi. Bene attemperat Dominus labores suorum, ut non semper male cadant nec contingant ingratis, sed ab amicis amice excipiantur. Sed quid non bene cedit laboranti? Sane quod agit Dominus per suos sine fructu nunquam evenire potest.

2324. 1) *N.* 2306. 2329.
2) *Hic tibi in memoriam revocamus edictum illud quod sub N.* 2284 *exhibuimus. Genevenses fugitivorum expulsionem a Bernensibus postulasse videntur. Inde epistolae mutuae d.* 17. *et* 18. *Oct. missae animos utrorumque incitaverunt. De legatis Bernensibus Terniacum euntibus quibus a Genevensibus transitus per urbem negatus fuit d.* 28. *Aug. iam supra diximus. Aliud recentius factum narrat Ruchat* VI. 143.
2325. 1) *N.* 2293. *Ipse Sanctandreanus demum d.* 29 *redux fuit Genevae Calvino illos* 40 *aureos afferens.*

Quod petii abs te[2]) de Psalmis et Prophetis ut in lucem prodeant, non peto ut gignas et parias, idque momento, sed quum domi et in ista ecclesia pepereris et educaveris, fac ut aliis sancti partus tandem videantur. Sed hic nolim alium consulas quam Dominum et ecclesiam, quam sit id utile et in gloriam Dei.

Wesphalus non solum confutandus est scripturis,[3]) verum tua moderatione palam omnibus est faciendum quam miser insanus aberret. Si me audis, nihil nisi quod ad rem facit eucharistiae tanges, personam sines intactam, et quum Dominus dederit successum defensioni, quum eam ecclesiae probarint quibus dicasti, si rursus confutationem eis inscribas, ut magis in eadem foveantur et uniantur doctrina, forte non erit parum utile. Mirum, quum *Lutherus* confessione Basiliensi contentus fuerit,[4]) et nisi importune aliud intervenisset amico et pacato fuisset animo nobiscum, tam esse *Wesphalum* et eos qui cum eo faciunt feros, ut nulla possint ratione cicurari, quum plenissime fateantur ecclesiae quidquid peti possit de coena, et quum tu unus semper probatus fueris *Luthero*, te ausint impetere. An expediret ut qui literas a *Luthero* acceperunt, urbes et ecclesiae, quibus fatetur se plus aequo motum fuisse et egisse quam par fuerat, agerent apud principes et alios, ut compescerent turbatores pacis qui ecclesias scindunt, aut amicum colloquium admitterent, ut auditis omnibus tandem aliquid concluderetur unde ecclesiarum paci et concordiae consuli posset. Si tu pastores hortareris, non putarem frustra casurum.

Quod attinet ad ea quae te tangunt, si *Beza* ea tractaret, liberius posset et minori invidia quam tu, siquidem perstringendi sunt tam caeci qui plena luce solis non vident coenam recte fieri nisi facibus accensis, nec satis ornata est puritate et simplicitate, qua omnium splendidissima peracta fuit, Christi coena, nisi et pontificia ornamenta, arae et missae quoque nomine vestiant coenam, quin praeter libros sacros, unde vult doceri plebem suam Dominus, idola in templis ut libros haberi volunt, et audent truncare absolutam legem Domini de non faciendis idolis, et mirum quam sibi contra verbum Domini usurpent quae merito perstringenda sunt. Sed malim per alium fieri quam per te, ut videant ex simplici tua tractatione rei quid ad manum habeas, si velis alia quam quae ad coenam attinent tractare. Sed de his, et aliis quae magis expediunt, non est quod imprudentiae meae acquiescas. Habes prudentiam et consilium a Domino tibi data non parce sed quam fusissime. Utere ut facis in gloriam Domini. Verum quantum tibi hic defero, tantum in alteram inclino partem eius quod cupis in secessu latere, ut magis ipse optem te manifestius omnibus lucere, et ut urbem in altiori montis summo vertice sitam ac lampadem in editiori loco sitam omnibus videri et lucere, quo magis et magis glorificetur Christus. Teque quaeso ut aliud ne cogites quidem, quantumvis Satanas molestus tibi cum suis sit. Contentus esto quod Domino servias, et quod ita te velit laborare et pati. Dei enim voluntatem, non nostram, fieri oportet. Sit nomen Domini benedictum. Per eos et iis rationibus nos affligit Deus per quos vult et prout vult, et ut se invocemus invitat et iubet, ut a malis liberemur. Videat et iudicet quam inique nobiscum agatur, et nobis adsit. Quod et facit et faciet.

Mirabilis te salutans iussit ut te rogarem pro ipsius nepote, ex fratre *Iona* scilicet, qui istic egit apud *Baduellum*, ut si quem noveris peritum at probum infectorem, apud quem *Ionas* esse possit, nobis indices. Ecce quid abs te petam. Quod si alius faceret arguendum valde iudicarem: sed malo in te peccare quam non stare promissis. Recepi enim me ad te huius gratia scripturum. Ideo boni consule. Praeterea pater *Ionae* voluit me unum esse ex iis qui e sacro fonte puerum tunc levarunt.

Christus det ut ex *Philippo* tandem obtineas quod merito debet. Vale bene, et fretus ope et promissione Christi triumpha exsultans in omnibus turbis et malis quibus conatur Satanas te turbare et afflictare. Qui vicit mundum merito suspiciendus est. Intueri enim eum sanitas est et victoria. Cupio collegas cum piis omnibus salvos, ne praeteream pios syndicos et senatores, quos commendamus Domino, et istam ecclesiam quam servet et augeat Dominus. Nostri te salutant, collega et *Maturinus*. Neocomi 17. Octobris 1555.

Cui tuas postremas ad me literas dedisti mihi non reddidit, sed per filium hospitis Nigri capitis reddi curavit. Resignatae mihi visae sunt fuisse. Sed quid est periculi ab hominibus in iis quae scimus a Deo non damnari?

Tuus Farellus.

---

2) *Cf. N.* 2318. *Psalmi post biennium demum prodierunt. Eodem anno Hoseas; Minores omnes a.* 1559, *Daniel* 1561, *Jeremias* 1563. *Ezechielis pars post obitum autoris. Jesaias pridem editus fuerat.*

3) *Vide ibidem.*

4) *Lutheri epistola ad Turicenses Bernenses Basileenses etc. Cal. Dec.* 1537 *data legitur ap. De Wette* V. *p.* 83. *Cf. Ep. ad Bucerum ib. p.* 87.

2326.

CALVINUS PIPERINO.

Purgat se a crimine pecuniae pauperibus destinatae in proprium usum conversae.

(Ex thesauro Bezae Gen. p. 167, Laus. p. 358, Hanov. p. 401, Chouet p. 225, Amst. p. 103. — Gallice in ed. Berol. p. 215.)

Equidem dum passim tam atrociter me proscindi audio, [1]) non ita sum ferreus, mi *Piperine,* quin dolore pungar. Sed hoc mihi saltem non leve solatium est, te et complures alios Christi servos et pios Dei cultores meis iniuriis condolescere. Quanquam mallem, si fieri posset, solus tacite vorare quidquid in me probrorum congeritur: ne qua inde pars molestiae in fratres meos redundaret. Itaque haec quoque ratio inter alias facit, ut silentio calumnias praeteream, quas alioqui diluere nullo negotio promptum esset et quas a me excutere cuperem. Cur enim mei purgandi studio probos homines obtunderem? Si maior necessitas urgeret, petita venia defensionem proponerem. Sed futilior est probrorum quibus me improbi aspergunt vanitas, quam ut sollicita refutatione opus habeat. Ipsi quoque autores me ambitionis notarent, ac si de tuenda mea existimatione nimis essem anxius. Exemplum est in illa ingenti quam commemoras pecuniae summa. Sciunt omnes quam frugaliter vivam domi meae: vident in vestium splendore nullum sumptum fieri: palam apparet, fratrem meum unicum nec valde esse locupletem, nec meis opibus adeptum esse quidquid habet. Ubinam ergo defossus iaceret thesaurus ille? Atqui me pauperibus furatum esse iactant. Hoc etiam improbissimi de nihilo fictum esse fateri coguntur. Si quid pauperibus erogant pii homines, nullum nummum attingo. Mortuus est apud me ante octo annos vir quidem nobilis, [2]) qui apud me supra duo coronatorum millia sine chirographo deposuerat. Ubi mortis esse periculum intellexi, quum meo arbitrio permittere vellet, negavi me id suscepturum oneris. Curavi etiam ut Argentinam mitti iuberet octingentos, sublevandae exsulum inopiae. Meo hortatu delegit homines minime suspectos, qui reliquam summam distribuerent. Mihi quum legare vellet quod alii non sprevissent, recusavi: sed video quid urat meos adversarios. Quia enim ex suo me ingenio metiuntur non dubitant quin undique accumulem, ubi tam opportuna suppetit facultas. Verum, si vivus non effugio nomen divitis, ab hac nota mors tandem vindicabit. [3]) Caeterum, nullus mihi esset scribendi finis, si ad meditandam apologiam animum adiecero. Multa istic si iactantur, scito vix contesimam esse eorum partem, quibus assidue obtundor. Ergo nihil superest, nisi ut paratus ad reddendam rationem, nihilominus os praebeam colaphis. [4]) Pergamus, mi *Christophore,* per infamiam et bonam famam, neque sinistris rumoribus frangi nos sinamus. Quanquam si tu fontem teneas, mecum facile agnosces patientia vincendum esse. Nemini enim verbum facere in mentem veniret, nisi quisquiliae hominum viderent se proceribus officium praestare, ac paratam sibi esse maledicentiae mercedem: subitoque evanescerent mendacia, nisi ab iisdem illis in quorum gratiam conficta sunt foverentur. Quia epistolam cogor abrumpere, finem hic faciam. Vale, optime et mihi amicissime frater. Dominus tibi semper adsit, te spiritu suo gubernet, laboresque tuos benedicat. Genevae 18. Octobris 1555.

Ioannes Calvinus tuus.

2326. 1) *Vide Piperini ep. N.* 2323 *tum etiam* 2307. 2329.
2) *David de Busanton, de cuius testamento vide N.* 680. 997. — *Bolsec, Vie Ch. xi:* Mourut à Geneve un appelé M. David de Haynault qui estoit venu en ladicte ville pour la religion et en mourant laissa 2000 escuz pour les pauvres, ordonnant les executeurs de son testament un hannoyer appelé Maldonnal et un autre dict Sainct-André, qui estoit ou bien fut tost apres ministre de Geneve. Le tiers executeur de son testament il ordonna Calvin, auquel comme gouverneur et distributeur de l'argent des pauvres fut commise ladite somme de 2000 escuz, desquelz 500 furent distribuez à aucuns de ses plus intimes amys, comme à Viret 25, à Farel 20, et quelque autre somme aux susdits Maldonnal, Sainct-André et autres: mais on ne peut scavoir que devindrent les 1500. Dont se leva grand murmure entre les pauvres: mais ceux qui en parlerent trop avant furent contrains de sortir de Geneve et feit on à croire qu'ilz estoyent libertins et atheistes.
3) *Cf. eius testamentum. Minime ergo probandus Galiffe qui et ipse Calvinum a crimine aviditatis non vult omnino absolvere.* (*Quelques pages p.* 89.) *Etiam Kampschulte p.* 388 *nimis incaute de magno reditu hominis loquitur.*
4) *Mireris eum nihil de Regina Navarrae dicere, deque epistola quam ad eam scripsisse dicebatur.*

2327.

SULZERUS BULLINGERO.

Calvini innocentia a pluribus tandem agnoscitur.

(Excerptum ex autographo Cod. Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 106, olim Epp. Tom. II. fol. 665. — Simleri Vol. 85.)

Viro praestantissimo D. Henricho Bullingero ecclesiae Tigurinae antistiti, domino et symmystae colendissimo suo.

— — — — — — — — — — — — — — — — — —
Calvini nostri innocentiam contra furiosas criminationes magis magisque patefieri audio:[1]) unde nimirum Bernenses nostri, saltem saniores, magis pacificabuntur et aequiores concivibus futuri sunt. — — — Basil. die 19. Octobris anno 1555.

Tuus Sultzerus.

2328.

CHECUS CALVINO.

Tristem Angliae statum et extrema multorum piorum discrimina describit: quorum constantia et aliis robur et calcar addere debet.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 61. Edita est a Soc. Parkeriana latine in Epp. Tigur. p. 93, anglice Tom. I. p. 142.)

Ornatissimo et doctissimo viro D. Ioanni Calvino pastori ecclesiae Genevensis.

Genevae.

Uno atque eodem tempore et adventum[1]) D. *de Sancto Andrea* intelligo et discessum: paucis tamen volebam te salutare. Ego hic, quantum cogito, hiematurus sum in hoc exsilio nostro, veterum amicorum societate usus a quorum consuetudine non libenter abstrahor. Gaudeo quod Dominus te ex hoc incendio, non modo valetudinis tuae qua affligtabaris,[2]) sed etiam calamitatis[3]) eripuit, quae universum civitatis et ecclesiae vestrae statum consumpsisset. Haec etiamsi temporibus iam vetera sunt, mihi tamen qui haec primum audio sunt nova. Itaque magnas Deo gratias ago, quum haec inusitata et memorabilia providentiae suae testimonia caeteris ad excitandam fidem et venerationem eius affert. Nihil est quod magis adversariorum animos ad veram de Deo cogitationem transfert quam quum pii defensione eius adversus insidias et machinationes improborum muniuntur. Precor autem ut in hac perturbatione et ruina rerum Dominus miserae Angliae aliquam opem et adiumentum adferat, cuius sunt gravissima irae testimonia permulta, bonitatis et clementiae perpauca. Boni enim viri et, quod etiam magis lamentabile est, principes doctrina et autoritate viri, quorum consiliis et ingeniis multae magnaeque res in ecclesia gestae sunt, non modo in discrimen vitae adducuntur sed etiam condemnati sibi exoptatam, ecclesiae luctuosam et miserandam, mortem indies exspectant. Qui etiam exemplo et constantia non solum viventes confirmare sed etiam posteris praelucere debent. In quibus D. Cantuariensis, Londinensis et quondam Vigorniensis episcopi, *Cranmerus*, *Ridleius*, *Latimerus*, quum constanter et animose in suscepta iam christiana doctrina permansissent, neque ab ea terrore iudicii, mortis, ignium, abduci poterant, condemnati, degradati (sic enim vocant) vel sunt, iam audio, concremati, vel brevi vim ignis et crudelitatem tyrannicam sensuri.[4]) Grave nobis et miserabile illis carere, quibus, si Deus aliquam conversionem rerum largiretur miserae iam multum iactatae Angliae, vel non omnino, vel aegerrime careremus.

Sed quid ego haec apud te qui intelligis, hoc constantiae et fortitudinis exemplum ad universam longe lateque diffusam ecclesiam corroborandam pertinere, neque vivos tantum doctrina quanto mortuos exemplo illos prodesse posse. Ego vero id fateor, et in eo humanitus confirmor: sed quod Paulus de vita sua dixerat hoc ego ad illos pertinere, meo iudicio, putarem, si divina haec severitas respiraret in Anglia, et conquiesceret, et ab hoc nos impio cultu ad veram christianitatem deduceret. Sed quid exspectandum a Deo in hac caede bonorum? Fortasse quod explere impietatem suam nostri quasi Amorrhaei debent, ut gravior divinae iustitiae severitas in eos maturius exerceatur. Ego quidquid Dominus facturus sit, cui parere non imperare debeo, ita novi et credo facturum esse ut ad electorum suorum utilitatem, quorum ille provisionem defensionemque suscipit, omnia pertineant. Quo minus angor animo quum quid evenerit, et mei officii iudico ita de Domini consilio iudicare, ut prudentia bonitateque refertum putem, nec posse aut deberi nostris vel sententiis vel rationibus aut corrigi aut reprehendi.

Vide autem, ad amicum dum scribo, ut quidquid mihi in mentem venit scribo. Sed dum longitudine fatigaris condonato libertati meae, qui minus curiosus sum dum ad studiosos mei scribam, non veritus reprehensionem ubi veniam potius offensio habet quam criminationem. Domius te servet, tibi mihique et ecclesiae suae. Saluta, quaeso, D. *Staffordum*[5]) uxoremque familiamque

2327. 1) *Quidnam audierit in alterutram partem non liquet.*
2328. 1) *Argentorati, in itinere ex Francofordia Genevam.*
2) *Cf. N.* 2309.
3) *Libertinorum coniurationis.*

4) *Ridleyus quidem et Latimerus, d.* 16. *Oct. combusti sunt, Cranmerus vero sibi minime constans demum d.* 21. *Mart.* 1556. (*Strype, Cr.* III. 18 *et* 21.)
5) *Fortassis illum qui postea de rebellione e vinculis causam dixit.*

eius, tum hospitem eius D. *Sancti Hieremiae* apud quem est. D. *Marchionem* vestrum, si ad vos adhuc redierit, D. *Normandiae*, DD. *Budaeum* Parrhisiensem fratremque tuum. Argentinae 20. Octob. 1555.

Tui studiosissimus
Ioannes Checus.

2329.

CALVINUS BULLINGERO.

Ab adversariis indigne et inique traductus vindicat se ab eorum calumniis, primum quoad partes quas egisse dicitur in causa seditiosorum Genevensium, deinde quoad negotiationes cum Bernensibus transactas de renovando foedere. Transit porro ad litem inter pagos de iurisiurandi formula pendentem. Denique agit de Westphali novo libello iam refellendo, novaque ecclesiarum omnium confessione condenda.

(Varia sunt huius epistolae exemplaria, nullum autographon. Antiquissimum, quod nos tibi exhibemus, Ionvillaei est in Cod. Genev. 107a, fol. 107: hoc titulo praemisso, sed alia manu: *De seditione Genevae ab improbis excitata ducibus Perrino et Vandelio.* Eundem praebet Turretini apographon Cod. 108, fol. 22. — Turici exstat exemplar ab amanuense scriptum in Archivis Plut. VI. Vol. 166, olim Epp. Tom. 24, fol. 59, ex quo fluxit ex parte Simlerianum Vol. 85. — In Epp. Bernensibus legitur Tom. VI. p. 457. — Edidit Henry Tom. III. App. p. 123. Fragmentum eius legitur ap. Hessium p. 262.)

S. Etsi mihi de novis calumniis quibus rursum impetor non iucundum nuncium attulerunt tuae literae, [1]) gratum tamen fuit ex illis intelligere qua me invidia gravent improbi, ut saltem aditus pateat ad me purgandum. Omnia quae quotidie finguntur diluere, immensum foret. Pleraque etiam adeo futilia [2]) ut in eorum refutatione operam ponere ridiculum esse arbitrer. De duobus ergo tantum quae attingis capitibus quid verum sit exponere sufficiet.

Vulgo spargunt miseros homines tormentis coactos falso in carcere fateri quae postea retractant. [3]) Fateor certe quatuor qui supplicio affecti sunt, ubi ad supplicium ventum est, aliquid in suis confessionibus mutasse. [4]) Sed quam probabile sit quidquam illis violenter fuisse expressum, ex re ipsa iudicium facies. Ego, quum de illis habita fuit quaestio, non aderam: [5]) et quamvis me quaestionum praefectum faciant, si unquam vel consiliis dandis interfui, turpissimus omnium mortalium haberi patiar. Ad carcerem accessi, non ut suggererem quidquam iudicibus, sed rogatus ab ipsis maleficis et venia impetrata. Sed ab hominibus fide dignis sciscitatus eorum fide tibi pro certo affirmo, quum testimoniis iam satis gravati essent, [6]) non maiorem vim illis fuisse adhibitam, quam ut ad funem ligatis brachiis e terra non multum attollerentur. [7]) Hoc uno ore dicent omnes, terrorem duntaxat quaestionis illis ostensum. Duo primum germani fratres damnati fuerunt paucorum dierum intervallo. Res nota erat et multis testimoniis probata, ipsos strictis gladiis in vigiles de nihilo impetum fecisse, quum tamen clamarent in aedibus cuiusdam senatoris latere armatam manum et urbem Gallis esse proditam, eodemque clamore alii vici [8]) longe perstreperent. Coenati erant isti duo cum *Perrino* et *Vandelio*. Inter coenandum [9]) volitaverant ultro citroque complures occulti nuncii. Colloquia etiam post coenam animadversa fuerant, quae suspicionem graviter augerent. Post excitatum ab illis tumultum magna turba ad ferendas suppetias confluxerat. Ereptus fuerat alter e syndici manibus. Quum palpabilis fere esset conspiratio, annon oportuit ad quaestionem venire, praesertim quum secure iudicibus illuderent? Iam enim deprehensi fuerant nuncii qui illis animos facerent ad negandum. Rogati a quibus autoribus emissi essent, negabant rem actam ex composito: sed quum audissent strepitum armorum, repente accurrisse. Atqui nec ullus fuerat strepitus et tranquillum ubique erat silentium, donec unus ex eorum factione, [10]) a cuius colloquio vix discesserant, eodem prope in loco senatoris famulum lapide percusserat. Ubi inter se improbi susurrant, unus lapidem gestat quo feriat primum quemque obvium absque ulla rixa. Duo alii statim gladios stringunt. Summum urbis [11]) magistratum superbe reiiciunt. Undique momento accurritur. Nullane erit coniurationis suspicio? An crimen tam apertum sibi elabi sinerent iudices? Adde quod non negabant illi, eodem die quum *Perrinus* animi gratia villam urbi proximam pete-

---

2329. 1) *N.* 2307.
2) *H. add.* sunt.
3) *Galiffe, quelques pages* 109 *seqq.*
4) *Comparet fratres, Claudius Geneve qui et Nothus, Fr. D. Bertelier magister monetae.* (*N.* 2245. *Galiffe l. l. Bonivard.*)
5) *N.* 2263. 2286 *etc.*
6) forent *H.*
7) attollerent *H.* — *Non multum! Haec ita effert ac si etiam plura probasset. Galiffius perhibet etiam Gruetum Calvino autore quaestioni addictum fuisse. Testem vero non producit, l. l. p.* 23 *sq.*
8) viri *H.*
9) coenam dum *H.*
10) *Fr. Dan. Bertellier.*
11) nobis *H.*

ret, se honoris causa illi fuisse comites: in itinere sinistros sermones fuisse habitos, et quum ad communem terminum ventum esset, qui ditionem Bernensem ab agro nostro distinguit, quique lapidis iactu a villa *Perrini* distat, illum dixisse, tutum ad suas aedes fore refugium sodalibus, si in urbe delinquerent. Deinde, ut clandestinum esset quod inter se tractabant, illis silentii dedisse signum ne conductitiae operae audirent. Iam quum semel tantum ad quaestionem adducti fuerint, ter et quater confessi sunt, data opera se fuisse subornatos. Deinde, quum eorum rogatu accitus essem, mihi seorsum uterque confessus est quidquid tormentis fuisse expressum nunc dicitur, et quidem ultro. Neque enim sermonem ea de re prior intuli, ne viderer quidquam velle obliquo artificio elicere. Singuli ergo mihi narrarunt quidquid ab illis extorserant iudices, et coram Deo verum id esse affirmarunt. Porro, ubi viderunt sibi esse moriendum, nescio quae rabies eos impulit ad quaedam neganda: sic tamen ut in praecipuis capitibus constantes starent. Itaque quum priorem ex duobus fratribus [12]) viderem iam morti propinquum pervicaciter nonnulla fucare, coram toto populo rogavi annon mihi sponte, remotis arbitris ac testibus, eadem narrasset quae ex actis publicis recitata fuerant? Quum dixisset id esse verum, iterum rogavi an ego eum perpulissem minis, vel illecebris adduxissem? Respondit nihil esse tale. Quid ergo hoc sibi vult, inquam, quod nunc quaedam recantas quum sint eiusdem generis omnia? Vide potius, mi *Francisce*, ut te nunc pura conscientia ad coeleste Dei tribunal sistas. Secundus, qui olim matris fuerat percussor, tota vita perditissimus Dei contemptor, paucula et ipse quaedam retractavit, sed magis incubuit ad testes conviciis lacerandos. Certe coram toto populo clamavit, hanc se ex scelerati *Perrini* sodalitio mercedem referre. Tertius [13]) quod interposito iureiurando mihi et *Vireto* verum esse sponte asseruerat, damnatus falsum et confictum fuisse dixit. Crimen vero erat quod iudices minime suggesserant, sed ipse ex sua officina protulerat. Sed ipse idem, quae a duobus illis fratribus constanter in os obiecta ei fuerant, et quibus asserendis persistiterant ad mortem usque, volebat haberi vana. Certe si valere debet eorum retractatio ubi se mutuo confodiunt, constantia eorum aliquid ponderis habeat necesse est. Quartus, [14]) quum minime negaret, ignotum hominem, quia Gallum putabat, a se iactu lapidis in terram fuisse proiectum, [15]) quum pluribus testibus convictus esset, paulo ante dixisse, sumenda esse arma et caedibus grassandum ne senatus quenquam Gallorum in ius civitatis admitteret, quum monetarii urbis quibus ipse praeerat testati essent se fallaci praetextu ab eo in curiam fuisse adductos proximo anno ut tumultus in *Farellum* excitaretur, nec ab eo tempore cessasset nova subinde turbarum consilia fabricare: clamavit nullam fuisse iniustam conspirationem. Mihi paulo ante dixerat se merito ad mortem trahi qui tam scelerate vixisset: imo non aliam fuisse rationem qua ad resipiscentiam eum Dominus adduceret. Ego itaque nova eius impudentia commotus placide eum admonui ut memoria repeteret quae nuper sponte professus fuerat. Tunc excepit multa impie in Deum tractata fuisse, nihil in publicum urbis statum. Hoc simul omnibus propositum erat, proditionis et laesae maiestatis crimen a se depellere. Verum quidquid obtenderent, res ipsa nimium eos urgebat. Deinde nemo ex illis fuit, qui non maiorem partem criminum suo silentio veram esse agnoverit. Ad unum forte aut alterum caput resiliebant, sed ita ut alii aliis fidem detraherent. [16])

Venio nunc ad secundam calumniam, quae si tanto colore fucata esset quam odiose me premit, non parva me cura et anxietate torqueret. Sed bene est quod ad defensionem abunde valebit simplex historiae narratio. Foedus inter duas urbes nonnisi ad proximum Februarium pactum est. [17]) Sed quum nostri renovari cuperent, pridem [18]) ea de re legatos suos Bernam miserunt. Responsum fuit, satis ad deliberandum adhuc esse temporis. Caeterum, ne Bernates suam amicitiam frigide appeti putarent, iterum et tertio fuerunt a nostris rogati, imo toto iam sesquianno nostri satagere non desinunt et crebris legationibus et literis suppliciter certum responsum petere. An de industria extractum fuerit tempus ab altera parte, nescio. Certe eadem semper obducta fuit excusatio, aliis negotiis senatum distringi. Tandem allatae fuerunt literae, velle senatum Bernensem scire quibus legibus nostri pacisci vellent. Sine mora respondent, se periculum vereri ne, si quid mutetur, id multis controversiis ianuam patefaciat, ideoque se libenter in veteri formula

12) *Comparet.*

13) *Simlerus margini adscribit:* Claudius Filt dictus Bastard, decollatus 27. Augusti. — *Unde hoc nomen habeat nos quidem fugit. Vide supra not.* 4. *De eo vide Galiffe l. l. p* 110. *De Calvini et Vireti praesentia in carcere v. N.* 2247. 2250. *Galiffe etiam Farellum adfuisse dicit, quod hac ep. teste erroneum.*

14) *Bertelerius monetarius a. d. III. Id. Sept. damnatus.*

15) *Hic subsistit exemplar Turicense, reliqua Simlerus ex Cod. Bernensi descripsit.*

16) *Hucusque Henry.*

17) *Ruchat* VI. 183 *octavum mensis indicat.*

18) *Scil. inde a. m. Augusto* 1554. *Reg. du Conseil* 5. *Mart.* 25. *Mart.* 27. *Mai.* 18. *Iun.* 4. 13. 16. *Aug.* 7. *Nov.* (*Ruchat* VI. 131. 182. *Hess.* II. 257. *Hundesh.* 299.)

manere quae ab ipsis Bernatibus dictata fuerat. Sed quia scripserant, se nec velle nec posse illam retinere, addita fuit moderatio, ut ostenderent quid ipsis placeret corrigi. Aliquanto post tempore veniunt legati scriptamque correctionis formam afferunt. Primum caput erat de communibus iudiciis. Inter Helvetios scis hoc ius receptum esse ut si Tigurinus quispiam cum cive Bernensi litiget, ubi gravari se putabit prima sententia, provocet ad iudices utrinque delectos. Hoc totum Bernates expungi volunt ex novo foedere. Nostri recusant quidem, sed Bernatibus permittunt restringere, si quid modum excedat. Penitus vero illas provocationes tolli quam illis grave sit futurum, non discepto, quia mihi rem ut acta est simpliciter referre proposui. Si de publico urbium iure orta fuerit controversia, patiuntur Bernates valere antiquam consuetudinem. Sed quum hactenus ex senatu Basiliensi sumptus fuerit summus arbiter, ad duos consules restringunt et simul volunt Suittenses adiungi. Quanquam autem huius mutationis nulla affertur idonea ratio, nostri tamen annuunt: tantum de Suittensibus deprecantur, quia et procul dissiti sunt et nullus est apud eos linguae nostrae usus. Tigurinos ergo in eorum locum subrogant. Iam a Bernatibus deligitur locus commodior ad quem conveniant iudices. Nostri hic cum suo dispendio cedere parati sunt.

Secundum caput est, ne quis pecuniae debitor, quamvis corpus suum obligaverit, posthac in carcerem ducatur. Id quidem ante annos quatuordecim tentatum fuerat. Acriter etiam senatus Bernensis impulsu ad nostros flectendos instabant Basilienses arbitri: nihil tamen fuit impetratum. Nostris enim persuasum est, si hoc ius excussum fuerit, urbem suam non posse stare incolumem. Imo quia adhuc recordantur me tunc de assensu verba fecisse, mollitiem meam habent suspectam. Rationes vero adducunt placandis Bernatibus quae tibi, non dubito, satisfacerent.

Tertio loco volebant Bernates, quod ante annos trecedim de multis controversiis pronunciarunt Basilienses arbitri, nullius amplius momenti esse. Ostendunt nostri exitiale hoc fore, ut certum est. Rogant ergo ut firma arbitrio autoritas maneat. Quorsum vero tendat hoc senatus Bernensis postulatum nescitur.

Ultimum caput est ut nostri diserte promittant, se nullum unquam foedus cum alia republica expetituros. Atqui hoc quidem iam ante annos viginti polliciti sunt, ut Bernates ipsorum fidem sibi satis superque obstrictam habeant. Sed nunc in foedere volunt nominatim perscribi. Nostri vero, quia sibi incautis in medio tumultu bellico videbant iniectum esse laqueum, saepius flagitarunt hoc sibi remitti, ut bona senatus Bernensis venia et pace cum reliquis Helvetiis foedus inire liberum esset. Ac ante annos novem polliciti sunt Bernates, se omnem daturos operam ut hanc urbem eodem iure in societatem admitti curarent quo Sangallum, Milhoutium * et Rotevillam. Hoc responsum publici scribae chirographo nostri asservant. Hinc factum est ut nunc peterent datam sibi fidem praestari. Sibi enim cum reliquis gentibus nihil esse, sed nimis se duriter constringi, si ad Helvetios aspirare non liceat. Nec diuturna fuit consultatio: postridie enim quam venerant legati hoc illis senatusconsultum oblatum fuit. Iam vides a nostris nihil fuisse novatum: deinde, quoad patiebatur urbis status, Bernatibus morem gessisse. Quare non est quod multis apud me disseras quam nobis utile sit Bernense foedus. Novit totus senatus noster, pars etiam aliqua plebis non ignorat, quam fideliter studuerim illud tueri. Quantopere vero a rege Galliae abhorream, uno hoc dicto satis clare constat quod non semel ex ore meo in senatu auditum est: Si qua illinc aura afflaret, praestare dirui partem aedium et murum alte exstrui qui pestilentem illam illecebram a nobis arceret.

Quantumvis autem maligne et inique me plerique vexent, quibus prodesse studui, eorum ingratitudinem non moror. Nec vero, quod captare videntur, a recta linea unquam abducar. Utinam eadem sedulitate fratres nostri Bernenses ad suos retinendos incumbant. Si ita visum fuerit, huius epistolae exemplar ad Hallerum mitte. Si in una syllaba fucum fecisse deprehensus fuero, non recuso quamvis ignominiam subire. Tu vero, ubi cognoveris hostes meos tam crasse fabulari, pro tua prudentia et aequitate statues quidnam plus a me possit exigi quam ultro praestiterim. Merito, si utrinque duae urbes in apertas discordias erumpant, tristem et funestum exitum deploras: quo nos maiori digni sumus misericordia, si innoxiis extrema calamitas impendat. Tota Bernensis ditio de bello, de obsidione, de excidio huius urbis perstrepit, nullus denique praeterit dies quo non denuncientur novi terrores, quos equidem vanos esse arbitror. Sed multi suspicantur eorum silentio non abs re foveri, qui solo nutu eos possunt exstinguere. Certe mirum est, rebus adeo ubique turbatis pacem non maiori esse curae. Sed Dominus, ut spero, nos respiciet.

Unde hic furor veteribus vestris sociis, ut de iurisiurandi forma vobis hoc tempore molesti sint, coniicere non est difficile. Nos enim vident scopas esse dissolutas. Audacter igitur in medium prorumpunt. Forte illis fiduciam addit pontificis cum rege Galliae coniunctio. Dominus spiritu invictae fortitudinis vestros confirmet, ut centies potius inani honoris titulo se abdicent quam sustineant sacrum Dei nomen in urbe sua impie profanari. Quod certe fiet si iusiurandum per sanctos a se exigi in curia

sua permittant. Quo minus perperam iurent alii penes eos non est prohibere, sed ut praeeant ipsi, concipiantque adulterinam formam, vel sibi ab aliis praescribi sinant, minime fas esse vides: nec dubito quin pro fide tua et officio strenue eos ad constantiam horteris, de qua te bene sperare gaudeo. Itaque in hac spe acquiescam. Sed quia solos Bernates nominas, de aliis iniectus est mihi scrupulus. Quam turpis vero ignavia si illi a vobis desciscant. Certe anxie exitum exspecto.

Nunc transeo ad alia. Librum *Vesphali*[19]) te legisse non dubito. Si manebo in sententia breviter et historice hominis ineptias traducam, ne asperius se tractatum fuisse queratur. Et indignus est cum quo vehementer certemus. Scire tamen cupio quid mihi des consilii. Insulsum aliud volumen,[20]) quod a librariis nostris allatum non est, editum fuisse ex literis D. *Petri Martyris* cognovi. Quid sentiat pius quidem et doctus frater ex illis te intelligere malo quam ipse perscribere. Consensus ille, quem postulat, cupide quidem ac certatim deberet ab omnibus offerri: sed quam sit ad impetrandum difficilis vides. Una haec ratio esset, a singulis ecclesiis deligi qui confessionem conscriberent, referri deinde ad singulas ecclesias, ut omnium suffragiis probata cum legitima suscriptione prodiret. Nullo quidem negotio vobis amplissimus senatus vester concedet, nec in Schaffusinis vel Sangallensibus moram fore arbitror. Curienses etiam et Rhaeti alii facile descendent. De Basilea metuo, quia vix *Sulcerus* in apertam confessionem trahetur. Ad Bernates quisnam pateat aditus tu dispice, quibus adeo suspecta est vel exosa omnis de religione tractatio, ut obtineri quidquam ab ipsis posse desperem. Si quid tamen tentandum esse censes, eniti oportet. Quod si alii defensionem refugiant, mihi grave non erit totum impetum meo capite excipere. Tantum vereor ne aliis turpe sit communem causam deserere, quae in unius hominis persona palam impetitur. Nec vero exspectandum est dum sua fulmina hostes vibraverint. Iam, ut vides, ad excudendum anathema se comparant. Nisi sedulo festinetur a parte nostra, nunquam tempestive occurri poterit.

De *Philippo* tibi assentior, lentum esse ac timidum, et otio suo consulere. Mihi tamen una haec vox bonam spem fecerat, quod Deo et ecclesiae hunc se laborem debere agnosceret. Non enim solet vel tam libere profiteri, vel tam liberaliter promittere, nisi ubi animum collegit. Exspecto quid ad postremas meas rescribat, quibus illum virilem igniculum magis accendere studui. Certe quum scribat D. *Petrus Martyr* eum ab adversariis passim citari testem, si taceat, non modo privatim cum eo expostulare statui, sed forte etiam in lucem eum producere necesse erit.[21])

19) Iusta defensio adv. cuiusdam sacramentarii falsam criminationem, in qua et eucharistiae causa agitur. (*Frcf.* 1555 *Iul. cf. Hess.* II. 227.)

20) *Timanni Bremensis farraginem N.* 2301.

21) *Epistolam hanc m. Octobre* 1555 *scriptam fuisse et quidem circa medium certissimum est. Postridie Cal. Nov. Bullingerus respondet. Cf. etiam proxime sequentes Bezae ad Bullingerum et Calvini ad Farellum.*

2330.

SULZERUS BLAURERO.

Gaudet Calvini innocentiam patefactam esse.

(Ex autographo Cod. Sangall. Litt. miscell. Tom. VIII. hodie MSS. Tom. 37, fol. 58. — Exemplar recentius exstat in Bibl. civica Turic. F. 43, olim Arch. Hottingeri Tom. VIII. fol. 775 v.)

M. Ambrosio Blaurero domino suo colendissimo.

Accepi, mi observande *Blaurere*, quae de *Calvini* nostri innocentia et Genevensis ecclesiae incolumitate liberaliter testentur, idque cum voluptate animi tanto uberiore quanto plus scandalorum inde ecclesiae Christi universae oriturum fuisset, quantoque Satanae amplior occasio ad nocendum, si ecclesiam tam illustrem et antistitem eius, tantum virum, transversum adeo agi contigisset. Gratias ergo ago Domino Deo, qui sua virtute et spiritu suos nunquam non misericorditer gubernat et tuetur a malo, quod ut porro faciat precari serio debemus omnes. — — — — — Basileae 21. Oct. Anno 1555.

T. Sulcerus totus.

2331.

BEZA BULLINGERO.

Ex Geneva scribit urbem esse pacatam, sed Calvinum calumniis lacessitum. Lausannae Calvinistae male audiunt. Vergerium notat qui nimis fidenter Gribaldum fovet. In Gallia furit Rex; sunt tamen

ex quibus meliora aliquis auguretur. Puerum Turicensem sibi commendatum quo pacto in hospitium suum recipere possit, exponit.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 166, fol. 63, olim Epp. Tom. 24. Apographa exstant plura: Genevensia duo Cod. 119, fol. 123 et Cod. 111b, fol. 33, Bernensia duo Epp. VI. p. 934 et 1096, denique Simleri Vol. 85.)

Eximio Christi servo D. Henrico Bullingero Tigurinae ecclesiae fidelissimo pastori.

Tiguri.

Salutem et pacem a Domino.

Ex *Calvini* nostri literis [1]) cognosces quam inique et calumniose, id est, quam suo more faciant qui innocentissimum hominem sibi quoquo modo evertendum proposuerunt. Sed vivit Dominus qui aspicit haec omnia et inopum causam procul dubio tuebitur. Hic quidem in urbe tanta pax est ac concordia, is concursus ad verbum Dei audiendum, ea testimonia pietatis ac religionis, ut vel haec sola manifeste declarent diabolum una cum profugis illis, qui nunc coelum et terram movere conantur, sese ex oppido eiecisse, quum intus sint tranquilla omnia, foris autem, quocunque illi perveniant, lites ac discordiam secum trahant. Quod si qui in illorum mores ac praesentem etiam vitam inspicerent, vel ea una res satis momenti haberet ad eos non modo non audiendos, sed etiam suae reipublicae dedendos in poenam. Sed accidit nescio quomodo ut et istis impune quidvis liceat comminisci, et alii quaevis portenta mendaciorum pro certis oraculis accipiant. [2]) Quis tandem futurus sit exitus tempus declarabit. Interim magis ac magis incumbendum est orationi ut hanc quoque tempestatem Dominus a suorum capitibus depulsam in istorum malorum autores convertat.

Quod autem ad nos attinet, nisi non modo non miserum sed etiam praeclarum esset cum bonis affligi, putarem proprie de nobis vaticinatum esse Virgilium hoc versiculo: *Mantua vae miserae nimium vicina Cremonae.* [3]) Nam, ne nescias, in nos quoque quidvis licet, et, ut uno verbo dicam, pro Calvinistis habemur, [4]) quod crimen multo maius est quam si caetera omnia in unum coniungas. Certe nihil aeque severe edicitur aut vindicatur. Quid igitur futurum censes? Nempe ut Dominus vel brevi animos multorum immutet, vel aliis agricolis vineam suam tradat a quibus suo tempore fructum accipiat. Ego quidem eum diem cupidissime exspecto quo mihi ex hac quoque Babylone sit demigrandum, [5]) nullo quidem cuiusquam odio aut praepostera maioris otii cupiditate (ita me bene Deus amet!) sed eorum potius commiseratione qui Deum in se provocare non desinunt, ac proinde certam sibi perniciem accersere, cuius ego, si fieri possit, ne testis quidem esse velim. Sed tamen ista tempestas nos, ut spero, non auferet neque impediet quominus, quamdiu Domino visum fuerit, fortiter in statione maneamus. Visum autem est mihi in sinum tuum ista effundere, partim ut hanc tristitiam aliquatenus eiicerem ex animo, partim quod ex tua pro nobis sollicitudine tuisque precibus magnum solatium ac levamen exspectem. Sed de his rebus plus satis. Ad alia venio.

Hotomanus noster, [6]) cui literas commiseram ad *Vergerium* perferendas, mihi rediens [7]) affirmavit se eas apud te deposuisse. Rescripsit his diebus *Vergerius* sibi quidem esse redditas, sed casu inventas Schaffusiae, et quidem solas in cuiusdam manibus quum aliquamdiu oberrassent. Itaque monet ut in his rebus maiorem cautionem adhibeam. Huius rei placuit te admonere ut tu quoque hic advigiles. Nam etsi nihil scribimus quod non palam tueri simus parati, tamen vix credas quam multi sint qui literis nostris intercipiendis insidientur, [8]) adeo quidem impudenter ut in ipsa usque penetralia ingressos non pudeat epistolas familiariter scriptas suffurari, quibus deinde ostentandis confletur bonis viris invidia. Caeterum in illis ad *Vergerium* literis scribebam, me non posse satis mirari quod hominem omnium quos autem audissem ἀσεβέστατον ita complecteretur ut etiam sibi proximum esse vellet. [9]) Et in eam sententiam multa adiungebam ex quibus ipse intelligeret quam ille impie de praecipuo et primo religionis capite, id est, de Deo ipso sentiret. Hoc quid sit paucis dicam: quod ego quidem ex hominis ipsius ore non intellexi, sed cognovi ex literis ipsius manu scriptis, [10]) ut infitiari, etiamsi velit, non possit. Deum censet nomen esse appellativum, quo communis quaedam tribus individuis natura significetur, ut quemadmodum homo dividitur in Petrum Paulum Ioannem, sic Deus in Patrem

---

2331. 1) *praecedentibus, quae ergo Beza praesente scriptae fuerunt.*

2) *Vide quae ex Bolseco attulimus ad N.* 2326.

3) *Eclog.* IX. 28.

4) *O calumniam! o mendaciorum portentum!*

5) *Quod revera a.* 1559 *fecit.*

6) *Nempe et hic Calvinista Lausannensis.*

7) *Eum Argentoratum se contulisse supra legisti.* (*N.* 2269 *etc.*) *Iam redierat ad arcessendam familiam in novam patriam. Cf. etiam N.* 2311.

8) *Haec olim Viretus in Mercerio expertus fuerat, Calvinus nuper in lite sua cum Zebedaeo. Etiam Balduinum epistolas suffuratum esse adhuc nesciebant.*

9) *Hic homo erat Gribaldus, nunc Tubingensis professor a Vergerio commendatus. Hic conferendus Beza in Vita Calvini p.* 25 *ed. Nickel, Trechsel* II. 288 *not.*

10) *Trechsel p.* 285. 289.

Filium Spiritum sanctum discerpatur. Ex quo diserte colligit non magis absurdum esse dicere tres esse deos quam tres esse homines, quamvis una sit Dei sicut item hominis natura. Deinde Christi naturas ita confundit ut *ἰδιωμάτων* communicationem non contentus reprehendere etiam conviciis exagitet. Quid autem est impie sentire et loqui si hoc non est? Nam qui deos plures facit, certe Deum re ipsa tollit e medio, et qui Christi naturas non distinguit, quam tandem nobis spem salutis relinquit? Respondet *Vergerius*, illum antequam a vobis discederet tibi super his satisfecisse, et mecum etiam expostulat quod in bonum virum tam acriter sim invectus. Hoc vero quid sit scire ex te desidero. Nam si tibi satisfecit sane gaudebo, et tibi gratulabor hominem a te in viam revocatum: sin minus, non desinam ego *Vergerium* monere ut ecclesiae Dei melius consulat. Sed non abs re suspicor, quod utinam mea me suspicio fallat, hominem plus satis astutum, ut rebus suis consuleret, aliquid ad tempus simulasse. Nam nisi ex quo *Hotomanum* nostrum vidisti iste tibi satisfecit, is est qui olim fuit, ut qui eo ipso tempore quum hac iter faceret eandem impietatem summa cum impudentia et praefracta contumacia palam confirmarit. Hominis nomen non edo. Iurisconsultus est, utinam iuris divini satis peritus.

In Gallia furit Pharao novis successibus elatus. Huius mensis die 12. hic in nostra vicinia, Cameraci scilicet, suspensi et cremati sunt quinque optimi fratres, [11]) ex quibus duo erant singulari pietate et eruditione non vulgari. Intercesserunt quidem nostri principes, sed frustra. Verum bene habet quod illi constantissime ad extremum usque spiritum sint Christum professi, adeo ut plebs etiam in iudices fremeret. Sed audi quod in ista temporum asperitate merito te exhilarabit. Gallus, ut nihil sibi reliqui faceret ad extremam crudelitatem, monacho cuidam, sua iam olim improbitate omnibus noto, iurisdictionem attribuit Hispanae illi inquisitioni persimilem. [12]) Is quum de more ad senatum Parisiensem edictum regium attulisset in eam sententiam perscriptum, ut scilicet senatus consulto confirmaretur, respondit senatus, Regem sibi videri dolo circumventum, se vero nec posse nec debere eiusmodi edicta autoritate sua confirmare. Mittuntur Lutetiam cardinales quatuor qui huius repulsae causas intelligant. His, sicut ex idoneo teste cognovimus, ita fortiter et ita prudenter responsum est ut non haberent quod contra obiicerent. Audimus autem inter caetera duos praesides, qui senatus nomine loquebantur, hoc etiam addidisse, sibi decretum esse potius senatorio muneri semel renunciare quam ut pontificis crudelitati serviant, seque deinceps constituisse multo consideratius de crimine haereseos cognoscere, quum plerique eorum qui hoc nomine accusantur nec seditiosi sint nec ullis sceleribus contaminati. Nunc exspectatur huius contentionis eventus. Hoc quidem tibi affirmare possum, vix ullum nunc esse Galliae pagum in quo non appareat aliquis evangelii fructus, et iam in aliquot celebrioribus urbibus, ubi quotidie collucent ignes, constitutas esse ecclesias, ubi in communi coetu pure docetur verbum et sacramenta administrantur, recepta etiam et usurpata ecclesiastica disciplina, quam ne nominare quidem hic nobis sine piaculo licet. Hoc est scilicet quod Satanam et fideles ipsius ministros in hanc praecipue ecclesiam concitat. Nam quia se videt sua illa crudelitate nihil inter ipsos Gallos proficere (Deo sit gratia), sperat, si hunc tanquam fontem obstruxerit, quo nunc quidem praecipue tota Gallia irrigatur, brevi fore ut omnes rivuli exarescant. Sed Dominus, ut spero, istos Satanae conatus impediet, et omnes inimicos suos conteret.

Venio ad nobilem illum puerum de quo ad me scripsisti. De mea igitur voluntate paucis habe. Nihil in me situm est, mi pater, quod non ego tua causa ultro et libenter praestem. Sed quaedam tamen sunt de quibus te admoneam. Hospitium mihi excipiendis scholasticis ac praesertim hypocaustum est perangustum, uxor fere perpetuo aegrota, otii a praelectionibus et occupationibus quotidianis paene nihil. Sed tamen, si tibi ita videbitur, et puer est eiusmodi qui recta consilia quam corruptos multorum mores sequi malit, nulla difficultas impediet quominus tibi libentissime gratificer, et studeam, quoad eius fieri poterit, officio meo defungi. Sin minus, vicinum habeo Franciscum *Beraldum*, Nicolai *Beraldi* illius filium, cuius saltem nomen in *Erasmi* Ciceroniano legisti, hominem et pietate et eruditione sane eximia et moribus amabilissimis, quo nullum magis idoneum praeceptorem etiam in gallica lingua requisierim. Tu nunc constitue quod in rem pueri esse videbitur. Nam, ut ante dixi et iterum ex animo repeto, de me tibi omnia polliceri potes ac debes quae a me possunt proficisci. Idem tibi audeo de *Beraldo* ipso spondere, quamvis absente et horum quae ad te scribo prorsus ignaro. Excurreram enim huc ad *Calvinum* nostrum, ex cuius aedibus has ad te scripsi, quum mihi redditae sunt literae tuae a *Levero* nostro, quem quidem ego quum ob ipsius meritum antea diligebam, nunc vero etiam amplius amo, quod mihi sit abs te commendatus. Quod autem ad annuam pensionem attinet, quia nescio an solus venturus sit puer, an vero cum aliquo comite, deinde etiam ignoro quam liberaliter velit tractari, nihil certi

11) *Diem Crispinus in Historia martyrum non definit.*
12) *Sleid.* III. 510. *Thuan.* II. 375 *ed. gall.* — *Parlamenti remonstratio ad* 16. *Oct. referenda.*

possum constituere, quum praesertim nobis videatur magna vini caritas impendere.[13]) Tantum hoc habe, de quo minime ut opinor dubitas, nullum hic a nobis lucrum captari, sed hoc unum ut et amicis et ecclesiae fidem nostram hac etiam in parte approbemus. Tute igitur constitue quidquid aequum esse cognoveris. Quod si mavis id a nobis fieri, faciam familiariter, quum ille venerit, et superiora illa ex te intellexero.

Bene vale, vir praestantissime et mihi merito tuo inprimis observande. Dominus Iesus tibi magis ac magis benedicat teque incolumem ecclesiae suae conservet. Utrumque tuum generum cum D. *Gualthero* et *Gesnero*, caeterosque optimos et colendissimos fratres rogo ut meo nomine quam officiosissime salutes et nostrarum ecclesiarum pacem illis commendes. Iterum vale. Genevae 22. Octobris 1555.

Th. Beza
filius tibi in Domino addictissimus.

2332.

CALVINUS FARELLO.

Respondet ad quaestionem de tinctoribus. Bullingeri suspicionem quasi ipse sit pacis inter duas respublicas turbator procul a se removet. Westphali invectivas flocci facit, quae iam in ipsa Germania exploduntur.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 121, coll. Cod. 108, fol. 57; Epp. Bern. VI. p. 504 et Simleri Vol. 85.)

Praestantissimo Christi servo Guillelmo Farello ecclesiae Neocomensis fido pastori fratri integerrimo.

S. Duabus post horis quam mihi valedixerat *Mullotius* noster, redditae mihi fuerunt tuae literae. *Mirabili* dices, pannorum tinctores hic duos esse, mediocriter artis suae peritos.[1]) Quod diserte exprimo quia tertius, qui tingendi artificio utrumque superabat, homo perfidus discessit. Duo vero isti a probitate laudantur, et apud alterutrum satis, ut spero, proficiet eius nepos. Si volet colloquar, modo alius quispiam paciscatur: nam mihi hoc negotium grave et incommodum foret. Sed me libenter, quoad feret officii mei ratio, interponam.

Bullingerus, quia ex fictitiis rumoribus intellexerat, per me stare quominus bene inter duas urbes conveniat,[2]) prolixis literis admonet quam exitiale futurum sit dissidium. Quia huius criminis facilis erat purgatio, non tam vehementer incubui. Respondi tamen quantum satis esset.[3])

Ex literis optimi *Petri Martyris*[4]) intelligo, Saxonicos inter se agitare consilia de me excommunicando. Si erumpant in hunc furorem, nihil magis ridiculum, meque tacente suus ipsos impetus evertet. Itaque si me tantum respicerem, securo iam mihi plaudere liceret. Nunquam enim quemquam secum pertrahent cuius mediocris sit existimatio: sed tenebricosi tantum homines e suis latebris, tanquam ranae ex palude, inanem coaxationem efflabunt. Imo iam docti homines liberius se ac cordatius solito efferre audent. Misit enim *Eustathius* ad me epigramma pastoris cuiusdam, quem in illis regionibus non obscurum esse arbitror, ubi facete et acriter traducitur *Westphalus*.[5]) Scribit etiam Brema nunc eiectam esse residuae faecis colluviem. Optaret alter quidam pius et doctus vir,[6]) commune scriptum ab ecclesiis nostris emitti ad Saxonicae ecclesiae filios: quod fieri posse vix spero. Tamen *Bullingerum* hortatus sum ut nihil non moliatur, viasque omnes aperui.

Vale, optime et integerrime frater. Dominus tibi semper adsit, te gubernet ac benedicat. Saluta symmystas tuos diligenter. Mei tibi plurimam salutem dicunt. A reliquis amicis non perscribo quia immensum esset. Omnes quidem te valere et salvere cupiunt. Genevae 24. Octobris 1555.

Ioannes Calvinus tuus.

2333.

MOLANUS [1]) IN WESTPHALUM.

Epigramma satyricum.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 157.)

---

13) *Pierrefleur de vindemiis anni sequentis:* Le vin qui paravant (*ex proventu a.* 1555) se vendoit le char dix escus, l'on l'eut pour trois escus. — *Haller*, *Ephem. ad* 18. *Iul.* 1555*:* Frigida tempestas nivibus Alpes etiam proximas opplevit cum magno pecorum detrimento.

2332. 1) *N.* 2325.

2) *N.* 2307.

3) *N.* 2329.

4) *N.* 2301.

5) *Vide sequentem.*

6) *N.* 2301.

2333. 1) *Io. Molanus Hardenbergii amicus et professor in schola Bremensi et* 1563 *eiusdem rector. A Lutheranis et ipse*

Westphalo Calvino vellenti. [2])

Westphalus ἰσφάλῃ dum Calvum vellicat: extra
Iactum abiit Calvus. Westphale, velle alium.
De genere heroum est Calvus, qui numine dextro
Aedificant Domino templa pudica suo.
Cuius scripta Deum spirantia rodere nigro
Dente theoninae [3]) est improbitatis opus,
Cuique sacris Christi noctesque diesque operanti
Obstrepere infame est vipereumque nefas.
Non tam servilis Calvo pilus unus in ipso est
Quem merito vellas: Westphale velle parem.
Velle iterum tinctos, vel molles velle papaeos,
Qui iam unum saxis imposuere pedem.
Velle peregrinos sacra adhuc tibi in aede colentes,
Quos, dum aliud curas, ebria turba colit.
Velle olidas quibus est praedae sacra vinea vulpes,
Velle malas operas, Westphale, velle canes.
Denique quod vellas si deest tibi, τί με [4]) σεαυτόν;
De pulmone avias, Westphale, velle tuas.
Qualis erat, manes tu quod σωτῆρα sub imos
Altera passurum supplicia ire iubes,
Nempe novum fabricans purgandis mentibus ignem
Corpora dum tumulis lumine cassa cubant,
Nec satis hoc meditans, quid sit muliebre draconi
Letifero semen comminuisse caput.
Hic expers capitis tibi fabula turpiter hirta est,
Hic, si quod vellas, Westphale, quaeris, habes.
Hic pilus erroris superest tibi rite secandus,
Hic, quod apud Calvum quaeritur, intus habes. [5])

Ioannes Molanus.

2334.

BALDUINUS CALVINO.

Compertum habet Calvinum minus bene de ipso iudicare quam olim; sed se omnino non mutatum animo ab eo arceri et divelli minime patietur.

(Ex autographo Cod. Genev. 110, fol. 53.)

D. Ioanni Calvino theologo magno.
Genevae.

S. Ioannes *Crispinus* noster postremis suis ad me literis salutem mihi tuo nomine dixit, quam profecto magna cum voluptate excepi, sed maiori legissem consignatam tua manu. Quominus tu meam iam pridem legeris, fecerunt illi calumniatores [1]) qui tuam mihi hactenus praeripuerunt. Equidem valde dolui tantum eos adhuc potuisse. Sed quid aliud potui quam dolere? Omnino enim iudicavi refutatione esse indignos, praesertim quum scirem, me quoque tacente refelli posse nugatores illos improbos magis et impudentes quam ingeniosos. Quorum susurros etsi secure contemnam, fretus non solum conscientiae meae testimonio, sed veritatis ipsius luce, quam talibus nebulis opprimi semper non posse scio: tamen interea quid me iam pridem torqueat dissimulare non possum. Iam pridem sentio διαβολὴν mihi insidiari ut, si posset, artibus suis frangat animi mei ad res profecto bonas incitati alacritatem. Infringi autem tum demum intelligit, si animum abs me tuum et deinde abs te meum disiungas. Sed rumpatur illa licet: nunquam quod molitur efficiet. Tametsi me (quod ille olim dicebat) fuste ipse abigeres nihil ageres. Insaniat illa licet: non cedam. Contra potius tanto magis assurgam, et qua ire nunc tandem aliquando bonis avibus coepi pergam, neque opinor talis adversaria tantum audebit, ut et meis ad te literis aditum obstruere et tuas mihi praecipere perpetuo possit. Vale, pater humanissime. Argentorati vij Cal. Nov. [2])

Ex animo tuus tuique observantissimus
Rochius B.

2335.

HALLERUS BULLINGERO.

Quamvis Calvinus usque caeteris niger sit, tamen res Genevenses meliorem iam habent faciem.

(Excerptum ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 154, olim Scrin. B. Epp. Tom. 32, fol. 220. — Simler. Vol. 85.)

— — — — — — — — — — — — — — — —

Quas hic mitto heri a *Calvino* accepi [1]) *Petri Martyris* literas: [2]) apertae quum essent, legi. *Mitt Genff*

---

indesinenter exagitatus plus semel Bremam reliquit, semper vero a civibus revocatus est. (*Cf. Spiegel, Hardenberg p.* 217. 357 *etc. ubi etiam Hardenbergii epitaphium exstat p.* 367 *germanice versum quod Molanus latine concinnaverat.*) *Iam hoc epigramma illud esse suspicati, quod Calvinus per Quercetanum accepisse se dicit, in praecedenti epistola hic inserendum esse putavimus.*

2) *sic.*

3) *cf. interpretes ad Hor. Epp. l.* I. 18, 82.

4) *μή?*

5) *Haec invitis Musis decantata Martialis sane sibi non vindicabit.*

2334. 1) *Difficile est dictu ad quosnam hic alludat. Pro tempore cum Calvino ei satis bene conveniebat teste ep.* 8. *Cal. Mai* 1556 *data. Fortassis Hotomanum innuit.*

2) *Ante Iunium* 1556 *Heidelbergam concessit.*

2335. 1) *Fortasse N.* 2329.

2) *N.* 2301.

hoff ich werd sich die Sach zu gutem zien. [3]) Non ausim scribere qualiter cum illis agatur. Sed ipsi pro sua prudentia pulchre sustinent importunitatem, ne dicam improbitatem hanc. Forte de his *Calvinus* aliqua. Is quasi in signum positus est cui contradicitur. Vale. Raptim. — — — — Bernae 28. Octobris 1555.

Tuus I. H.

2336.

VERGERIUS BULLINGERO.

Genevenses iusto magis in Gribaldum morosi. Westphalum Calvinus nimia sua acrimonia provocavit, Lutheranos exagitans quasi cum ipso Antichristo ei res esset.

(Excerptum ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 111, olim Epp. VI. Part. I. Scrin. B. fol. 1505. — Simler. Vol. 85.)

Clarissimo viro D. Enrico Bullingero pastori Tigurino fratri honorando.

Tiguri.

— — — — — — — — — — — — — — — — — —

Omnino morosiores sunt aliqui ex fratribus Genevensibus [1]) quam vellem. Nimis prosciderunt *Gribaldum*, nimis late volunt patere eorum iurisdictionem ac fere dominari in ecclesiis. Vidi qua forma verborum ad me hucusque scripserunt. Ferendos tamen puto quia vicissim multa sunt in illis laudanda. *Gribaldus* nec verbum faciet, osservat [2]) quae monuisti, et quae ego adhuc inculcavi. Sic vincuntur animi, non asperitate. Vidisti, opinor, quid *Westphalus* contra *Calvinum*. Utinam is sedatius scripsisset, [3]) hoc est, te fuisset aemulatus qui moderatissimam epistolam adscripseras. [4]) Aliud est contra Antichristum agere, aliud contra Lutheranos. Nunc multa audio. Exacerbati animi. *Lasci* consilium [5]) non potuisset incidere in conditionem deteriorem. Utinam daret locum foedae tempestati et se in portu contineret. — — — — — — — — — — Reutlingae pridie Kal. Novembris 1555.

Vergerius.

2337.

CALVINUS VALLEVILLIO.

Testatur se minime sinistram opinionem de eo concepisse, perhibet tamen eum ipsum de aliis iniquius iudicare et nimis suae anglicanae formulae adhaerere.

(Ex autoschediasmate Calvini in Cod. Genev. 107ᵃ, fol. 304, coll. c. Cod. 108, fol. 165, Epp. Bern. VII. 35 et Simleri Vol. 87.)

Richardo Vauvillio.

S. Quod tibi per D. *Secelium* non scripsi et binis [1]) quae ab eius discessu mihi redditae sunt literis nunc demum breviter respondeo, dabis tarditati meae veniam. Alia, de quibus tecum amicus ille noster loquutus est, quia repetere operae pretium non est, nunc praetereo. Unum illud de quo te purgas attingam. Quod nimis anxie te laborare ex tuis literis intelligebam, ne quam de te sinistram opinionem ex falsis delationibus temere conciperem, non dixi hac de causa me fuisse offensum, nec ille, ut opinor, sic re ulit. Sed tantum mandavi ut tibi supervacuam curam eximeret. Simul etiam moneri te volui ne omnium delicta tuo patrocinio tegenda susciperes. Nam plurali numero omnes qui istic sunt complexus fueras. Id autem erat, meo iudicio, modum excedere. Si ad collegam [2]) restringis, tibi quidem eius famam curae esse gaudeo, quia et id aequum est et fraternae vestrae coniunctioni consentaneum. Probe etiam, si eum iniuste gravari sentias, te opponis: sed prudentia adhibenda est ne promiscue et absque delectu ad defensionem quamlibet te ingeras.

Tibi cur metuas causam non video, ac mihi doluit te de nihilo tantopere esse sollicitum. Nihil enim prorsus me audisse testor quod tibi vel levem maculam aspergeret. Nec mirare si mihi displicet

---

3) *Non tam cito ac ille sibi persuadet. Ipsi quoque Genevenses oleum igni addiderunt. Vide ad N.* 2324.

2336. 1) *Cf. Bezam N.* 2331.

2) *Ecce Italum.*

3) *Ipsum Vergerium inter Suevos degere memineris: nihilominus rem acu tangit.*

4) *Defensioni Consensus.*

5) *Simlerus vult haec de Synodo evangelicorum congreganda dicta esse. Nos potius ad ea referenda credimus quae praebet N.* 2295 *ubi dicit:* Putant quidam necesse esse ut Calvinus calumnias illius per aliquam occasionem refutet *caett.*

2337. 1) *recentiorem modo legisti N.* 2297, *priorem, nisi dixeris fuisse N.* 2181, *non habemus. Omnino plures utriusque deperditae videntur.*

2) *Pollanum puto (Simler.)*

suspicio, qua te non sine aliorum iniuria frustra torques. Verum si alios omnes immunes tua umbra praestare vis, vide an tanto oneri ferendo pares tibi futuri sint humeri. Ego [3]) certe, si qua interdum verisimilia feruntur, non modo iudicium suspendo, ac me ipsum a credulitate cohibeo, sed etiam demonstro quantum mihi displiceat vulgari quae sepulta esse cuperem. Pauca tamen, ut verum fatear, audio. Itaque quorsum de erroribus clamores attollas, ipse videris. De vitiis, quibus collegam tuum notari sciebam, nuper ipsum admonui. Neque tamen ea ipsa, quod sciam, communi sermone his iactantur. In te si quid dictum est, citius fuisti conscius quam ego. Anglus ille in quem stomacharis apud me nunquam verbulo uno vos laesit. De illorum controversiis quale feras iudicium audio. [4]) Si tibi prorsus non assentior, mihi licere existimo: nec vero eius quam hactenus servavi moderationis me adhuc poenitet. [5]) Tuo interea sensu frui te patiar, modo vicissim per te mihi liberum sit rationem quae ostenditur sequi. Quod si non permittis iure meo utar. Huic verbo occasionem dederunt tuae literae, ubi magnum contra omnes qui in formula Anglicana quidpiam desiderant praeiudicium statuis.

3) *A prima manu:* Ego certe, etiamsi vera agnoscam quae feruntur, vel aliquid suspicari cogar, vel iudicium ut in rebus dubiis suspendam: non libenter tamen audio quae sepulta . . . . .

4) *A prima manu:* Et iudicio tuo frui te patiar, modo vicissim te intra modestiae fines contineas.

5) *A prima manu:* donec vel rationibus me vincas, vel ostendas quo iure tibi sim obstrictus. Nam si tibi per me liberum est sentire quod videtur, cur oblique me perstringis si tuae et eorum quos defendis sententiae non subscribo.

2338.

DATHAENUS CALVINO.

D. a Lasco nomine ei exemplar transmittit epistolae ad Regem Poloniae scriptae, sibique gratulatur ob hanc occasionem ad tantum virum scribendi.

(Ex autographo Cod. Gothani 405, fol. 366.)

Doctissimo pariter ac integerrimo viro dominoque D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae vigilantissimo pastori ac ministro detur hoc epistolium. Genevae.

Gratiam et pacem in Christo Iesu unico nostro salvatore ac pontifice, mi doctissime sanctissimeque domine ac pater. Hic habes integrum epistolae ad Regem Poloniae exemplar brevi (Deo Opt. Max. aspirante) ad Serenissimum *Sigismundum Augustum* mittendum. [1]) Quod quanti momenti et ponderis sit, tu ipse iudicato. Quod vero istud propria manu non scripserit D. *a Lasco*, dextre quaeso interpreteris, ut hoc facere paratissimus erat illi animus, verum ipsius valetudo [2]) hoc passa non est. Itaque quum lecto decumberet non vulgariter laborans, hanc mihi provinciam ad te scribendi delegavit, quam obviis ulnis amplexus sum. Nam re vera hic labor mihi omnibus modis fuit gratissimus. Imo si tabellarius hic longiorem moram passus fuisset, alterius quoque epistolae, quae ad proceres Poloniae et regni totius ordines mittenda est, exemplar tibi scribere non piguisset: [3]) nam haec certe posterior epistolam hanc ad Regem eruditione gravitate ac elegantia longe praecellit. In hac enim ipsius viri ingenium ac sagacitatem, doctrinam ac prudentiam, velut in speculo quodam, contemplari licebit. Sed re vera hoc temporis brevitas modis omnibus prohibuit. Attamen si aliqua in re obsequium ullum praestare posthac potero, non subterfugero laborem. Gavisus certe haud mediocriter sum, quum haec ad te scribendi sese insperata offerret ratio, et quanquam plurima haberem quae tibi communicare iamdudum summopere desideravi, non passa est tamen istud temporis improbitas. Spero tamen aliquando futurum ut fidelis quispiam nuncius Genevam veniat, per quem fuse ac copiose tibi exponam quod iam silentio praeterire cogor. His valeto. D. *a Lasco* se tibi totique ecclesiae commendatum habet. Id etiam diligenter D. Valerandus *Polanus* facit, cuius literas huic epistolio non sine iustis rationibus ac causis inclusas habes. Tuis fidelibus precibus me vicissim etiam commendatum habeo. Raptim. Postridie Calen. Novemb. 1555.

Tuus ad omnia paratissimus
Petrus Dathaenus [4])
Francfordiae inferiorum Germanorum minister.

2338. 1) *vide sequentem.*
2) *N.* 2322.
3) *Leguntur in Opp. ed. Kuyper. Tom.* I. *p.* 353 *et* 384.
4) *Quo tempore Dathaenus Francofordiam venerit memoriae proditum non est. Ipse quidem in l.* kurtze und warhafftige erzelung *etc. p.* 10 *simpliciter dicit:* Die verjagten Christen aus dem Niderland sampt Herrn von Laszky haben mich durch jr Schreiben zu jrem Kirchendiener beruffen. *Micronius, qui per aliquod tempus hoc ministerio functus fuerat, iam in suam provinciam rediisse videtur. Etiam Hubertus ter Haar in sua Vita Petri Dathení Traj.* 1858 *nihil affert: quid quod vel tacet de loco unde ille venerit.*

2339.

LASCUS REGI POLONIAE.

Hortatur eum ut in opere reformationis perseveret imo fortius et enixius deinceps progrediatur.

(Ex Cod. Gothano 405, fol. 365. Manus Dathaeni. Extstat ap. Gerdesium et Kuyperum I. 349. Pridem vero sub titulo: *Epistolae tres lectu dignissimae de recta et legitima ecclesiarum bene instituendarum ratione ac modo: ad pot. Regem Poloniae, Senatum, reliquosque ordines, D. Io. a Lasco. Bar. Pol. autore. Basil. Oporin* (1556 *mense Martio.*)

Sacra Maiestas regia et Domine, domine clementissime, perpetuam observantiae et subiectionis meae commendationem.

Audivimus iam pridem laeta quaedam nuncia [1]) de coepta et istic demum [restituta] divino beneficio vera religione. Et quia multorum indies literis undecunque confirmantur, quemadmodum sane vera esse optamus, ita non prorsus vana etiam esse in Domino speramus. Quamquam autem plura forte dicantur quam fiant (id quod alioqui saepenumero fieri solet) tamen vel pro ipsis saltem eorum quae dicuntur initiis, quantulacunque ea sint, gratias Domino deo nostro supplices agimus tuaeque Maiestati Regiae et toti adeo patriae eo ipso nomine maiorem in modum gratulamur. Ac votis ardentissimis precamur ut Deus Opt. Max. quod istic iam orsus est virtute porro gratiaque sua divina prosequi et constabilire dignetur. Amen. Ego sane ubi haec audissem protinus mei officii esse putavi ut te ad promovendam causam hanc pro mea tenuitate cohortarer: praesertim quum mihi qualemcunque tuae erga me clementiae significationem abs te ipso datam haberem. [2]) Itaque quum prae manibus haberem libellum quem renascentis istic evangelii initiis commodare posse videbam, tuae illum Maiestati potissimum totique simul patriae dedicandum esse iudicavi, eo quod in illo modus ipse et universa plane ratio bene instituendarum ecclesiarum contineatur. [3]) Quae sane res summe est necessaria circa omnem religionis instaurationem, quae quidem legitima ac diuturna esse debeat. Spero autem non fore ingratum Maiestati tuae si ad rem bene coeptam tanto maiore studio [promovendam] inciteris quanto plures te hac in parte monitores habere videas. Nimirum omnes intelligent multorum te admonitionibus impelli propemodum, ad prosequendam istic, post talia alioquin initia, religionis restitutionem. Et certe hoc tecum reputare debebis, Rex clementissime, non esse tibi negligenter ac contemptim hoc habendum, quod sub tua nunc potissimum gubernatione Christus Dominus in doctrina sui evangelii istuc iam etiam adventare videatur. Horrendum est haud dubie quod Christus Dominus, et quidem non sine lacrymis, sub Hierosolymorum nomine, omnibus denunciat, quicunque tempus visitationis suae observare nolunt, nempe abscondenda esse iam deinceps ab oculis eorum omnia quae ad pacem ipsorum ullo plane modo poterunt pertinere. Horrendum hoc est, inquam, nisi si Christum Dominum ipsum in verbis suis mendacem facere velimus. Tempus porro visitationis istiusmodi graphice nobis, ne quid hic obtendamus, descriptum habemus: nempe quum adventanti Christo Domino nostro et a discipulorum suorum et a puerorum, denique et a promiscuae etiam plebis turba, frustra reclamantibus Pharisaeis, publice acclamari videmus. Hanc enim talem publicam acclamationem gratulatoriam hancque publicam exsultationem et laetitiam ad eam potissimum ipsam, cuius hic Christus meminit, visitationem pertinere, et prophetae alioqui et evangelistae ipsi manifeste testantur. Quum igitur istic et discipulorum Christi qui in ministerio evangelii versantur et puerorum passim per vias publicas et promiscuae praeterea plebis turbas ad Christi Domini in doctrina verbi sui adventantis acclamationem gratulatoriam gestire quodammodo ac tantum non procurrere vides, dubitare profecto non debes tempus iam venisse vestrae etiam istic visitationis. Et proinde vobis pariter omnibus serio observanda esse quae ad pacem vestram, non equidem in papae ullius romani curia, sed in tremendo ipsius Dei iudicio, in quo papas sane omnes sisti oportebit, pertinere putatis: si quidem Christi Domini lacrymas et horribilem illam pacis absconsionem in vos derivare nolitis. Vaeh namque illis in quos lacrymae illae Christi Domini redundant, et qui non amplius quae ad pacem spectent videre possunt. Ne igitur negligatis, tu tuique omnes, tempus hoc vestrae visitationis, utcunque hic vobis reclament ac fremant vestri Pharisaei sacerdotumque principes. Alioqui cavete, ne si discipulorum Christi in eius evangelio, puerorum item ac plebis promiscuae acclamationem remorari, in Pharisaeorum gratiam, aut impedire quoquo modo velitis, cavete, inquam, ne vel muti inanimatique lapides vobis invitis clament, in testimonium vestrae ingratitudinis et condemnationis. Absit autem, Rex inclyte, ut tu maio-

---

2339. 1) *Decreta comitiorum Petricovii celebratorum circa sex articulos reformatorios de quibus ad concilium nationale provocabatur.* (*Salig.* II. 597.)

2) *De favore quo Rex Lascum vel absentem prosequebatur plura habet Krasinski, Gesch. d. Ref. in Polen L.* 1841, *p.* 104. *Hic autor est Regem peculiari scripto Lascum a calumniis quibus impetebatur vindicasse.*

3) Forma ac ratio tota ecclesiastici ministerii in peregrinorum potissimum vero Germanorum ecclesia instituta Londini etc. aut. Io. a Lasco. Francf. ad M. 1555. (*Kuyper tom.* II. *cf. tom.* I. *praef.* 107.)

rem istic Pharisaeorum quam Christi Domini rationem habere velis. Cupiunt illi quidem videri posse aliquid, et habent suas artes tuendi usurpatam tyrannidem impediendique, si quid in se statui videant. Sed sibi ipsimet non constant: neque enim dubium est inter ipsos latere plerosque Nicodemos qui non magno negotio ad Christum vel noctu deduci possent, donec paulatim firmiores evadant, si modo tyrannidem illam e synagoga eiiciendi sublatam viderent. Et ut nulli tales sint, atque omnes plane veluti coniuratis animis Christo Domino reclamare conentur, nusquam sane minus quam istic valere possunt. Tametsi in hoc tali adventu Christi Domini nihil opus est aliis plane ullis adversus istos consiliis quam ut vestrum quisque Christo Domino obviam certa fiducia et cum publica gratulatione, pro vestrae vocationis ratione, occurrat. Tanta est videlicet Christi Domini in regio adventu ipsius vis ac potentia ad repurgandum templum ipsius, ut etsi sacerdotum principes scribaeque et Pharisaei omnes adventui ipsius quantum omnino possunt reclament, atque a templi ipsum sui ingressu arcere modis omnibus conentur, veniat tamen nihilominus ipse templumque ipsum, regia in illo autoritate sua eiectis omnibus pharisaicis nundinationibus, prorsus repurget. Et ad obturanda adversariorum omnium ora, non discipulorum modo puerorumque ac plebis promiscuae turbas, sed ipsa quoque muta saxa et bruta animalia loqui et clamare faciet. Ne igitur te tuosque moveant aut vos ullo modo sollicitos habeant opes potentia atque artes adversariorum istic Christi pariter omnium. Conticescere illos denique et cedere illos oportet Christo Domino, dum ille cum publico discipulorum puerorum ac turbae applausu ad repurgandum templum suum venire dignatur. Sed tuum erit, Rex clementissime, omnes ut regni tui portas adventanti Domino gloriae patere, quod in te est, facias illumque iuxta doctrinam propheticam supplex exosculeris in doctrina sui evangelii, cuius fulgorem iam alioqui palam exoriri ubique invito ac reluctante mundo universo videmus. Ne quo modo fiat ut ira ipsius adversum te et regnum tuum, veluti ignis flamma depascens omnia exardescat. Tunc enim beatos fore pronunciat propheta non equidem eos qui Pharisaeis papisve addicti adeoque et iurati essent, sed illos duntaxat, qui vero Zionis regi, Christo inquam Domino, vera minimeque hypocritica fide atque observantia adhaesissent. Horum te ita admonere volui, Rex potentissime, pro fide observantiaque mea, qui tuam alioqui dignitatem istam regiam cum aeterna salute ac regni coelestis gloria coniunctam esse optarim. Et ut Maiestatis tuae excellentia a Pharisaeorum istic (indigna te profecto tanto rege) tyrannide semel aliquando vindicetur. Oro te autem, Rex clementissime, ut meum hoc studium, quo te in Domino prosequor, meamque istam scribendi libertatem boni consulere, pro pietate ac clementia tua regia, et me gratia tua prosequi patrocinioque tuo tueri digneris. Deus Opt. Max. adsit tibi spiritu sancto suo, regat consilia tua omnia, et omnibus tuis actionibus benedicat. Amen. Francofordiae etc. [4])

Tuae Maiestati regiae addictissimus
Ioannes a Lasco.

2340.

BULLINGERUS CALVINO.

Hortatur ut senatus Genevensis relationem de seditione hoc anno facta in publicum edat. Quo in loco sit negotium de iuramento foederatorum exponit, item quid Westphalus et Timannus nuper scripserint. Concordiam inter omnes ecclesias vel in Helvetia non nisi difficulter stabiliri posse docet, certe solummodo hoc pacto ut Calvinus de sua praedestinatione taceat.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 117b, olim Scrin. C. Epp. Tom. II. fol. 312. — Simler. Vol. 86.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo domino honorando et fratri colendissimo et carissimo meo.

Genff.

S. D. Heri sub vesperam tuae mihi allatae sunt literae, [1]) domine venerande et frater carissime. Cogor autem illis vixdum lectis propter tabellionum opportunitatem respondere: brevitatem ergo et festinantiam boni consulas oro. Simul enim hoc agens ad alia rapior. Libenter legi tuam excusationem qua tu mihi satisfecisti, instruxisti praeterea ut possim etiam aliis veritatem contra calumnias et mendacia quorundam exponere. Perge tu modo ea quae pacis et concordiae sunt urgere. Sic enim Deo et omnibus bonis placebis. Est tamen hic quod inprimis te scire refert. Audio libellum huc ad amplissimum senatum esse missum a *Perrino* [2]) atque suis, quo causam suam agant et innocentiam approbare contendant. Quum enim Basilienses et nostri intelligerent graviter inter se dissidere Ber-

---

4) *Sic Codex. In edito legitur:* Ultima Decemb. 1555. *Patet epistolam pridem scriptam serius missam fuisse.*

2340. 1) *N.* 2329.

2) *Non exstat.*

nam et Genevam, Bernam scripsere atque inter dissidentes se sequestres ingerere postularunt. Quid eis sit responsum nescio. Hoc scio, nostros ut redintegretur amicitia nihil non facturos.[3] Conduceret itaque si protinus amplissimus magistratus vester et ipse in brevem libellum lingua germanica acta tumultus totiusque causae illius infaustae conscriberet, et citra moram huc mitteret.[4] Scias autem brevitatem nostris esse gratissimam. Ego vero haec tibi tanquam intimo meo amice[5] suggero, et quidem ex nullius alterius instinctu. Si vero consilium illud meum opportunum fuerit visum, effice ut absque mora sortiatur effectum, ita tamen ut nulla penitus mei fiat mentio. Deum testor, me incolumitatem ecclesiae et veram pacem reipublicae vestrae spectare et cupere promotam. Quanquam vero tu plurima scripseris quae huc inprimis faciunt, nullo tamen cum fructu singulari vel a te vel a me proponentur. Suspecta erunt multis plurima.

Causa iuramenti iamdiu me torsit et maximis gravissimisque laboribus me implicuit.[6] Scripsi frequentissimas Bernam, Basileam et Schaffhusium, hortans ut non patiantur profanari sinceram religionem nostram et adorandum Dei nomen. Et quidem fideles ubique ministros reperi, sed in republica post inclytam Bernam paucos intelligo fortes, aut certe qui hoc negotium ita ut decebat expendunt. Fingunt illi subinde Deum non offendi, si forma tantum praeeat vulgari qui iuramentum accipit aut concipit, qui praestat autem non sequatur sanctos Dei coniungendo. Ego vero omnino scripturis instructus contendo illicitum esse ea in nostris templis forma praeire quae aperte cum Deo et vera religione compugnat. Nec aliter sentiunt ministri et viri boni omnes. Multi interim inveniuntur qui et ipsi contra verbum Dei nihil moliri volunt videri, interim non illicitum illud putant, et ideo sociis concedendum modis omnibus contendunt. Gravis est ergo contentio. Nec dubito quin nostris autores simus et hortatores necubi profanent nomen Dei nostri, nedum in re tam aperte cum verbo Dei pugnante etc. Audimus modo in comitiis Badensibus in aliud tempus esse causam illam reiectam, quod acerrime utrinque certantibus convenire non potuerit. Dominum oro ut ea quae pietatis sunt faciamus semper, ipseque hoc dissidium benigne componat.

3) *D. 7. Nov. Bernenses rogarunt Genevenses ut legatos mitterent* pour traiter de la combourgeoisie. (*Reg. d. Conseil.*)

4) *An id factum sit nescimus.*

5) *sic.*

6) *Causa haec in Comitiis Badensibus sub finem Octobris hoc pacto composita fuit ut neutra formula adhiberi debuerit.* (*Hess, Bull.* II. 267.) — *Ipse Bullingerus hic ad marginem:* Coniunctae adhuc quatuor urbes egerunt hanc causam ac postularunt unanimes iuramentum sibi sub obtestatione solius divini nominis concipi aut offerri.

Westphalus iam quartum contra nos librum vulgavit.[7] Habetur monoculus inter caecos rex. Ultimus in te maxime expugnando laborat. Proinde non displicet mihi tuum consilium ut illi respondeas modeste, causam agas, personam eius et immodestiam hominis transeas.[8] Statui et ego, si Dominus vitam concesserit, ad argumenta ipsorum querimoniasque praecipuas respondere: nunc quum occupatus sim opella qua brevibus potissima verae doctrinae capita expono,[9] ita multis fratribus postulantibus et me urgentibus, eamque inter paucos dies in publicum exituram spero, eousque cogor differre meum institutum: deinde convertam me totum ad illum laborem,[10] nisi Domino aliud fuerit visum et negotia ecclesiae nostrae alio me rapiant. Emersit et alius quidam farraginum fartor, pastor Bremensis Ioannes *Timannus*, cui cordate et prudenter respondit noster ille Ioannes *a Lasco.*[11] Liber impressus est et forte nunc ad te perlatus et lectus. Inepta quidem scripta vidi plurima, sed nullum adhuc illo ineptius. Unum te oro, mi domine et frater, ut si respondere perrexeris *Westphalo* ea qua fieri potest mansuetudine utaris.

Iam quod consensum illum attinet, de quo clarissimus vir D. *Petrus Martyr* scribit,[12] idem tecum sentire omnino cogor. Certissimum est nunquam nos Bernam et Basileam (possem et alias numerare) consentientes habituros. At omissis his non video an ullo cum fructu reliqui quidquam agant. Si omnino necessarium videatur huiusmodi quidpiam conscribere, operae pretium mihi facere videreris si tu ea ratione qua edidisti Defensionem consensionis etiam reliqua exponeres dogmata, quae dudum in libris ministrorum ecclesiarum Helveticarum copiosius exposita et omnibus sunt libris communicata. At oportebat illam expositionem inscribere et dedicare ecclesiis atque ecclesiarum ministris Saxoniae superioris et inferioris, denique toti populo etc.[13] At in hac expositione cave, mi frater, et boni consule oro quod hic suggero, ne praedes-

7) *Vide Prolegg. nostra Tom. IX. pag. xvj. Hess, l. l. p.* 227.

8) *Haec fuit secunda Defensio Ian.* 1556 *edita.*

9) Summa christlicher Religion. Zür. 1556. 12. *Dicata Guilelmo Hassiae Landgravio. Latinum fecit hunc libellum Iosias Simlerus sub titulo:* Compendium christianae religionis decem libris comprehensum. Tig. Frosch. 1556. 8. (*Pestalozzi p.* 469.)

10) Apologetica expositio qua ostenditur Tigurinae ecclesiae ministros nullum sequi dogma haereticum in Coena Domini, libellis quorundam acerbis opposita et ad omnes sinceram veritatem et sanctam pacem amantes Christi fideles placide scripta per H. Bullingerum. Tig. ap. Gesner. m. Febr. 1556. *germ.* 1557.

11) *Vide praeced. not.* 3.

12) *N.* 2301.

13) *Quod et fecit. Opp.* IX. 45.

tinationis negotium ita proponas ut toti operi omnem auferas gratiam et te magis invisum reddas quam antea unquam. Abstinendum itaque puto ab huiusmodi loquutionibus: Adamum ita esse conditum ut non potuerit non peccare: Qui peccant, eos omnino ex destinato Dei consilio peccare. Placuerunt mihi maxime quae aliquando scribebas contra Libertinos, asserens Deum non esse malorum autorem: stoicam necessitatem pugnare cum praedicatione evangelica. Scis etiam quae scripserit D. *Melanchthon* de hac causa. [14]) Ego video totam vetustatem in hac causa, ita ut in nulla alia magis, concordem docere, Deum non esse autorem peccati vel malorum: peccata oriri ex homine, nulla necessitate sed voluntate: promissiones salutis esse universales, non ad paucos contrahendas: salvari gratia mera Dei credentes: non credentes sua culpa non credere et damnari etc. Haec non ut te doceam commemoro, sed admoneo, circumspecte in hac causa verseris, ne maius oriatur incendium ex praedestinatione quam ex eucharistia.

Cogor iam abrumpere scriptum hoc meum, quod benigne a tui studiosissimo accipias oro. Ora pro nobis Dominum. Vive et vale aeternum cum omnibus tuis, imo nostris. Mei generi, symmystae omnes te salutant et benedictionem a Domino imprecantur. Sis tranquillo animo, frater. Licet plures sint nobis hostes, unus tamen pro omnibus munimentis et propugnatoribus Deus est. Hic te servet. Tiguri 2. Nov. 1555.

Tuus H. B.

Iam nunc rediit *Lysmanini* minister ex Polonia, literis onustus. Dicit se adferre fausta. Hi quibus hasce dedi noluerunt exspectare donec ille se expediret. Propediem de his copiosiora. Iterum vale. Audimus iam pacem a rege concessam esse Germanis: hoc confidentius tumultuabuntur isti etc. Sed Deus videt et suos curat.

2341.

GRIBALDI CONFESSIO.

(In Codice Goth. 404, fol. 621 exstat brevis Gribaldi confessio manu Hier. Zanchii descripta, et ut videtur ecclesiae italicae Genevensi destinata. Diem et annum praebet Trechselius II. 461 nescio unde desumptos: 7 Idus Nov. 1555.[1]) — In Archivis Turic. Plut. VIII. Vol. 45, olim B. 43, fol. 685 similis confessio legitur eiusdem, nescio unde petita, quam ob argumenti similitudinem priori subiungere libet.)

D. Maximiano Martinengo comiti illustri et fratri honorando.

Genevae.

Fides D. Gribaldi.

Haec est fides mea vera et perpetua quam in conspectu summi Dei et sanctae eius ecclesiae toto corde professus sum semper et profiteri, Deo bene favente, non desinam.

Firmiter credo et confiteor unum Deum optimum maximum, nempe patrem illum aeternum et omnipotentem, primum autorem omnium eorum quae sunt, visibilium et invisibilium, qui secundum beneplacitum suae voluntatis filium sibi genuit, suae maiestati per omnia similem, per quem caetera omnia condidit, quem postea definito tempore in uterum virginis misit, ut ibi in carne renascens verus homo fieret et humanum genus patiendo redimeret.

Firmiter credo et confiteor unum Dei filium Dominum Iesum Christum, verbum incarnatum, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, consubstantialem patri, per quem omnia mandante patre et facta et restituta sunt, in cuius nomine tantum salutem et vitam aeternam speramus.

Firmiter credo et confiteor unum Spiritum sanctum, paracletum, ab ipsis filio et patre procedentem, per quem fideles omnes et electi illustrantur unguntur et sanctificantur, qui cum patre et filio vivit et regnat in sempiterna saecula.

Tandem vere et firmiter attestor me omnino credere recipere et confiteri quidquid in sacrosanctis veteris et novi testamenti scripturis nec non et in symbolis, Apostolico et Niceno, secundum verum et evangelicum sensum continetur. Ita me Deus adiuvet et iudicet: qui est laudandus in saecula. Amen.

Exemplar Turicense.

Pura vera et simplex meae fidei confessio quam ego Matthaeus Gribaldus Pedemontanus in conspectu altissimi Dei et s. catholicae ecclesiae toto corde profiteor et agnosco, manu propria scripta et signata.

---

14) *Cf. N.* 1578. 1676. 2000.

2341. 1) *De die et consule valde dubitamus, primum quia Gribaldus tum Genevam reliquerat, tum quia haec confessio orthodoxa est, Beza vero de aliqua tum temporis edita loquitur (ad Bullingerum* 1. *Ian.* 1556) *quae plane alia exhibuisse videtur.*

Ego Matthaeus Gribaldus Pedemontanus toto corde credo confiteor et agnosco unum solum et verum Deum autorem omnium rerum visibilium et invisibilium, a quo sunt et pendent omnia: scilicet patrem illum aeternum omnipotentem ingenitum invisibilem et immortalem, qui per verbum suum omnia condidit et per spiritum suum sanctum omnia illustravit, patrem universalem omnium nostrum, et peculiarem Domini nostri Iesu Christi crucifixi eius filii naturalis et unigeniti, qui ab ipso patre in mundum missus fuit ad redemptionem et iustificationem nostram.

Item toto corde credo confiteor et agnosco unum etiam solum et verum altissimi Dei filium, Dominum Iesum Christum redemptorem nostrum, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, Deum in carne manifestatum, visibilem et palpabilem factum, per quem altissimus Deus, pater aeternus, omnia condidit et per eundem ipsum hominem ex virgine factum omnia restituit et reparavit, per quem solum erga ipsum patrem reconciliati sumus ac iustificati.

Item toto corde credo confiteor et agnosco unum solum spiritum sanctum paracletum, ab ipsis patre et filio Iesu Christo procedentem, consolatorem et illuminatorem nostrum, per quem ab eisdem patre et filio ungimur et illustramur.

Item credo et toto corde confiteor, nullum nobis a Deo nomen datum esse in quo salutem sperare oporteat, praeterquam in nomine Domini nostri Iesu Christi crucifixi filii Dei unigeniti, cui simul cum patre et spiritu sancto sint honor laus et gloria in sempiterna saecula. Amen.

Idem Matthaeus Gribaldus
manu propia.

2342.

VIRETUS FARELLO.

Varia obiter quae in manibus erant tractat negotia, sed ita ut magna pars rerum nos fugiat.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium. Epp. Vireti fasc. IX. N. 19.)

Praestantissimo Christi servo Guilielmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori vigilantissimo patri et symmystae plurimum venerando.

Neocomi.

S. Accidit quod suspicabar et quod metuebam, et cuius gratia te praemonueram. Venit Orbam *Hubraquius* [1]) priusquam eo pervenissem, inde se Lausannam recepit priusquam eo rediissem, atque ita mihi non visus est, ut ex eo audire potuisti. Habeo tamen digna quae cognoscatis priusquam venenati vestri sagittarii causam aggrediamini. Mitto tamen ad vos censuras et animadversiones meas, sed sine ullis meis ad fratres literis, donec illa vobis exposuero quae vos rescire cupiam. Quid prohibeat quominus me ad vos recipiam, alias intelligetis. *Calvinus* in ea est sententia ut qui requiruntur ab inalpinis ecclesiis festinent: alioquin alios missurus est. Cognoscetis de hoc fratre caetera: qui non ita pridem a *Fagotio* literas accepit. Haec igitur res tibi curae erit. Misi literas tuas ad *Calvinum*, quibus scribis de *Maturino*. [2]) Scripto mihi non respondit. Sed *Merlini* [3]) ore nunciavit placere de utroque consilium.

Res meae habent ut solent. Spero fore ut tandem tempestas sedetur, quae nos hoc toto anno ita exagitavit odio *Calvini*. Sed habent res omnes suas vicissitudines et periodos, illas ita attemperante divina providentia. De *Westphalo* nihildum *Calvinus* respondit. Salutat te uxor et nostri omnes amantissime. Recte omnes valemus Dei beneficio. Vale. Lausannae 13. Novemb. 1555.

Tuus Petrus Viretus.

2343.

SULZERUS BULLINGERO.

Genevae pax restituta, Bernensium animi sedatiores, Calvini innocentia agnita.

(Excerptum ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 155, fol. 402.)

Viro praestantissimo D. Heinricho Bullingero ecclesiae Tigurinae antistiti vigilantissimo domino et symmystae colendissimo suo.

— — — — — — — — — — — — — — — —

Genevenses tumultus prope per gratiam Dei sopiti feruntur, contentionumque fervores etiam apud Bernenses residere paulatim, maxime quum crimina-

---

2342. 1) *N.* 2282.
2) *Corderio.*
3) *olim Vireti diaconi, prof. l. hebr.*

tionum et obtrectationum vanitas erga *Calvinum* nostrum se ipsam coarguat, optimique viri innocentia lucidior fiat in dies. Adeo servatur ea ecclesia singulari protectione Dei inter fluctus et tempestates subinde graves fluctuans. — — — — Basil. 14. Novembr. Anno 1555.

T. Sulcerus.

2344.

FARELLUS CALVINO.

Cupide arripit consilium Bullingeri novam inter omnes ecclesias consensionem edita formula conciliandi. Caesarem monachum fieri velle nunciat, et Saxoniae Electorem omnes evangelicos congregare, quo facto Westphalum iam devictum sibi fingit.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 125. Inspeximus exemplaria Turretini Cod. 108, fol. 58, Bernense Epp. VI. p. 506, et Simleri Vol. 86.)

Praestantissimo Christi servo Ioanni Calvino pastori ecclesiae Genevensis quam fidelissimo theologo puriori fratri et symmystae quam carissimo.

S. Valde placet studium *Bullingeri*, [1]) et quod ad pacem procurandam hortatur. Utinam melius intelligeret qui sint per quos stat quominus pacata sint omnia, et apud illos instaret. Quod ut fiat non dubito quin curaveris, ut recte petis quod doctiores et saniores apud Saxones petunt: faxit Christus ut obtineas. Gratissimum fuit audire eosdem cordatius nunc agere, ubi tumultuosi impotentius feruntur. Bene vides cum illis, si omnes nostrae ecclesiae in unam subscriberent sententiam de coena, conducere: in pastoribus forte non adeo difficile, sed qui praesunt nescio an adduci poterunt. Vidisti enim quantopere in nonnullis refugerunt Arctopolitani. Hoc plerique putant plurimum in se laudandum, si nihil progrediantur, nihilque in melius mutent, antiquari bona facilius multo passuri quam corrigi et meliora fieri semel admissa.

Hic sparsum fuit, *Saxonis* filium uxorem duxisse, ac omnes, sed solos evangelicos, invitasse principes et urbes, in quibus et Helvetios. Verum soli Bernenses non iverunt, sed alii omnes praeter eos. At verba esse puto. Si verum esset plus sperarem de amico colloquio impetrando. At utcunque sit spero te apud *Philippum* et alios qui aliquid possunt acturum, imo peracturum ut fiat: et interea si *Westphalus* intelligat quam infirmis nitatur armis, et quam tu firmioribus sis armatus, spero futurum in hoc ut citius conveniat et tollatur dissidium.

Blaurerus dicitur in ditione Badensis marchionis agere, [2]) qui in hoc est ut sui omnes audiant evangelium. Existimo *Sulcerum* una cum eo esse. Christus passim velit verbum suum fructum ferre. Si *Caesar* monachus fiat, ut aiunt, [3]) quam bonus sit futurus iudicet quivis. Si ex optimis pessimos faciat, quid in pessimis institutum eiusmodi non efficiet? Quid non parit ignoratio Dei? Dum miseri in Christum insurgunt et totos se perdunt impietate, sibi hic maledictionem et in futuro ignem aeternum magis et magis acquirunt. Nos pietati studeamus, cui tot et tanta quum hic tum in futura vita sunt promissa: quod det Christus optimus servator.

Existimo hostes tuos, imo Christi, nonnihil remissuros. Magna illa parturitio montium quem foetum sit editura, quamvis gestiant parturientes et nobis sit ingemiscendum, tandem risum et gaudium non finiendum nobis afferet, at miseris luctum et planctum aeternum. Dominus suum opus in nobis perficiat et miseris sit propitius ut convertantur et serventur. Vale quam optime et tui rationem habe, ut diutius ecclesiae Christi servias: ut es valde necessarius, in hoc te diu Dominus sanum et incolumem servet. Opto tuos collegas salvos, et quidquid est piorum. Et ut peto istis Deum semper faventem adesse, ita opto ut mei in precibus meminerint. Collega te salutat, *Maturinus* et alii. Neocomi 15. Novemb. 1555.

Tuus Farellus.

2344. 1) *pacis inter Genevenses et Bernenses procurandae.*

2) *Constantiam se contulerat vide N. 2348.*

3) *Circa hoc tempus Carolus Hispaniam et Inferiores provincias filio Philippo tradidit, Imperii administrationem fratri Ferdinando. Ipse itinere maritimo Hispaniam petiit. In coenobium S. Iusti non nisi anno sequenti se recepit.*

2345.

CALVINUS FARELLO.

Ridet Bullingeri consilium de praedestinatione silentio sepelienda; ridet quae de Saxone et Caesare nunciabantur; ridet etiam Marcurtium versibus ipsum iam laudantem.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 122, in quo tamen inscriptio et subscriptio solae manum autoris referunt, reliqua Ionvillaei. Turretinus descripsit in Cod. 108, fol. 59; inde librarius Bernensis Epp. VI. p. 507, quem sequutus est Simlerus Vol. 86.)

Praestantissimo Christi servo Guillelmo Farello Neocomensis ecclesiae fido pastori fratri et symmystae integerrimo.

S. Quid nuper a me postulaverit *Bullingerus* ex eius literis [1]) intelliges quas ad te mitto. Videbis etiam quid ad caput illud respondeam, ubi periculum esse admonet si quae praedestinationis fiat mentio. Quod de conventu nihil tentandum putat. mihi neque novum est neque mirum. Hoc iam mihi responsum finxeram priusquam scriberem. Simul tamen videbis quam frigide ac cunctanter nunc de suo et ecclesiae Tigurinae patrocinio, quod initio plus quam liberaliter pollicebatur, spem mihi faciat. Ego vero, sicuti causam non alieni subsidii fiducia suscepi, ita nunc quamvis me fallant non desistam. Imo, ut verum tibi fatear, quia iam mihi liberior patebit campus, crescit etiam alacritas. Scis enim quantum hactenus eorum fastidio dandum fuerit.

De statu urbis nostrae nihil certum habeo in praesentia quod scribam. Neque enim ante quindecim dies legati ad foedus renovandum proficiscentur.[2]) Quae vero nunc agitentur exposuit haud dubie *Rosetus* noster.[3]) De nuptiis *Saxonis* quamvis nihil audierim, fabulosum tamen esse rumorem non dubito. Eiusdem etiam farinae est quod de *Caesaris* monachatu apud vos fertur. Ut vero simile aliquid mutuo rependam, narro tibi *Marcurtium* subito afflatu ad canendas meas laudes poetam factum esse. Nescio quid iurgii, ut saepe solet, cum illa cohorte inciderat. Divortium ergo facere volens composito disticho mecum in gratiam redire conatus est. Hercule me superiorem facit quia duo monstra devicerim: porro duo monstra vocat Leonem et Draconem (nam ipse commentum * assuit verbis suis) et quod Augustinus de ecclesia scribit, ecclesiam calcare leonem et draconem, quia tyrannis et haereticis fortiter resistit, hoc ut poeta noster ad me accommodet, in *Serveto* dicit haereses esse devictas, in *Perrino* persequutorum saevitiam. Bene habet quod nascente luna coepit ita de me loqui, quia saltem ad dies circiter viginti fruar hoc elogio. Nunc *Humbertus* [4]) noster appulit, serius quam vellem, satis tamen opportune, modo suam profectionem absolvat. Nam ut ad vos redeat fieri commode non potest, iamque denunciavi me non passurum. Vale, optime et integerrime frater. Dominus te diu servet incolumem spirituque suo regere pergat. Salutant te symmystae mei et amici complures, quorum nominibus supersedeo, ne implenda sit altera pagina. Tu quoque istic plurimam salutem dices, et praefecto et decurionibus et symmystis. Iterum vale. Genevae 9. Calend. Decemb. 1555.

Ioannes Calvinus tuus.

2345. 1) *N.* 2340.

2) *D.* 7. *et* 8. *Nov. Senatus decreverat ut legati Bernam de foedere acturi mitterentur, qui iam ad iter se parabant.* (*Reg. du Conseil* 7. 8. 28. *Nov.* 1. *Dec.*)

3) *Qui d.* 19. *Nov. Turicum et Basileam missus fuerat ut de seditione Libertinorum eos quid rei fuerit certiores faceret. Redux fuit d.* 3. *Dec.* (*ibid.*).

4) *N.* 2260.

2346.

LAETUS [1]) BULLINGERO.

Defensionem Consensus Melanchthoni misit quem tamen responsurum esse non putat. Ipsum Consensum germanice vertit.

(Excerptum ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. 117b, olim Scrin. C. Epp. Tom. II. fol. 306. — Simler Vol. 86.)

— — — — — — — — — — — — — — — — —

Defensionem confessionis vestrae D. Philippo *Melanchthoni* transmisi atque super ea iudicium suum petii. Si quid responderit ipse, quod in dubium voco, hoc ex me rescies. Illam ipsam Consensionem in germanicam linguam transtuli, sed typographum qui eam excudat non invenio. Multum profecto produceret fructus si germanice in lucem ederetur, praesertim quum nomen optimi viri *Zwinglii* incipiat fere apud multos melius audire quam antea. Ego sane aliquot Lutheranos profligavi atque gladio spiritus Christi in nostram partem protraxi: quamvis non ego sed Dominus. — — — — — — 24. Novembris 1555.

Tuus totus Georgius Laetus
a Lemnitz etc.

2346. 1) *Quis hic fuerit nescimus. In Corpore Ref. nobis non occurrit.*

2347.

BULLINGERUS CALVINO.

Paucis refert Bernenses recusare Turicensium interpositionem in negotio foederis renovandi; tum nunciat novissima ex Anglia, laudat eius consilium Westphalo respondendi eumque rogat ut se vel in doctrina praedestinationis amicum credat.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 129, olim Epp. Tom. 30, fol. 304. — Simler. Vol. 86.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo domino meo colendo et fratri carissimo.

S. D. Sub finem praecedentis septimanae amplissimus Bernensis reipublicae senatus [1]) nostrae reipublicae submissis literis significavit, sibi non videri necessarium ut nostri se in dissidio illo vestro interponant sequestres, quod ipsa res propediem omnino videatur amice componi posse, ita ut nostri facile suis et laboribus et impensis parcant. Quod ut Dominus ad felicem et exoptatum finem perducat optamus. Certe nostri omnem suam operam ea in re contulissent libentissime, id quod (ut et alia huius generis) intelliges ex praesenti tabellione, cuius pietas et integritas mirum in modum mihi placuit. Dominus illi adaugeat dona sua et conservet in integritate.

Quid actum sit in causa iurisiurandi [2]) opinor te non latere. Dominus eam dispulit nebulam. Negotium enim in praesenti translatum est. Scribunt amici, optimos viros et carissimos fratres nostros, D. *Latimerum* et D. *Rydleum* Londoniensem episcopum, crematos. [3]) *Cantuariensem* habuisse spectatorem, testificantem tamen hoc ipsi ipsa morte gravius esse supplicium quod non eodem in rogo cum fratribus immoletur Domino. Vinctus in carcerem reductus est. [4]) Putant et illum iam redactum esse in cineres. Aiunt *Caesarem* navigaturum in Hispanias, [5]) prius tamen Angliae coronam impositurum *Philippo*. Existimant enim ex itinere ipsum deflexurum in Angliam. Dominus fideles suos tueatur et rependat sanguinariis in capita sua etc.

De negotio quod inseruisti epistolae tuae, [6]) colendissime frater, scribam alias, quum plus erit otii. Interim non existimabis me adversariorum tuorum partibus favere. Si quis alius te amat et tui studiosus est, ego sane is sum. Condonabis itaque sicubi in ratione eandem rem prope tradendi modice a te deflexero.

Gaudeo te iam respondere *Westphalo*, cui et ego aliquid opponere cogito. Dominus concedat tibi vires et ingenium ita hoc negotium tractandi ut plurimum iuves omnes pios. Id quod speramus omnes, pro quo et oramus Dominum. Gratissimum fuerit si primum atque prodierit liber tuus illum nobis miseris. Vive et vale aeternum cum omnibus tuis, domine observandissime et frater in Christo carissime. Salvi sint omnes fratres et symmystae tui. Salutant te nostri omnes, inprimis tres generi mei. 27. Novemb. Anno Dni. 1555.

H. Bullingerus tuus.

2347. 1) *Cf. N.* 2340.
2) *ibid.*
3) *postridie Idus Oct.*
4) *Demum a. d. xij. Cal. Apr. anni seq. comburendus.*
5) *Nonis Sept. profectum dicit Sleid.* III. 557.
6) *Intercidit ergo aliqua Calvini ad Bullingerum m. Nov. scripta. In qua et de suscepta responsione ad Westphalum.*

2348.

FARELLUS CALVINO.

Iudicium de Bullingero ambiguum, de Westphalo severum: quo debellato spes affulgebit pacis. Regem Galliae adeundum censet ut saevire in pios desinat.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 126, coll. c. Cod. 116, fol. 46, Epp. Bern. VI. p. 509 et Simleri Vol. 86.)

Quam clarissimo Christi servo Ioanni Calvino pastori ecclesiae Genevensis fratri et symmystae valde honorando.

Genevae.

S. Paucis mecum egit *Rosetus.* [1]) Valde placet quod agit: sane valde expediebat. Christus successum det optatum. Istic plus pectoris et excusationis desidero, nec [2]) dicam prudentiae. Mirum, quum tam funesta capitibus eorum imminerent, quod se tam ferunt [3]) in omnibus vita prorsus indignos, ac si digne in senatu versati fuissent. Sane tanta indulgentia malum tandem pariet grande et perniciosum.

Bullingeri affectus [4]) boni consulendus venit: quod illi dedit Dominus gratiae et doni, curandum

2348. 1) *Qui ergo Neocomo transivit.*
2) *sic autogr. Apogr.* ne dicam.
3) *sic apographa. Nobis tamen lectio suspecta est. Authenticum pessime scriptum praebere videtur:* secum ferunt.
4) *Cf. Calvinum N.* 2345.

ut gloriae Christi serviat. Quod non adest largiatur Dominus, faxitque ut intelligamus quid desit nobis et precibus impetremus, aut aliorum opera, quibus dedit Deus quae non habemus, utamur, neque nobis tantum tribuamus ut merito in nos cadat quod dicitur: Ne sutor ultra crepidam. Habes a Deo id doni ut noris qualiter haec sunt tractanda ingenia, ipsaque doctus es experientia, te plus impetrasse quam sperares, ideoque pergendum est. Recte facis quod virum [5]) tangis, quod de te iudicat ex nugis et calumniis nebulonum, non ex lectione tuorum operum, et quod constanter scribis te professurum piam et sanam doctrinam, quod tecum det Dominus omnibus. Quod *Wesphalo* respondes, omnes tibi merito gratias habere debent, et valde gratum est quod insanum expugnaturus per omnia contrario pergas modo. Utinam tam possem probare alia quae bonus ille [6]) scribit, ut mihi placet quod abs te petit in responsione, quam spero non minus utilem quam defensionem per quam ecclesiae hae plenius indicarunt mutuum inter se consensum: nec dubito quin ex iis qui alienati a nobis erant multi sint conciliati et multo aequiores facti. Faxit pacis et verae concordiae autor ut tandem tam pestilens tollatur prorsus dissidium, quo iam per unum et triginta annos mire turbantur ecclesiae. De colloquio amico parum affulget spei, nec dubito quin, si in opera quam tam liberaliter ille offerebat nunc se compertum habere ait neque suos neque Bernenses neque Basilienses consensuros, et velut omnem eximat spem, non * idem in colloquio futurum sit. Sed si Dominus daret ut tu unus cum omnibus aliis qui adversantur nobis ageres, id maxime paci et concordiae serviret. Fiat voluntas Domini.

Pius pastor aliquis contulit cum cancellario [7]) *Georgii* seniore et saniore, ut scripsit, posteaquam principes Germani coniunctiores nunc sunt: si ad Regem pius aliquis iret, nimirum Wirtembergensis, ageretque ne ita in pios saeviret, sed potius inquireret de vera religione, audiretque eos qui tenent Augustanam confessionem: scripsitque cancellarium huius gratia ad nonnullos literas dedisse ut agerent cum principe. Si id tibi probatur et fieri posse speres, per *Philippum* posses efficere, et apud *Melchiorem*, [8]) cum *Beza* non parum, ut *Wirtembergensis* rogaretur. Ages pro tua prudentia. Sed cave ne poeta novus [9]) suis carminibus te excantet. Quam vellem miserum saniorem et firmum in iis quae sunt pietatis. Spero *Humbertum* ecclesiae utilem futurum. Lubens retinuissem virum: sed gratius erit audire pium successum, cuperemque una cum eo et *Stephano* esse. Si fratres [10]) *Guisani* impulsu mortem sint perpessi Cameraci, quid fiet illis qui *Dommalium* [11]) sunt habituri viceregem, ut dicitur Taurini designatus. * Deus generum cum socru visitet, ac familiam tam trucem castiget, et ut domum tantum erigere satagunt, quo iure, qua iniuria, deiiciat iusto suo iudicio, ut intelligant omnes quid sit belligerare, metuantque et serviant pure soli Deo.

Blaurerus rediit [12]) valetudinarius, non a Badensi (ut credebam) marchione, sicut dicebatur, sed e vicinia Constantiae. Sunt qui dicunt eum etiam Augustae fuisse. Dominus hunc cum aliis suis servis ecclesiae suae servet. Nam paucos admodum habemus eiusmodi. Quatuor principes qui istac transiisse feruntur nonnullos turbarunt, qui istam ecclesiam nollent vastatam: quod iudicabant id non parum pro iis facturum, qui omnia tentant ut bonos perdant.

Salutavi praefectum tuo nomine, qui te resalutat, et symmystae omnes plurimam tibi salutem dicunt. Omnibus gratum est, diem dictam esse foederi renovando. Vale quam optime cum collegis et sanctis istis quos gestio ita auctos ut paene numerari non possint. Adaugeat Christus suos. Neocomi pridie Calen. Decembres 1555.

Tuus Farellus.

5) *Bullingerum* (*Simler*).
6) *Idem.*
7) *An Taurello* (*Oechslin*)? — *Caeterum Farellus in hoc consilio perstitit, quamvis contradicente Calvino* (*N.* 2356). *A.* 1557 *a Comite Georgio commendatus cum Beza ducem Christophorum adiit, eiusque intercessionem apud Regem obtinuit. Quod principes iam coniunctiores dicit, id ad eiusdem ducis consilia et conatus referendum, qui m. Maio occasione nuptiarum Io. Friderici ducis Saxoniae cum Agnete Mauritii electoris vidua unionem quam vocant molitus proposuit et deinceps ardenter persequebatur.* (*Kugler* II. 6 *ss.*)
8) *Volmarium.*
9) *Marcurtius* (*N.* 2345).
10) *Martyres Cameracenses a. d. iv. Idus Oct. combusti.*
11) *d'Aumale.*
12) *N.* 2344, *not.* 2.

2349.

CALVINUS VALLEVILLIO. [1])

Consolatur eum de morte uxoris.

(Edidit Beza Gen. p. 181, Laus. p. 378, Hanov. p. 424, Chouet p. 245, Amst. p. 112. — Gallice legitur in edit. Berol. p. 241.)

2349. 1) *Pridem nomen viri scripsimus* Vanvillium (*Richard Vanville*), *facile errantes, quum in istius saeculi literatura* n *et* u *fere nusquam distingui possint. Bonnet passim* Vauville *scribebat, non vero ubique. Iam quum Beza, quem hic fide dignum testem recusare nullo modo possumus, latinam formam talem fecerit, de* u *praeferendo iam amplius dubitari nequit.*

Ioannes Calvinus Richardo Vallevillio pastori ecclesiae gallicanae Francofurti S. D.

Quam acerbum tibi doloris vulnus inflixerit mors optimae uxoris, ex meo ipsius sensu existimo. Memini enim quam mihi difficile ante septem annos[2]) fuerit similem luctum vincere. Sed quia probe nosti quae ad temperandum immodicum moerorem idonea sint remedia, nihil superest aliud nisi ut te ad eorum usum revocem. Inter alia hoc tibi non mediocre solatium est, quod tamen ad doloris irritamentum caro arripit, te cum ea vixisse uxore ad cuius contubernium libenter redeas dum e mundo erit migrandum. Deinde a vitae socia tibi ostensum fuisse pie moriendi exemplum.[3]) Si mihi privatus quispiam hortandus esset, secum expendere iuberem quid fictori suo debeat. Nam Deum suo iure perperam fraudamus, nisi eius arbitrio vivat ac moriatur quisque nostrum. Tuum vero est simul reputare quam sustineas personam in ecclesia Dei. Sed quia praecipuum consolationis argumentum nobis in eo situm est, admirabili Dei providentia nobis in salutem verti quae adversa putamus, neque separari nos in mundo nisi ut semel[4]) colligamur in coeleste eius regnum, hic pro tua pietate acquiesces.

Quia fervorem contentionum in ecclesia vestra utcunque sedatum esse audio[5]) dabis operam ne obscurae simultates in animis resideant. Momento id fieri non potest, scio. Ergo paulatim lenire animos exacerbatos studeas donec penitus offensiones diluantur. Vale, optime et carissime frater. Dominus tuae viduitatis tristitiam spiritus sui gratia leniat, te gubernet suo spiritu ac benedicat labores tuos. M. D. L VI.[6])

---

2) *Obiit uxor C. d.* 29. *Mart.* 1549 (*N.* 1170, *not.* 1). *Iam quum septem annos ab eius morte effluxisse dicat, aut in numero fallitur, aut hanc epistolam (cuius natales ignoramus) vergente a.* 1555 *scriptam dicas oportet.*

3) *Ipse maritus uxorem mox sequutus est.*

4) simul?

5) *imo mox maiori cum acrimonia recruduerunt* (*N.* 2352.)

6) *Sic Beza. Verum hoc falsum esse vix est quod ostendamus. Nisi fortasse dixeris Calvinum haec pluribus post mortem ipsius Vallevillii hebdomadibus scripsisse, rei adhuc ignarum. Obiit is m. Novembri vel etiam antea. Scribit enim eius successor Perucellus in sua* Historia de Wesaliensis ecclesiae dissipatione (*Frankf. Rel. Handl.* I. 281): Mense Novembri venit ad me Wesaliam Fr. Clericus literas ferens nomine ecclesiae Francofordianae continentes electionem in ministerium mei loco R. Vauvillii defuncti. *Cf. etiam N.* 2352 *ubi Pollanus eius obitum Calvino nunciat.*

2350.

LISMANINUS [1]) CALVINO.

Catalogus virorum in Polonia insignium ad quos literae a Calvino scribendae essent, ipso iudice.

(Ex Cod. Genev. 196, fol. 87. — Inseruntur quaedam Calvini annotatiunculae.)

De literis scribendis in Poloniam.

Literae scribendae:
Ad Regem.[2])
Ad illustrissimum D. Nicolaum *Radzivil.*[3])
Ad illustrem Palatinum Sandomiriensem.[4])

Ad illustrem Dom. D. Ioannem comitem *Tarnov,*[5]) castellanum Cracoviensem, primum dominum in Polonia post Regem, qui etiam praeter alias dignitates fungitur munere imperatoris omnium exercituum regni. Ex eius literis ad *Lismaninum* apparet quid de vera religione sentiat. Vocatur a Polonis pater patriae.

Ad illustrem D. Stanislaum comitem in *Tascsin*[6]) palatinum Cracoviensem etc. etc. Is est secundus dominus in Polonia post Regem.

Ad Felicem *Crucigerum*[7]) Sebressinum superintendentem ecclesiae Dei renascentis in Polonia, omnesque ministros ecclesiarum quae iam susceperunt evangelium, et omnes nobiles in fide Christi coniunctos. Qui omnes per literas scriptas ad Franc. *Lismaninum* e conventione Pinczoviensi 1555 (in qua eundem elegerunt in superintendentem) petierunt commendari se et ecclesias doctissimis et piissimis ministris ecclesiarum Helveticarum et Allobrogum, et quaqua datur consiliis et auxiliis ab eisdem adiuvari.[8])

2350. 1) *Nihil cunctati schedae ἀνωνύμῳ Lismanini nomen praefigimus. Inseritur enim fragmentum epistolae ad ipsum Lismaninum scriptae. Tum in fine laudantur nonnulli Franciscani, quorum unus ad autorem nostrum scribit: iam vero memineris Lismaninum fuisse ephorum monasteriorum de Francisci et Clarae familia. Denique Calvinus in suis ad Polonos scriptis epistolis Lismaninum dicit sibi autorem fuisse cuius suasu scribere praesumpserit. — Cf. etiam quae ad calcem adnotamus.*

2) *N.* 2362.

3) *Ad hunc Palatinum Vilnensem iam N.* 2113, *mox* 2370.

4) *N.* 2276. 2291. 2373. *Hunc iam diversis nominibus supra venientem Lubien. p.* 65 *dicit:* Spytcow Iordan.

5) *N.* 2371.

6) *Ad hunc et plures quorum nomina sequuntur vel non scripsit, vel scriptae interciderunt.*

7) *olim ministrum Niedrocedriensem prope Cracoviam, a Stancaro a.* 1546 *ad evangelium conversum. Obiit* 1563. *Cf. Salig.* II. 585.

8) *Ex eadem Synodo indicta ad Cal. Mai.* 1555 *literae datae sunt ad Lismaninum apud Helvetios degentem, quibus*

Ad Alexandrum **Vitellinum** Bitumiensem, ministrum ecclesiae Pinczoviensis, quae prima suscepit evangelium in Polonia, et reformata est ad instar Genevensis ecclesiae. Is *Alexander* sic scribit ad *Lismaninum*: De conditione ecclesiae nostrae aequum est etiam te certiorem reddi. Omnia hactenus in ecclesia nostra sincera et pura fuerunt, tum quae doctrinam, tum quae sacramenta ritusque ecclesiasticos concernunt. Quam puritatem quum apud Waldenses videremus, curavimus sedulo ut in unum cum illis conveniremus. Quod etiam Deo duce perfectum est. Cuius rei causa bis conventum celebravimus in maiore Polonia cum illis: in posteriore autem conventu adfuit episcopus illorum Ioannes *Nigranus*, cum quibusdam senioribus ecclesiae illorum praefectis. Quod quia Prussiae princeps subolfecerat, misit etiam unum ex consiliariis et concionatorem suum, imposita illis legatione quam ad nos perferrent: quam nobis confecta unione declaraverunt. Negotium autem legationis in hoc erat ut nobis nomine principis gratiam et amorem fraternum pollicerentur testatumque redderent. Tu interim una cum ecclesiis illis Dominum exorabis, ne nostros conatus qui gloriam regni sui concernunt irritos esse sinat. Ortae sunt hic apud nos quaedam infestae quaestiones, quas tibi breviter scribo: 1. *Hislebius* et *Musculus* Andreas Christum passum esse in utraque natura contendunt, non secundum communicationem idiomatum, dicentes contra omnium patrum sententiam, sed simpliciter.[9]) 2. *Osiandri* dogma adhuc etiam apud multos viget, qui essentialem iustitiam asserebat, Christi humanitatem extenuans. 3. Philippus *Melanchton* una cum Saxonicis defendunt Christum secundum utramque naturam esse mediatorem, neque hic admittit communicationem idiomatum. 4. Orti sunt etiam quidam qui Christum negant filium Dei secundum humanitatem dici naturalem debere. 5. *Serveti* error doctrinaque eius aliquos etiam tenet. Haec, mi *Lismanine*, cum illis piis doctisque viris ruminabis et nos posthac de sententia illorum reddes certiores. Pinczoviae 15. Sept. 1555.

Ad Iacobum *Uchanium*[10]) episcopum Chelmensem, virum doctum et in causa religionis instructissimum. Epistola Lismanini ad eundem praebebit argumentum.

Ad magnificam religiosissimamque feminam Agnetem *Dluskam*,[11]) quae filios *Nicolaum* et *Albertum* misit Tigurum, ut discant pietatem, bonos mores et disciplinas liberales. *Stanislaus* enim famulus, qui Genevam venit ut te videret et salutaret, simul et literae eius ad filios, quas legisti, praebent non vulgare argumentum scribendi non solum ad eam, verum etiam magnificum D. Nicolaum *Miskovski*,[12]) eius fratrem germanum qui est castellanus Voyniccnsis et regni consiliarius et Regi gratissimus.

Item ad generosum D. Stanislaum *Carninski*[13]) Iwan equitem Polonum tui studiosissimum ut ex eius ad me literis intelligere potuisti.

In magnifico etiam D. Ioanne *Bonero*,[14]) castellano Biecensi et senatore regni ac magno procuratore regio, multum situm est ut promoveatur evangelium in urbe regia, ad quod plurimum etiam valet Georgius *Sinlink*, consul Cracoviensis tui studiosus, sed qui praestat caeteris pietate et zelo. Hi sunt in Polonia minore.

Andreas *Tricesius*,[15]) Stanislaus *Lassoczki*,[16]) Hieronymus *Philippovski*,[17]) Hieronymus *Ossolinski*[18]) et magnificus D. Martinus *Sborovius*,[19]) palatinus Kalisiensis, qui verbis, annis, autoritate quam maxime pollet inter nobiles, modis denique omnibus pugnat ab aliquot annis contra papam, licet a *Paulo* III. donatus torque aurea magni pretii et exceptus convivio pontificali. Ad hos omnes si scripseris facies rem utilem causae: sed omnia tuo arbitrio relinquo.

Stanislaus *Petreius* qui mihi successit in munere ministerii Franciscanorum, cuius ad me literas legisti et ad illum meas, et quod Christum publice et per singulas fere senatorum Cracoviensium

---

eum nobiles et ministri invitarunt ut in Poloniam rediret. (*Lubien. p.* 57.)

9) *Initio controversiae Osiandristicae Staphylus Regiomontanus Musculum accusavit quasi doceret divinam Christi naturam passam et mortuam esse.* (*Spieker, Lebensg. des A. Musculus p.* 37 *ss.*) *Agricolam quoque implicitum fuisse alibi non legimus.*

10) *Uchanski, episcopus Vladislaviae in Cuiavia, postea archiep. Gnesenicnsis.* (*Lubien. p.* 20.) *Mentio eius fit in ep. Utenhovii ad Calvinum d. d.* 27. *Ian.* 1559. *Ad eum hic quoque scripsit d.* 19. *Nov.* 1558.

11) *N.* 2367.

12) *N.* 2369. (*Lubien. p.* 67 *s. ep. eius ad Regem pro Lismanino commemorat.*

13) *N.* 2366.

14) *N.* 2365. (*Etiam hic ad Regem de Lismanino scripsit. Lub. p.* 69.)

15) Eques Polonus filius Andreae qui scholam trilinguem erexit (*Calvinus in margine*) *N.* 2372.

16) Subcamerarius terrae Lanciciensis (*Calvinus in margine*). *In Synodo Cracoviensi* 1561 *hic Lismaninum ab Arianismi crimine vindicavit. Salig.* II. 648. *Lubien. p.* 126. *N.* 2368.

17) *Lubien. p.* 63*:* in dioecesi Cracoviensi habitans, ut ex praecipua nobilitate ita et ex praecipuis exorientis ecclesiae patronis fuit. *Idem p.* 53*:* Phil. et Lassocius coniunctissimum sociorum par. — *Anno* 1565 *fuit praeses Antitrinitariorum in colloquio Petricoviensi* (*Lub.* 201).

18) Vir nobilis et piorum colloquiorum studiosissimus (*Lub.* 127).

19) *in oppido regio Stobricza quod praefecti nomine administrabat iam a.* 1551 *intra privatos parietes evangelium praedicari iussit.*

domos praedicavit, multaque passus est propter evangelii praedicationem, et quod te semper habere solitus erat in ore magistri nomine, et quod, ut non semel dixisti, adhuc est miserabilis, meo iudicio opus habet te medico: curabis multos si hunc fere sepultum excitaveris. Erit singulare organum Dei.

Cracoviae sunt Franciscani tres: Iulius *Maresius* Bellunensis, doctor theologiae, pronepos *Urbani* qui grammaticam graecam edidit, et nepos Pierii *Valeriani* viri doctissimi: Hieronymus *Mazza* Venetus, etiam theologiae doctor, ambo eruditi in graecis et latinis literis, logica philosophia et musica: Ioannes *Soldra* Cracoviensis, de quo sic scribit Hieronymus *Mazza*: Hic manifeste Christum praedicat nec sibi tantillum timet ab his canonicis qui illum exstinctum cupiunt. Ex huius *Soldrae* literis ad me vides Dominum vocare ea quae non sunt et sic infatuare sapientiam mundi.[20])

2351.

GLAUBURGERUS CALVINO.

Morte agnati graviter affectus, gravius etiam concione funebri de eo habita diutius responsum distulit. Iam petit ut Calvinus non modo peregrinos Francofordiae commorantes sed et indigenas concionatores, qui evangelici volunt appellari, ad pacem et concordiam hortetur.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 63.)

Reverendo et clarissimo viro D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis pastori fidelissimo domino et amico suo inprimis observando.

S. D. Reverende et doctissime domine atque amice observande, literae tuae, quas nuper ad nundinas Francofordienses ad me dedisti,[1]) eo die exhibitae mihi fuerunt quo carissimus meus agnatus D. Adolphus a *Glauburg* (ad quem quoque tunc temporis scripseras) periculosissimo morbo correptus inceperat decumbere.[2]) Quamvis autem gratissimae fuerint et sint literae tuae, ut illas ob pietatem et excellentiam nominis tui saepius exosculatus sim, constitueramque ad illas in ipsis nundinis respondere, tamen quum indies morbus agnati caperet incrementa et augeretur ut iam in agone constitutus animam ageret: sicut etiam contigit quod paucis post diebus cum summo meo et omnium piorum luctú ex hac vita decessit. Et ut verum fatear, agnati mei, quem semper loco filii habui, inopinata et plane hoc tempore improvisa mors me adeo animo deiecit et turbavit, idque contra mentem et propositum meum effecit ut non solum neglexerim quod praecipue officii mei erat in respondendo et gratias agendo pro misso exemplari Harmoniae tuae ex tribus Evangelistis compositae, verum ad alia publica obeunda negotia, magnitudine scilicet doloris ex morte agnati perculsus, per unum atque alterum mensem tardior etiam fuerim. Et licet antea noverim fuisse mortalem agnatum meum, quia tamen et ego homo sum illo ex hac vita sublato, tum vere sensi humani nihil etiam a me fuisse alienum. Porro quum sic visum sit Deo nostro, cuius voluntati adversari summum est peccatum, potuisset tempus aliquanto citius mihi adimere talem animi mei aegritudinem, si non quidam ex nostris concionatoribus Germanis,[3]) quum in funere agnati mei, in totius senatus et multorum piorum virorum et civium praesentia haberet concionem, explicaretque partem capitis 38 in Ecclesiastico, circa finem concionis addendo oleum camino protulisset novum quoddam paradoxon: nempe quod Deus vocaret homines iuvenes et in flore aetatis constitutos ex hac vita ob eam maxime causam, ne diutius viventes prolaberentur in errores et haereses etc. Hoc inaudito prius paradoxo tum publice prolato concionator ille Hartmannus *Bayer* Francofordianus, in quem agnatus meus vivens magna multis annis beneficia (quae scio non levia fuisse) contulerat, novum et duplicatum doloris mihi inflixit vulnus, maxime quum intelligerem, illum ipsum agnatum meum, secundum sententiam huius concionatoris, quasi Dei quadam singulari providentia e medio sublatum, quod non in omnibus illius et confratrum suorum dictis con-

---

20) Lismaninus a. 1556 in Poloniam revertit (*Lub. p.* 65). *Revocatus fuit, ut supra diximus, a synodo Pinczoviensi cuius literas attulit Budsinius.* (*Lub. p.* 58. *Salig.* II. 596). *Asportavit inter alia ep. Zanchii d. d. Argent.* 18. *Febr.* 1556. (*Zanchi Opp.* VIII. 82.) *Mense Maio aut Iunio in Poloniam venit. Sandius in bibl. Antitrin.* 35 *laudat Lismanini epistolam ad conventum Pinczoviensem datam a. d.* III. *Id. Nov.* 1555. *Ex his omnibus facile efficies hanc nostram vel exeunte Nov. vel ineunte Dec. scriptam fuisse, et Calvinum Lismanino suadente sub finem anni plurimas illas epistolas ad Polonos scripsisse quas infra leges et ipsi Lismanino perferendas tradidisse, nisi aliam occasionem maturius arripiendam statuere malueris.*

2351. 1) *N.* 2262.
2) *obiit* 26. *Sept. anno aetatis* 32.
3) *Hartm. Beyer* (*sic enim nomen suum scribebat*), *natus Francofordiae* 1516, *Vitebergae studiis absolutis ministerium in patria capessivit, lutheranismi in doctrina et ritibus ardentissimus propugnator.* (*Steitz in Herzogii Encycl.* IV. 460 *cf. ej. libr. Der luth. Praedicant H. Beyer. Frkf.* 1852.)

sensisset, nec Saxonicis assertionibus in negotio coenae dominicae pro illorum voto subscripsisset, sed magis, si diutius fuisset superstes, adprobasset peregrinorum in hac re doctrinam etc.

Haec et alia, pientissime vir, quae successu temporis Deo optimo maximo permittente, non caelantes*, me eo redigerunt* ut plane decori et officii mei immemor hactenus ad literas tuas non responderim. Erat, quod Deum testor, si fata agnati mei, ut iam retuli, tulissent, quod tum temporis ad te scribere volebam, et erat argumentum et inventio epistolae meae in promptu: me plurimum gaudere quod intelligerem veterem illam amicitiam [4]) et familiaritatem, quam in comitiis imperialibus Ratisponae anno 1541 habitis in hospitio legatorum Argentinensium inivimus et habuimus, peregrinorum nomine oblata occasione iam renovari. Et quamvis sciam, quam mihi per triginta nunc annos contra voluntatem meam postpositis literarum humaniorum studiis in multitudine negotiorum forensium versato curta sit supellex in re literaria, tamen tum, quemadmodum et in hoc scripto meo, volui testari animi mei propensionem erga pios et eruditos viros, praecipue illos qui propter veritatem et professionem evangelii profugi facti exsulant etc. Tantum rogo nunc obnixe pietatem tuam (quoniam Dei et non hominum providentia et consilio factum est ut in hac urbe hospitium sit talibus exsulibus, et permissum quoque hoc tempore ut non solum Galli sive Flandri verum etiam Angli suos separatos conventus et ecclesias habeant) [5]) ut hoc velis omnibus modis per literas tuas agere cum peregrinis cuiuscunque sint nationis in hac urbe morantibus, adhortando illos in Domino, quo sint in doctrina verae fidei, remoto omni livore, constantes: ne dolis Satanae circumventi serant et excitent inutiles contentiones inter se ipsos, [6]) quibus senatus permotus in illos aliquid statuat quod ipsis pacifice viventibus non fieret etc. Obstiti hactenus, adiuvante Domino, quorundam conatibus, qui meo iudicio magis propriis affectibus quam zelo Dei feruntur. Sed Deus, ut spero, dabit meliora.

Ego interim Deo aspirante Harmonia tua, cuius nomine tibi ingentes et ago et habeo gratias, atque ut aliis scriptis tuis fruor in explicatione verbi Dei, ut ex illis in fide robustior factus discam Satanae dolos et insidias praecavere mundique illecebras contemnere, ut quandocunque visum fuerit Domino tanto maiore cum alacritate ex misera hac vita ad coelestia tabernacula migrare mihi liceat. Bene vale in Domino et me meosque in precibus tuis apud Deum commendatos habeas rogo. Datae Francofurti ad Moenum Calendis Decembris anno 1555.

Tuus ex animo
Ioannes a Glauburgo senior.

Venerabilis Domine, quum iam obsignare vellem has literas venit mihi in mentem, non plane infrugiferum futurum ut, sicut de adhortandis peregrinis admonui, idem ad nostros concionatores Germanos, diverso tamen argumento, a te fieret. [7]) Nam intelligo aliquot ex concionatoribus evangelicis (ut appellari volunt) nescio quo spiritu impulsos, dissimulata penitus papistarum idololatria, in vera Christi membra, quae fovere debebant, tanquam in propria viscera saevire etc. etc. Ex quo fit ut non solum multi pii offendantur, sed maior iam fenestra patefacta sit hostibus evangelii obloquendi et calumniandi veram religionem. Anno 1555.

Tuus ex animo
Ioannes a Glauburgo senior.

4) *Quam fidelissime servavit pacis et concordiae inter protestantes semper patronus et vindex.*

5) *Quid quod Anglis etiam aliud concessum fuit templum, ne tres ecclesiae in uno eodemque suos conventus celebrare coacti essent.* (*N.* 2322.)

6) *Quo pacto tales exhortationes sibi cordi esse ostenderint ex epistolis quam plurimis supra satis superque didicisti et infra disces.*

7) *In tali studio Nostrum nihil profecisse certum est. Quum a.* 1556 *ipse Francofurtum venisset Beyerus casu ipsi obvium vix salutavit.*

2352.

POLLANUS CALVINO.

Varia narrat de statu ecclesiae peregrinorum Francofordiensis, alios notans, alios laudans, maxime semetipsum, scilicet innocentissime calumniis obnoxium et omnia pro Christo patienter ferentem.

(Ex autographo Cod. Goth. 404, fol. 767.)

Clarissimo theologo et praestantissimo Christi servo D. Ioanni Calvino magistro ac parenti in Christo venerando.

Genevae.

S. P. Quae vobis exposuerunt optimi fratres D. *Sanctandreas* et D. *Crispinus*, [1]) utinam tam vera essent quam non sine dolore experior me non vanum fuisse vatem quum tam sedulo darent hic operam nobis conciliandis. Quanquam paulo ante re-

2252. 1) *qui m. Septembri adfuerant* (*N.* 2293).

ditum D. *Sanctandreae* malum recruduerat, quum nostri absente D. *Richardo* [2]) sanctissimae memoriae, nulla ratione habita vel ecclesiae vel existimationis suae, coram ecclesia publice presbyterio se abdicaverant. [3]) Quamobrem coacti fuimus consentiente ecclesia universa die precum et ieiunii publici de instaurando presbyterio cogitare, sicuti novit frater optimus *Sanctandreas*. Et quum diutius abesset D. *Richardus*, nos contra voluntatem nostram coacti fuimus, nisi ecclesiam voluissemus ire perditum, in institutione novi presbyterii progredi. Itaque populi suffragiis sex nobis delegimus, quibus D. *Richardus* ipse manus imposuit publice in ecclesia, die dominico postquam huc ad nos rediisset. Interea multis contumeliis et conviciis exceptus sum a nostris, qui neque D. *Richardo*, imo ne D. *a Lasco* quidem parcunt. Sed nolo plura de ipsis aut mea causa scribere, ne cogar eos accusare quorum salutem cupiam mea vita, si fieri posset, redemptam. Fuit mihi et D. *a Lasco* atque senioribus omnibus longe tristissimum, quod illi suis intemperiis nos coegerunt rem deferre ad D. *Glawburgum* nostrae ecclesiae patronum unicum.

Ego, quum has turbas intueor, neque spem aut viam aliquam reconciliationis invenire possum nisi me deiecto. [4]) Saepe cogito fortasse non inconsultum fore si publice toti ecclesiae significarem, per me licere alium in meum locum sibi deligere. Sed D. *a Lasco* non patitur. Ego vero, uti iudico abdicatione ministerii turbas istas sic componi posse, ita quam lubentissime fecero, si testimonio tuo id mihi licere tuta conscientia cognoscam. Neque hinc ideo discederem, quin ad omnia quaecunque postea mihi ecclesia imperaret semper futurus essem paratissimus. Velim ut, quam primum possis, quid de eo iudices et statuas ex literis tuis intelligam. Nulla etenim (testis est mihi Deus) vel ambitione vel avaritia ministerium hoc retineo, aut etiam principio inii, quum meae ecclesiae hospitium hic impetrassem, sed sola religione. Alioqui non eram ignarus quae me manerent molestiae, quum et Satanae odii et malevolorum invidiae non essem iam inde ab initio inscius. Hoc si tibi meum consilium non improbabitur, sequar quidquid suaseris. Sin aliud videbitur, uti D. *a Lasco*, nolite cogitare me velle officium meum ecclesiae Christi denegare. Non malis cedo, sed ecclesiae cup[*io*] consultum, qualicunque mea aut etiam mei iactura. Amo illam et in meis visceribus iam pridem gesto. Imo mastigas meos amo, si qua possim illorum saluti inservire. Dominus illis parcat. Ego lu[*bens*] illis condono quidquid in me commiserunt. Zelo potius imprudenti [5]) quam malitiae omnia illorum tribuo. Itaque ipsis nondum irascor. Si quid potes hac in parte, uti plurimum posse scio, ecclesiam et illos tibi [*commendo*].

Interea dum sic omnia turbantur, ecce quasi non satis sit molestiae, carissimus atque sanctissimus ille frater et symmysta fidissimus, D. *Richardus*, 15. postquam huc appulerat, tertio autem postquam aegrotare coeperat die (non enim supra 47 horas aegrotavit) vitam hanc aeterna ut feliciter ita etiam hilari animo commutavit. [6]) Quam grave vulnus mors illius mihi inflixerit non est facile cogitare. Doleo vicem meam, doleo magis ecclesiae sortem. Sed quando ita Domino visum est me crucibus onerare, fiat illius voluntas. Iram Domini portabo. Dabit his tandem laetum aliquem exitum, neque me frustrabit corona gloriae quum cursum consummavero. Lues ista nihil remittit, quia nihil de peccatis remittimus. Orate omnes publice et privatim pro nobis. Ego me vobis commendo, ac tibi etiam privatim totum committo.

Proximo insequenti dominico die, suffragiis populi quum propositi essent D. Jo. *Garnerius* et D. Franciscus *Riverius*, [7]) electus hic fuit in defuncti locum: adque illum vocandum missus est e diaconis nostris unus, Franciscus *Le Clercq*, uti arbitror tibi non ignotus. Spero me illo posse uti tanquam fratre. Si sic tibi videbitur, poteris non parum concordiam nostram iuvare communibus aliquibus literis aut privatis. Ego rem totam Deo committo, cui uni servio, non hominibus. Quibus ne unquam placere studeam det mihi Iesus Christus.

Rogo mihi condones quod sic tecum incondite garriam. Etiam apud te lubens peccassem, a quo semper exspecto paternam correctionem et admonitionem. Non licet haec exarata relegere: ita distringor curis et negotiis. Quia parum habebam

---

2) *Vallevillio.*

3) *In his dissidiis non omnia nobis perspicua sunt. Lascus* (*N.* 2295 *seq.*) *de odiis in Pollanum conversis loquitur, causa non indicata. Ipse culpae partem sibi adscribere debebat, nisi omnia nos fallunt. Cf. etiam Calvini ep. N.* 2363. *Presbyterorum abdicatio et nova electio dissidii symptoma fuit.*

4) *Fatetur suam personam praecipuam discordiae causam fuisse et probe notandum quam modeste Calvino, scilicet et aliunde edocto, de semetipso loquatur.*

5) *Causae tamen variae fuisse videntur. Saltem concionatores lutherani in sua relatione a.* 1563 *conscripta haec habent:* Valerandus ist durch raht Calvini vom Predigampt abgesetzt worden, darumb er darnach bis an sein end Calvino deste feinder gewesen. Gleichwol haben wir nach Calvini abscheid von etlichen vernomen dass Valerandus were angeklagt worden als hette er mit dem gemeinen Allmosen und mit etlicher seiner Leut hauszzins, denen er die Heuser bestellt, vntrewlich gehandelt. (*Frkf. Rel. Handl. II. Beil.* 14, *p.* 76.)

6) *Peste exstinctus quae tunc grassabatur.*

7) *Perucellus tunc Vesaliensis, qui tamen vocationi non obtemperavit. Cf. Riverii hist. de Vesal. eccl. dissipatione, in Frkf. Rel. Handl.* I. 278 *ss.*

negotii Deus etiam familiam meam peste afflixit. Uxor mea, quae te obsequiose resalutat, iam quinque hebdomadibus domi desidet cum filiola. Heri elatus est optimus vir M. *Iacobus*, quem hactenus alui, qui perquam utilis fuit ecclesiae sua chirurgica. Itaque abhinc sex dies etiam chirurgiam domi cogor exercere apud meos. Neque tamen interea meos mastigas ulla tangit mei commiseratio aut sollicitudo. Sed Dominus me non deseruit. Nunquam ego vel familia laetiores viximus. Iam finem faciam alio vocatus. Salutem oro meo nomine dicas D. *Sanctandreae*, D. *Crispino*, D. *Raymondo* et reliquis symmystis. Dominus Iesus te sospitet, suaeque quam diutissime incolumem ecclesiae servet. Raptim Francofordiae postridie Cal. Decemb. 1555.

Tuus observantissimus discipulus
et filius in Christo
V. Pollanus.

D. *a Lasco* scripturus erat
nisi valetudo impedierit.

2353.

WOLPHIUS CALVINO.

Commendat Calvino laudibusque extollit Lismaninum. Gratulatur ei Servetum oppressum, Westphalo praesagit condignam cladem a triumviris doctissimis infligendam.

(Ex autographo Cod. Goth. 404, fol. 793. Pars aliqua chartae abscissa.)

D. Ioanni Calvino viro clarissimo ecclesiae Genevensis ministro impigerrimo domino et amico suo observando.

S. P. Quanquam tibi iam dudum commendatum esse et percarum suo . . . . *Lismaninum*,[1]) teque quum ea quam agit causa tum etiam tua sponte credo cupere ei viro quibuscunque rebus posses commodare, tamen quum ipse iam ad te proficiscens nescio quanti sua referre arbitraretur, me etiam per literas declarare tibi qua essem erga ipsum voluntate, non dubitavi haec ad te scribere. Quam tamen ad rem illi non fuit opus ut multis me magnisque precibus impelleret, idque quum sua tum vero tua causa maxima. Nam si te respicio, *Calvine*, is es cuius ego in ecclesiam studiis, laboribus, libris, fama celebri paene quotidie reficior. Itaque vel obvias quasque ad te scribendi occasiones sane quam libenter arripio, ut meam erga te benevolentiam atque observantiam tibi probem. Sin illum ipsum D. *Lismaninum* intueor et considero, vix satis admirari queo factae inter amicitiae primordia,[2]) progressus, firmamenta. Magna sunt eius in ecclesiam studia, praeclari conatus, nec minus fausti laetique successus. Eum tam praeclara tamque divina molientem omnes boni doctique viri quanto possunt opere debebunt adiuvare. Quod tu, qui tuum antiquum zelum semper obtines, quique magnus es *Lismanino*, prae caeteris omnibus facies inprimis strenue. Nam assiduae illae et prope continuatae pugnae et molestiae, quibus impetit agriculturam tuam Satan, non patiuntur te frigere. Veluti vix sopitis intestinis malis et oppresso *Serveto*, quasi nullas terrestres pugnas metuenti, *Westphalus* ille navales facit. Quem tu, ut audio, perinde ut dignus est tractabis. Idem D. *Bernardinus* facit,[3]) et iam faciet etiam D. *Bullingerus*.[4]) Atque utinam vestris responsionibus efficiatis quo discat homo turbulentus quanto praestet piis et sinceris libris rem christianam publicam promuere,[5]) quam adeo contentiosis farraginum scriptionibus turbare. Sed eum ego potius hic missum faciam, quam ut longiore epistola a tuis curis atque studiis te diutius impediam. Extremum est quod peto mihi nunc abs te praestari, ut *Lismaninus* noster intelligat me non minus abs te diligi quam te vicissim observo atque diligo. Id enim quum mihi tum vero ipsi, cui me percarum esse sentio, *Lismanino* gratum et optatum erit. Vale, vir optime et doctissime. Datae Tiguro iij. Nonas Decembr. anno Dni M. D. LV.

Ioannes Wolphius
Tigurinae ecclesiae minister
tui studiosissimus.

2353. 1) *Videtur is ante reditum in Poloniam Genevam adiisse et epistolas Calvini in Poloniam asportandas ipse collegisse. In Marbachii diario ad* 8. *Febr.* 1556 *legitur:* Ist hieher kommen D. Franc. Lysmaninus Corcyranus profecturus in Poloniam.

2) *sic.*
3) *Libro cui titulum fecit:* Syncerae et verae doctrinae de coena Domini defensio contra libros tres Ioach. Westphali. Tig. 1556. 8.
4) *N.* 2340.
5) promovere?

2353 bis.

VIRETUS CALVINO.

Pauca quaedam habet de casu nescio quo Sanctandreani. Causa contra Vandelium iam sub iudicibus est.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 48.)

Eximio Christi servo D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fratri et symmystae plurimum observando.

Genevae.

S. Tristissimus nobis fuit nuncius quem audivimus de miserabili casu fratris nostri *Sanctandreani*: Dominus illi adsit propitius. Quaeso te ut primo quoque tempore nos certiores facias de spe quae vobis de illo superest, ut habeamus quod laetemur aut quod lugeamus vobiscum.

Mitto ad te literas *Halleri* ad me, cum aliis quas ut ad te transmitterem mandavit, ex quibus cognosces quod te cupit cognoscere. Mitto et alias *Gruani* ad te. Coepi ego heri iure experiri cum buccinatore *Vandelino*. Nondum respondit. Cras responsurus est. Exspecto causae exitum. Senatus in hac mea causa aequa omnia constituit. Noluit per omnia senatus sententiae acquiescere adversarius. Quare necesse habui in forum publicum trahere. Mox rescies si quid agatur scriptione dignum.

Quae sit spes foederis audire aveo, et si quid habetis aliud quod nostra nos scire referat. Multam salutem dicunt fratres omnes. Salutat uxor et tota familia amantissime. Vale optime et diutissime. Lausannae 3. Decemb.[1])

Tuus Petrus Viretus.

2354.

BULLINGERUS CALVINO.

Commendat Lismaninum.

(Ex autographo Cod. Goth. 404, fol. 758.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo fratri meo colendissimo.

2353 bis. 1) *Annum sistunt lis cum Vandelio et negotiationes de foedere inchoatae.*

S. D. Brevior sum, quia D. hic noster *Lysmaninus* vice erit prolixissimae epistolae. Nec est quod illum tibi commendem quem alioqui carissimum esse intelligo. Recte sapit: tu illum confirma in sana doctrina [1]) et hortare ut operam suam conferat Polonis suis. Plura et certa ille referet de rebus Polonicis. Vale, colendissime mi domine et frater, et noli unquam in animum admittere, segnius amare me *Calvinum*. Tiguri 4. Decemb. 1555.

Bullingerus tuus.

2355.

OCHINUS CALVINO.

Novum munus auspicatus et gravissimi officii sibi conscius Calvino se commendat optima quaeque pollicitus et eundem cumulatius laudibus extollens.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 240.)

Doctissimo viro D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis pastori vigilantissimo fratri observandissimo.

S. P. D. Amoris in me tui memoriam, multis antehac testimoniis mihi perspectam, nunc tandem perspectissimam exhibuisti, quum honorificam de me mentionem in tuis ad doct. D. *Bullingerum* literis edidisti.[1]) Id hactenus pergratum, nunc vero longe gratissimum, utpote certissimum divinae vocationis argumentum, cui ex animo gratulemur ipsi symmystae ad excolendum ipsius agrum ab eodem vocati. Illud autem abs te, idque iure fraternae necessitudinis, vehementer peto, ut quemadmodum mihi gratularis ministerium a Domino creditum, ita assiduis apud eundem precibus me commendes, quo praestem eum Iesu Christi ministrum quem et tu optas et ego intelligo his maxime temporibus ad instituendas ipsius oves requiri. Qua in re quum per Dei gratiam (mea quidem sententia) primas teneas, tibi vicissim gratulor, quum intelligam qua dexteritate, diligentia et caritate praestes ac promoveas admirandum hoc et sacrosanctum ab ipso

2354. 1) *Vide utrum haec simpliciter sensu paraenetico dicta sint, an ex suspicione quadam nata. Lubieniecius quidem autor est Lismaninum anno demum 1558 suadente Blandrata placita Arianorum amplexum esse et occasione synodi Pinczoviensis hactenus male audiisse. (Hist. ref. pol. p. 118.) Fortasse tamen Turici cum Socino et Ochino familiariter conversatus Bullingero suspectus fieri poterat, quanquam Ochinus tum temporis nondum aperte in castra Antitrinitariorum transierat.*

2355. 1) *Talem legisse non meminimus.*

Deo tibi delegatum munus. Quod qui non videt atque agnoscit talpa se caeciorem prodit. Qui vero agnitum non admiratur et reverenter suspicit, is ingrati et invidi nomen apud pios nunquam effugiet. Id quanquam hactenus admirandis modis et certis signis apud cordatos viros compertum sit, nunc vero certissimis ita compertissimum, ut mihi ipse de te certo promittere audeam immensum hac in re profectum: de te, inquam, qui ex tam perniciosissimis calumniatorum morsibus adeo gloriose emerseris, referens ex devictis et prostratis hostibus immensam non modo et honorificam Iesu Christo imperatori nostro gloriam, sed ingentem quoque et opimam praedam, nempe compositas in religione innumeras turbas et pacatam istam urbem, cui impiissimus quisque extremum in foribus adesse interitum ominabatur. Hic autem, vir carissime, non est quod mireris aut queraris varios et insolentes tumultus adversum te concitatos, sed tecum potius expendas non minoribus nervis ipsi Satanae fuisse enitendum, si modo expugnatam et exstinctam cuperet arcem istam, non munitissimam solum, sed tali imperatore talibusque militum praesidiis fere inexpugnabilem. Deo igitur nostro per Iesum Christum gratia, qui fusis ac trucidatis hostibus suis gloriosissime triumphat. Quod autem ad me attinet, scito praeter omnem spem huc vocatum, atque eo potissimum tempore quo me rude, ut aiunt, donatum iam esse arbitrabar. Faxit vero qui me vocavit, ut sicut praeter spem id evenit, ita tuam et multorum de me exspectationem nusquam fallam. Velim praeterea tibi certo persuadeas, me tui amantissimum tibique variis nominibus adeo esse devinctum, cui nihil facere possis gratius quam si imperes, non autem roges, quacunque tandem in re operam meam desideres. Has quidem ut ad te darem, frequentiores porro daturus literas, non solum iussit tua illa erga me humanitas, sed imperavit quoque illa D. Francisci *Lismanini* autoritas et summa quae mihi cum illo intercedit familiaritas. Quem quum tibi deditissimum tuique amantissimum esse sciam, non potuit ille non arctissimis amicitiae nexibus nos utrinque simul constringere. Vale, saeculi nostri decus, et omnes istos symmystas verbis meis saluta. Tiguri pridie Nonas Decemb. 1555.

Deditissimus
Bernardinus Ochinus.

2356.

CALVINUS FARELLO.

Fallitur ille si quidquam piis Gallis a Germanis principibus auxilii venturum sibi fingit. Etiam de conventu Bernae inchoato ad foedus renovandum dubia spes.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 123. Ad manum erant praeterea exemplaria Turretini Cod. 108, fol. 55, Bernense Epp. VI. p. 511 et Simlerianum Vol. 86. Versio anglica in ed. Philad. III. 239.)

Eximio Christi servo Guillelmo Farello ecclesiae Neocomensis pastori fratri mihi carissimo.

S. Confessionem Augustanam a Germanis principibus animose defendi merito gaudes,[1]) optime *Farelle.* Verum si quidquam miseris fratribus, qui in Gallia premuntur, venturum ab istis patronis speras longe falleris.[2]) Potius saevitiam accendent, nisi qua subita conversio mirabiliter fiat. Nos quoque ad mactationem trahent. Etsi autem praevideo quae nobis discrimina immineant, gaudeo tamen aliquatenus propagari Christi regnum. Tantum nunc te monitum volui ne frustra labores, ubi nullum operae pretium facturus sis. Poeta,[3]) de quo metuis ne me incantet, forte iam suum acroama retractavit, quia videt se laborem male et infeliciter sumpsisse: nisi forte, quia nemo est ad quem se applicet, suspendere sententiam malit. Ipse vero pendeat, modo nos in Domino stemus.

Legati nostri, qui ad foedus renovandum missi sunt,[4]) proximo die Lunae agere incipient. Faxit Deus ut brevi significent negotium esse confectum. Si pertinacius repudient quod nostri offerunt, longius progredi necesse erit, nec sine eorum dedecore. Ut religio misceatur non fert occasio, sed aperietur aliqua rima. Dominus tibi semper adsit, frater integerrime, teque spiritu suo gubernet. Saluta fratres meo nomine. Genevae 7. Decembris 1555.

Ioannes Calvinus tuus.

2356. 1) *N.* 2348.
2) *Quod patuit quum a.* 1557 *principes a Farello et Beza sollicitati tandem intercessissent.*
3) *Marcurtius.* (*N.* 2345. 2348.)
4) *Reg. du Conseil.* 8. 18. 28. *Nov.* 3. *Dec. Ad* 8. *Dec. Bernam fuerant vocati.*

2357.

VERMILIUS CALVINO.

Agit de ecclesiae Gallicanae Argentoratensis rebus, deque re sacramentaria etiam Francofordiae suis negotia facessente; laudat Calvini consilium contra Westphalum scribendi et quae ipse polemica scripta meditatur exponit.

(Ex autographo Cod. Goth. 404, fol. 763.)

Clarissimo viro D. Iohanni Calvino ecclesiae Christi ministro sincerissimo.

Genevae.

S. D. Quum occupationibus variis ac multiplicibus propemodum obruaris, cur ego non sim facilis ad excusandam oblivionem literarum mittendarum, si qua ut fit obrepserit? Boni ergo consulo quidquid abs te proficiscitur, quum ecclesiae Christi iuvandae atque instaurandae te perpetuo laborare non ignorem. Hoc tamen scias velim, diu me a D. *Celso* [1]) nostro literas non accepisse, unde miror, si eas tuis iis novissimis adiunxisti, quomodo simul non sint redditae. At fortasse reddentur. Solet enim haud raro usu venire ut literae aberrent.

Fui superioribus diebus de tua valetudine multum sollicitus, *Othomannus* quippe noster huc veniens te graviter laborare significaverat. [2]) Gratia Deo qui non modo te restituit, sed etiam rebus ecclesiae vestrae ac reipublicae dignatur adesse. Mihi porro ista sunt evangelia. Nam ob afflictiones vestras, quum aliquando vos premunt, ipse quoque non possum non graviter uri. Non enim desunt impii qui, dum sanctorum aliquas tentationes audiunt, euge euge illico exclamant. Benedictus Deus qui pater est consolationis et in opportunitatibus non deest.

De nostratium ecclesiae augmento et spirituali prosperitate [3]) mirifice gaudeo. Deus, qui coepit opus bonum, ad finem usque fortunet: quod utique fore non dubito. Quos enim ex nostra gente isthic habetis probe novi. Negotium Christi, etiam quum essent in Babylone, serio cordi habuerunt. Quare nunc, quando pro voto licet eis fidei suae fructus palam exserere, illos vocationi tam sanctae non defuturos persuasissimum habeo. Nostra vero ecclesiola, quam tamen et frequentiorem et numerosiorem solito habemus, uti divinas, potius est sedata quam tranquilla. Non quidem adhuc excitata est flamma, sed tamen scintillae frequenter excutiuntur, quae si materiam idoneam ad ignem alendum nanciscantur, incendium erit longe maius quam unquam fuerit, neque aliunde timendum est nisi ab iisdem qui tragoediae Garnerianae choragi fuerunt. Principem turbarum [4]) ἐν πρεσβυτερίῳ esse mirari desine: non enim fuit χειροτονία seniorum consueto more habita, sed nomine magistratus renunciati sunt seniores, ad arbitrium (quemadmodum per te ipsum scire potes) unius aut alterius. Onus ego sum deprecatus, utque videbam facilis erat impetratio: pastoris tamen cumprimis et aliorum bonorum precibus me vinci sum passus. [5]) Unde quum in illo agam ordine potius aliorum suasu atque impulsu quam mea ipsius voluntate, pro viribus advigilabo ne quid temere in ecclesia turbetur.

Quo vero ad rem sacramentariam, ut de causae nostrae bonitate confido, ita de Saxonum obstinatione et pervicacia despero. Quin et Francofordienses ministros, Germanos inquam, audio nescio quid in peregrinorum ecclesias, quae ibi nostram profitentur sententiam, moliri. [6]) Suspicor nostros, D. *a Lasco* autore, voluisse cum Germanis de causa ista fretos veritate aliquid agere: sed nesciunt horum hominum ingenium qui seposita disputatione solida conviciis agunt et principes ac magistratus in nos clanculum incendunt. Quamobrem consilium tuum potius laudo, qui spe colloquii amicabilis deposita et compositione omni aequabili desperata, stilo firmisque rationibus, quibus armis Deus me iudice te affatim instruxit, *Vesfalum* cum impia et portentosa illorum ubiquitate susceperis debellandum. Fortunet Deus conatus et fructibus exspectatis labores tuos non frustret.

Ego vero quia te video avidum cognoscendi quid agam, librum de votis adornavi, [7]) quo rabulae cuidam Anglo D. *Smithaeo* respondeo. Sed non puto librum proximis nundinis exiturum, quia tempus, ut video, non sufficit, deinde rem plus quam oporteat non urgeo. Nunc autem susceperam *Vinthoniensi* occurrere, [8]) ac eius librum ista de re

---

2357. 1) *Martinengo, Italorum Genevensium ministro.*

2) *N.* 2309. *Argentorati Martyris hospes erat et compater factus est.* (*Schmidt, Verm.* 185.)

3) *De Italorum Genevensi coetu loquitur.*

4) *Nomen coniectura tantum prodere possumus Antonii Cohelet, contra quem iam Garnerius, quum diaconi munere fungi vellet, remonstraverat.* (*Diar. Marb. ad* 5. *Oct.* 53.)

5) *Etiam Sleidanus cooptatus est.*

6) *Beyerus c. collegis id agebant ut peregrini dimitterentur utpote in articulo de coena ab Aug. Conf. desciscentes. Addebant* dass die Fremden sowohl gemeyner Burgerschafft vnd auch den Kauffhendeln in Messen nachtheylich seien. (*Zuschrift an den Rath* 29. *Oct. und* 7. *Nov. Frkf. Rel. Handl. I. Beil.* 5, *p.* 7, *et Beil.* 6, *p.* 9. *Fresenius KG. der Ref. in Frkf. p.* 86. 93.) *Ansam praebuit Lasci liber et alterius templi desiderium.*

7) Defensio ad R. Smythaei duos libellos de coelibatu sacerdotum et votis monasticis. Basil. Perna. 1559. 8. *Coxo dicatum et ut vides sero demum editum.* (*Schmidt Verm.* 223.)

8) Defensio doctrinae veteris de sacrosancto eucharistiae sacramento adv. Steph. Gardinerum. Tig. Froschov. (1559) fol.

sacramentaria confutare. Sumque aliquantulum in opere progressus, verum prolixitate deterreor. Nihilominus omnino respondendum censeo, tum quod adversarii praedicent invictum eius robur, tum quod Anglia id vehementer expetat. Non tamen cito me potero explicare: partim quia patres quos adducit oportet omnes diligenter evolvere, partim quod ob *Marpachii* assiduas propemodum occupationes et *Zanchii* aliqua frequentia incommoda in me docendi fere totum onus recumbit, neque vires, ut solebant, sunt integrae. At id aegerrime fero, impostorem illum, *Vinthoniensem* inquam, prius esse mortuum [9]) quam quod edendum paro videre ipsi licuerit. Non enim libenter cum larvis luctor. Sed quod visum est Deo nobis omnino ferendum est.

Habes negotiorum meorum summam: quare, ut ego Deum oro quo tua sedulo fortunet, tu vicissim illum preceris ut mihi spiritu suo non desit. Polloni concilium provinciale indixerunt ad quadragesimam: deinde comitia regni sequentur. Verum et ibi non desunt qui nostram causam sacramentariam summis praeiudiciis gravent. Vale igitur, vir Dei et ecclesiae Christi pastor sincerissime. Dominus spiritu suo te defendat et ut hactenus fecit perpetuo gubernet. *Zanchus* te salutat. Quacunque in re potes Italos meos quaeso iuves. Non enim te, uti confido, collocatae operae poenitebit. Decembris 8. 1555 Argentinae.

Tuus in Domino
Petrus Martyr.

2357 bis.

L'ÉGLISE D'EMDEN A PERRUCEL.

Elle lui adresse une vocation pressante. [1])

(Archives de l'église wallonne d'Amsterdam. Nous en avons reçu une copie authentique par M. le pasteur F. H. Gagnebin.)

Grace et paix par Iesus Christ.

Ne voulans nous arrester aux louanges des dons que Dieu a mis en vous, Monsieur, nous vous dirons qui nous meut de vous escrire. Vous n'ygnorez pas comment despieca nous avons desiré et mesme vous avions mandé n'y a pas long temps pour estre collegue et compagnon de M. Pierre *du Val* [2]) au ministere de la parolle. Dautant qu'une Eglise n'ayant quun ministre de la parolle est souvent destituée de ses consolations survenant quelque maladie ou autre empeschement ainsy quil nous en est advenu une fois si qu'a la longue un Ministre seul ne peut pas longuement durer sans soulagement. Dautrepart estans garnys de vos lettres par lesquelles vous signifiez que ou le plus grand nombre de l'Eglise de laquelle vous avez esté Ministre vous appelleroit vous l'yriez servir n'estant lié au lieu ou vous estes que en telle condition nous ne savons lieu ou il y ait plus de vostre dicte Eglise ne de ceux d'Anvers ausquelz vous vous sentez redevable, qui demande vostre service qu'yci. Mais pourtant quon nous pourroit improperer de faire contre la charite fraternelle vous voulant retirer d'un lieu ou vous este si bien seant Il nous semble quon pourra bien pourveoir a cela par la vocation d'un autre en vostre place pour ministrer a ceux qui l'appelleront vous respondant a vostre vocation et consentant les vostres qui vous requierent. Car comme vous savez que les brebis oyent volontiers la voix de leur pasteur lequel es-

---

9) *prid. Idus Nov.* (*Strype eccl. mem.* III. 1, *p.* 465. *Weber* II. 294.)

2357 bis. 1) *Perrucel arriva à Wesel dans le courant de l'été* 1554. *Il n'y était pas encore en Mars* (*N.* 1929), *nous l'y trouvons en Août* (*N.* 2002). *Sa position y devint bientôt très-difficile. Le* 11. *Août* 1555 *le magistrat ordonna que tous ceux qui ne s'en tiendraient pas à la Conf. d'Augsbourg, notamment quant à l'article de la cène, auraient à quitter la ville dans trois jours.* (*Wolters, Ref. Gesch. v. W.* 159.) *C'est dans cette situation que la présente lettre lui fut adressée. Voici ce qu'il en dit lui-même dans son Mémorial* (*Frankf. Rel. Hndl. I. Beil.* 190, *p.* 281)*:* Ad id tempus m. Nov. venit ad me Wesaliam Franc. Clericus literas ferens nomine ecclesiae Francofordianae continentes electionem in ministerium mei, loco M. R. Vauvillii defuncti. Allatae sunt quoque literae Emdensis ecclesiae nomine mei similiter electionem continentes, ut minister essem loci illius. Sed quamvis in duo illa loca electus atque vocatus essem, et ambae ecclesiae mihi scripsissent se in illa opinione non esse ut manere Wesaliae me debere fratribusve illius loci obligatum esse existimarent, tamen ad neutrum illorum locorum ivi, sed omnibus respondi, quia vocationes illae non incidissent in id tempus quo spem non haberem obtinendae in oppido W. ecclesiae, sed contra quum iam de obtinenda ibi libertate satagerem (*ce en quoi il se trompait*) me neutram vocationem sequi posse.

2) *Ce P. du Val, sur le compte duquel M. Gagnebin nous dit avoir fait jusqu'ici des recherches non couronnées de succès, ne doit pas être confondu avec son homonyme, évêque de Seez, précepteur des enfants de François I., lequel embrassa la réforme et assista au colloque de Poissy.* (*Haag.* IV. 521.) *Quant à celui dont il s'agit ici, nous apprenons par une lettre de l'église d'Anvers à celle d'Emden du* 4. *Août* 1558, *et conservée aux mêmes Archives, qu'il mourut dans la première de ces villes au mois de Juillet de la dite année. — Il existe encore aux Arch. de l'église Wallonne d'Amsterdam une lettre de Perrucel à du Val, datée du* 29. *Sept.* 1554, *et dans laquelle il se défend de l'accusation d'être devenu Luthérien. Cette lettre est très intéressante pour la connaissance de l'histoire de l'église de Wesel, et il serait à désirer qu'elle fût publiée dans son entier, mais elle est d'une longueur excessive et trop en dehors de notre cadre.*

tant absent s'esgarent quelque fois vous ferez bien de subvenir a quelques unes qui sont aucunement esbranlées veu qu'un petit chien abbayant ne peut chasser les loups entierement qui sont en grand nombre par deca. Nous nous taisons de plusieurs lesquelles errantes et pullulantes soubz le joug de l'Antechrist n'attendent que vostre allée a dextre ou a senestre pour se retirer au lieu ou vous irez fors qu'au lieu ou maintenant vous este. Ces choses considerées encor ne vous avons nous voulu appeller temerairement que premier nous n'ayons recommande cest affaire au pasteur et Evesque de noz ames par prieres et jeusne publique avec administration de la cene du Seigneur pour protester qu'en cecy nous ne cerchons que sa gloire et l'edification de son Eglise. Et pource que outre ceux de vostre Eglise d'Angleterre [3]) il y en y a un bon nombre d'autres ausquelz vous este en bonne odeur nous avons ordonne que ceste vocation vostre se feroit par election. Sur quoy vous ayant propose a toute l'Eglise nostre avec nostre frere M. Guillaume *Holbrack* [4]) home tres orne de piete et bonne doctrine et ayant presche comme il est requis en telle matiere la louange en l'Evangile et l'office de l'un et de l'autre, la pluralite des voix est venue sur vous. Car de toutes les voix en nombre trante huit (pourtant quil y en y a quelcuns absens) il en est escheu pour vous trante cinq. et le reste audit *Holbrac* a savoir trois. Nous avons bien voulu faire telle election a fin quon ne pense que soyons transportez en noz affections privées et aussy a fin que nous ne fussions en reproche de nostre Eglise si nous vous eussions appelle sans le consentement dicelle Et aussy pour user du service de l'autre si vous estiez tellement empesche que ne peussiez venir sans scandale ou reproche legitime. Tant y a que nous avons besoing de vous ou d'un autre. Et puis que vostre election est si ferme et quell'a este traictée si meurement nous esperons que l'issue en sera bonne puis quon ne demande rien que la gloire du Seigneur et l'advancement de son Royaume. Encor de tant plus hardiment vous appellons nous par ceste election que nous pensons n'avoir moins de liberté de vous appeller que noz freres de Francford. Et puis quils ont bien usé de ceste puissance sur vous pourquoy n'en userions nous pas Car nous estimons que la pluralite des voix estant echeue sur vous lors, vous n'eussiez faict aucune difficulte d'y aller. Et que savons nous si Dieu l'ayant ainsy permis vous reservoit pour nous a fin qu'estant appellé de nous par election legitime vous vous donniez a nous. Que si le S. Esprit vous a defendu d'annoncer la parolle en Asie pourquoy ne passerez vous en Macedoine pour nous aider. Nous ne voulons point aussy vous celer que n'estans encor contens de la liberte que nous avions sus vous nous avons prins conseil des Ministres de ceste ville qui sont en nombre trois estans presens M. Martin *Micron* [5]), *Hermes* [6]) et plusieurs autres de l'Eglise Flamande, qui oyans nos raisons et allegations apres nous avoir incite a ce que nous avons faict et qu'avions delibere de faire nous ont donne leur advis conforme aux nostres et de commettre le tout apres avoir jette le sort, en la main de Dieu. Au reste attendans responce de ceste nostre lettre nous vous baillerons delay pour mettre en execution vostre dicte election jusques au commencement de Mars ou plustost selon que le trouverez meilleur. Nous vous determinons ce terme seulement a fin que puissiez mettre ordre a voz affaires de par dela plus commodement et pourveoir au lieu ou vous este le mieux quil vous sera possible a la gloire de Dieu, auquel vous recommandant nous luy commettons cest affaire et le priant de vous pourveoir de bon conseil a son honneur a ledification de son Eglise. Nous recommandans a voz prieres et des freres de par dela. De Embden ce 12e de Decembre 1555.

Par vous freres et bons amys dudit lieu.

3) *Une partie des réfugiés qui avaient quitté l'Angleterre avec Lasco, vinrent s'établir à Emden* (*N.* 1919).

4) *Houbraque se trouvait à cette époque à Neuchatel, et devint ministre à Francfort en* 1556.

5) *Il résidait proprement à Norden; mais cette église paraît avoir été considérée comme n'en faisant qu'une avec celle d'Emden* (*N.* 2295).

6) *Le troisième était P. du Val. Hermès nous est autrement inconnu.*

2358.

HALLERUS BULLINGERO.

Mendacium de Calvini libris Bernae combustis de industria sparsum nunciat.

(Excerptum ex autographo Cod. Turic. Archiv. Plut. VI. Vol. 115, olim Scrin. B. Epp. Tom. VIII. fol. 2946. — Simler. Vol. 86.)

Clarissimo viro D. Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori fidelissimo domino ac compatri colendissimo suo.

— — — — — — — — — — — — — — — — — —
Genevensium hic nunc est ampla legatio. Agitur de continuando foedere. Videntur non posse convenire, et valde timemus omnes ne nihil fiat, indeque oriatur gravioris dissidii materia et occasio. Sunt nebulones qui frigidam semper suffundant. Praesente enim nuper hic *Lysmanino* quidam qui se Genevensem nominavit alterum *Lysmanini* famulum occulte rogavit ut, quoniam ad *Calvinum* proficisceretur, diceret ei, libros suos Bernae esse exustos. Ille perculsus me de ea re rogavit. Quum ego negarem, intelleximus proditorium huius nebulonis consilium, quo *Calvinum* hoc nuncio incerto per certum hominem exagitare voluit. Quum vero rogarem ut ostenderet mihi hominem, inveniri non potuit. Quantum vero coniecturis assequi potuimus, unus est ex secretariis qui legatis Genevensium coniuncti sunt.[1]) Tales nebulones et calumniatores mendaces plurimum utrinque serunt dissidii. Dominus exscindat linguas eorum. Haec modo ad te. Plura nunc non habeo. — — — — Bernae 14. Decembris 1555.

Ioannes Hallerus tuus.

2358. 1) *Ecce ubique odia, calumniae, suspiciones, adeoque iam apertissima mendacia.*

2359.

MUSCULUS BULLINGERO.

Lismaninus Berna transiit. Consilia de renovando foedere parum procedere videntur.

(Excerptum ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 153, olim Scrin. B. Epp. Tom. 31, fol. 207. — Simler Vol. 86.)

Clarissimo viro M. Heinricho Bullingero compatri suo in Domino carissimo.

Tiguri.

— — — — — — — — — — — — — — — — — —
Transiit per nos Franciscus *Lysmaninus*, reversurus ut promisit. Oro Dominum ut Antichristum e tota Polonia exterminet. Multum adhuc negotii incumbet fratribus qui regno Christi illic inserviunt, non modo a papistis sed et a falsis fratribus ad serendas contentiones natis. Quare orandum pro illis est indesinenter. — — — — — — — —

Hodie propter Genevenses habitus est maior senatus in causa renovandae societatis. Verum nihil efficitur nisi fallar. Nolunt enim illi cedere in causa de qua nostri ne verbum quidem fieri sinunt. Bernae xv. Decembr. 1555.

Wolfg. Musculus
tuus in Domino.

2360.

LASCUS CALVINO.

Turbae nondum conquiescunt et tum ipse tum Glauburgerus Calvinum rogant ut literis ad peregrinos pariter ac ipsos Francofurtenses ministros scriptis concordiam promovere studeat. Pollanus non omnino damnandus, imo aliquatenus defendendus.

(Ex autographo Cod. Goth. 405, fol. 74. — Gerdes Misc. II. 2, p. 707. Kuyper II. 714.)

Quum proxime ad te scriberem, vir sanctissime, vixdum literas meas absolveram quum me morbus rursum meus [1]) ita corriperet ut non possim plane literis meis includere exemplar epistolae meae ad Regem meum scriptae, de quo ad te scribebam, sed coactus sim alteri dare negotium ut ad te transmitteret. Nunc vero per hosce decem aut amplius dies rectius rursum valui, sed sentire mihi denuo videor rediturі iam morbi indicia: itaque brevior esse cogor.

Turbae hic nostrae [2]) nondum conquiescunt, sed in dies se tamen magis ac magis prodit temeritas quorundam. D. de *Seschellis* vicem doleo, quod passus sit se eo protrudi aliorum instigationibus. Esto enim, habuerit in quibus *Valerandum* merito et graviter reprehenderet, [3]) quemadmodum ego sane me ipsum, ut de aliis taceam, multis et magnis reprehensionibus dignum esse agnosco. Multum interest interim corrigendine an vero infamandi animo aliquid agamus, ab amorene item aut ab odio proficiscantur omnes tum admonitiones tum reprehensiones. Hic vero, ut apud te verum fatear, multa in multis desiderare cogor. Illud unum scio et testari etiam vere possum, *Valerandum* graviter secum ipsum colluctatum esse et indies colluctari, ut se ipsum vincat. Quod equidem certaminis genus,

2360. 1) *N.* 2338.
2) *N.* 2352.
3) *Excusare simul et accusare eum vides, et hic, ut alibi plerumque, Iliacos intra muros et extra peccatum fuisse tibi persuadebis.*

ut est omnium longe pulcherrimum, ita etiam omnium difficillimum esse fateamur necesse est, quicunque in Domino indies magis ac magis renovari ex animo optamus.

Ego sane de me ipso libenter fatebor, me adeo non sentire magnos progressus in mei illa ad quam aspiro renovatione, ut mihi nescio quomodo retrogredi magis quam progredi videar: ac proinde non miror si alii quoque non protinus quo volunt eluctari possint: magnumque progressum nostrae renovationis esse interpretor si quae subito exuere non possumus, quae nostra est infirmitas, ea interim et apud nos ipsos in corde nostro et apud alios etiam sine hypocrisi accusemus, in iis nobis ipsi vere displiceamus et veniam illorum quum apud Deum tum apud homines ingenue petamus. Ea porro quum in *Valerando* videre mihi videar, iuxta externam saltem hominis faciem (de corde enim Deo suum relinquo iudicium), non possum profecto illius hac in parte innocentiae meum testimonium denegare.

Scribit ad te vir clarissimus iuxta ac pientissimus, Iohannes *Clauburgus*, [4]) ut literis tuis omnes simul hic peregrinorum ecclesias ad mutuam concordiam et pacem cohortareris: deinde ut ad urbis quoque huius ministros Germanicos peculiariter scribas [5]) in eandem sententiam, meque oravit ut tibi quoque eius rei autor essem. Ego vero me ea de re ad te scripturum esse recepi, et plane id abs te fieri optarim, vir doctissime. Multum enim ponderis literas eiusmodi tuas hic habituras sperarem. Nam etsi Anglicae turbae utcunque conquievisse videantur, etsi item in Flandrorum ecclesia nihil sit turbarum, gratia Domino, quin et de Gallicis quoque turbis spes sit conquieturas esse per gratiam Dei, tamen nunquam non est futura utilis ad pacem publicam et mutuam concordiam exhortatio.

Et ut nihil aliud fiat, plurimum nihilominus proderit exstare testimonium nostri erga pacem ac concordiam studii, quod nos alioqui etiam apud magistratum post tuas literas acceptas attestari poterimus, si quo modo id efficere possimus ut una cum huius urbis ministris peregrini quoque ministri coetus communes, quos hactenus obtinere non potuimus, habere possint. Qua de re vellem te quoque peculiariter ad ipsum *Clauburgum* scribere, et ut pastores urbis ipsos officii ipsorum hospitalitatisque item erga peregrinos amanter quidem ac leniter, sed interim accurate et diligenter admoneres.

Plura iam non possum, vir sanctissime. Tantum me precibus vestris istic totum commendo, et salvere cupio symmystas istic omnes officiosissime. Raptim Francofurti d. 18. Decembris anno 1555.

Tuus quantus est
Ioannes a Lasco m. pr.

4) *N.* 2351.

5) *Scripsit quidem postridie Cal. Mart.* 1556. *Sed quid exspectari poterat a Beyero quem Languetus* (*Id. Mart.* 1558) *Calvino ut Westphali fidum Achatem denunciavit? Cf. Corp. Ref.* IX. 483.)

2361.

BLAURERUS GUALTHERO.

Lismaninum Bienna Genevam petiisse nunciat.

(Ex autographo Bibl. civic. Sangallensis MSS. Vol. 31, Epp. Tom. II. p. 89. — Simler. Vol. 86.)

— — — — — — — — — — — — — — —

Festinavit hinc Genevam ut cum *Calvino* nostro, principe nostri saeculi theologorum, quod omnium pace dixerim, de quibusdam quas nosti rebus conferret, pollicitus hac se rursus Tigurum rediturum — — — Bienn. 24. Dec. 1555.

T. Ambr. Blaurerus.

2362.

CALVINUS REGI POLONIAE.

Haec et sequentes plurimae ad nobiles Polonos scriptae idem fere argumentum tractant, scilicet regionis illius ecclesiarum reformandarum necessitatem, ita quidem ut consilia et exhortationes laudibus temperatae sint.

(Ex ed. Bezae Genev. p. 167, Laus. p. 359, Hanov. p. 402, Chouet p. 226, Amst. p. 104. — Gallice versam reperies in ed. Berol p. 219, Anglice Tom. III. p. 244.)

Ad Serenissimum Regem Poloniae.

Etsi non miror, praestantissime Rex, nec dubito quo tempore Maiestas Vestra conventum Ordinum regni sui agebat, [1]) in tanta negotiorum mole

2362. 1) *Loqui videtur de comitiis Petricowiae celebratis ubi nuncii (quos vocabant) hos sex articulos proposuerunt in Concilio nationali sanciendos:* 1. *Rex praeses concilii fiat.* 2. *Arbitri exteri advocentur.* 3. *Scriptura sacra sola sit norma.* 4. *Penes Episcopos pontificios autoritas non sit.* 5. *Vocandi sint Calvinus, Melanchthon, Beza, Quercetanus et praecipue Lascus.*

summis et variis curis fuisse districtam, ut ne perlegendae quidem meae cohortationi [2]) otium suppeteret: tamen ex quo plus otii datum fuit, confido aliquid vacui et soluti temporis sumpsisse, ut meus labor tandem non fuerit inutilis. Nam ex literis quas M. V. mittere dignata est, [3]) intelligo, meam sedulitatem gratam fuisse: nec fastidio vel contemptu reiectum fuisse meum illud scriptum, in quo breviter ostendere conatus fueram quaenam vera esset reformandae ecclesiae ratio et quisnam commodissimus ingressus. Imo quia M. V. illud se humaniter excepisse et libenter se inspexisse testatur: et ubi liberius otium contigerit, sibi in animo esse attentius singulas eius partes meditari: plus inde fiduciae ad iterandum scribendi officium offerri mihi visum est. [4]) Itaque si nunc rursus M. Vestram cohortari audeo, non videtur esse cur de venia petenda laborem, ac ne longior quidem excusatio necessaria est. Non sum equidem nescius vel immemor quantum a Celsitudine in qua magnum Regem Deus locavit distet humilis mea et abiecta conditio: sed quia probe tenet M. V. quid valeat illud coeleste edictum, quo iubentur omnes reges terrae filium Dei osculari (Psal. 2, 12), nec ignorat externo osculi ritu notari fidei obsequium, quod reverenter sanctas admonitiones a Christi ore et spiritu profectas amplectitur: mihi videtur eximi omnis metus et dubitatio. Ego igitur, quem summus rex evangelii sui praeconem et ecclesiae suae ministrum constituit, eius nomine M. V. appello, quum iam in Polonia ex funestis tenebris papatus emergere coeperit vera religio, quum multi pii et cordati homines abiectis impiis superstitionibus ad purum Dei cultum ultro aspirent, ut curam hanc aliis omnibus praeferat. Et certe quanto aeterna Dei gloria umbratilem et caducum huius mundi statum praecellit, ita ad tuendam vel asserendam pietatis doctrinam posthabitis aliis omnibus praecipua nostra studia conferre decet. Quod hactenus Polonia papatus corruptelis foedata et vitiato perversoque Dei cultu post humana figmenta vagata est, quod denique sub errorum colluvie demersa coelestis lucis aspectu caruit: triste ac miserum fuit spectaculum. Nunc vero quum illa communi amentia et stupore, quo percussus fuit totus orbis, eam Dominus liberare incipiat, summos quosque et infimos a suo torpore expergefieri necesse est. An igitur regibus cessandum, quos ideo in sublime Deus extulit, ut inde gentibus universis praeluceant? Iam vero quanti nobis esse debeat sincera religio, per quam Christo inter nos tribunal erigitur, quanti etiam legitimus Dei cultus, in quo symbolum praesentiae eius vivaque imago relucet, M. V. me tacente satis intelligit. Et sane nisi ad nos hac in parte animandos vel unum Davidis exemplum sufficit, minime excusabilis est nostra segnities. Quum enim tunc nonnisi sub obscuris figuris in terrestri sanctuario Deum colerent patres, refertur tamen solenne quod concepit iusiurandum, quod non daturus esset somnum oculis suis, nec palpebris dormitationem, nec ingressurus postes domus suae, donec invenisset locum Domino, tabernaculum Deo Iacob (Psal. 132. v. 3, 4, 5). Si regem illum pia sollicitudo legalis cultus quiescere passa non est, quin noctes et dies ad quaerendam arcae foederis stationem non minus anxie quam assidue intentus foret: quanto magis nunc christiani regis studium ad se rapere debet spiritualis Dei cultus, omnesque eius conatus acrius accendere ad obeundum hoc tam honorificum et praeclarum munus, ut Christus emineat? Accedit etiam quod David quamvis exstruendi templi honore privatus esset, non tamen cessavit toto vitae suae cursu lapides, materiam, argentum et aurum congerere, quo successor Solomo copiis omnibus instructus statim sine mora ad opus se alacrius accingeret. Quo animosius christianum regem vires omnes suas ad restituendum Dei templum colligere ac summopere eniti decet, ne diutius inter deformes ruinas cultus Dei obsoletus iaceat. Etsi autem nunquam desunt obstacula, quae pium hoc studium morentur, longe tamen M. Vestrae expeditior est ratio, quam olim piis regibus Ezechiae et Iosiae, quibus arduum et durum cum populi contumacia certamen fuit, quum hodie Polonica nobilitas magna ex parte promptum et alacre ad suscipiendam Christi fidem obsequium offerat. Quo adiumento sic expergefieri cordatum Regem decet, ut non minus strenue manum ipse vicissim porrigat. Nec vero hic blanditiis dandae sunt aures, quibus Satan per homines profanos lethale frigus aspergens ignavo sopore multorum sensus perfundit. Quin potius, excusso omni torpore, manibus et pedibus in tam praeclaro opere insistendum est: ac praesertim ubi apparet agendi maturitas: ne si oblata divinitus occasio negligitur, frustra deinde standum sit ad clausam ianuam.

---

6. *Confessio fidei condatur. Rex legatum misit ad novum papam Paulum IV. qui tale concilium instuendum postularet. Hic a.* 1556 *Romam venit.* (*Salig.* II. 597.)

2) *N.* 2057.

3) *Lubien. p.* 57 *autor est Budsinium illum* (*de quo supra*) *etiam literas regias ad Gesnerum, Calvinum et Bullingerum datas ad hos pertulisse. Mirum quo pacto hae potissimum perierint.*

4) *Praeter eas Calvini ad regem literas quas etiamnum habemus, Lubienecius p.* 47 *alias laudat a. d. V. Id. Febr.* 1555 *datas, et Bullingeri prid. Id. Nov. eiusdem anni, quas ut iam dudum editas omittit. Ubi vero editae sint neque ipse prodit neque nos scimus. Apud Saligium, Krasinskium, Henry* (III. 429 *ss.*), *Staehelinum, Pestalozzium* (*Bull.* 455. 644), *nullum earum vestigium invenimus. Etiam Fischerus in Schicksale d. poln. Dissid. et Lukaszewiczius tacent.*

Equidem [5]) optimo viro et fideli servo Christi Franc. *Lismanino*, quum a me consilium peteret, autor esse non dubitavi ut istuc statim concederet, si quis forte opera [6]) eius usus fuerit: saltem pio eius desiderio libenter subscripsi. Nec veritus sum ne eius profectio quasi intempestiva Vestrae Maiestati displiceat, cuius praesentiam multis modis utilem experientia ipsa ostendet. Quod si palam a Rege ipsum proferri mox a primo ingressu nondum commodum videbitur, mihi tamen per sacrum Christi nomen roganda suppliciter et obtestanda est V. M. ut recte currenti saltem aliunde patefactam viam curet.

Interea assiduis votis precabimur, ut Dominus pro sua incredibili potentia opus quod coepit, feliciter absolvat, M. Vestram heroico spiritu instruat, et in statu prospero incolumem tueatur. Genevae, pridie natalis Domini, quem cupio sicuti summo imperio a patre donatus est, ita reverenter in palatium vestrum excipi, ut iure suo ab omnibus colatur. 1555. [7])

Vestrae Maiestatis studiosissimus
Ioannes Calvinus.

2363.

CALVIN A L'ÉGLISE FRANÇAISE DE FRANCFORT.

(Original. Archives de l'Église française de Francfort. Copie: Bibl. de Genève MS. 107, fol. 67. — Ruchat VII. 328. Lettres fr. II. 81. Trad. angl. III. 240.)

A nos treschers freres les anciens diacres et tout le corps de l'Eglise de Francfort. [1])

La dilection de Dieu nostre Pere et la grace de nostre Seigneur Iesus Christ soit tousiours sur vous par la communication S. Esprit.

Treschers freres, il me faict bien mal que ie nay plus tost occasion de benir et louer Dieu pour la prosperite de vostre Eglise, que de vous declairer combien ie suis contriste ayant nouvelles facheuses de vostre estat. Quant a la mort de nostre bon frere maistre Richard *Vauville*, ce nous a este un message bien triste, car Dieu vous avoit pourveu en luy dun bon et fidele pasteur, ce quon ne recouvre pas aisement tousiours. Mesmes auiourdhuy le nombre de ceux qui semploient loiaument au service de Dieu est bien petit. Ie croy que vous avez desia eprouve combien son labeur vous estoit utile, et en quelle integrite il cheminoit. Toutesfois iespere que nostre frere maistre *Francoys*, [2]) lequel vous avez esleu pour luy succeder, semploiera, selon la grace que Dieu luy a faicte, en telle sorte que vous ne serez point destituez moiennant aussi que ces povres freres de Wesel ne demeurent point desprouveuz, [3]) comme ie ne doubte point que vous en aurez le soing, et que le tout se fera entre vous dun commun accord: car aussi leur necessite vous admoneste de les secourir. Mais ce qui ma incite a vous escripre, est la facherie que ie porte en mon coeur pour les troubles et contentions qui se nourrissent trop long temps entre vous. Ie pensois bien que tout fust appaise, et en avions icy loue Dieu, apres avoir entendu le rapport sur tout qui nous en avoit este faict de nostre bon frere *Sainct Andre*. [4]) Et cest ce qui me redouble la douleur quant ie vois continuer le mal que ie pensois estre appaise.

Il estoit alors question de quelques faultes que vous trouviez en nostre frere maistre *Valeran*, [5]) vostre pasteur. Le remede y avoit este donne si propre que vous pouviez bien vous contenter, comme il me semble. Mesmes dautant quil sestoit paisiblement submis a toute correction. Or, a ce que ientens, il y a auiourdhuy un nouveau different redresse: cest quaulcuns ne le veullent tenir ny advouer pour pasteur, iusques a ce quil se soit demis de son office, et quon soit entre en nouvelle election. Quant a moy, ie suis contraint de dire que ceux qui maintiennent telles causes sont mal advisez, tenans une rigueur trop extreme, et qui nest nullement a ledification de leglise. Ie ne scay point par le menu comment il a commence a prescher

---

5) *Haec Lubienecius p. 46 affert et ex eo Saligius* II. 594. *Beza omisit.*

6) operas?

7) *Lub. addit.* 24. *Dec.*

2363. 1) *Cette lettre fut sans doute provoquée par les instances de Glauburg et de Poullain. N.* 2351. 2352.

2) *Perrucel.*

3) *Crainte superflue. Pérrucel n'alla ni à Francfort ni à Emden où il avait été appelé en même temps. Voici ce qu'il en dit lui-même, Hist. de eccl. Weccl. dissip. p.* 281: Allatae sunt quoque literae Emdensis ecclesiae nomine mei similiter electionem continentes, ut minister essem loci illius. Sed quamvis in duo illa loca electus essem et ambae ecclesiae mihi scripsissent, se in illa opinione non esse ut manere Wesaliae me debere fratribusve illius loci obligatum esse existimarent, tamen ad neutrum locum ivi, sed respondi, quia vocationes illae non incidissent in id tempus quo spem non haberem obtinendae in oppido Wesaliano ecclesiae, sed contra quum iam de obtinenda ibi libertate satagerem, me neutram vocationem sequi posse. Itaque ista Francofordiana ecclesia percepto consilio meo de alio sibi prospexit ministro. — *Ce ministre fut Guill. Houbraque.*

4) *N.* 2293.

5) *Comp. N.* 2360.

par dela, et comment il a este estably au lieu ou il est. Si lelection eust este gardee en toute sa forme, ie pense quauiourdhuy on nen debatroit point. Prenons donq le cas quil y aict eu a redire. Mais cependant advisez, ie vous prie, quant un frere vient demander en pays estrange place et liberte de pouvoir assembler ung trouppeau de Iesus Christ, si ceux qui se trouvent la, se recoeuillant avec luy et soub sa doctrine, ne leslisent point de faict, encores quon ny observe nulles ceremonies. [6]) Mesmes il me semble quil y a de lingratitude quant apres coup on reiecte un homme lequel aura servi pour dresser une eglise, et quon ne tiendra compte de luy quant il aura donne le moyen et entree pour sassembler au nom de Dieu soubz sa conduite. Ie vous confesse quant un estat certain est dresse, quil nest pas licite de troubler lordre: mais ou il ny a encores rien dedifie, la raison est bien diverse. Regardez tant dEglises qui ont este acquises par toute lAllemagne a nostre seigneur Iesus Christ. Ceux qui ont travaille les premiers a y planter levangile, nont ilz point este receuz pour pasteurs, sans y faire aultre ceremonie? Ie nentens point vous astraindre a lauthorite des hommes, mais ie vous allegue ceste pratique pour vous approuver la raison que iay touchee, cest que lelection nest pas requise telle, quant les choses sont confuses, comme si desia une eglise est reglee. Ie ne trouve point donques raison ni fondement a telz scrupules, mais plus tost me semble quon cherche occasion de loing.

Au reste advisez en quel labirinthe on entreroit, quant cela seroit receu. Que sera ce de tous les baptesmes qui ont este administrez de tout ce temps la? Quelle Cene aurez vous receue? Ie ne vous en dy non plus, pource que cela doit bien suffire pour retirer la bride aux contentions qui sont par trop excessives. Mais si cela ne suffit aux freres, qui, estans esmeuz de zele, sont trop arrestez a leur opinion, ie les prie au nom de Dieu de regarder aux dangers extremes ou ilz mettent toute la compagnie. Vous estes la logez, comme par emprunt. Quant on pensera que vous soiez tant difficilles a contenter, vostre chagrin ne sera il point pour descourager les bons Seigneurs qui vous ont receuz si humainement? Apres, vous voyez quen la personne de celuy contre lequel on combat, vous estes tous assailliz par ceux qui ne demandent qu'occasion de vous ruiner. Cest grand'chose que les Guelfes et Gibelins sappointent, voyans un ennemy dailleurs, et que ce regard la naict point de lieu entre vous qui devez estre uniz en la verite de levangile! Ceux qui nous sont contraires quant a la cene de Iesus Christ, commencent a vous faire la guerre pour vous abolir. Maistre *Valeran* est prest a les repoulser, et soustient les premiers coups. Quil soit daultre part moleste par vous, cest une chose par trop estrange. Mesmes laffliction en laquelle il est, devroit amollir les coeurs de ceux qui auroient eu occasion destre faschez contre luy. Sur tout quant vous voyez que Dieu vous afflige de peste, et que desia il vous a oste lung de voz pasteurs, comme vous menaçant de vous oster toute pasture, quand vous ne pouvez estre induictz a vous contenter.

Ie vous escriz ces choses comme voulant estaindre un feu allume. Mais encores si quelcun se sent greve, pour le moins ie vous prie, au nom de Dieu, que, sans faire esmeute ny user de contention, vous aiez la patience douyr bon conseil, et dy acquiescer. Iespere bien que les remonstrances que iay icy faictes, vous suffiront, mais ie vous ay mis cecy pour le dernier refuge. Tant y a que iaymerois beaucoup myeux que, du premier coup et sans plus differer, le mal se corrigeast, et quon revint en bon accord. Si cela est, ie vous declaire que vous esiouirez beaucoup de voz freres qui desirent vostre repos et salut, et le voudroient procurer entant quen eux est.

Surquoy, apres mestre recommande a voz bonnes graces, ie supplie nostre bon Dieu de vous gouverner par son sainct esprit en toute prudence, mansuetude et vertu. Mes compagnons vous saluent tous de bon cueur. De Geneve, ce 26. de decembre 1555.

Vostre frere,
Iehan Calvin.

2364.

VIRETUS CALVINO.

Narrat quid, dum iam cum Vandelio coram iudicibus fuerit, sibi cum Bertellerio acciderit, unde altera lis nata est.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 49.)

6) *De fait il n'existe aucun acte qui parle d'une élection régulière de Poulain comme pasteur. Il arriva à F. avant le carême de* 1554 *et dès le* 15. *Mars il fit des démarches auprès du magistrat pour obtenir la libre pratique du culte. Il fut donc par cela même le fondateur de la communauté.* (*Frf. Rel. Handl. 1. Beil.* 1. — *Ibid.* II. 50. *Beil.* 14. *Fresenius p.* 70.)

Eximio Christi servo Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori vigilantissimo fratri et symmystae observando.

Genevae.

S. Longum esset integram pertexere historiam mearum litium cum adversariis. Lites voco quia litis* litem mihi alteram peperit, de qua mox audies. Adductus est tandem *Vandelius* a suo hospite, cuius ipse *Vandelius* causam in se totam transtulit, ut contestata erat, sed non sine multis et magnis tergiversationibus. Itaque liberato hospite *Vandelium* aggressus sum. Dedit sponsorem suum hospitem, sed nonnisi ea lege, ut *Perrinus, Baltazar* et *Bertellerius* una cum *Vandelio* se etiam sponsores praeberent. Aderant enim hi omnes cum *Vandelio*. *Vandelius* tempus ad respondendum postulavit. Quoniam vero non est tantum concessum quantum postulavit, appellavit, ut hac sibi ratione quod negabatur tempus prorogaret. Eandem viam post eum sequutus est *Bertellerius* quem eodem tempore in ius vocaram.

Litis adversus illum intentatae haec est causa et historia. Quum palam in foro iudiciali inter caetera *Bertellerius* mihi dixisset: Utinam tu non invisisses captivos! respondi ego: Non me facti poenitet, ut qui nihil egerim meo munere indignum, sed quod me decebat, quodque invitus probaturus fueras si testis affuisses. Ego vero tam absum a scelere quo a vobis gravor, ut me indignum iudicaturus fuerim qui terram pedibus tererem, si vel sola eius cogitatio unquam animum meum subiisset, ut scilicet inducam captivos ad falsas innocentium accusationes. Tum ille (idque in omnium conspectu quum e foro egrederemur): At captivus hoc palam testatus est, inquit. Ego vero: Id mihi non persuadebis, inquam, qui longe aliter hac de re edoctus sum. Tum ille: Nos id tibi testatum faciemus plus centum testibus. Ego rursum: Nescio quid tu testaturus sis, aut quid ille dixerit: hoc scio, si id captivus dixerit quod tu asseris, loquutum esse ut miserum et infelicem hominem qui adversus conscientiam testatus sit. Tum ille: Tu illum iniuria afficis, qui infelicem vocas virum bonum, cuius anima est in coelis, cui gravis est facta iniuria: vir bonus erat perinde atque tu. Tum ego auditores testes huius dicti contumeliosi advocavi, quo me comparabat facinoroso qui extremo supplicio affectus fuerat. Tum multi adversus illum insurgere coeperunt. Ego vero eodem momento diem illi dici curavi in aula iudiciali: postea abii. Ille coepit edita voce vociferari fratrem suum iniuste affectum supplicio, ac tam bonum fuisse virum quam quisquam qui in toto illo coetu esset. Erat autem bona pars civitatis et multi ex primoribus. Fuit haec vox omnibus odiosissima. Quum autem ille videret omnes tumultuari, paulo post dictum correxit et restrinxit ad Gallos, quos et apostatas, ut audio, nominavit, addens: Cavete vobis ab illis, ne et vobis motus excitent et vos e vestra expellant civitate uti nos e nostra expulerunt, et hoc admodum seditiose.

Caetera audies e tabellariis. Vides igitur ut mihi lis e lite nata sit. Quales se gesserunt quidam ex nostris civibus et ex senatoribus cum istis bonis viris, omitto dicere. Fortasse aliquando intelligent quantum peccarint importuna sua civilitate. Sed scio qui huius rei fuerint autores. Video quorsum spectent multorum consilia, ut scilicet amice haec tota lis componatur. Iam super hac re a senatu nostro sum compellatus, sed obiter tantum. Ego sic respondi ut facile satisfecerim. Sed mihi dubium non est quin hac spe adductus *Vandelius* causam sui hospitis susceperit. Intelligis, opinor, quibuscum posthac mihi pugnandum sit, non tantum cum hostibus sed multo magis cum amicis. Nulla potest mihi gravior lucta contingere. Ego audiam si quid mihi proponatur huiusmodi. Adversarii valde iactant scripta quaedam quibus testes adducunt, quibus testentur *Claudium* [1]) dixisse quae nobis adscribuntur. Dicunt enim se notarios et testes habuisse ad hanc rem compositos.

Haec est summa rerum nostrarum. Haec fuit nostra praeparatio ad coenam Domini ex parte adversaria. Sed non impedivit Satanas opus Domini. An cives nostri et Galli sint contumeliam prosequuturi, qua sunt affecti a *Bertellerio*, nescio. Haec tu legatis vestris, maxime vero syndico *Bony*, [2]) significabas, qui me multis precibus orarunt ut ad te perscribam quod ageretur: quia aliud longe suspicabantur futurum, quod fortasse alias fiet. Salutant te nostri omnes. Vos pulsis vestris immundis spiritibus Dei beneficio quiescitis, nos vero ab illis divexamur. Sed spero fore ut qui illis vos liberavit nos quoque liberet. Multam salutem dico amicis. Vale optime ac diutissime. Lausannae 26. Decemb.

Tuus Petrus Viretus.

2365.

CALVINUS BONERO.

Certior factus de consilio eius scripturae sacrae in linguam polonicam vertendae curam gerendi, enixe eum in hoc proposito confirmat.

2364. 1) *Claude Genève dit le Bâtard.*
2) *alias Bonna.*

(Ex apographo Cod. Paris. coll. Dupuy 102, fol. 85 v.)

Magnifico et eximiae dignitatis viro D. Ioanni Bonero a Balitze Castellano Biecensi magno Procuratori Regio. [1])

S. Ne mihi longius praefandum sit, clarissime vir, cur tibi ab homine extero et forte incognito literae veniant, paucis ita accipe: quum mihi de tuis virtutibus narraret optimus frater noster Franciscus *Lismaninus* unam praecipue et multis exosculatus sum et merito, ut arbitror, quae nunc rationem ad te scribendi et simul fiduciam mihi suppeditat. Dixit enim de sacris libris in linguam polonicam fideliter dextreque vertendis ita serio te laborare, ut nullis sumptibus parcere decreveris, ac quibuscum potes modis insistere, ut laborem hunc idoneus quispiam ac peritus interpres suscipiat. Mihi etiam de generoso viro Andrea *Tricesio* [2]) loquutus est, cuius ingenium, pietatem et doctrinam magnopere commendat. Nec vero dubito quin tu, ornatissime vir, qui non vulgari iudicio polles, eum prae aliis circumspecte delegeris, qui tam praeclaro muneri praeesset. Quum huius tui instituti fama piorum omnium, qui te nunquam viderunt, animos conciliet, longe Deo gratius officium esse ne dubita, te vero quem sponte satis incitatum esse video nova exhortatione stimulare quid attinet? Veniam tamen dabis, si tuae alacritati studium quoque meum adiungam, cuius quamvis supervacua sit declaratio, tibi tamen confido non ingratam fore. Caeterum quia hoc insigne est verae et solidae pietatis specimen, hinc etiam de reliquis tuis actionibus iudicium facio. Nam qui de illustrando Dei verbo ita sollicitus est, fieri non potest quin sincerum se et strenuum cultus eius vindicem declaret. Quorsum enim scripturae lectio, nisi ut discussis superstitionum tenebris pura eniteat Dei veritas vigeatque religio. Et certe nihil esse potius quod agas, me tacente intelligis. Serenissimo Regi, qui te gerendis suis negotiis praefecit, ut fidelem operam impendas curae esse certo persuasus sum. Atqui iustam demum laudem referret haec sedulitas, si coelesti regi non desit tuum patrocinium, non quidem in tuendo terreni imperii iure, sed in asserenda aeterni patris gloria, quae nostras omnes curas, studia, conatus ad se rapere debet. Sed ne longa et accurata oratio suspicionem diffidentiae iniiciat, finem facio, Deum ante precatus ut te quem prudentia singulari donavit, spiritu invictum fortitudinis instruat, dirigatque manu sua in recto cursu usque ad metam. Genevae 4. Calendas Ianuarii 1555.

2365. 1) Io. Bonar, magnus procurator arcis Cracoviensis et castellanus Biecensis, in horto suo ad ipsa urbis moenia ante portam aedi Nicolaitanae vicinam et ab ea cognominatam coetui sacro colligendo locum assignavit. (*Lubien. l. l. p.* 48.) *Idem cum Fel. Crucigero a Rege impetravit ut Lismanino postea permitteretur in Poloniam redire.*
2) *Cf. N.* 2372.

2366.

CALVINUS CARNINSKIO.

De argumento vide quae modo diximus ad epistolam Regi scriptam.

(Ex edit. Bezae, Genev. p. 170, Laus. p. 365, Hanov. p. 409, Chouet p. 230, Amst. p. 106. Haec exstat quoque in Arch. Herrenhut. Vol. X. — Gallice Berol. p. 229.)

Ad generosum Dominum Stanislaum Carninski Ivan, haeredem in Alexandrowicze, Equitem Polonum.

Ex tuis ad optimum nostrum N. [1]) literis quas mihi recitavit, perspicere facile licuit, ornatissime vir, quam vere te Christo addixeris. Nam illae non modo serium pietatis affectum ubique spirant, sed etiam clare ostendunt, tibi nihil maiori esse curae ac studio quam ut legitimo Dei cultu in suum ordinem restituto, pura et integra religio in Polonia floreat. In hoc sancto instituto ut constanter pergas, pluribus verbis te hortari supervacuum forte esset. Si tamen ultro currenti calcar adderem, speravi hoc meum studium nec inutile nec tibi molestum fore. Vide ergo, generose vir, quando stadium hoc tam feliciter ingressus es, ne qua te difficultas terreat, vel moretur, ne mundi strepitus animum tuum debilitet, ne te fatiget temporis longitudo. Bene autem est, quod filius Dei non otiosus certaminis nostri spectator in coelo sedet, sed invictum etiam suppeditat robur, quod par sit ad sustinendam laboris molem. De vestro cum Valdensibus consensu [2]) optima quaeque spero: non modo quia sanctam unitatem, in quam coalescunt Christi membra, Deus semper benedicere solitus est, sed quod inter haec rudimenta, fratrum Valdensium peritiam,

2366. 1) *Lismaninum* (*cf. Salig.* II. 595).
2) *Lubien. p.* 56: Evangelicae veritatis confessores indicta ad Cal. Mai. 1555 Pinczoviam synodo frequentem eam celebrarunt. In illa sancitum est explorandos esse animos fratrum Moravorum qui et Valdenses vocantur, cum quibus non pauci fratrum Polonorum, singulari disciplinae ecclesiasticae et pietatis studio eorum incitati, consilia sociabant. — *Postea in synodo generali a* 24. *Aug. ad* 2. *Sept. Cosminecii prope Kalischium in magna Polonia celebrata, consortium et foedus inter legatos eccl. polonicarum et fratrum Bohemorum sancitum est.* (*Salig.* II. 589.)

quam longo usu Dominus exercuit, non vulgari adiumento vobis fore spero. Quare sedulo a vobis omnibus danda opera est, ut haec pia conspiratio magis ac magis sanciatur. Te vero ut privatim horter ad suscipiendum hoc negotium, occasio mihi ex tuis literis oblata est. Vale, nobilissime vir et mihi ex animo colende. Dominus te diu servet incolumem, spiritu suo regat et suum nomen per te illustret. Genevae, 4. Calendas Ianuarii 1555.

Ioannes Calvinus tuus.

2367.

CALVINUS DLUSKAE.

Laudat eius pietatem qua permota filios suos Turicum miserit puriore evangelii doctrina imbuendos.

(Ex Ionvillaei exemplari Cod. Genev. 107ᵃ, fol. 88, coll. cum Turretini Cod. 108, fol. 36. Habent etiam Epp. Bern. VI. p. 379 et Simlerus Vol. 86.)

Ad magnificam Dominam Agnetem Dluskam de Microw, matronam summis virtutibus nobilem. [1])

S. Etsi melius istic certis experimentis nota est tua pietas, eam tamen nobis hic quoque datis pignoribus testatam fecisti, generosa Domina. Nam quod filios procul abs te in regionem fere incognitam ablegare gravata non es, ut puram Christi doctrinam melius imbiberent, hinc facile apparet quanti sit tibi casta et pia eorum educatio. Vividum porro ardorem illum fuisse oportet, qui teneri amoris mollitiem, quae naturaliter matribus insita est, te ad tempus oblivisci ac exuere coegit, donec filios sincera Christi fide probe imbutos conspiceres et quidem laetiore animo quam si e tuo gremio vel conspectu nunquam essent egressi. Fratres [2]) nostros Tigurinos, sub quorum agunt custodia, fidelem operam daturos non dubito, ut spei votisque tuis respondeat successus. Ego etiam, si quando illuc usque venirem, sedulo eos hortabor, ne tuam opinionem frustrentur. Dignum enim hoc sanctum desiderium est, quod adiuvare boni omnes studeant. Non minus laudis meretur quae domi tuae viget pia disciplina. Utinam hoc omnibus curae esset talem habere familiae delectum, ut domesticam apud se ecclesiam quisque foveret. Optandum etiam esset, praesertim rebus istic incompositis, non solum plures matronas, sed etiam viros exstare qui simili exemplo praelucerent. Sed quia hoc tibi datum est, indefessa constantia pergendum est usque ad metam. Multorum oculos in te coniectos esse audio, non modo quia feminam primariam virtute excellere vident, sed quia Deus singulare exemplum in te proposuit, quod merito ad imitationem viros etiam trahere debeat. Quia vero nobis in vitae cursu decurrunt multa obstacula, quae superare nobis facile non esset, Dominum precabor ut te ad perseverantiam confirmet, spiritusque sui donis in dies locupletet, interea sub manu sua et praesidio te incolumem tueatur. Vale, praestantissima Domina. Genevae iv. Calend. Ianuarii 1555.

Ioannes Calvinus tuus.

2367. 1) Dluskiorum familia possidebat Ivanovicianum pagum tertio ab urbe (*Cracovia*) lapide dissitum, *ubi imaginibus ab ecclesia remotis, evangelici Cracovienses suos coetus celebrare solebant.* (*Lubien. l. l. p.* 48.) *Lismaninus in Poloniam reversus* per septem hebdomadas in Ivanoviciano apud nobilem et piam matronam Agnetem Dluscianam ex consilio fratrum latuit, *dum amici et fautores amnestiam a Rege impetrarent* (*ibid. p.* 65).
2) *Hinc alia manus quam Ionvillaei.*

2368.

CALVINUS LASSOCZKIO.

Pertinet haec quoque ad seriem illarum quas scripsit hortante Lismanino.

(Ex editione Bezae Genev. p. 171, Laus. p. 362, Hanov. p. 405, Chouet p. 231, Amst. p. 106, Archiv Herrenh., Vol. X)

Magnifico Domino Stanislao Lassoczki, Subcamerario Terrae Lankzciensis.

Ego vero tibi, eximie vir, ex animo gratulor, quod rebus adhuc istic dubiis omni simulatione deposita libere professus sis, te unum esse ex eorum numero quibus nihil potius est quam obedienter sequi quo nos filius Dei vocat. Haec sinceritas omnes Dei filios, ubi de legitimo agitur eius cultu, apprime decet, ut non vacillent ad quamlibet auram flexibiles neque aliunde pendeant, sed fundati sint in firma illa rupe quae nec ventos ullos nec tempestates vel procellas extimescit. Tenenda enim est illa promissio, qua Esaias (8, 13) fideles ad fortitudinem animat, Dominum exercituum sanctificare, ipse quoque erit pavor vester et arx inexpugnabilis. Nam hunc ipse sibi honorem merito vult haberi, ut eius virtute confisi quod praecipit et mandat sine mora amplectamur. Tu vero, ornatissime vir, re

ipsa testatus es de fugiendis superstitionibus non obscurum tibi esse eius praeceptum, qui sacrilegio papalis missae valere iusso sacrae coenae actionem, quam instituit Christus ac sancivit, palam in usum revocare ausus es: ac si erecto vexillo ex misera papatus dissipatione reliquias colligeres ad fidei unitatem. Euge ergo, generose Christi miles, et quod semel ingressus es stadium, ad metam usque percurre: nec ullis obstaculis cedas, nec aliorum torpore remittas animum, nec ullis difficultatibus fatigeris, donec Christus, qui noster est in hoc certamine agonothetes, aeterna gloriae palma te dignetur. Idem vero e coelo infractas ad perseverandum vires suggeret. Ut homo ignotus literis te compellarem, factum est fratris nostri N.[1]) hortatu: has tamen partes libenter suscepi, ut intelligeres esse etiam in longinquis regionibus, qui licet coram suppetias non ferant votis et precibus iuvare te contendunt. Vale, magnifice Domine. Dominus te spiritu suo regere pergat sanctosque tuos conatus benedicat. Genevae, 4. Calendas Ianuarii 1555.

Ioannes Calvinus tuus.

2369.

CALVINUS MISCOWOSKIO.

Eiusdem omnino argumenti.

(Ex editione Bezae Genev. p. 170, Laus. p. 365, Hanov. p. 408, Chouet p. 230, Amst. p. 105.)

Ad Magnificum Dominum Nicolaum Miskowoski a Mirow, Castellanum Woniycensem.

Quum istuc profectionem institueret optimus vir N.[1]), qui tuam apud me pietatem non vulgaribus elogiis celebravit, committere nolui, ut sine meis literis ad te veniret, quae saltem amoris erga te mei et observantiae testes forent. Nam ut te vehementius ad praestandum quod Deo patri eiusque filio officium debes exhorter, opus esse non videtur, quando vitam tuam aliis regulae instar esse audio. Quare nihil aliud restat, nisi ut tui similis esse ad extremum usque pergas. Vides, praestantissime vir, quam indigne multi sacrum Dei nomen obtendant, qui futili tantum iactantia evangelium in ore habentes maiori diffluunt vitiorum licentia, quam miseri papistae, quos sub aliquo disciplinae iugo superstitio retinet. Quod autem erroribus papatus valere iussis ita magna pars hominum profanescit, hinc accidere certum est, quod et paucis curae est vera religio, et omnibus fere ingenitum carni suae delitias facere. Te vero ex eorum esse numero, in quorum cordibus puram evangelii doctrinam vivas egisse radices qui inde nascuntur fructus ostendunt, tum ex animo tibi gratulor, tum permultos exstare similes magnopere cupio, vel saltem quos tuum exemplum ad imitationem accendat. Sed quia nihil tibi afferent meae literae quod non uberius et luculentius suppeditent lucubrationes in publicum editae, in quarum lectione libenter te exerces, non est cur te longius detineam. Nam et hoc, ut initio praefatus sum, mihi praecipuum scribendi consilium fuit, ut scires praeclaras tuas virtutes, quae Polonis in exemplum praelucent, procul etiam notas esse, et quo merentur in pretio haberi. Vale, nobilissime vir et mihi plurimum observande. Dominus donis suis te augere pergat ad illustrandam nominis sui gloriam, teque spiritu suo semper gubernet. Genevae, 4. Calendas Ianuarii 1555.

2370.

CALVINUS RADZIVILIO.

Confidenter eum post acceptum liberale responsum iterum adit de rebus religionis in Polonia promovendae.

(Ex Cod. Paris. Coll. Dupuy Vol. 102, fol. 33. Apogr. satis recens.)

Ad illustrissimum dominum magnaque virtute praestantem D. Nicolaum Radziwil Dei gratia ducem in Clika et Nieswiess Palatinum Vilnensem magni ducatus Lithuaniae supremum marescalcum et archicancellarium Brezetensem Beriscerviensem Schamlensemque capitaneum generalem dominum in Magna Sawl

Iam vero facit singularis tua humanitas, illustrissime domine ac praestantissime vir, ne fratris nostri *Lismanini* consilio et precibus morem gessisse me poeniteat. Dubitanter enim quod suadebat me initio aggressum esse fateor, ut priores literas[1]), quas ab amplitudine tua benigne ac comiter fuisse

2368. 1) *Lismanini.*
2369. 1) *Lismaninus.*

2370. 1) *N.* 2113.

exceptas video, scriberem. Nunc liberali quod accepi responso [2]) omnis in posterum dubitatio sublata est. Gaudeo etiam plurimum ac mihi gratulor, quum me unum ex tuis censere ultro cuperes, factum esse *Lismanini* opera ut anteverterem. Etsi autem me haec tua benevolentia non vulgariter sibi devinxit, sanctius tamen ex libera fidei professione accessit vinculum. Et certe non aliunde quam ex sincera erga Deum pietate oritur privatus iste in me amor. Quo magis eniti studebo, quando mihi inter Christi servos non ultimum locum tribuis, ut tuae exspectationi votoque respondeam. Id quia tam procul dissitus melius testari nequeo quam piarum exhortationum stimulis, quod a me postulas, ut his partibus obeundis insistam, me libenter facturum quoties dabitur occasio polliceor. Visus est *Lismaninus* non plus quiddam tuo mandato petere, [*quam*] ut meum erga renascentem Poloniae ecclesiam studium publico scripto testarer. In quo etiam libenter tibi obtemperarem, nisi me ambiguus regni status suspensum adhuc teneret. Nam etsi Regem serenissimum purae evangelii doctrinae favere et sanctae reformationis cupidum esse video, quia tamen digitum tollere nondum audet, ut rectae fidei se patronum ingenue profiteatur, quid de se praedicari velit mihi non constat. Nullam porro mentionem fieri absurdum esset. Nunc quando tenes, amplissime domine, quale vacillandi in hoc lubrico periculum metuam, quid factu operae pretium censeas praescribe. Me quidquid tibi placere ostenderis facturum polliceor. Quod si opus fuerit, sponsor etiam accedet *Lismaninus* noster, cuius adventum non minus utilem quam piis omnibus iucundum fore confido. Est enim non modo integer, sed ea quoque moderatione praeditus ut nulla in rebus etiam incompositis temeraria eius actio timenda sit. Neque tamen ea est mollitie quin ad strenue certandum paratus veniat.

Superest, illustrissime Domine, ut ad extremum usque indefessus maneas Christo miles. Qualis sit Poloniae status pro tua prudentia vides. Certe ad eum actum ventum est in quo data opera videtur Deus unumquemque ad examen vocare. Hic memoria tenendum est quod docemur Psalmo 110: Populus tibi spontaneus veniet in die collectionis. Si hoc in gregariis locum habet, quantum primariis ducibus, quorum partes sunt aliis monstrare viam, dedecus esset cursum reflectere, vel etiam cunctatione sua alios morari. Neque tamen haec alio spectant nisi ut te in voluntaria ista promptitudine, cuius nobile specimen iam abs te editum audio, magis ac magis confirmem. Nihil enim est quod nos ad invictam perseverantiam aeque animet quam ubi nos insignibus suis ornat Dominus, qui * domesticos eius ab extraneis discernant. Vale, illustrissime Domine, * aeternus te suis donis indies locupletet, virtute fulciat spirituque suo gubernet. Genevae.

2) *N.* 2227.

2371.

CALVINUS TARNOVIO.

Multa quidem et laudanda pro puriore evangelio facta et tentata sed ultra progrediendum.

(Ex editione Bezae Genev. p. 169, Laus. p. 362, Hanov. p. 406, Chouet p. 228, Amst. p. 104. — Gall. Berol. p. 223.)

Illustri viro ac eximiis virtutibus praestantissimo D. Ioanni Comiti Tarnovio, Castellano Cracoviensi, exercituum Regni Poloniae supremo Duci.

Vide quantum mihi fiduciae praebeat virtutis tuae fama, Illustrissime Domine, quam apud me non vulgaribus elogiis celebravit fidus et idoneus testis N. [1]), nempe ut homo tibi forte incognitus non modo literis meis te compellare, sed de re quoque omnium maxima familiariter apud te disserere, et ad subeundas oneris huius de quo agitur partes cohortari audeam. Pridem de regno Poloniae ad puram et genuinam Christi fidem revocando mediocris spes affulserat. Etsi autem obliquis Satanae artibus iniectae sunt multiplices remorae, nunc demum ianuam filio suo Deus aperuit, ex qua vos omnes ad eum reverenter excipiendum invitat. Et multi quidem, ut audio, cupide obviam accurrunt, et quae debent pietatis officia coelesti regi offerunt: ut in ordine nobilium non minus ad recipiendam doctrinae puritatem vigeat sancta conspiratio, quam Christi hostes ad impediendum evangelii cursum pervicaciter inter se coniurant. Te vero, praestantissime vir, qui summa autoritate polles, et in quem non minus Regis quam aliorum coniecti sunt oculi, aliis strenue festinantibus vel quiescere, vel tardius progredi minime consentaneum est. Nec vero Deus alia lege in hunc dignitatis gradum te extulit, nisi ut e sublimi vexillum aliis monstres, ex cuius conspectu crescat omnibus studii alacritas. Iam quum prudentia et consilio non minus excellas quam honore, minime deceret tot praeclaros antesignanos, qui in certamen libere et intrepide progressi sunt, a duce suo destitui. Etsi enim non ignoro praecipuas esse Serenissimi Regis partes, quia tamen

2371. 1) *Lismaninus.* (*Salig.* II. 595.)

sponte iam ad recte agendum propensus, ubi te certum adiutorem et comitem nactus erit, multo confidentius, ut spero, nervos suos intendet, merito hoc abs te Christus exigere videtur, ut tot generosis suis militibus ducem te ostendas. Ac iam quidem eo usque progressus es, ut de sincero animi tui affectu exempta sit omnis dubitatio. Tantum vereor ne cunctando nimis longum tempus effluat. Et certe hactenus in tarditate plus satis culpae fuit. Nunc vero [2]) ad ingenuam et apertam doctrinae suae professionem et Regem ipsum et proceres omnes sonora voce inclamat idem ille, qui evangelio suo ianuam aperit. Quare tibi, praestantissime vir, in mentem veniat illa prophetae admonitio: Tempore beneplaciti audivi te et die salutis adiuvi te: quae omnes Dei filios ad visitationis suae tempus sedulo amplexandum sollicitat, ne gratia semel oblata, si per ignaviam negligatur, tandem pereat. Quia saepe accidere solet ut laeta exordia, dum felicem exitum promittunt, segnitiem multis adducant, prudenter cavendum est, ne quis ad suffocandam hanc lucem, quae emergere coepit, obrepat torpor. Modum quidem mihi tenendum esse non ignoro, ne acrius urgendo pietati tuae diffidere videar: sed rursum tam praestantia operis quam difficultas ad stimulos addendos me cogit, ne quid in te desiderent fideles Christi servi, quod tantae existimationis viro dignum sit. Summa tamen huc redit, quum unicus nobis vivendi finis esse debeat, ut pure Deum colamus, posthabitis omnibus curis hoc maxime agendum esse, ut superstitionibus eversis emineat vera religio. Iam vero quam foedis corruptelis propemodum exstincta fuerit sub papatu, vix ullis verbis exprimi potest, nec sine summo horrore cogitari. Imo quum nihil aliud sit totus papatus, quam sacrilega et innumeris ludibriis referta nominis Dei profanatio, si in repurgandis istis sordibus frigemus ubi suppetit facultas, minime coram Deo eiusque angelis excusabilis erit nostra cessatio. Ad haec, quum veritatis confessio gratissimum Deo sit et suavissimi odoris sacrificium, infracta quoque eius tuendae constantia inter summa pietatis officia merito numeretur: nullum certe est officii genus, in quo et summam tuam virtutem exseras, et te exerceas maiori cum laude. Rursum quum videas ipse coram quam animose Christi hostes pro sua tyrannide certent, et simul quam furiose oppugnent quam filius Dei sanguine suo asseruit doctrinam, mirum nisi te eorum improbitas ad piam aemulationem accendat: ut scilicet pro vindicanda Dei gloria nihilo segnius contendas, quam illi in opprimenda laborant. Si vero tuam prudentiam non fugit, quam honorifico titulo dignatus sit spiritus sanctus quos vocavit primitias Achaiae, tibi certe danda opera est, ne hodie inter patronos renascentis in Polonia evangelii vel postremus sis, vel medius. Adde quod nulla in re certius tuae erga Serenissimum Regem fidei documentum edere potes. Etsi enim tranquillo ille regni statu potitur, ut tamen haec felicitas diuturna maneat, non alia ratione melius obtinebit quam stabilito Christi regno. Nam etsi Deus, quo se generis humani custodem ostendat, politicum ordinem etiam inter profanos homines pessum ire non patitur, multis tamen exemplis apparet, nusquam residere solidam eius benedictionem nisi ubi pura colitur religio. Ac quum evangelium inaestimabiles aeternae vitae thesauros nobis aperiat, haec secundae gratiae non poenitenda est accessio, quod Deus regna et principatus, quibus praesidet, in suum praesidium fidemque recipit. Itaque ex quibus locis profligata est papatus impietas, ut succederet integra pietatis restitutio, illic leges et iudicia florere, maiorem vigere reverentiam magistratuum, populos sub placida modestia contineri passim videmus. Quo minus tolerabilis est eorum improbitas, qui doctrinae formam quam tradimus proterve infamant, ac si dissipatio esset politici ordinis, quem nullo meliore adminiculo fulciri experientia ubique clamat. Pluribus coram tecum aget frater noster, [3]) et commodius quam ferat epistolae ratio. Vale, praestantissime vir et illustris Domine. Christus, qui te praeclaris dotibus ornavit, mentem tuam omnesque sensus in legitimum earum usum dirigat, quo sacrum eius nomen per te illustretur: sustineat te sua virtute et omni benedictionis genere prosequatur usque in finem. Genevae, 4. Calendas Ianuarii 1555.

2) *Alludit fortasse ad votum illud comitiorum Petricoviensium de concilio nationali congregando.*

3) Reditum (*Lismanini*) omni conatu Stan. Myscovius praefectus Mariaeburgensis, Io. Bonar Ostrorogii, Albertus a Lasco frater, Lasocius, Philipovius et alii illustres ac nobiles viri curabant. Nec res effectu caruit. (*Lubien.* 65.)

2372.

CALVINUS TRICESIO.

Hortatur eum ad scripturam sacram in linguam polonicam vertendam.

(Exstat apographon satis recens in eodem Cod. Paris. et folio ac N. 2365.)

Generoso viro D. Andreae Tricesio [1]) equiti Polono eximio pietatis et doctrinae viro.

2372. 1) Andreas Tricecs, Ioannis filius, viri et nobilitate

S. Miraberis forte, ornatissime vir, quanam ratione adductus consilium ad te scribendi ceperim, antequam mihi ad tuam amicitiam aliunde patefieret aditus. Sed quod a communi more, magis etiam privatim ab ingenio meo remotum est, extorsit optimus vir D. Franciscus *Lismaninus*, ut tecum perinde familiariter agerem ac si pridem mihi notus esses. Nam quum de summa ingenii tui dexteritate referret, ac doctrinae praestantia, simul addidit multorum votis et precibus abs te flagitari praeclarum et summa laude dignum opus, ut libros sacros in linguam polonicam vertendos suscipias: te vero modeste recusando tempus extrahere, ut probis et doctis plerisque hominibus molesta sit ista cunctatio. Etsi autem merito suspensum et anxium te retinet operis difficultas, in hac tamen quam vides maxima necessitate non videtur vel iusta tibi suppetere ratio cur gentis tuae desideria longius differas, nec cessationis honestae excusatio posse offerri. Vetus illud dictum non ignoras: *δύσκολα εἶναι τὰ καλά*: quo non tantum cohibetur eorum temeritas qui supra vires quidvis tentare audent, sed in timidis, quos impedit ac retardat verecundia, corrigitur segnities. Absterret te operis magnitudo: si huc tantum usque ut tibi diffisus opem e coelo implores, laudem meretur hic timor. Sed interim videndum ne gentem tuam officio quod iure abs te exigit defraudes, cuius si praestandi facultas multis tecum esset communis, non absque specioso praetextu eos in laboris societatem vocares. Nunc quum singulari dono polleas te unum divinitus electum cogita cuius humeris incumbat hoc onus: quod impositum nisi suscipis vide ne Dei iugum abiicias. Porro ut tecum hac de re peculiariter agendum censui, ita libere te ad officia omne genus Christo consecranda hortari non dubitabo, idque mihi, ut spero, humanitas tua concedet. Melius ipse in re praesenti cognoscis quam ardenter satagant impii in retinenda sua tyrannide. Pudeat nos ignaviae nisi tam pervicax ergo contentio saltem ad piam aemulationem nos accendat, ut non minus strenue pro asserenda Dei gloria, restituendo puro eius cultu, stabiliendo Christi regno pugnemus. Sed ego haec forsan apud te intempestive. Quanquam non vereor, si ultro iam satis animatus es, ne quid tibi molestiae afferant mei stimuli. Nam et hac in parte semper aequo tardiores sunt nostri conatus, ut fastidio locus non sit, et ut quisque alacrius currit sic infirmitatis suae conscius urgeri se libentius patitur. Vale, praestantissime vir et mihi ex animo colende. Dominus te spiritus sui donis indies locupletet, virtute fulciat et praesidio tueatur. Genevae.

generis et literis ac linguarum hebr. gr. et lat. cognitione clarissimi qui et instructissimam habebat bibliothecam Cracoviae (*Lubien. l. l. p.* 18) *quum Stancarus primum c.* 1550 *in Poloniam venerit et reformationem inchoare studuerit ab episcopo Cracoviensi in vincula coniectum liberandum curavit. Ipse poeta fuit et latina carmina condidisse fertur. Versio S. S. polonica nulla exstat quae ei debeatur.*

2373.

CALVINUS SPITHEKO.

Agmen pro tempore claudit haec epistola lucubrationum polonicarum, unius eiusdemque argumenti ingeniose variati.

(Ex apographo satis recenti Bibl. Paris. Cod. Dupuy 102, fol. 20.)

Illustri et multis virtutibus praestantissimo D. Spitheti Iordan. Palatino Sentomiriensi Praemissiencili Amoniacensique capitaneo de Zahliozin et in Melbod haeredi. [*Nicolao Radziwil.*] [1])

S. Quod meas literas, clarissime vir, tam comiter a tua Celsitudine exceptas fuisse intelligo, non poenitendum laboris mei fructum percepisse mihi videor: quia scilicet spem inde uberioris fructus non dubiam concipio. Itaque quum iter istuc institueret fidelis Christi servus Franciscus *Lismaninus*, etsi unus pluris quam decem epistolae futurus erat, paucis iterandum mihi putavi idem officium. Non quod magnopere meis vel cuiusquam stimulis sis incitandus, quem video alacriter currere, sed quia Dominus coelesti sua voce promptissimos etiam quosque assidue ad indefessam constantiam animans eandem nobis regulam suo exemplo praescribit. Me quidem tacente, quam praeclarum opus aggressus sis quum Christo eiusque evangelio palam et ingenue nomen dedisti, pro tua singulari prudentia intelligis. Quam vero turpe sit cursum in hoc stadio reflectere, virum tam insigni pietate ac virtute praeditum monere supervacuum et absurdum foret. Tantum boni consulas, si ad id quod tibi sponte in mentem venit aliqua a me confirmatio accedat, virum in excelso dignitatis gradu positum suis partibus non rite defungi nisi aliis praecurrat, simulque invicta fortitudine quidquid occurret difficultatum superet, ut alii intrepide sequantur. Porro inter subsidia quae ad piorum conatus istic iuvandos apta et tempestiva erunt, quin Celsitudini tuae gratus sit futurus *Lismanini* nostri adventus non

2373. 1) *Haec ultima verba oscitanter nescio quis caeteris viri titulis adscripsit, qui ille ipse est quem iam bis N.* 2276. 2291. *Caeterum illi tituli ipsi multifariam a librario corrupti.*

dubito. Nota est tibi hominis integritas: recte sentit sibique prudenter moderatur. Denique ad hoc munus obeundum multas ob causas erat idoneus. Haec quum melius tibi, praestantissime vir, ex re praesenti comperta sint, nec precibus nec cohortatione ad hominem amplexandum stimulandus es, cui satis superque gratiae causa ipsa conciliatur, etiamsi hactenus privatim non tam carus fuisset. Bene igitur habet quod fideles, quibus curae est pura et integra ecclesiae restitutio, si negotium facessant papae satellites, probum et cordatum adiutorem nacti sunt, qui pro virili infestissimis quibusque hostibus opponere se non recuset. Iam vero ne quid taedii, nobilissime vir, tibi adferat mea prolixitas, finem scribendi facturus ad preces me convertam, ut Dominus animum tuum magis sibi indies addicat, spiritu suo ad pietatem inflammet, novisque donis locupletet, ac tuam Celsitudinem e coelo tueatur. Genevae.

2373 bis.

CALVINUS LISMANINO.

In patriam redeunti salutationes et vota ad Polonos ferenda pro viatico mittit seque excusat quod encyclicam, ut pollicitus fuerat, pro tempore non scripserit.

(Ex Archivis Fratrum in Herrenhut MSS. Vol. X. p. 72 v. in nostrum usum per virum hum. P. Kummer theol. cand. descripta: cuius tamen textum passim ex coniectura emendare nobis sumpsimus.)

Eximio viro et observando fratri Francisco Lismanino Ioh. Calvinus S. D.

Quaedam de quibus coram tecum nuper egi memoriae causa breviter hoc scripto complecti visum est. Si forte ex itinere ad D. *Petrum Martyrem* et D. Ioannem *a Lasco* deflectas, utrumque meo nomine salutabis. Te vero pro sua humanitate perinde excipient ac si literas a me acciperent. Nec vero commendationis tibi opus est quam tecum satis amplam afferes si ad eos veneris. Si te iter Vitebergam facturum spes fuisset, scripturus eram D. *Philippo*. Sed quia tibi adversa [1]) anni tempore erit incommoda digressio, te frustra literis onerare nolui. Et si tamen eius visendi melior dabitur opportunitas quam spero, rerum nostrarum statum et expeditionis tuae rationem ex sermone tuo melius intelliget. Ubi Poloniam ingressus fueris, quo te Dominus incolumem brevi adducat, non de paucis tibi mandatum esse existima, sed de omnibus qui ad puriorem Dei cultum adspirant, ut me illis fausta omnia et plurimam salutem ex animo precari renuncies. Quanquam primum locum tribui cupio generosis et nobilibus viris, quorum virtutes et sancta studia peculiariter apud me praedicasti. De literis communibus ut consilium a discessu tuo maturem, [2]) non modo fecit temporis inopia, sed haec quoque ratio quia in eligendo argumenti genere haerebam perplexus, donec melius comparata [3]) esset ecclesiae conditio. Quod per te facile consequar ubi in rem praesentem veneris. Fratres nostros qui docendi munus obeunt, quum minime dubitem aliis praecurrere quo decet fervore, in praesentia hortandos non putavi. Si quem operae meae usum sibi fore cognoscant, mea officia illis parata esse dices. Quanquam meae tenuitatis conscius liberaliter meum consilium offerre non audeo. Vale. [4])

2373 bis. 1) adverso?
2) mutarem?
3) comperta?
4) *Sine die et consule. Referimus ad finem Decembris quum medium locum obtineat inter plures eodem fere tempore scriptas quae in supra citato volumine simul asservantur, quas hic recensere non abs re erit:* 1. *Petri Martyris ad eccl. polonicas d. d.* 14. *Febr.* 1556. — 2. *W. Musculi ad easdem s. d.* — 3. *Turicensium Ian.* 1556. — 4. *Bullingeri m. Ian.* — 5. *Lausannensium, Cal. Ian.* 1556 *cui subscripserunt Viretus Valerius Ribittus Besa Quercetanus Cordertus Merlinus.* — 6. *Pontani Meldunensis ministri Galli d. d.* 13. *Dec.* — 7. *Argentoratensium d. d.* 18. *Febr.* 1556 (*Martyris Sturmii Zanchi*). — 8. *Sturmii d. d.* 15. *Febr.* — 9. *Zanchi* 18. *Febr.* — 10. *Calvini* (*haec nostra*). — 11. *Farelli Cal. Ian.* 1556. — 12. *Sulzeri Febr.* — 13. *Curionis Febr.* — 14. *Brentii* 23. *Febr.* — 15. *Vergerii s. d.* — 16. *Gualteri* 25. *Ianuar.* — 17. *Besae Cal. Ian.* 1556. — *Ex harum variis natalibus Lismanini iter per singulas stationes, mutato scil. epistolarum ordine, a Geneva Stuttgardiam usque persequi licebit.*

BRUNSVIGAE, TYPIS M. BRUHNII.

BRUNSVIGAE, TYPIS M. BRUHNII.